N. 4. 5.

08625

13 — 15.

A.2.33.

Ex libris P. Hyacinthi ... Ord. Erem. S. P. Augustini.

FRANCISCI SUAREZ

SOCIETATIS JESU,

OPERUM DE RELIGIONE SUMMA,

CONSCRIPTA

Conv. gen. Vienn. ad SS. Seb. et Rochum.

à

P. CONRADO VOGLER,

Ejusdem SOCIETATIS.

230.24
Su 13



CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

INGOLSTADII,
Sumptibus JOANNIS ANDREÆ de la HAYE, Bibliopolæ
Academici, Anno MDCCXXXV

BV
4504
.L38
S83
1735
SEMU-JC.A

7/8/2014

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS.
CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

EGo infrà ſcriptus Societatis Jeſu per Provinciam Rheni Superioris Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi factâ ab Admodum Reverendo P. Noſtro Franciſco Retz, Societatis noſtræ Præpoſito Generali, facultatem concedo D. Joanni Andreæ de la Haye, Bibliopolæ Ingolſtadienſi imprimendi ad decennium Summam Operum R. P. Franciſci Suarez è Societate Jeſu de Religione per P. Conradum Vogler ejusdem Societa-

cietatis &c. conſcriptam; eidemque jus Cæſarei Privilegii uſurpandi eatenus indulgeo, ut prædictam Summam nemo alius intra decennium recudere, nemo intra S. R. I. fines, & Hæreditarias ſacræ Cæſareæ Majeſtatis Provincias importare, aut venum exponere audeat. In cujus rei fidem litteras has manu propria ſubſcriptas, & Officii mei ſigillo munitas dedi Moguntiæ 18. Julii 1731.

JOANNES HARTUNG,
SOCIETATIS JESU.

TRA-

DE RELIGIONE
TRACTATUS I.
De Natura Virtutis Religionis.
LIBER I.
De Objecto Virtutis Religionis.
CAPUT I.
Etymologia Vocis Religio.

1 JUxta Auguſtinum & Jonam Aurelianenſem ſignificatur dicta voce non tantùm cultus DEI, ſed quodlibet officium, quod præſtamus cognatis, conjunctis &c. At Cicero l. 2. de Invent. vult, Religionem eſſe quæ Superioris cujusdem Naturæ, quam Divinam vocant, curam cæremoniámque offert. Derivatur à verbo *Religandi*, juxta alios *à Relegendo*, quæ DEI ſunt, *à Relinquendo*, quia res Religioſa ſeparatur à communi uſu, & denique à *Religando*, quatenus ut per naturam, ita per habitum ad DEUM ligamur, itémque inter nósmet per Profeſſionem cultûs ejus. Amos 9. *Faſciculum ſuum* (Eccleſiam) *ſuper terram fundavit.*

2 Licet enim omni habitui commune ſit inclinare potentiam, id tamen in præſenti maximè conſiderari potuit, quia inclinatio ad DEUM maxima eſt, & ſoli ipſi debita. Quoties autem novum vinculum additur, dicta vox ſpecialiùs vendicatur, ut in Eccleſia, Ordine Religioſo &c. Translatio autem vocis fit, cùm ſignificat curam nimiam, timorem conſcientiæ, cui contravenire eſt DEUM offendere; idem eſt, cùm ſignificat debitum officii, quia ab hoc deficere eſt negligere cultum DEI. Jac. 1. *Religio munda eſt. &c. &c. &c.*

CAPUT II.

Quot modis dicatur Religio ad DEUM.

1 Primò Diſtinguitur in veram & falſam. Nam ex parte intellectûs vera Religio eſt veri DEI, veríque cultûs illi debiti vera cognitio; sícque ſola Chriſtiana Fides dicitur vera Religio, quia ſimul eſt ſpeculativa, & practica, oſtendens, quis, & quomodo colendus ſit. Alii enim vel idola & creaturas colunt, vel DEUM quidem, ſed modo indebito, ſuperſtitioſo. Porro vera in eſſe rei Religio dicitur, quia conſtat ex principiis, quæ vera Religio poſcit, & per conformitatem ad veras cauſas, quæ ſunt DEUS, & vera ejus cognitio. Igitur *falſa* dicitur propter apparentiam, & potiùs dicenda eſt *nulla*.

2 Secundò. Vox *Religio* dicitur de actu interno, externo, rebus aſſumptis ad cultum DEI, & de Habitu. Sic enim etiam Fides tribuitur Doctrinæ, Actui, Habitui credendi, & rebus creditis: idem ergo fit in præſenti, ut Ex. 12. Núm. 19. Ex. 29. *Religione perpetua* ſeu Lege Religionis. Sic votum & promiſſio dicitur, & res promiſſa. Reperitúrque honeſtas Religionis in cultu, ut objecto per ſe conſono rationi, in actu, ut liberè fit, in habitu, ut connaturali principio &c. Denique dicta vox ſignificat ſtatum profitentium talem doctrinam, & modum colendi DEUM; tamen ut *ſtatum & virtutem* ſignificat, eſt vox æquivoca.

CAPUT III.

Quomodo DEUS comprehendatur ſub objecto Religionis.

1 Primò. DEUS eſt objectum Religionis. Nam objectum eſt, circa quod verſatur Virtus, & ad quod tendit. At dicta virtus circa ſolum DEUM aliquo modo verſatur, ejus ſolius honorem procurans. Dein virtus moralis vel eſt circa paſſiones, vel circa operationes ad alterum: & hæc in objecto includit perſonam, ut terminum habitudinis, ſicut omne peccatum contra alterum eſt contra perſonam aliquam, ergo vel circa Deum, vel circa proximum, ſub hoc Angelos comprehendendo, ut participes communis beatitudinis; contra brutũ enim per ſe homo non peccat.

Secundò. DEUS non eſt objectum Religionis abſolutè proximum ſed indirectum. Mediat enim actio aliqua, ſicut juſtitia attingit proximum mediante actione, vel omiſſione debita. Eodem tamen 2

im-

petu affectûs, quo in operationem, etiam in DEUM fertur Religio, quin in illa ſiſtat, ut *volo honorare DEUM*; ſícque hic eſt objectum indirectum, ſeu *cui*, non *quód*: Sicuti quando relatio cadit in cognitionem, etiam terminus cadit mediante relatione, quia non ita propinquè. Denique DEUS dicitur objectum proximùm reſpectivè, ſeu comparando cum objecto extrinſeco, quod per ſe non attingitur ab actu elicito Religionis, ſed imperato tantùm, ut DEUS objectum caſtitatis remotum dicitur.

CAPUT IV.

Síne DEUS ſolus objectum cui *Religionis?*

Primò. DEUS nunquam attingi-
1 tur ab actu elicito Religionis ut objectum *quod*. Nam cùm petitur DEUS, vel Spiritus ſanctus à DEO, aliud eſt velle petere, aliud ipſum petere; ſicut pia affectio ſeu voluntas credendi diſtinguitur à Fide. Velle ergo DEUM, ad charitatem vel ſpem ſpectat, non ad virtutem moralem. Petitio autem vel tendit in commodum petentis, vel in honorem DEI? Si 1.mum, non tendit in alterum, sícque non eſt actus Religionis: ſecus, ſi tendat poſteriore modo.

Secundò. Omnes actus eliciti Re- 2
ligionis referuntur in DEUM vel explicitè, vel implicitè ſeu virtute. Exemplum prioris eſt in Sacrificio &c. poſterioris in cultu Imaginis &c. Tota enim ratio colendi eſt DEUS ipſe: ſi autem Sanctus colitur propter excellentiam propriam, cultus erit alterius Virtutis, non Religionis propriè ſumptæ.

CAPUT V.

Síne DEUS ſolius Religionis proprium objectum Cui?

Primò. Dantur plures habitus
1 voluntatis habentes DEUM pro objecto *Cui.* Patet in pia affectione, & in obedientia &c. Quia ſi DEUS ut objectum *quod* pluribus Virtutibus obijci poteſt, ut charitati, & ſpei; cur non etiam pluribus ut objectum *cui*? Sicut autem actus eliciti voluntatis poſſunt DEUM attingere diverſis modis, ita etiam operationes, quas voluntas proximè vult.

Secundò. Religio peculiari & 2
ſpecifica ratione attingit DEUM. Nam duobus modis ſic attingitur, uno, ut perſona, cujus commodum (loquendo noſtro modo) intenditur; alio, ut extrinſecè informans materiam virtutis, ſeu conferens fundamentum honeſtatis, quam illa

per ſe reſpicit. Quo modo DEUS à pia affectione attingitur, ut conſtituens objectum Fide dignum; & ab obedientia, ut præcipiens efficit ſpecialem bonitatem rei præceptæ in ordine ad voluntatem, quæ Superiori obedire debet; nec enim obedientia tendit in DEUM, ut illi aliquid retribuat, ſed in rem præceptam ſub ſpeciali honeſtate reſultante ex præcepto. Si autem ex reverentia erga DEUm obeditur, actus erit Religionis; ſicque hæc ſola dicto modo ſpeciali attingit DEUM, non verò virtus alia, niſi comprehenſa ſub eadem; ut Pœnitentia.

CAPUT VI.

Sub qua ratione DEUS objiciatur Religioni?

1 Primò. Religio tendit in DEUM ſub una aliqua ratione. Ita omnes cum S. Thoma, conſtátque ex proportione, & adæquatione inter finem intrinſecum ſeu objectum, & virtutem: ergo quo modo Religio eſt una virtus, etiam ex parte DEI fundatur in aliqua ratione per ſe una.

2 Secundò. Conſiſtit dicta ratio non in ſimplici attributo, ſed in excellentia primi Principii, ut ex pluribus attributis coaleſcit, & intrinſecè conſtituitur, non verò, ut unum ex alio dimanat. Nam de ratione dicti Principii eſt Sapientia, Bonitas, Voluntas, Potentia &c. Nec attenditur dictum Principium præcisè in aptitudine communicandi ſe, ſed ut actu ſe communicans &c. Per omnes enim actus profitetur homo & Divinam Excellentiam, & ſuam ſervitutem, conſequenter extrinſecam Dominationem Divinam: non quòd ſecluſa retributione non debeatur DEO cultus propter ſe; ſed quia non apprehensâ Providentiâ DEUS non apprehenditur ùt ſummè excellens, & Supremus Dominus; quod eſt quaſi fundamentum Religionis. Licet autem dicta communicatio non ſit perfectio DEI, tamen & propter illam debetur honor, & eadem eſt vinculum conjungens nos cum DEO, ſeu religans, & ideò Scriptura cultum præcipiens utitur nominibus reſpectivis. Mal. 1. &c. &c.

CAPUT VII.

Quæ ſit materia proxima, circa quam verſatur Religio?

1 Primò. Conſiſtit dicta materia vel omninò vel principaliter in actionibus, quibus DEUM colimus. Nam ijdem actus externi &c. ſunt effectus & finis internorum ſeu elicitorum. Imagines verò, cerei &c.

per

per ſe ſoli non continent cultum, ſed ut operationi deſerviunt; ſícque ſub Sacrificio Templum, Altare &c. ſub adoratione Imago &c. continetur: & in hunc modum diſtingui poteſt materia extrinſeca actuum

2 Secundò, Omnis actus honeſtus, ut referri poteſt in DEI cultum, eſt materia, ſeu objectum *quod* Religionis. Si enim ſolùm materialiter ſpectatur, non completur in ratione cultûs, nec in eo eſt, quod ad Deum pertinere dicatur: pertinet autem, quòd ad honorem vel famam ſeu æſtimationem DEI ſpectet, cùm illa ſola reputentur bona extrinſeca perſonæ; amari verò, timeri &c, vel ad illá revocantur, vel apprehenduntur ut utilia ad fines alios. 6. Eth. c. 8.

3 Tertiò, Quamvis gloria & honor diſtinguantur, tamen ſimul & per modum unius intenduntur. Virtutes enim multiplicandæ non ſunt: at Religio una intendit totum cultum. Dein vix in actione diſtinguuntur: nam gloria eſt *clara cum laude notitia*, ſeu juxta Auguſtinum *frequens fama cum laude*. Laus autem propriè dicitur, cùm verbis fit; & honor eſt ſignificatio æſtimationis per alios modos; & denique æſtimatio habet ſe ut finis vel terminus utriuſque: nam honor & laus fiunt ad illam generandam, conſervandam, augendam in nobis & aliis.

Alii volunt, in cultu hæc diſtingui, ut formale à materiali. Sed contra: quia ipſa æſtimatio poteſt exerceri in cultum, cùm DEUS non egeat ſignis, tuncque illa & cultus ſolùm ratione vel denominatione diſtinguuntur. Sæpe etiam fit actus diſtinctus ab æſtimatione non ad hanc generandam, ſed ut exercendam in laudem æſtimati, conſummando ſic rationem gloriæ, ut ſit fama cum laude ſeu teſtificatione excellentiæ alterius. Nec talis ſignificatio ſemper ordinatur ad novam cognitionem gignendam in ſe vel alio, ſed ad exercendam & profitendam cognitionem internam. 4

Sœpe enim id neceſſarium eſt, ut alii noſtram de DEO opinionem vel agnoſcant, vel imitentur. Aliquando autem idem operanti proficit ad magis actuandam æſtimationem. & maximè ad excitandam devotionem. Tamen ſecluſis his effectibus ſigna hæc conveniunt, quòd fiant propter ipſam DEI gloriam. Hanc enim DEUS in omnibus vult, nec creatura poteſt aliud tributum reddere ſervitutis; poſcítque ipſa ratio, ut illam homo mente & opere recognoſcat & exerceat, ut poteſt; idémque eſt officium perpetuum Beatorum, ut paſſim notatur in Apoc. 5

CAPUT VIII.

Corollaria ex dictis de materia Divini Cultûs.

1 Primò. Comprehendit dicta materia & æſtimationem Divinæ Excellentiæ debitam, & hujus ſigna. Nam Gloria DEI ex utroque conſurgit, famâ ſcilicet ſeu bono nomine, & honore ſeu illius ſignis; ſicque præter dictam æſtimationem (quæ eſt ex parte intellectûs) actus omnes reliqui ſunt materia Religionis in ratione ſigni, non quidem naturalis, ſed ad placitum, ſive id publicum ſit, ſive privatum; ſicut ſigna ipſa aliquando privata ſunt, aliquando publica ſeu nota aliis.

2 Debet tamen impoſitio ſigni eſſe prudens & cum fundamento in re, ſeu cum decentia & aptitudine ad talem uſum vel ſignificationem. Fundatur autem hæc partim in ipſa natura rei, cùm actio & per ſe decens eſt, & humiliationem ſignificat, partim in communi uſu & apprehenſione hominum utentinm ſigno ad ſignificationem Excellentiæ: quia mutata intentione facilè ſignum transfertur, niſi per accidens obſtet quid.

3 Secundò Actus omnes honeſti, & externi & interni, poſſunt eſſe materia proxima Religionis. *Honeſti* inquam, nam in malis vel indifferentibus per ſe deeſt proportio, ut in iis fundetur ratio cultûs, vel ſignificatio Divini honoris. Si ergo honeſti ſunt, eo ipſo referri poſſunt ad DEI Gloriam 1. Cor. 10. *omnia in DEI Gloriam &c.* & de obedientia notat S. Thomas 22. q. 104. a. 3 ad 1. ſive fiat ex DEI reverentia, ſive cum formali reſpectu complendæ voluntatis Divinæ. Nam licet actus abſolutè non ſit præceptus, ſemper tamen quoad ſpecificationem, ut talis rectitudinis, & cum talibus circumſtantiis, impletur præceptum aliquod, ſi reſpicitur dicta rectitudo ab operante.

Igitur alii actus communem hanc proportionem habent, ut comedere temperatè &c. alii ſpecialem, ut actus interni Theologici, & quoad externos opera miſericordiæ, fortiter agere pro DEO vel pati &c. Alii habent primam & ſpecificam rationem cultûs, ut Oratio, Votum, & in externis Sacrificium, Genuflexio. &c. &c. 4

CAPUT IX.

Quomodo ratio debiti pertineat ad formale Objectum Religionis?

Primò. Religio reſpicit debitum. Conſtat voce omnium, deberi DEO cultum; & Religio eſt pars poteſtativa Juſtitiæ; & ideò DEUS illi obji-

citur

citur ſub ratione primi Principii, ut ſpectatur ratio debendi. Nec homo quidquam liberalitatis dare DEO poteſt, cùm omnia hujus magis ſint, quàm ſervi: non datur autem medium inter debitum, & donationem ſeu officium merè liberale. Liberalitas enim ſemper reſpicit commodum vel utilitatem alterius; nec attendit conditionem, quæ quid exigat tanquam debitum: & ideò reſpectu DEI locum habere nequit in homine.

2 Secundò. Debitum, quod reſpicit Religio, eſt debitum legale, non morale. Nam morale eſſe volunt in Virtute, quæ operantem ſpectat, & reſpicit debitum ſecundùm convenientiam ad propriam naturam rationalem: quamvis etiam in Virtute, quæ alterum reſpicit, dici poſſit debitum morale, quatenus deficit à proprietate Juſtitiæ in ratione debiti, ut Gratitudo, Liberalitas &c. Debitum Juſtitiæ autem dicitur legale, quia maximè attenditur in legibus Reipublicæ. Nam hujus Pax nihil magis exigit, quàm ut Jus cuique ſuum ſervetur; & Juſtitiæ eſt attendere debitum ſecundùm Jus vel conditionem perſonæ. Atqui debitum Religionis ex genere ſuo majus eſt quocunque alio.

Tertiò. Non ſemper tale eſt dictum debitum, ut in ſingulis actibus ſit obligatio præcepti, quamvis per ſingulos actus aliquo modo ſolvatur & expleatur. Sic qui anticipatò ſolvit, ſponte facit, ſed tamen ex intuitu debiti. Eſtque peculiare debito præſenti, quòd nunquam exhauriatur. nam eſt infinitum, & ipſa ſolutione tanquam novo beneficio creſcit; quod ſecus eſt in juſtitia ad hominem. Rurſus ſemper intervenit debitum quoad ſpecificationem actûs, quam poſcit excellentia perſonæ, ſempérque obligatio eſt non operandi contra tale debitum. 3

LIBER. II.

De actibus Virtutis Religionis in genere.

CAPUT I.

De internis actibus proximè elicitis à Religione.

1 PRimò. Internus actus Religionis eſt actus voluntatis. Nam duo requiruntur, judicium prævium ſeu agnitio debiti, & voluntas ſolvendi debitum; ſequitúrque executio cultûs, quæ ad externos actus pertinet. Parùm autem prodeſt æſtimatio Divinæ Excellentiæ ſine voluntate; nam *& Dæmones credunt &c.* ſolúmque objectivè pertinet ad cultum

tum, non formaliter, niſi exercita ex voluntate honorandi DEUM. Sic omnis Virtus moralis ad alterum, pertinet per ſe primò ad voluntatem; quia ſtat agnoſci jus, & tamen non reddi.

2 Secundò. Voluntas perfecta colendi DEUM cultu fideli eſt per ſe infuſa, & in ſua ſpecie ſupernaturalis. Nam quantum eſt ex parte DEI, objicitur ut primum Principium non tantùm naturæ, ſed gratiæ, & finis ſupernaturalis. Dein ex parte materiæ colitur DEUS non tantùm cultu naturali, ſed etiam ſupernaturali, ut eſt captivare intellectum in obſequium fidei, & univerſim omnes actus Virtutum Theologicarum, itémque Sacrificium, & Sacramenta. Denique ſupernaturalitas ſumitur ex formali honeſtate ſeu conformitate ad dictamen rationis ſupernaturaliter illuminatæ, ſeu per conformitatem ad naturam rationalem, non ſecundùm ſe tantùm, ſed ut elevatam per gratiam ad participationem Divinam.

3 Alii volunt, ad actum ſupernaturalem ſufficere principium ſupernaturale. Sed quidquid ſit de poſſibili, nunquam Authori viſa eſt doctrina apta ad actus gratiæ explicandos. Nam ſi diſtinctio ſupernaturalium & naturalium ſolùm ſumitur ex principio efficiente, ceſſat ratio & neceſſitas exigendi actus ſupernaturales, ſi ipſa objecta hos non requirunt. Et Principia ſeu habitus potiùs ex actibus diſtinguenda ſunt, quàm è converſo, loquendo de formali ſeu eſſentiali diſtinctione: quamvis in exiſtentia actus ex habitu diſtingui poſſint. Denique non eſt juxta Providentiam conſentaneam rebus ipſis, per principium ſupernaturale efficere actus vi objecti naturales.

4 Porrò diſtinctiones actuum variæ ſunt, ut 1. ex motivis, ut eſt gratias agere, orare, votum ſolvere, colere DEUM propter Excellentiam &c. 2. Ratione modi tendendi actuum, ut eſt amare, deſiderare &c. Omnéſque actus proſecutivi circa Objectum Religionis ita inter ſe connexi ſunt, ut unus ex altero oriatur, ut in omni alia Virtute proportionaliter, ſicque ſpectant ad eandem Virtutem. 3. Ex parte materiæ, quatenus alius actus proſequitur bonum, alius fugit malum, cùm omnis facultas, quoad poteſt, fugiat contrarium. Rurſus unus actus proximè imperat cultum, ut voluntas ſacrificandi; alius ſolùm, quod ad cultum ordinatur, imperat vel eligit, ut eſt vaſa ſacra mundare. Licèt enim operans hæc immediatè referre poſſit ad cultum ſeu ſignum ſubjectionis, tamen ordinatio eſt quaſi extrinſeca; quia propria ratio honeſtatis in tali actione eſt, quòd ordinetur ad aliam, in qua cultus conſiſtit: quod ad multa Religioni tribui ſolita notandum eſt.

5 Dices. Honorare alterum eſt Obſervantiæ; Juſtitiæ verò, non inferre contumeliam. ℞. erga DEUM non dari Juſtitiam commutativam, ut

inter

inter homines. Si qua enim eſt, Juſtitia eſt altioris ordinis, & deficiens à proprietate Juſtitiæ tum in facienda æqualitate, tum in omnimoda diſtinctione tam abſoluta quàm reſpectiva, quia homo eſt aliquid DEI: excedit autem in ratione debiti, nam falſum de DEO teſtimonium injuria gravior eſt, quàm contra hominem.

CAPUT II.

An præter actus internos Religio habeat externos. &c.

1 Conſtant omnia ex dictis de materia. Nam ſub diverſa habitudine idem ut ſubijcitur Virtuti, dicitur *Materia*, & ut efficitur à Virtute, *Actus.* Hic ergo vel eſt corporalis, vel eſt ſpiritualis, qui etiam internus cultus dicitur, & actus Religionis, quamvis revera non convertatur. Nam aliud eſt affectus cultûs, aliud ipſe cultus; nec poteſt unus idémque actus utramque ſimul rationem participare, cùm contradictio ſit, immediatè & mediatè oriri ſimul à Virtute, nec idem ſimul & Objectum directum eſſe poſſit, & affectus, qui ſolùm implicitè voluntarius eſt, non ut cultus, ſed ut affectus colendi. Poteſt tamen voluntas eſſe reflexa in ſe, per unum actum imperando alium, ut per affectum colendi voluntatem ſacrificandi vel communicandi, cùm deeſt occaſio actum externum exercendi.

Externum cultum eſſe multiplicem, dictum eſt ſuprà; principalia 2 autem ejus membra duo ſunt, nam honoramus DEUM vel aliquid exibendo, vel ſumendo Divinum quid, ut Sacramenta. Prior modus aut fit per membra Corporis, ut genuflexione, aut per res alias, ut oblationes: & hæc aut immediatè fiunt DEO, aut mediatè in miniſtris ejus, ut ſolvendo decimas. Adde alium actum bipartitum, ſcilicet promiſſionem, & impletionem promiſſi. Quantùm ad actum appetitûs ſenſitivi, vel ille oritur per reſultantiam ex ſympathia facultatum, vel directè in tenditur, applicando cogitativam ad cogitandum de DEO ut Benefactore, vel alia ratione materiali? Si 2um, Cultus eſt externus; Si 1mum, pertinet ad internum, ut acceſſorium ad principale.

CAPUT III.

An cultus externus ſit actus elicitus, vel imperatus Religionis?

1 Primò, Religio non habet efficientiam ſive Phyſicam, ſive moralem circa actum externum, niſi medio actu elicito à voluntate ſimul

cum habitu Religionis. Nam habitibus, cùm volumus, utimur, nec illi operantur per ſe, ſed quatenus potentia eis utitur, conſequenter nec extra Objectum potentiæ, cui cooperantur. Rurſus influxus moralis non fit niſi moraliter applicando potentiam exequentem: hæc verò non applicatur per Habitum, niſi mediante dicto actu elicito. Cajetanus vult, actum externum poſſe dici elicitum Religionis, quatenus hæc dat facilè poſſe, licèt in ſubſtantiam actûs non influat.

2 Secundò: Actus externus ſolùm participat facilitatem, ut imperatur, & per denominationem ab interni & eliciti facilitate. Nam tribus modis Virtus unius potentiæ dat facilitatem ad actum alterius: uno, tollendo impedimenta, ut frænatio appetitûs juvat actus voluntatis. Alter modus eſt ex parte Objecti, quatenus qualis quiſque eſt, talis ſibi finis videtur, & quisque attentiùs cogitat, ad quæ afficitur. Sed uterque modus eſt accidentarius; & poſterior quidem valde extrinſecus, & magis per occaſionem, quàm per efficientiam. Juxta priorem autem modum poſſet etiam actus dici elicitus à complexione temperata, frigida &c.

Ultimus igitur modus per ſe eſt in potentiis ſubordinatis, ſi ſuperior applicat inferiorem. Nam tunc Virtus ſuperioris moraliter facilitat ad actum inferioris, utique per actum Superioris elicitum. Quòdſi inferior aliunde impediatur, vel laboret defectu Virtutis, impedimentum aliunde tollendum eſt, & ita explicatis vocibus error non poterit eſſe in re. Rurſus quidam externi non niſi ex motione Religionis fieri poſtulant in ratione honeſti, alii mediante motione alterius Virtutis, ut miſericordiæ. Priores proximè imperati dici poſſunt (alii elicitos vocant, quatenus per modum unius trahitur ab interno) Poſteriores, remotè tantùm. Porrò *Religio munda &c.* Jac. 1. non accipitur de ſpecifica Virtute juxta antecedentia: *hujus vana eſt Religio:* ſed ut complectitur omnem Virtutem, ſeu veram profeſſionem Religioſam: acſi ſenſus ſit, non eſſe Chriſtianum verum & ſolidum &c. 3

CAPUT IV.

Habeátne Religio actus proprios ſpecie inter ſe differentes.

1 Primò. Datur ſpecifica diſtinctio actuum, communis aliis habitibus voluntatis. Nam amor, & odium, deſiderium, delectatio &c. diſtinguuntur ſpecie: & tamen, quia in uno & eodem formali Objecto radicantur, & unus ex alio actu oritur, pertinent ad eundem ſimplicem habitum: nec de eo dubium eſt.

Secundò. Non ſemper ex ratione 2 cul-

cultûs externi oritur ſpecifica diverſitas actuum. Patet, nam genuflexio, vocalis confeſſio Divinæ Excellentiæ &c. ſpectata intentione non differunt in ratione cultûs; ſicut eadem Idololatria eſt genuflectere coram Idolo, & verbis confiteri DEUM. Honor enim eſt in genere ſigni; hoc autem non variatur ex materia, ſed ex re proximè ſignificata.

3 Tertiò. In latitudine actuum reperitur diverſitas ſpecifica in ratione cultûs. Patet inductione: ut in vovendo & implendo votum, jurando & vovendo &c. ſicut etiam oppoſita Religioni differunt ſpecie, ut pejerare & Miſſam negligere &c. Improbabile enim eſt ſolùm eſſe circumſtantias aggravantes, ut patet ex terminis de Simonia & perjurio &c. Et aliàs ſequendo opinionem, quòd dictæ circumſtantiæ non ſint materia neceſſaria, omitti in confeſſione poſſent dictæ rationes, quod abſurdiſſimum eſt, & periculoſus error moralis. Ratio eſt, quia in juramento attenditur prima veritas, in Sacrificio Dominium ſupremum.

Dices: Eidem Virtuti opponi vitia contraria. ℞. Malitiam eſſe privationem honeſtatis moraliter debitæ actui; privationes autem proximè diſtingui ex poſitivis, quibus per ſe primò & immediatè privant. 4
Sic in avaritia & prodigalitate nimia largitio & nimia retentio opponuntur actibus prudenter retinendi & donandi. Eſtque clarior diſtinctio in peccatis, quæ non diſtinguuntur ex diverſis modis recedendi ab eodem medio Virtutis per acceſſum vel receſſum, ſed per diverſam participationem Objecti; in quo extenſio eſt, non tantùm in particularibus materiis, ſed etiam in participatione motivi, & formalitate ejus.

LIBER III.

De Habitu Virtutis Religionis.

CAPUT I.

An Religio ſit Habitus proprius naturæ creatæ Intellectualis?

1 Primò certum eſt dari habitum Religionis, qui eſſentialiter virtus ſit. Conſtat prior pars experientiâ ipſâ facilitatis ad actus Religionis, qui inclinationi naturali ex multis capitibus repugnant. Facítque ratio generalis de Habitibus tam acquiſitis, quàm per ſe infuſis, quia illi dant facilè, hi ſimpliciter poſſe. Patet etiam pars altera: nam actus Religionis ſunt honeſti, ergo & habitus, qui per eos generatur aut

eorum principium eſt, per ſe honeſtus eſt: quod eſt eſſe Habitum Virtutis.

2 Secundò. Virtus hæc eſt propria naturæ creatæ intellectualis. Virtus, inquam, non tantùm ſub ratione qualitatis, ſed formaliter ſumpta quoad perfectionem. Non enim eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ut Juſtitia, Miſericordia &c. quia eſſentialiter reſpicit alterum, & ut Superiorem; & nemo colit ſeipſum. Quamvis autem DEUS cultum velit, tamen non alteri ſed ſibi vult, adeóque ſolùm per quaſi motum ad ſe, ſeu ſub ratione quaſi commodi ſui, ſeu boni honeſti, quod quivis amare & deſiderare poteſt.

3 Nec una Perſona colit alteram, quia omnes unum ſunt & in voluntate, & in excellentia, ſecundùm quam ſunt dignæ cultu. Relativa autem Perfectio eatenus ad hoc ſufficit, in quantum in re includit perfectionem eſſentialem; ſicque tota Trinitas unicâ tantùm adoratione ſimpliciter adoratur. Igitur dicta Virtus non eſt niſi in creatura, conſequenter etiam in Chriſto propter Humanitatem, quæ ſemper manſit inferior, & ſubjecta DEO.

Rurſus ſicut dicta Virtus propria eſt creaturæ intellectualis, quatenus propria eſt voluntatis, ut omnis Virtus ad alterum (eſto correſpondeat habitus in appetitu ſenſitivo, ut Virtuti pœnitentiæ) ita in qualibet creata voluntate eſſe poteſt per ſe loquendo: nam in Damnatis repugnat ſtatus propter obſtinationem in malo, & odium DEI, nec illi genua flectunt, niſi vel ex prava voluntate, vel coacti miniſterio Angelorum.

Tertiò. In peccatore non datur Religio infuſa, quamvis actus ſupernaturalis Religionis dari in eo poſſint. Patet pars prior, quia nec Religio, nec Virtus alia moralis per ſe infunditur, ſed ut proprietas conſequens formam Gratiæ: ergo ſola diſpoſitio, quæ ad hanc, etiam ad illam ſufficit. Stat autem peccatorem orare perfectè, & cum debita fiducia, cùm id ſit medium neceſſarium ad reſurgendum. Et in eodem ſtat fides de DEO, & vero cultu, & hunc voluntas velle poteſt cum auxilio, quod ſemper paratum eſt. Nec enim honor ſupponit neceſſariò amorem DEI, præſertim perfectum, ſed ante hunc poteſt quis totam ſuam fiduciam in DEO ponere. 4

Quantùm ad cauſas dictæ Virtutis, finalis intrinſeca (extrinſeca non cadit ſub ſcientiam, utpote infinitè variabilis) coincidit cum objecto. 2. Efficiens Phyſica Virtutis acquiſitæ ſunt actus, infuſæ DEUS. 3. Efficiens moralis eſt meritum vel impetratio. 4. Inſtrumentalis Sacramenta. 5. Formalis Phyſica propriè talis nulla eſt. Metaphyſica verò ſeu differentia ſpecifica infrà declarabitur. De Objecto autem ſpecificante dictum eſt ſuprà 6. Materialis eſt ſubjectum, & proximum 5

qui-

quidem voluntas, remotum natura vel perſona. 7. Materia *circa quam* coincidit cum objecto materiali.

Quartò. Habet dicta Virtus duos effectus, communes omni Virtuti. Nam facit *bonum habentem* ſeu Religioſum, & promptum ad exhibendum cultum, éſtque effectus formalis. Rurſus opus bonum reddit, utique effectivè, ſive phyſicè efficiendo & eliciendo, ſive moraliter imperando. Alios etiam effectus habere poteſt, non phyſico ſed morali modo, ut impetrando, merendo, ſatisfaciendo: quæ etiam communia ſunt omni Virtuti, nec ſpeciale quid habent, niſi in quantum de Oratione agendum erit.

CAPUT II.

Quomodo Religio diſtinguatur à Fide, Spe, & Charitate.

1 Primò. Conſtat de diſtinctione à Fide, quantùm hæc conſiſtit in habitu intellectûs. Habitus autem piæ affectionis, quam ſupponit actus credendi, non reſpicit in hoc cultum DEI, ſed veritatem infallibilem ſub teſtimonio Divino propoſitam; nec in judicio prævio judicatur credendum, quia DEUS eſt dignus cultu, ſed quia eſt prima veritas. Sic infimus de plebe poteſt eſſe fide dignus, quamvis nulla ſpeciali obſervantiâ, quæ requirit Excellentiam.

2 Secundò diſtinguitur Religio à Spe. Nam hæc non attingit DEUM ut Superiorem & Excellentem formaliter, ſed ut ſummum bonum ſperantis; nec in hoc bonum tendit, ut colat, ſed ut in bonum conſequendum. Quia verò ſpei eſt etiam timere carentiam dicti boni; reverentia erga DEUM æquivocè ſumitur & variis modis; ut pro æſtimatione Excellentiæ Divinæ, ſícque non eſt actus Religionis, ſed à Fide vel alio dono intellectûs elicitus. 2. Pro fuga quadam accedendi, ſeu nimis familiariter tractandi cum DEO, ut Ex. 20. *loquere tu nobis.* Et ſic eſſe poteſt actus vel Charitatis, ne DEUS offendatur indebito modo accedendi, vel Spei, ne pœna incurratur, vel Religionis, ne in cultu deficiam: ſicut à communione abſtinere eſſe poteſt actus Religionis. 3. Pro ſignis dictæ æſtimationis & fugæ, ſícque ſi fiunt ex Objecto colendi, ſunt actus Religionis imperatus ab interno & elicito ejuſdem Virtutis.

Tertiò. Diſtinguitur Religio à Charitate. Patet ex amicitia & charitate humana; nam hæc eatenus diſtinguitur à Juſtitia, Gratitudine &c. &c. quatenus per ſe primò reſpicit benevolentiam perſonæ, cui vult bonum, formaliter & præcisè propter bonum ejus: & Juſtitia licèt in re conferat bonum, dum reddit jus, formaliter tamen & præcisè non reſpicit hoc bonum, ſed honeſtatem 3

in

in reddendo debito. Similiter ergo Charitas DEI, cùm ſit amicitia quædam, formaliter non attendit honeſtatem, quæ eſt in cultu debito reddendo, ſed solùm, quòd ſit aliquo modo bonum DEI, quem propter ſe diligit: Religio autem reſpicit Excellentiam Divinam, & inde conſequens debitum cultûs.

5 Stat tamen, actus Theologicarum Virtutum imperari à Religione, dicente Auguſt. Enchir. c. 2. & 3. DEUM coli Fide, Spe, Charitate. Nam Virtus inferior poteſt imperare actus Superioris, ſeu applicare voluntatem ad utendum ſuperiore, cùm id pendeat à libertate; nec inordinatum ſit, ſed potius argumentum perfectionis ſaltem accidentarium, éſtque exemplum in pœnitentia imperante contritionem ex Charitate. Dein ratio cultûs & ſubjectionis erga DEUM &c. utique reperitur in actibus Theologicis, ut fides eſt captivatio intellectûs &c. & iidem actus poſſunt eſſe materia voti, ergo apta ad cultum, ut poſcit ratio voti Religioſi.

CAPUT III.

An Religio ſit Virtus Theologica, vel moralis?

1 Primò. Religio non eſt Virtus Theologica. Nam hæc triplex tantùm eſt juxta ſenſum communem Eccleſiæ ex 1. Cor. 13., nec ſufficit, quòd Religio DEUM vel Excellentiam ejus habeat pro Objecto formali, quia Virtus ſimpliciter & perfectè Divina debet DEUM attingere etiam ut *Objectum quod*, & ideò nec Pœnitentia, nec Obedientia &c. Virtutes ſunt Theologicæ. At Fides credit DEUM ipſum, & Spes eundem ſperat ut ſummum bonum ſperantis, & Charitas eundem amat propter ſe.

2 Secundò. Religio eſt Virtus moralis tantùm. Patet ex diviſione Virtutis adæquata in Theologicam & moralem. Quód verò illa præſupponat Fidem, commune eſt omni Virtuti ſupernaturali: immediatè autem ſatìs regitur per Prudentiam infuſam. Porro medium dictæ Virtutis eſt ſimile medio Juſtitiæ: nam reddit DEO, quod poteſt, & DEUM decet, & conditionem hominis non excedit. Denique finis Religionis non eſt DEUS ut cultus, loquendo propriè, quia ſolùm involvitur denominatio ab externo actu Religionis, qui eſt proximum Objectum, non DEUS ſecundùm ſe. In Spe verò componitur unus finis ex formali & Objectivo, cùm illa dicitur DEUM attingere mediante Beatitudine formali, quatenus vult DEUM viſum.

Dices. Pia affectio etiam eſt Virtus Theologica, quia Fides non poteſt eſſe Virtus, niſi à voluntate habeat quòd liberè & honeſtè fiat. 3
2. Charitas, ut DEO gloriam amat,

Vir-

Virtus eſt Theologica: at reſpectu DEI ſolùm eſt amor benevolentiæ, concupiſcentiæ verò reſpectu gloriæ. Idem ergo eſt de affectu Religioſo cultûs ſeu gloriæ Divinæ.

1 Ad 1. ℞. Piam affectionem ſecundùm ſe non eſſe niſi Virtutem moralem. Fides ergo Virtus intellectualis eſt, & eatenus etiam Theologica, non verò ſecundùm denominationes, quas ab actu voluntatis habet. Ut autem includit dictam affectionem, & aſſenſum, Virtus eſt moraliter una; ſatisque eſt, quòd per aliquid ſui DEUM immediatè attingat. At Religio ut conjuncta cum actu intellectûs, nunquam vi ſua attingit DEUM immediatè, ſed ſolùm ut terminum cultûs.

Ad 2. ℞. Virtutem Theologicam non ſemper operari Theologicè, ſeu ùt talem, quia non denominatur talis ex adæquata materia, ſed ab Objecto ſuo primario. Poſſet ergo retorquendo dici, quòd Charitas, cùm DEO amat gloriam, eatenùs non operetur Theologicè. Vera tamen differentia eſt, quòd illémet DEUS, cui volo Gloriam, per eandem charitatem in ſe & propter ſe primariò amatur; ſícque volo DEUM Gloriâ affectum, tendendo in utrumque immediatè. 2

CAPUT IV.

Quomodo Religio diſtinguatur à vera & propria Juſtitia.

1 Primò conſtat diſtinctio Religionis à Prudentia, Temperantia, & Fortitudine. Nam Prudentia attingit Objectum ſub ratione veri: at appetitiva Virtus (conſequenter etiam Religio) ſub ratione boni. Rurſus generalis partitio Virtutis appetitivæ eſt, quòd ſit vel circa operationes, vel circa paſſiones, ſeu ad alterum vel ad ſe, ſícque membra hæc eſſentialiter differunt, ſicut in accidentibus abſolutum & reſpectivum. Conſtat autem, Temperantiam & Fortitudinem non eſſe ad alterum, ſed circa Paſſiones verſari.

2 Igitur ſi Juſtitia generaliter accipitur pro Virtute ad alterum, diviſio appetitivæ Virtutis moralis erit trimembris, ſcilicet in Juſtitiam, Temperantiam, & Fortitudinem. Juſtitia autem ſubdividitur in eam quæ eſt ad DEUM, & eam, quæ ad hominem. Aliter dividitur in formalem & potentialem, quarum illa ſervat propriam & perfectam rationem formalem Juſtitiæ, hæc verò deficit in aliqua conditione; ſícque Gratitudo, Pietas &c. ſunt partes tantùm potentiales juſtitiæ; at Legalis, Comutativa, Diſtributiva Juſtitia ſunt partes ſubjectivæ, cùm in illis ſtet triplex conditio, quam poſcit formalis & perfecta ratio Juſtitiæ, ſcili-

ſcilicet ſtricta ratio debiti, æqualitas redditi, & diſtinctio ſeu alteritas perſonæ.

*S*ecundò. Religio non eſt vera &
3 propria Juſtitia, ſed ab hac, & omnibus partibus ejus ſubjectivis diſtinguitur eſſentialiter; ſicque ponitur inter partes potentiales Juſtitiæ. Deficit enim notoriè & æqualitas redditi, & alteritas perſonæ; ſicut pietas erga *P*atrem ſolùm eſt Juſtitia potentialis juxta Durandum: ergo inconſequenter negat de Religione, & contra Theologorum communem, cùm ipſe in Pietate attendat debitum altioris ordinis; in præſenti autem velit ſufficere affectum, nec ſufficere unitatem Domini & ſervi &c. utpote metaphoricam.

4 Nam contra eſt, quia licet Virtus reſpiciat affectum, ſemper tamen inclinat ad effectum proportionatum objecto ſeu debito; éſtque aliud cùm impotentia reddendi æquale, per accidens ſe habet: aliud, cùm eſt ab intrinſeco ex conditione perſonæ, & debiti excellentia. Sine dubio enim ratione alteritatis vel unitatis perſonarum oritur diverſa formalis ratio debiti: ut ſi perſona vel nil proprium habet reſpectu ejus, cui debet, vel quo plus reddit, etiam plus ei obligatur. At debitum erga DEUM eſt tranſcendentale in omni opere; ſicque oſtendit planè ſingularem ſui naturam.

5 Tertiò. Religio in ratione debiti, quod DEO reddit, magis rigoroſa Juſtitia eſt, quàm ipſamet rigoroſiſſima & proprijſſima Juſtitia, & omnes ejus partes potentionales, quæ extra DEUM verſantur: & ideò ab iis eſſentialiter differt, nec tantùm metaphoricè, ſed cum quadam proprietate dici poteſt Juſtitia ad DEUM. Nam excellentius eſt dominium Divinum, quàm humanum; & injuria, quæ DEO, gravior eſt, quàm quæ homini fit; & promiſſio illi, quàm huic facta, obligat graviùs; ſicque ex nulla unquam cauſa humanæ pietatis, debiti &c. licet agere contra honorem DEI, eſto obligatio cultûs ut affirmativa, non urgeat pro ſemper, nec DEUS coli velit ſacrificio aut muneribus ex alieno, aut debitis patri &c.

6. Quartò. Stando in ratione de- 6
biti, Religio eſt principalis & propria, non metaphorica Juſtitia. Sic inter patrem & filium non datur proprium Jus, ſed plus, quàm Jus, ut rectè loquitur Cajetanus. Propria enim Juſtitia dici poteſt, quæ reddit proprium debitum; & ideò vel eſt exacta, ſeu rigoroſa & ſimpliciter dicta Juſtitia, vel deficiens in alteritate, aut æqualitate. Metaphorica autem Juſtitia dicitur, quæ vel reddit debitum morale tantùm, ſeu ad bonos mores neceſſarium, vel ſolùm habet congruitatem, & decentiam citra neceſſitatem, ut affabilitas. Denique in Religione nec alteritas, nec æqualitas omninò deficit, nam redditur, quantum DEU*S* exigit, éſt-

que

que diſtinctio perſonæ, quatenus requiritur ad verum debitum & ejus ſolutionem per operationem aliquam.

CAPUT V.

An Religio diſtinguatur ab omni Virtute, quæ circa homines verſatur?

1 Primò. Cultus Sancti, ut ordinariè fit propter Excellentiam creatam intrinſecam, & non per merum reſpectum ad DEUM, pertinet ad Virtutem diſtinctam à Religione. Nam de ratione hujus eſt, ut nihil colat, niſi ſolum DEUM, & ut ratio immediata colendi ſemper ſit Excellentia increata: at in hac non fundatur cultus Sancti, ſed in participatione creata: ergo elicitivè non pertinet ad Religionem ſeu Latriam.

2 Secundò. Cultus Sancti non eſt propriè & formaliter reſpectivus, ut cultus imaginum, ſed ſolùm virtualiter, & largo modo dicitur eſſe cultus DEI. Nam DEUS Virtute colitur in Sancto, utpote gaudens hujus cultu: *quod uni ex minimis meis feciſtis &c.* Gratia autem Sancti eſt abſoluta excellentia, reddens dignum honore: ſicut ipſa natura rationalis licèt creata, digna eſt honore aliquo, non utique formaliter tantùm reſpectivo, quatenus creatura eſt imago DEI, ſed ut honor fundatur in abſoluto eſſe talis naturæ.

3 Unde exempla de honore Filii, Legati, Vicarii Chriſti non obſtant: quia ſi ſermo eſt de Patre & Filio, ut ſunt correlativa, non eſt ad rem: nam Gratia non eſt ratio cultûs propter relationem. Sin agitur de abſoluto eſſe Filii, æqualitas hujus eſt cum Patre, at non Sancti cum DEO. Si denique agitur de Filio adoptivo hominis, filiatio nil confert abſolutæ perfectionis. Idemque eſt de Legato, Vicario &c. licèt etiam in his attendi poſſit moralis dignitas abſoluta. Igitur Religio ſolùm imperando, non eliciendo juvat ad cultum Sancti. Gravior difficultas eſt, an ſicut Dulia diſtinguitur à Religione, ita etiam amicitia per ſe infuſa erga proximum, diſtinguenda ſit à Charitate, ut hodierni aliqui ſuccumbendo difficultati fatentur.

Tertiò. Charitas Theologica eſt 4
vera amicitia ad proximum. Nam proximus diligi debet ex Charitate & ut amicus: res verò irrationales amare poſſumus per Charitatē, concupiſcendo illas ex amicitia DEI vel proximi, non autem propriè ex Charitate illarum. Nec enim res irrationalis eſt capax habendi bonum ut proprium, cùm careat ratione & libertate, quâ uti bono poſſit ut proprio. Ergo licèt tali rei velim bonum, non tamen ut eſt ipſius, ſed ut eſt meum, vel alterius per-

ſonæ. Rurſus DEUS amat nos amore amicitiæ, licèt ſe magis; cùm nos amet, ut res ſuas, & gloriæ ſuæ materiam: ergo etiam non obſtat amicitiæ, quòd quis hominem diligat DEO; *ſicut ego dilexi vos &c. Multitudinis credentium erat cor unum &c.* utique per amicitiam ſupernaturalem.

5 Confirmatur, quia amor amicitiæ aliud non eſt, quàm benevolentia cum redamatione 9. Eth. c. 5. at poſſumus & debemus redamari, & volumus alteri bonum maximum (ſcilicet Charitatem per eſſentiam, illi unitam per participatam Charitatem) idque ut verum & proprium ejus, & ut tale eſt ſpecificativè. Licèt autem amor ibi non ſiſtat, ſed tranſeat ordinando in gloriam DEI, ſtat, eſſe amicitiæ ad hominem, ut oſtenſum eſt in amicitia DEI. Si enim non eſt contra rationem boni proprii creaturæ, eſſe bonum DEI, & ad hoc principaliter ordinatum; idem reſpectus & ordinatio ſtat in benevolentia honeſta, cùm excludi nequeat in Virtute.

6 Quartò. Præter Charitatem ponenda non eſt amicitia alia ad hominem, quæ ſupernaturalis ſit vi objecti & formalis & materialis. Nam quidquid ſit de amicitia infuſa correſpondente acquiſitæ in materia merè naturali; tamen alia amicitia infuſa & diſtincta à Charitate eſt planè ſuperflua. Dein ſicut inter nos ut elevatos, unica eſt quaſi unitas in participatione Divinæ Naturæ & Beatitudinis, ita & amicitia unica eſt. Rurſus tota ratio eam multiplicandi eſſet propter actum, quo alteri volo dona ſupernaturalia, & DEUM ut bonum ipſius, ſiſtendo in hoc ut proximo objecto & fine: ergo jam admittitur quarta Virtus Theologica, cùm ad hanc ſufficiat habere DEUM ut objectum *quod*, ut patet in Spe.

Nec refert, quòd amor ut terminatus ad bonum, dicatur eſſe concupiſcentiæ: nam ſimplex actus amicitiæ ſemper utrumque complectitur, & eſſe ad perſonam, & velle bonum; ſicque diſtinctio amicitiæ & concupiſcentiæ tantùm eſt ſecundùm conceptus inadæquatos. Propria autem & realis diſtinctio inter amicitiam & concupiſcentiam eſt, quòd hæc referatur ad perſonam amantem, & illa ad amatam: nam ideò ut charitas eſſe poſſit, debet eſſe ad alterum, ut dixit Gregorius hom. 17. in Evang. 7

Quintò. Licèt eadem Charitate & DEUS & proximus diligatur, non tamen eadem Religione coli & Deus poteſt & Sanctus. Nam Religio reſpicit debitum ratione Excellentiæ, & ideò hanc formaliter attendit, & conſequenter cum diverſitate inter DEUM & Sanctos. At Charitas ut fundamentum vel conditionem requiſitam ſupponit unitatem vel communicationem in aliquo bono inter amantem & amatum: ergo ubi bonum eſt commune omnibus, etiam una charitate omnes diliguntur. Atqui DEUS eſt ratio primaria & fundamen- 8

damentum hujus amicitiæ, cùm & propter ſe primariò per eam diligatur, & quaſi unicum centrum ſit totius dilectionis, ut eſt objectum æternæ fruitionis.

9 Quòd verò inæqualis ſit participatio ejus, diverſitas eſt materialis; nam formaliter attenditur bonum ipſum fruendum, non via ad ipſum; eademque participatio eſt ejusdem ordinis Divini, & ideo eodem genere Charitatis quo ipſa Divinitas, diligitur, ſicut acceſſorium cum principali. Similiter perſonæ inæquales, cùm ſe ut amici communicant, inæqualitatem diſſimulant, ut amicitiæ locus ſit; nam illa ſolùm attendit convenientiam in aliquo communi bono, licèt id inæqualiter participetur: cùm autem honoris ratio habenda eſt, etiam dignitas cujusque formaliter attenditur, quia non communicatur ut bonitas: & ideo hæc eſt objectum amoris, illa honoris, ut ait S. Thomas 22. q. 81. a. 5. ad 3.

Igitur amicitia ſemper fundatur in 10 aliqua unitate, quia impoſſibile eſt, ut ego velim alicui bonum propter ipſum, niſi ipſum ſupponam, tanquam unum mecum; bonitasque DEI ſic dicitur communicari, ut conjungat creaturam cum DEO in vera amicitiæ unitate, & conſequenter in eadem omnes perſonas creatas, quæ illam participant. At Religio, ut & Dulia, ſemper reſpicit diſtinctionem & diverſitatem inter honorantem & honoratum, & in ea fundatur.

CAPUT VI.

An Religio diſtinguatur à Virtute Obedientiæ erga DEUM?

1 Primò. Religio diſtinguitur ab Obedientia erga DEUM. Ita omnes ſupponendo potiùs quàm declarando. Nam formaliter loquendo, aliud eſt colere, aliud obedire; & licèt poſterius eſſe poſſit ex intentione colendi (ſicut credere, jejunare &c.) tamen nec adæquatè idem eſt cum priore, nec ſub illo continetur, ut particulare ſub generali. Nec enim Obedientia formaliter reſpicit reverentiam debitam perſonæ, cui obeditur, ſed ſolùm honeſtatem conformitatis voluntatis ſubditi cum voluntate Superioris. Nec etiam ita proximè verſatur circa DEUM ut Religio, ſed circa præceptum immediatè, cujus Authorem ſolùm reſpicit ut cauſam efficientem præcepti, vel ut regulam extrinſecam, cui conformari debet: at Religio nititur Excellentiâ DEI, non præceptò.

Dices. Obedientia reſpicit de- 2
bitum erga DEUM. R. Religionis eſſe attendere rationem debiti reſpectu perſonæ Superioris; Obedientiæ verò eſt implere obligationem præcepti generaliùs ſumendo redditionem debiti. Duobus enim

 modis

modis attendi poteſt, Obedientiam deberi; uno ut quid pertinens ad Jus & dominium Divinum, quod debet illæſum ſervari: alio modo, ut ex uſu illius poteſtatis naſcitur ſpecialis honeſtas, quæ in re præcepta reperitur ex hoc præcisè, quòd præcepta ſit. Poſterius eſt Obedientiæ, prius Juſtitiæ particularis erga DEUM, quæ tamen ex reverentia Juris Divini imperare poteſt actum obediendi.

CAPUT VII.

An Religio ſit diſtincta à Virtute Pœnitentiæ?

1 Primò. Virtus Pœnitentiæ eſt Juſtitia ad DEUM. Nulla enim Virtus ita verſatur per ſe primò vel adæquatè circa deſtructionem mali, quin principaliùs intendat bonum, vel ut introducendum, vel ut conſervandum ſaltem. S. Thomas 2. 2. q. 79. a. 1. Si dicas, Pœnitentiam intendere deſtructionem peccati, ut DEUs deſinat iraſci. R. Velle DEUM placatum, aliud non eſſe quàm intendere conſequi veniam, ſicque eſt actus vel Charitatis, vel Spei ſupernaturalis, dicente Tridentino, veram Pœnitentiam eſſe cum Spe veniæ; at hanc intendere ac ſperare idem ſunt; ſicque omnes fatentur, actum Spei eſſe prævium ad Pœnitentiam, & quaſi imperantem hanc. Idémque eſt de actu Charitatis, ut cujus eſt auferre impedimenta Amicitiæ, ſicque imperare Pœnitentiam. Idem eſt in Juſtitia humana: nec enim intendere reconciliationem Regis eſt Juſtitiæ, ſed Concupiſcentiæ. Imò hinc ſuaderi poteſt ſententia Cajetani, quòd Juſtitia erga DEUM non ſit niſi Religio.

Vel enim ſolùm generalis ratio debiti erga DEUM attenditur, vel ratio ſpecifica? Si 1mum, conſtat de identitate Juſtitiæ, Religionis, & Pœnitentiæ, quantùm ad rem. Si 2um, ergo quaſi infinitæ Virtutes diſtinguendæ erunt, ut Gratitudo, Fidelitas &c. Rurſus DEUS non eſt capax Boni utilis, ſed ſolius Gloriæ & Honoris: ergo quidquid ei redditur, huc pertinet, & conſequenter nititur Excellentiâ Divinâ. 2

Secundò. Juſtitia ad DEUM ſaltem in duo membra eſſentialiter diſtincta dividenda eſt, quæ uſitatis vocibus dici poſſunt Religio & Pœnitentia ſeu Juſtitia ſpecificè ſumpta. Nam ex parte DEI attenditur duplex Jus, unum quod competit ut Domino ſui Honoris, Famæ, Vitæ noſtræ &c. ideò enim homicida ſui facit DEO injuriam, juxta S. Thomam 22. q. 94. a. 5. ad 1. & detractio contra DEUM eſt injuria altioris rationis, imò plus quàm injuria. Alterum Jus eſt, quod præcisè ratione Excellentiæ competit, ut ab omnibus honoretur. Huc enim nunc referimus, quæcunque non perti- 3

Pertinent ad actus Pœnitentiæ, ut communiter attendi ſolent, quamvis revera pertineant ad Juſtitiam ad DEUM.

4 Confirmatur: quia Juſtitia particularis per ſe non exercet actum poſitivum in effectu ſeu materia ſua, ſed tantùm in affectu, ut eſt nolle facere injuriam. At Religio per ſe exercet cultum ut debitum. Rurſus prior, ſuppoſita læſione Juris Divini, poſitivam recompenſationem exercet ex Jure ſtrictiſſimo, & ab illa tanquam actu præcipuo denominatur *Pœnitentia*, majúſque eſt debitum non violandi jus, quàm demonſtrandi ſervitutem per Religionem. Denique recompenſatio æqualis per nullum auxilium Gratiæ fieri poteſt pro injuria; at Religio, ſecluſâ hac, poteſt facere ſolutionem aliquam, ſecùs quàm dicta Juſtitia, quæ ante peccatum nil poteſt præſtare, quàm ut non faciat injuriam infinitam, ad quod ſolum homo potens eſt, non autem ad compenſandam injuriam jam factam.

CAPUT VIII.

An Religio ſit una Virtus ſecundùm ſpeciem ultimam?

1 Pro negativa eſt, quia juxta S. Thomam 1. 2. q. 60. a. 3. Virtutes ad alterum diſtinguuntur juxta variam rationem debiti; nam aliter æquali, aliter Superiori, aliter minori debetur: & aliter ex pacto, vel promiſſo, vel beneficio &c. ſicque diſtinguitur Obſervantia, Juſtitia, Fidelitas, Gratitudo; ſicque diſtinximus Religionem ab Obedientia & Pœnitentia. Nam actus ita ſpecie diſtinguuntur, ut unus ab alio non oriatur, nec unius ſit cum altero connexio: ergo habitus per unum generatus, non augetur per alium alterius ſpeciei.

2 Pro affirmativa eſt, quia ſine neceſſitate multiplicandæ non ſunt Virtutes: ſicque Commutativa ad hominem unica eſt, quia ſolùm intendit æqualitatem &c. ergo etiam in Juſtitia ad DEUM ſufficit connexio tam in Excellentia Divina, quàm in bono debito, quod ſolùm eſſe poteſt cultus. Nam aliter homini, aliter Deo referendæ ſunt Gratiæ, aliàs ejuſdem rationis foret Gratitudo erga utrumque. Rurſus quia agitur de Virtute per ſe infuſa, quæ eſt quaſi potentia ad ſubſtantiam actûs, faciliùs extenſio fit ad actus ſpecie diverſos, connexos tamen aliqua ratione, ut fit in præſenti: nam Religio per ſe primò infunditur ad dignè tractandum cum DEO. Denique etiam priori opinioni addi poteſt, quòd ſolùm tres ſint ſpecies Religionis, ſcilicet Latria, Fidelitas, & Gratitudo, ita ut ad primam pertineant omnes actus, quibus proteſtamur Divinam Excellentiam.

CAPUT IX.

Quem perfectionis gradum habeat Religio inter omnes Virtutes?

1 Primò. Religio inferior eſt Virtutibus Theologicis. Conſtat ex 1. Cor. 13. ubi iſtis per antonomaſiam tribuitur Excellentia Virtutis; imò de ſolis certitudo Fidei eſt eſſe per ſe infuſas, & ideò in eis principaliter & quaſi eſſentialiter conſiſtit Juſtitia infuſa, Trident. ſ. 6. c. 7. Nam Virtutis eſt, mentem noſtram conjungere DEO: hoc autem Theologicæ præſtant immediatiùs & perfectiùs, quàm Religio; imò hanc excedit etiam pia Affectio; eſt enim per ſe neceſſaria ad Fidem Theologicā, ut forma ejus moralis, plúſque eſt, accedere ad DEUM credendo, quàm ſigna quæcunque reverentiæ exhibere; idémque habitus movet ad Fidem Theologicam quoad ſpecificationē; at Religio ſolùm quoad exercitium, ſupponítque ſubſtantiam Theologici actûs, ſecùs ac pia Affectio.

2 Secundò. Religio præſtat cœteris omnibus Virtutibus moralibus. Nam quod eſt perfectiſſimum, eſt menſura cœterorum: at Religio proximè accedit ad Theologicam, propter immediatam tendentiam in DEUM. Conſtátque inductione, nam quoad Virtutes, quæ ſunt circa Paſſiones, controverſia non eſt, nec occaſio dubitandi; ſolúmque dubium movetur de Juſtitia Legali, Miſericordia, Obedientia, & Pœnitentia.

Objicit enim Cajetanus, quòd ad dictam Juſtitiam pertineat reddere debitum DEO, & quòd DEUS ſit particularis finis ejus; Religio verò ad eam comparetur, ut pars ad totum, vel ut imperatum & ordinatum ad imperantem. Sed contra eſt, quia vel ſumitur Juſtitia, ut eſt collectio omnium Virtutum, vel ut Virtus particularis, condiſtincta à Commutativa &c. Si 1mum, impertinens eſt. Si 2um, non ſufficit univerſalitas in cauſando, & extenſio materiæ: nam competit etiam Religioni, imò magis, cùm materia ejus ſint omnes actus honeſti, etiam Theologici. Eſtque evidens ejus præcellentia propter objectum *cui*, & *quod*, cùm dicta Juſtitia pro objecto *cui* habeat Communitatem, & pro objecto *quod* bonum commune, utique inferius Divino. 3

Confirmatur, quia recto ordine Pax Reipublicæ potiùs ordinatur ad Divinum cultum, quàm è converſo, ut eſt evidens in Legislatione Divina. Quòd autem licitè ſuperiora ad inferiora ordinentur, non eſt attendere Virtutem ſecundùm ſe, ſed per accidens ex intentione operantis, juxta exigentiam muneris ſui publici, quà talis. Nec refert Religionem dici partem potentialem Juſtitiæ, quia non ſequi- 4

quitur, etiam Commutativâ &c. eſſe inferiorem, ſed ſolùm, quòd deficiat in proprietate Juſtitiæ, quamvis aliunde excedat in perfectione. Denique in Legibus de Religione vel attenditur poteſtas ferentis, vel Prudentia Legalis, vel Virtus voluntatis dirigens ad rectè præcipiendum? ſi 1mum, eſt bonum alterius ordinis. Si 2um. Virtus intellectûs eſt, non Juſtitia. Si 3um, Religio Principem regere debet, ut in omnibus ſpectet Divinum honorem.

5 Similiter Religio excellit Miſericordiæ; quia præſtat conjungi Superiori, quàm ſupplere defectum inferioris. Nec obſtat Oſe 6. Nam vel intelligitur de Miſericordia, quam DEUS, non homo, facit in converſione peccatorum, vel quòd internum Sacrificium præſtet externo, ita ut ſenſus ſit: *Nolo Sacrificium ſine Miſericordia*: aut non volo illud, quòd eo egeam, & ideò, ubi neceſſitas proximi urget, malo Miſericordiam. Licèt ergo materia externa Religionis propria omittenda ſit, nunquam tamen neceſſariò actus ejus internus, per quem imperatur ſubventio.

Similiter licèt Obedientia præferatur externo Sacrificio propter immolationem propriæ volunaatis, nunquam tamen præfertur Religioni, utpote propinquiori Virtutibus Theologicis; & maximè laudatur Sacrificium cordis. Denique Pœnitentia & Religio ſunt pares in attingendo DEUM, & illa excedit iſtam in rigore debiti, ſicut Juſtitia humana Liberalitatem, facítque laus *Cordis contriti & humiliati.* 6

TRAC-

TRACTATUS II.

De Præceptis affirmativis pertinentibus ad DEI cultum, maximè externum.

LIBER I.

De Divino cultu præcepto, maxime per Oblationes, Decimas, & Primitias.

CAPUT I.

An naturale Præceptum ſit colendi & adorandi DEUM ſpiritu & Corpore.

1 PRimò. DEUS poteſt ac debet à nobis adorari actibus merè internis. Philoſophi negârunt DEUM colendum eſſe: ſed *dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Rom. 1. Aut enim negant DEUM; & quæ major ſtultitia? aut confitentur? & ſtultè aſſeritur honor patri, & non DEO. Fortè autem negant adorationem corporalem deberi Spiritui, ſicut è converſo alii negant præcipi ſpiritualem. Sed obſtat his Scriptura, paſſim agens de adoratione Angelorum. Et ratio eſt, quia inter Spiritus poteſt eſſe ordo, ergo & gradus diverſi reverentiæ & honoris, ut in omni Republica bene inſtituta neceſſarium eſt; ergo poteſt eſſe reverentia interna erga DEUM, ergo & in homine. Nam poſſum ex affectu cultûs DEUM recognoſcere, ut Dominum ſupremum, & recognitionem offerre.

Eſtque evidens, actum eſſe & poſſibilem & honeſtum, & Religionis à qua immediatè procedit, & Adorationem quandam, cùm non ſit Oratio &c. Nec refert, eſſe actum Fidei &c, nam Genuflexio eſt motus localis, & tamen ab actu interno denominatur Latria. Idem eſt de recognitione propriæ naturæ, nihili, peccatorum &c. nam ſi fit in ſignum ſubmiſſionis, melior utique Genuflexio eſt animi, quàm proſtratio externa ad terram. Idem eſt de Confeſſione interna Dominii Divi- 2

Divini, de Laude, de Admiratione; ut quæ vel eſt actus gaudii & complacentiæ in Divina Excellentia contemplata; vel timoris reverentialis, quo ut Seraphim, veremur ad DEUM accedere.

3 Secundò. Adorare DEUM poſſumus & debemus etiam actibus corporis, procedentibus ex affectu reverentis & ſubmiſſi animi. Eſt de Fide, conſtátque uſu tum legis Gratiæ (quid enim mirum, coli ſic DEUM carnem factum?) tum veteris. Actus etiam per ſe decens eſt, quia non fit, ut DEO quid innoteſcat, ſed ut ſervitutem omni modo poſſibili profiteamur. Et homo, cùm ſpiritualia intelligat ad modum corporalium, vix illa exprimit ſine ſigno ſenſibili; ſicque & ſatisfacit affectui, & eundem inflammat, & ut ſociale animal, aliis confitetur exiſtimationem, quam de DEO habet. Sic & Angeli in corporibus aſſumptis idem præſtant, ad litteram intelligendo Phil. 2. & Hebr. 1. Et Spiritibus in Purgatorio poteſt detentio eodem affectu eſſe voluntaria, ut Paſſio Martyri.

4 Tertiò. Utraque adoratio tam Spiritualis quàm Corporalis ſeu mixta (nam purè corporalis eſt fictio) præcipitur homini vi legis naturalis. Eſt certa & communis. Non enim ſenſus eſt, quòd ſpiritualis determinatè præcipiatur, eſto utiliſſima ſit ad uſum & contemplationem ſpiritualium, utut præpedita corpore. Ratio verò obligandi ad mixtam eſt, quia homo conſtat corpore & animo: ergo in utroque exhibere ſe debet Hoſtiam viventem & placentem DEO. Dein moraliter loquendo, non eſt acceſſus reverens ad DEUM, niſi per corpus componanatur animus; cultus autem interior longa eget conſuetudine, & ideò præcipitur, quod homini connaturale eſt; *& ore confeſſio fit ad ſalutem* Rom. 10, debétque homo ſe demonſtrare ſervum DEI, ut ipſa ratio dictat.

Dices. Cur hæc lex non traditur in Decalogo? ℟. Virtute tradi in primo præcepto; quatenus in negatione includitur affirmatio, ut reſtitutio in prohibitione furandi. Ideò enim Idololatria prohibetur, quia cultus DEO debitus (quod vult particula *Ego Dominus*) alienatur. Nec præceptum tertium purè Cæremoniale eſt, ſed quoad ſubſtantiam morale ſeu naturale, quamvis poſitivum quoad tempus. Denique majori expreſſione opus non fuit, nam amoto impedimento Idololatriæ, ad quam populus pronus fuerat, obligatio per ſe naturalis homini, temporis duntaxat determinatione eguit. 5

CAPUT II.

Quomodo DEUS colendus ſeu adorandus ſit vi legis naturalis.

1 Primò. Vi dictæ legis homo non tenetur ad adorationem purè mentalē, nec ad cultum purè internum formalem. Nam nec actus Theologicos, nec Pœnitentiæ tenetur elicere homo formaliter ſub ratione adorationis, ſed materialiter tantùm; & illi ſufficienter nos uniunt DEO; nec Obedientia ut eſt Virtus ſpecialis, de præcepto eſt, ſed quantùm ad neceſſitatem ſatis continetur in Charitate. Nam licèt ſub rationibus propriis elici debeat actus Fidei, Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ, non tamen ex affectu cultûs, ſeu Adorationis. Hæc enim aliis modis fieri poteſt, ut laude, admiratione &c. ſufficítque mixta, quia nec lex naturalis determinat internam, nec humana eſſe de hac poteſt; nec Divina plus poſcit, quàm ex natura rei neceſſarium ſit, nec alia promulgata eſt.

2 Secundò. Vi dictæ legis non eſt determinatus poſitivè modus particularis Adorationis externæ, ſive quoad genera actionum, ſive quoad tempora, aliáſve circumſtantias; ſed ſolùm eſt præceptum affirmativum generale vel quoad exercitium, ut aliquando fiat, vel quoad ſpecificationem genericam aut ſubalternam, ut modo decenti fiat, vel ad ſummum eſt affirmativum cum negativo, ut ſolus DEUS adoretur ſine cultu ſuperſtitioſo. Nam his potiùs, quàm illis ſignis uti, eſt ad placitum, quin ſit ratio determinandi hæc potiùs, quàm illa; & ideò inter Gentes variatio eſt, cùm tamen, quæ dictæ legis ſunt, eadem apud omnes ſint. Idem eſt de determinatione temporis &c. ſolùm enim neceſſaria eſt ad determinandum prudentia & decentia.

Confirmatur, quia ſigna ferè omnia ſunt ex ſe indifferentia, ut notat Auguſt. 10. de Civit. c. 4. dicens: *Multa de cultu Divino uſurpata, quæ honoribus deferuntur humanis, ſive humilitate nimia, ſive adulatione peſtiferâ &c. Quis verò ſacrificandum cenſuit, niſi ei, quem DEUM aut ſcivit, aut finxit?* Igitur niſi ex intentione ſoli Deo accommodentur, etiam homini tribui poſſunt, ut Ruth. 2. & 1. Reg. 25. Judith. 10. & 4. Reg. 1. Sic genu utrumque flectitur coram Pontifice, & à fortiori coram Sanctis; idémque eſt de elevatione manuum coram divite; & tunſio pectoris fieri poteſt ad hominem placandum; eſto ex communi uſu determinetur ad actum Pœnitentiæ erga DEUM. 3

Tertiò. Adoratio Publica, quæ de ſe fit coram aliis, & nomine omnium, poſcit ſignum ſenſibile, publica authoritate inſtitutum. Nec enim humana Societas niſi in ſigno viſi- 4

viſibili convenire poteſt, nec ſi deſit dicta Authoritas, exhiberi adoratio poteſt communi nomine. Oportet autem, ut determinata & apta ſignificatio ſit Divinæ Excellentiæ; ſicut etiam privatum ſignum proportionari debet & ſubmiſſioni animi, & corporis infirmitati, ac defatigationi, ſervatâ moderatione prudenti. Duo verò ſigna ſunt cultûs publici, Sacrificium & Oratio, Hebr. 5. & 8. Et hæc ſemper jungitur muneri Sacerdotis, ut ad impetrandum, laudandum, gratias agendum; nam Sacramenta ordinantur ad utilitatem Fidelium, & ſolùm remotè ad cultum, vel etiam ornatum.

Quartò. Adoratio privata deter-
5 minatur ex circumſtantiis &c. &c. Vel enim ſignum determinatè impoſitum eſt pro Latria, vel commune eſt Divino & Humano cultui? Si 1mum; jam ceſſat indifferentia operis, tamen vix reperitur in aliqua actione, ſecluſo Sacrificio & verbis. Si 2um, ergo intentio tunc dat ſpeciem, cùm ex nullo alio principio determinatio ſumi poſſit. Intereſt tamen an occultè fiat, vel publicè: nam priori modo regulariter ſufficit bona fides & intentio, ſervatâ in cœteris prudentiâ, & decentiâ. Poſteriore modo non ſufficit intentio, ſi ex circumſtantiis ſignificetur diverſum quid ab intento, ut ſi non ſignificetur vera æſtimatio de Excellentia DEI &c.

CAPUT III.

An Sacrificium offerre DEO ſit præceptum Lege Naturali, Divinâ, vel Eccleſiaſticâ.

Primò. Quantùm ad uſum vo-
1 cum, aliud eſt Oblatio, aliud Sacrificium. Nam prior latiſſimè ſumpta ſi interna eſt, ad Devotionem pertinet, ut cùm quis ſe ſuáque offert obſequio DEI; ſin externa eſt, & cum effectu, ut in *Profeſſione*, Ordinatione, Baptiſmo, Confirmatione, Martyrio &c. pertinet ad alias materias (dempta Profeſſione, de qua ſuo loco) quamvis fieri poſſit ex affectu Religionis, ut omnis actio honeſta.

Propriè autem ſumpta Oblatio eſt, cùm ex bonis externis offertur quid DEO in recognitionem Excellentiæ ejus, vel quemlibet cultum Religioſum. Fit autem vel DEO ipſi immediatè, tanquam cui res directè donentur (eſto dein cedant in uſum hominum) ut Oblationes Altaris, vel DEO tanquam propter quem dantur; proximè autem Miniſtris, ut Decimæ. Unde ſubdividitur ſtrictè ſumpta Oblatio in ſimplicem, ſeu puram Oblationem, & Sacrificium; nam hoc eſt Oblatio cum aliqua Conſecratione ſeu mutatio-

2

tione rei oblatæ, ita ut ipſa mutatio fiat in peculiarem DEI cultum.

3 Secundò. Colere DEUM per Sacrificium & Oblationem externam, licèt in rigore non ſit præcptum lege naturæ, tamen adeò ei congruit, ut ſemper fuerit, quaſi de jure gentium, quod quodam̃odo naturale dicitur. Nam coli DEUS poteſt ſine Oblatione, ut flectendo genua &c. at nullo principio conſtat ſiſti in his non poſſe. Rurſum conſtat uſus communis Sacrificiorum apud omnes pios, & verâ Fide DEUM colentes, ut Cain, Abel, Noë, Abraham &c. idemque eſt de Adam, Iſaac (nec enim Scriptura omnia debuit referre) Sacerdotibus Ægypti Gen. 47. Rebus publicis 7. Polit. 8. & 8. Eth. 9. Et Philo de Sacerd. hon. notat, ſic recognoſci Authorem bonorum: *Cùm enim aſſueſcunt ſemper in alimento partem DEO reddere, nunquam in ejus oblivionem veniunt.*

4 Conſtat ergo, actum eſſe honeſtum, & per ſe congruum. Nam indicatur Gratitudo & recognitio Authoris bonorum omnium, itémque Dominii ejus in vitam & totum eſſe hominis. Et homo ſic jucundiùs, & cum majori attentione exercet actus ſuos internos erga DEUM, cùm non tantùm verbis vel uſu membrorum, loquitur animum ſuum, ſed etiam in aliis bonis. Intereſt tamen inter Sacrificium & Oblationem, quantùm ad determinationem: nam illud non relinquitur cujusque liberalitati & arbitrio, loquendo de conſuetudine, & per ſe.

Tertiò. Jure Divino præceptus eſt, & à Chriſto inſtitutus cultus DEI per Sacrificium Novæ Legis. Eſt de Fide, ex verbis Chriſti: *Hoc facite.* Trident. Seſſ. 22. c. 1. & can. 2. Nam Eccleſia eſt Congregatio Viſibilis, ad verum DEI cultum inſtituta ſub uno Capite & Fide: ergo debuit ab Inſtitutore habere viſibile Sacrificium, quo maximè DEUM colere teneretur. Præceptum autem hoc per ſe primò datum eſt Eccleſiæ, relinquendo Paſtoribus determinationem executionis. 5

CAPUT IV.

De Ritu ſimplicium Oblationum, præſertim in lege Gratiæ.

1 Primò. Conſtat de Fide, dictum Ritum eſſe conſentaneum legi naturali. Patet Ex. 23. 25. 35. Lev. 21. 23. &c. Deut. 18. Ratio eſt, quia proportio eſt ad ſignificandum animum ſubmiſſum, gratum, & rectè ſentientem de Divina Providentia: aliunde autem nihil in eo Ritu exorbitans eſt, dedecens &c.

Secundò Etiam in Lege novalicitus & ſanctus eſt dictus Ritus. 2
Conſtat ex uſu antiquiſſimo Oblationum in Altari, Syn. VI. can. 8. Trull. Can. 28. 57. & 69. Mat.ſc. H.

c. 4. Cypr. de oper. & eleem. Auguſt. ſerm. 215. de Temp. Laodic. c. 49. Innoc. 1. Ep. 1. c. 5. Ambr. Juſtin. Hier. Ep. 2. ad Nepot. *Altari ſerviens*, *Altaris Oblatione ſuſtentor.* non utique Evchariſtiâ. Idem ſupponitur 1. Cor. 8. *Qui Altari deſerviunt*, *cum Altari participant.* Oblatio ergo non eſt propria Legis Veteris, cùm ratio ejus ſit moralis, non Legalis, ut Sacerdotii, Templi &c.

3 Dices: c. *Non oportet.* de Conſ. d. 2. prohibetur Oblatio niſi vini, panis & aquæ; & Chriſtus ſicut Sacrificia, ita & Oblationes omnes conſummavit. Et quid in Pane Benedicto deeſt ad rationem Sacrificii? R. Oblationem vel fieri loco pio, vel non ad alienandum, ſed præcisè, ut res benedicta recipiatur; vel directè & per ſe in ſuſtentationem Miniſtrorum, vel denique immediatè ipſi DEO, ut quæ fit in Altari, aut conjunctim cum Sacrificio. De prioribus difficultas non eſt, nam aut propriè Oblationes non ſunt, ut cùm recipitur, quod datum eſt ad benedicendum; aut merè morales ſunt, & per ſe honeſtæ, ut ſubventiones ad fabricam, Ornatum Templi. &c.

Simplex autem Oblatio, quæ DEO immediatè fit, nec per ſe mala eſt, nec Lege prohibita. Nam dictus canon *Non oportet* cum aliis loquitur de offerendis per Oblationem conſtitutivam Miſſæ: alia verò Oblatio vel eſt moralis tantùm, ut Oblatio partis fructuum in recognitionem Divini Beneficii: vel eſt myſtica & cæremonialis, ut Oblatio Incenſi &c. ſolúmque ordinatur ad honorem & ſolennitatem Sacrificii, quin in ea ponatur principalis & quaſi ſupremus DEI cultus. Neceſſariæ enim ſunt Cæremoniæ ad conciliandam reverentiam; & latè dicuntur Sacramenta, ſeu ſigna ſacra & occulta. 4

CAPUT V.

An Oblationes Eccleſiæ ex præcepto debeantur?

1 Primò. Oblationes per ſe & naturâ ſuâ ſpontaneæ ſunt, & de Conſilio. Ita S. Thomas 2. 2. q. 86. a. 1. Cajet. Arag. Abb. Hoſtienſ. &c. in c. *Suam* &c. *Audientiam.* de Simon. Sylv. & alii Summiſtæ. Covar. Gutier. Nec obſtant c. *Præter* d. 32. c. *De his.* c. *Antiquos* 10. q. 1. c. *Omnis Chriſtianus* de Cons. d. 1. Non enim loquuntur abſolutè, ſed ob titulos certos. Imò Cabil. c. 8. ait. Oblatio ſpontanea eſſe debet, juxta illud: *voluntariè ſacrificabo* &c. & Ex. 33. & c. *Qui Oblationes.* 1. & 2. & c. *Clerici* 13. q. 2.

Secundò. Oblationes ſub obligationem cadunt ex titulo conſuetudinis, indigentiâ Parochi, promiſſione, Legato. Ita cit. DD. conſtátque per ſe de Conventione, ut 2

cùm venditur vel donatur quid alteri cum onere ſolvendi penſionem annuam Eccleſiæ: idemque eſt de titulo Voti vel Legati, aut ſuſtentationis Parochi, ut Canoniſtæ & Summiſtæ omnes conveniunt, utique latè accipiendo Oblationem. Nam loquendo ex natura rei, non refert, an conſiſtat in Decimis, vel re alia. Quòd ſi Pacto, Transactione, Concordiâ, aut Conſuetudine determinatio facta eſt, ſive quoad ſubſtantiam, ſive quantitatem; conſtat, eâ ſtandum eſſe.

3 Vel ergo Parochiani ſolvunt quod eo titulo debent; at alius percipit ſolutum; vel non ſunt ſolvendo? Si 1mum, nemo cogi poteſt ad ſolvendam duplicatam mercedem pro eadem opera: ergo Beneficiatus Vicario ſuo tenetur ad Congruam, ut eſt indubitatum. Si 2um, Sacerdos debet ſupplere modo decente, c. *Clericus victum* cum ſequentibus d. 91. vel Epiſcopus providere debet etiam ex propriis, ſi attentis aliis oneribus commodè poteſt, c. *Epiſcopus Eccleſiaſticarum.* c. *Præcipimus* 12. q. 1. vel utendo remediis Trid. ſ. 21. c. 7. & 8. de Refor. & ſ. 24. c. 3. de Ref. vel recurrendo ad ſ. Sedem.

4 Difficultas eſt de titulo Conſuetudinis. Vel enim cœpit à donatione, vel ab extorſione? ſi 2um, eſt injuſta. ſi 1mum, ergo non inducit jus magis quàm eleemoſina continuata, ut arguit Innoc. d. c. *Ad audientiam.* Nec hoc cogit, nam ſolùm præcipit compeſci tentantes infringere conſuetudinem. Et illa: *Pias conſuetudines præcipimus obſervari*, intelligi oportet juxta caſum, & verba ultima, quibus declaratur præceptum. Dein ſi deberetur, ergo exigi poſſet citra corruptelam, contra d. c. *Suam*, & c. *Cùm in Eccleſiæ* eod. Sin dicas, mutationem factam eſſe in conſcientiam obligationis; obſtat conſenſus Doctorum requirentium Oblationem Voluntariam: error autem, à quo proceſſit continuatio offerendi, cauſat actum involuntarium, & conſequenter non obligat.

Tertiò. Obligat conſuetudo dandi quid. Ita communis Doctorum, & fatetur Innoc. ſi detur poſt collationem Sacramenti, *quia qui tanto tempore exſolverunt, creditur, quòd voluntariè ſe obligaverint.* At idem eſt de tempore ipſo conferendi Sacramentum. Cur enim non? an ob Simoniam? an quia ſponte cœpit conſuetudo? Licèt ergo hæc non ſit Legalis, ſufficit Præſcriptiva, quæ non requirit conſenſum dantis, ſed adminiculum Juris poſt ſufficientem lapſum temporis; ſicque ſufficit decennium, cùm conſuetudo non ſit contra Jus. 5

Dices. d. c. *Ad audientiam* fundari in præſumpta voluntate obligandi ſe. R. dato hoc, præſumptionem eſſe occaſionem tantùm, non cauſam propriam, vel fundamentum legis, quæ ad amputandam dubitationem Juris rectè poſita eſt. Dein cauſa pia & favor Eccleſiæ, non dicta 6

Præ-

præſumptio, fuit ratio ſic acceptandi actionem, quæ refertur ad alium ſub reſpectu compenſationis pro beneficio Divino, ſuſtentatione Miniſtri, &c. Nam *Abb. c. Abolendæ.* de Sepult. cum Bartolo ait, ſimiles actiones, cùm tanto tempore durant, acceptari ut Jus; sícque in præſenti qui obſtant dictæ conſuetudini, licèt nondum conſummatæ, agere contra libertatem Eccleſiaſticã uſurpandi jus diſponendi in re Spirituali.

7 Quartò Modus dictæ conſuetudinis ſervandus eſt. Nam aliquando afficit ſingulos, ut cùm *Sacerdos* aſſiſtit Matrimonio; aliquando populum, ita tamen, ut ſufficiat, ſi concurrit mjaor pars, vel potentiores. Nec enim majori rigore introducta eſt; & ideò, qui interdum omittit, nec interrumpit illam, nec ſtatim peccat mortaliter. Parochus tamen non habet jurisdictionem ad ad cogendum, ſed Epiſcopi id eſt, juxta d. c. *Ad audientiam*, ubi ſpecialiter cavetur, ne Sacramentum negetur non offerenti, quia ſpeciem habet Simoniæ. Nec enim, niſi omnino certus ſit ſtatus malus, negari poteſt Sacramentum petenti, nec unquam publicè, niſi peccatum publicum ſit, ut in detentione Decimarum. Tunc autem non fit extorſio, ſed quod muneris eſt Miniſtri; & ſcandalum facilè tollitur mediocri diligentia adhibitâ.

CAPUT VI.

Quæ perſonæ admitti poſſint vel debeant ad faciendas Oblationes.

1 Primò. Offerre nequit præciſus ab Eccleſia, aut peccator publicus, aut non baptizatus. Nam præciſo interdicitur omnis communicatio Eccleſiaſtica, ergo etiam datio & acceptio Oblationis juxta uſum ab Apoſtolis manantem, teſte Clemente; & confirmat Nicænum c. 27. & Illiberit c. 28. ibi: *Epiſcopum placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere.* Similiter arcetur peccator publicus, ut c. *Oblationes* d. 90. Fratres diſſidentes, opprimentes pauperes; et c. *De Viro* 12. q. 2. quidam ſacrilegi, & publicè pœnitentes; & c. *Latorem.* 33 q. 2. Matricida; & c. *Eos quos* de Conſ. d. 4. Rebaptizati, itémque (Illiber. Conc. c. 13.) dantes infantem ad rebaptizandum; & in Laod. c. 37. prohibetur acceptio munerum à Judæis, vel Hæreticis, utique quia vel præciſi ſunt, vel non baptizati.

2 Secundò. Rectè intelliguntur dicta Jura de Oblatione Altaris, per ſe loquendo. Ita Gl. Turrecr. Hugo in d. c. *Eos quos.* Nam materia eſt pœnalis, ergo ſicut extenſio non fit ultra caſus expreſſos, ita nec ad Oblationem non ita ſacram, ut eſt illa, quæ fit ad Altare, & immediatè DEO ipſi fieri cenſetur, licèt Laicus non accedat ad Altare, ſed in manu Sacerdotis, vel per Diaconum of-

offerat. Dein vel eſt Oblatio pura, vel aliunde debita, ut Decimæ, vel quid æquivalens? Si 2um, utique privatim exigi poteſt, non minùs quàm debita alia, c. *Quanto*, de Uſuris. Si 1mum, non debetur niſi juxta conſuetudinem; quæ non obligat niſi ad dandum tali tempore, modo, loco: ergo illa privatim exigi nequit.

3 Dixi. *Per ſe loquendo*: nam aliquando peccatum afficit ipſam Oblationem, non offerentem tantùm, ut in c. *Quia in omnibus*. eodem c. *Super eo*. de Raptor. c. *Non eſt*. 1. q. 1. de debitore ex juſtitia, pietate in Patrem, Filios &c. &c. miſericordia in pauperes: ergo accipiendo fit cooperatio actioni injuſtæ vel irreligioſæ. *Miſericordiam volo &c.* Mat. 9. & 15. Eccli. 34. *Quaſi qui victimat Filium.* Similiter licèt caſus expreſſus non ſit, obſtare poteſt ratio ſcandali, quaſi Eccleſia videatur favere iniquitati, ut in mercede proſtibuli: ſecùs autem erit poſt converſionem, quia accipitur ſatisfactio & pœnitentia pro præteritis.

Tertiò. Si prohibitio directè ſit Miniſtro, ante ſententiam tenetur recuſare Oblationem peccatoris publici. Nam præceptum eſt directivum, non pœnale: ergo ſufficit ſupponi materiam præcepti, ſeu peccatorem eſſe publicum, ut neceſſe eſt; cùm occultum arcere, ſcandalum afferat. Quòd ſi prohibitio peccatori directè ſit, non Miniſtro, conſtat, illum ſeclusâ ſententiâ non teneri ad abſtinendum ab Oblatione ſine lege expreſſâ, cùm materia ſit pœnalis: ergo Miniſter nec directè, nec per indirectum tenetur recuſare ejus Oblationem. 4

CAPUT VII.

Quibus perſonis, & de quibus rebus Oblationes faciendæ ſint.

1 Primò. Oblatio principaliter fit DEO, & ſecundariò Miniſtris. Vel ergo DEO fit ut *quod*, & ut *quo*, ſeu ut perſonæ, cui res proximè & directè offertur; vel ſolum ei fit ut in Decimis. Priori modo convenit Oblatio ex parte ejus, cui fit, cum Sacrificio: poſteriore modo requirit, ut perſona, cui fit, ſit aliquo modo dedicata ad cultum DEI, quia jus ad oblata eſt Eccleſiaſticum, Spirituale, & quodammodo Divinum, ſoliſque perſonis Eccleſiaſticis convenit, c. *Quia*, c. *Sanctorum*, & c. ult. 10. q. 1. & c. 1. & c. *Perveniet*. 16. q. 7.

Ratio eſt, quia Miniſterium Divini cultûs, & ſalutis Animarum per ſe pertinet ad ſolos Sacerdotes, & Eccleſiaſticos; ergo etiam cura Oblatorum DEO, ſive ut DEO dicata maneant, ſive ut in cultu ejus, vel pauperum eleemoſynis conſumantur, ſive ut in uſum cedant Miniſtrorum. Quæ verò conſecrata non ſunt, ſi mobilia ſint, poſſunt juſto 2

con-

contractu transferri in Laicos &c. &c. Sic decens Conſuetudo eſſe poteſt, ut Clerici Laicis offerant v. g. Cereos in die Purificationis, non utique ut tributum, magìs quàm cùm præbent Evchariſtiam, ſed ut ſe exhibeant Matrem, excitando ad devotionem. Epiſcopi autem erit, gravamen ſi quod eſt, temperare, & incommoda cavere.

3 Secundò. Religioſi participare poſſunt de Oblationibus titulo duplici. Uno & communi, ut pauperes, altero, ut Miniſtri Altaris: tamen potiùs ut capaces, quàm ut Curati, & habentes Jus Oblationis ſpontaneæ. Similiter cuilibet ſingulariter deputato ad Divinum cultum & Orationem offerri quid poteſt eo intuitu, ſicque habebit veram rationem Oblationis ſpontaneæ.

4 Tertiò. Si Oblatio eſt debita, explendum eſt debitum & in ſubſtantia, & in circumſtantiis ejus. Patet, ſi expreſſum eſt in Voto &c. Quòdſi nec ex verbis, nec intentione voventis fieri poſſit determinatio, qualitas ex circumſtantiis, maximè fine determinabitur; & ſi nec hoc poſſit, arbitrio prudenti relinquitur, cavendo tamen fraudem, & irreverentiam contra DEUM. Mal. 1. nam votum ſemper intelligitur de re ſana, integrâ, & aptâ fini, ad quem datur, ut ad conſecrandum.

Quartò. In Oblatione ſpontanea 5
non requiritur poſitiva conditio circa bona libero uſui relicta. Poſitiva inquam, quia ex natura rei indecens videtur, offerre claudum &c. ſive quia Majeſtas DEI contemptui haberi videtur; ſive, quia non ſignificatur ejus perfectio in efficiendis operibus. Regulariter tamen, & ſecluſo contemptu ac ſcandalo, indecentia levis eſt, quia ſervatur ſubſtantia Oblationis: eſto, avaritia vel negligentia concurrat.

CAPUT VIII.

De Præcepto ſolvendi Primitias.

1 Primó. Præceptum hoc non eſt ſtrictè naturale. Suppono enim Primitias accipi ſtrictè pro fructibus primis tempore, licèt non bonitate, ut poſcit proprietas litteræ & Legis Num. 18. *Frugum initia* Quoad quantitatem ergo nec Lex poſitiva quid definit; nec etiam ratio definit, ut quod offertur, præcisè ex primis eſſe debeat, imò nec ut ex fructibus eſſe debeat, cùm aliis modis oſtendi poſſit gratitudo, cultus &c. quanquam utrumque per ſe conſonum ſit rationi, & poſterius quidem immediatiùs dictet ratio, quàm prius.

Cajetanus vult, Sacrificium eſſe 2
quaſi per ſe de jure naturæ. Primitias verò ſolùm ſuppoſitâ indigentiâ Miniſtrorum. Sed contra, quia utrumque unicâ Oblatione fieri po-

teſt: nam Primitiæ non Miniſtris, ſed DEO immediatè offeruntur, & applicatio poſſet fieri Pauperibus, vel omnino excludi, relinquendo rem ſuſpenſam in templo, vel domi, ut ſignum permanens beneficii. Poſſet etiam comburi, ut fruges à Cain, & primogenita ab Abel. Nec conſumptio, ut fit à Miniſtro, eſt pars actionis ſacræ, ſed ſuſtentatio, ut David comedit panes Propoſitionis.

3 Tamen fatendum eſt naturam inclinare, ut præter Sacrificium fiant Oblationes aliæ etiam Primitiarum. Nam illud propriè reſpicit Excellentiam DEI, hæ recognitionem Beneficiorum; ſicque ſervatum eſt in lege Veteri per genera Oblationum quàm plurima. Dictat enim ratio non uno ſed multiplici modo, nec corde & ore tantùm, ſed etiam actione Corporis, aliisque modis DEUM eſſe colendum.

Secundò In lege Gratiæ præcipitur ſolutio Primitiarum. Ita omnes 4 Theologi & Canoniſtæ ex c. *Revertimini* 16. q. 1. c. *Decimas* 16. q. 7. & c. 1. de Decim. Nam æquiparantur Decimis, & cum his indifferenter dantur ad diſpenſandum in uſus Eccleſiæ, conſequenter non per modum Oblationis immediatè DEO factæ, ſed ut Tributum Eccleſiaſticum, attendendo tum naturalem recognitionem Beneficii Divini, tum ſumptus Eccleſiæ. Juxta communem autem Doctorum ſicut in Decimis, ita in præſenti conſuetudo eſt regula quantitatis, loci, perſonarum ſolventium, & quibus ſolvitur. Innoc. d. c. 1. Sylv. v. *Decima* q. 1.

CAPUT IX.

De Præcepto Decimarum, an ſit in Lege Evangelica.

1 Primò. Præceptum hoc juxta S. Thomam & omnes ad Virtutem Religionis pertinet, quantùm ad fundamentum. Nam ad Religionem pertinet ut ſit Sacrificium, & publicus DEI cultus, conſequenter & Sacerdotes, quibus dictus cultus & animarum cura comiſſa ſit. At hi ali debent ſine abſtractione à dicta cura, cùm nec decens ſit cultui DEI nec utilis ſaluti Animarum, & aliunde debita ſit ſuſtentatio 1. Cor. 9. nec de hac, ſed ſolùm de quota Tributi Eccleſiaſtici difficultas ſit.

Diſtinguuntur autem Decimæ in 2 prædiales, & perſonales juxta Gl. c. *Ad Apoſtoli* & de Decimis communiter approbatam, quamvis alii addant *mixtas*, ſic appellando fructus animalium, eſto, meritò dici poſſint *Prædiales*, vel certè ad tollendum æquivocum *Reales*. Quòd enim non proveniant ex ſolis prædiis, commune eſt omnibus prædialibus, ut egeant induſtriâ, ut plantatione &c. Unde diſtingui ſolent Prædiales in Naturales & Induſtriales, quatenus in illis multum facit natu-

ra cum modica induſtria, in his verò magnâ opus ſit induſtriâ ad naturam juvandam. Alii addunt fructus Civiles, ut penſiones Domuum quos tamen Bald. vocat Induſtriales; ſicque tot erunt membra Decimarum, quot genera ſunt fructuûm.

3 Secundò. Præceptum Decimarum non eſt de puro Jure naturali, ſecluſo omni Jure poſitivo. Oppoſitum nec probabilitatem, nec veriſimilitudinem, nec rationem, nec teſtimonium habet, cui reſpondere neceſſe ſit. Nam Innoc. Hoſtienſ. Abb. valdè confusè tractant de Jure Divino, & quantùm ad rationem naturalem, oſtendi nequit, partem decimam fructuum eſſe neceſſariam ad honeſtatem morum. Nec enim certum, nec evidens eſt, tantum requiri ad ſuſtentationem, nec etiam ſequitur ex vi Sacrificij, quamvis & ipſum ſit ſolùm de jure Gentium.

4 Tertiò. Conſtat Lege Veteri præceptas eſſe Decimas; fuiſque præceptum Judiciale, loquendo propriè. Non enim morale ſeu naturale fuit juxta dicta, nec etiam merè cæremoniale, aliàs renovari non poſſet. Licèt autem quatenus ordinatur ad ad DEI cultum, participet de Cæremoniali, tamen ex objecto proximo & immediatè pertinet ad Juſtitiam, & remotè tantùm ad Religionē propter dictam ordinationem. Nam formaliter non continet cultum DEI, nec Cæremonia eſt ſuſtentatio Miniſtrorum, nec determinatio quotæ. Judiciale ergo eſt, quatenus ad debitum ordinem & æquitatem inter partes ſervandam ordinabatur; ſicque quota determinata eſt propter prudentem convenientiam, cùm Levitæ carerent poſſeſſionibus. Indirectè autem adjacet dicto præcepto ſignificatio tum imperfectionis populi Laici, tum Dignitatis Sacerdotum, quibus tanquam Principibus tributa conferri imperabat Lex, ut ait Philo.

Quartò. Certiſſimum & de Fide 5 eſt, deberi Decimas de facto. Quantùm ad ſuſtentationem, eamque abundantem conſtat ex Jure naturali, & Evangelio, ut utrumque ſignificat Paulus 1. Cor. 9. & 1. Tim. 5. ex Luc. 10, & Jerem. 16. *Duplici contritione &c.* id eſt magnâ, ut notat Chrys hom. 15. *Oportet enim Doctoribus neceſſaria affatim miniſtrare, ne deficiant, neque ſolvantur, neque minimis occupati, magnis ſeipſos atque alios privent.* Quantùm ad quotam Decimæ, conſtat titulo de Decimis, & 16. q. 1. & Clem. *Cupientes.* de Pœnis, & Trid. ſ. 25. c. 13. de Ref. & Conc. Conſtant. ſ. 8, ubi damnatur Wicleff, volens quòd pro arbitrio negari Decimæ poſſint malis Sacerdotibus.

CAPUT X.

An Præceptum Decimarum nunc ſit Juris Divini, vel ſolùm Eccleſiaſtici?

1 Primò, Obligatio alendi Miniſtros eſt de Jure naturali, explicato & confirmato per Chriſtum & Apoſtolos; determinatio verò quoad quotam formaliter nunc eſt de Jure Eccleſiaſtico, ad imitationem tamen Juris Divini Veteris. Ita S. Thomas & Theologi moderni omnes, cum modernis Canoniſtis contra antiquos, quorum alii indiſtinctè volunt deberi ex Jure Divino, alii verò excipiunt Decimas perſonales, quia nullibi præceptas in Lege Veteri. Fundatur Innoc. cum aliis in locutionibus Canonum.

2 Sed inprimis quantùm ad ſuſtentationem congruam, diſſenſio non eſt, eſſe de Jure Naturali: ſecus verò eſſe de quota Decimæ, evidentiſſimum eſt, ut uſus ipſe convincit, nec fingi ratio poteſt, quâ dictum jus probetur. Dein obligare nunc Legem Veterem, hæreticum eſt; & nec illa obligavit, niſi circumciſos: & legem novam obligare improbabile eſt, quia ſine fundamento in textu traditione, Patribus: nam ut citantur, agunt de præcepto Divino ad imitationem Veteris, ut ſimili modo præceptum Quadrageſimæ vocant Divinum. Denique juxta receptam Doctrinam S. Thomæ 1. 2. q. 108. a. 1. & 2. nec Judicialia, nec Cæremonialia præcepta niſi Sacramentorū data ſunt in Lege nova.

3 Secundò Nulla eſt quoad præſens differentia inter Decimas Prædiales & Perſonales. Nam qui illas non habent, tenentur ex his Jure naturæ ad ſuſtentationem dandam. Licèt autem quoad priores determinatio Quotæ ſit ad imitationem Legis Veteris, tamen etiam quoad perſonales, perinde ac prædiales facta eſt per Eccleſiam. Nam de fide eſt, ad eam pertinere diſpoſitionem de rebus ſpiritualibus, & annexis; ſicque indubitatum eſt, cauſas Decimales eſſe Eccleſiaſticas, cùm jus illarum ſit ſpirituale, & pertinens ad cultum Divinum: quo nomine dicuntur Decimæ eſſe de Jure Divino, præſertim quia jus ad illas Deo comparatur, tanquam de Bonis DEI; ſicque tota illarum cura pertinet ad Diſpenſatores DEI.

CAPUT XI.

An determinatio Decimarum convenienti ratione facta ſit in Lege Gratiæ?

1 Eraſm. Vocat Tyrannidem. 2o. Fraticelli ſolis Profeſſis paupertatem deberi Decimas volunt: & Pſeudoapoſtoli Jure Divino prohiberi Sacerdotes

dotes à dominio. 3. Caſtro & alii volunt, ultra Congruam Clericos tantùm eſſe Diſpenſatores, ſicque quod non erogant in pauperes, injuſtè retinere. c. *Cunctis* cum ſequentibus 16. q. 1. c. *Quatuor* 12. q. 2. cum aliis Juribus 16. q. 7. & 13. q. 1 & 2.

Primò. De fide eſt præceptum eſſe
2 juſtum etiam quoad Quotam. Patet ex Conciliis, Juribus, Patribus, & conſenſu Eccleſiæ univerſalis, in quam error in moribus cadere non poteſt, præſertim in re tam gravi. Et meritò illa attendit imitationem Juris Divini pro magna ratione ſui Juris & Canonum, maximè cùm idem ſervârint non tantùm Sancti, ut Abraham, Jacob &c. ſed etiam Gentiles: non enim par eſt nos minùs gratos eſſe Deo. Dein ſi uſus ſit Decimarum, quem poſcunt Canones, per ſe conſtat, nimium non exigi, attendendo diſtributionem earum quadripartitam: dubium enim non eſt, pertinere ad Paſtores ſpecialem curam pauperum.

Dices: Clerus non eſt trigeſima
3 pars Fidelium, ut compararetur Tribui Levi; & iſta carebat poſſeſſionibus, nec niſi Decimis prædialibus fruebatur. Reſp. Uti totam Hierarchiam, ita & Clerum præſtare Synagogæ dignitate; nec hanc ſine magnis ſumptibus ſtare poſſe in Pontifice, & Epiſcopis. Rurſus Levi fruebatur Sacrificiis, & lucrari poterant negotiando; & Oblationes habebant lege præſcriptas, quæ nunc, quia merè ſpontaneæ ſunt, non attenduntur. Olim etiam ſingulæ Tribus habebant poſſeſſiones, quibus nunc caret major pars Fidelium, utut recipientium miniſteria, perinde ac alii: ergo rectè viciſſim obligantur, ſicut olim etiam pauperes ſolvebant quid Levitis in Oblationibus.

Secundò. Juſtitia dicti præcepti 4
fundatur proximè in miniſterio ex officio. Certum enim eſt juxta S. Thomam & Theologos, quòd etiam Sacerdos dives ali ex Decimis poſſit, ſicut in operario alio per accidens ſe habent divitiæ, quin propter has deterioris ille conditionis ſit, quantùm ad mercedem. Unde c. *Clericos* & c. *Paſtores* 1. q. 2. intelliguntur de Clerico ſimplici, cui ex juſtitia nihil debetur, ſed ex miſericordia, vel Religione, ſi eget. Taceo, in lege veteri Decimas alias duas præcipi in ſacrificia & pauperes. Deuteronom. 14. & 26.

Tertiò. Ad tuendum dictum jus 5
neceſſe non eſt dicere, quòd Clerici tantùm ſint diſpenſatores eorum, quæ ultra congruam ſuſtentationem percipiunt. Nam ſic fierent deterioris conditionis Levitis, exemptis ab onere eleemoſynarum &c. Dein ſumptus debentur ex Juſtitia ad omnia onera Cleri: at hic ex officio eſt Pater Pauperum, pro quibus vitam, nedum bona exponere debet. Adde onus Hoſpitalitatis. 2. *Tim.* 2. gratitudinis & officii erga Principes, quorum defenſione eget Eccleſia. Multi etiam, qui non miniſtrant ex officio,

officio, ſic aluntur, & plures, ſive è plebe, ſive nobiles non habent Congruam ex patrimonio, expeditque, ut quisque juxta conditionem ſuam habeat illam, præſertim per quos Ordo ipſe honoratur.

6 Confirmatur, quia aliàs, quod excedit ſtipendium debitum, non eſſet materia Juſtitiæ, ſed eleemoſynæ tantùm: ergo nec obnoxium reſtitutioni, ſi non ſolvitur, quia ſolùm peccatur contra ordinem eleemoſynæ; poſſétque excuſari, ſi ſciatur, ſuperfluum non dari pauperibus. Hoc autem planè repugnat Legibus & conſuetudini Eccleſiæ, poſſétque afferre multa incommoda practica. Quòd denique abundent, qui minus laborant, defectus particularis eſt: nec quod ejusmodi eſt, in rebus humanis impediri poteſt.

CAPUT XII.

Quid poſſit conſuetudo circa obligationem, vel modum ſolvendi Decimas.

1 Primò. Suſtentationi congruæ (ſive ex Decimis, Oblationibus, ſive Legatis &c. habeatur) derogari non poteſt; ſecus eſt quoad quotam, qualitatem, modum &c. ſolvendi Decimas, unde unde habeatur ſuſtentatio, ut ex Primitiis, Oblationibus, vel ſolis Decimis perſonalibus, ut Venetiis. Patet ex c. *Commiſſum*, c. *Cùm ſint homines.* c. *Dilecti.* c. *Apoſtolicæ* de Decim. Vímque conſuetudinis in abrogando, minuendo &c. quotam agnoſcunt etiam, qui volunt deberi de Jure Divino. At naturale & in toto & in parte immutabile eſt: & Divinum poſitivum per pravam voluntatem hominum non mutatur, ſed ſemper violatur, etiam in minimo: ergo ignorando propriam vocem, verum in re dicitur.

2 Covar. damnat conſuetudinem non ſolvendi aliquas Decimas: eſto *aliunde* (utique non ex Patrimonio, vel arte Clerici) alimenta congruè recipiantur. Sed inconſequenter procedit, cùm contra antiquos Canoniſtas aliàs defenderit ſententiam Theologorum. Dein exemptio non eſt nimia, quam Eccleſia tolerat; ſecùs ac in tributis leges reſiſtant præſcriptioni l. *Comperimus* Cod. de præſcript. triginta an. Potuit ergo initium factum eſſe ex conventione benigna, ut ſolæ oblationes cederent, quæ poſtea præſcripta fuerit. Nec obſtat c. *In Aliquibus.* §. *Illæ quippe.* eod. Nam intelligi debet cum partitione quaſi accommoda ad prædiales & perſonales, & in rigore etiam quoad quotam; ſin minus, juxta conſuetudinem.

Secundò. Per conſuetudinem 3
etiam immemorialem Pontificia poteſtas

teſtis impediri non poteſt, quin Pontifex, cùm judicat expedire, denuò præcipiat Quotam. Nam privari nequit poteſtate quam à principio habuit, ſive per ceſſionem Juris, ſive per privilegium, quod dedit, ut eſt communis reſolutio Silv. Covar. Antonin &c. Quia verò jus ſuffragatur conſuetudini, Epiſcopus contra illud diſponere nequit, præſertim in re tam gravi, ex qua ſequi poſſunt ſcandala.

4 Tertiò. A fortiori conſuetudo vim habet quoad circumſtantias ſolvendi. Nam Jus de his nihil ſtatuit; conſuetudo autem eſt ſufficiens regula, ſi alia deſit, in ſimilibus ſtatuendis. Sub eadem comprehendimus pacta, concordiam &c. Vel enim ad tempus fit, vel in perpetuum? Si adum, eget authoritate Epiſcopi. Si ximum, ſufficit conventio partium. c. *Ex multiplici.* c. *Suggeſtum,* c. *Nuper* eod. c. *Statuimus,* & c. *Veniens* de transact.

5 Quartò. Etiam particularis præſcribere poteſt, ut non ſolvat, titulo Exemptionis factæ. Nec enim eo ipſo injuſtitia fit parocho, nec parochianis: non illi, quia ejus non intereſt, unde ſolvatur: non iſtis, quia propterea plus non ſolvunt. Præſumitur autem, paſtores non diſſimulâſſe tamdiu ſine juſto titulo, quod actum eſt.

Igitur duobus modis conſtituuntur in malo ſtatu, qui propter deſuetudinem ſolvere nolunt; uno modo, ſi Pontifex a certi loco applicet Quotam, vel denuo imperat: nam ille uti jure ſuo poteſt propter cauſas univerſaliores, conſequenter non merè propter aliorum petitionem. Alter modus, ſi Clerico deſit Congrua: nam contra jus naturale non præſcribitur, nec ceſſio unius obligat Succeſſorem; imò nec idem, cùm verè incipit egere, poſtquam aliquamdiu ceſſit vel diſſimulavit, cogitur etiam deinceps cedere. Factum tamen incertum eſt, an ſcilicet vera indigentia ſit, & an conſuetudo fundetur in ceſſione voluntaria, aut recompenſatione alia. 6

CAPUT XIII.

De tempore neceſſario, ut conſuetudo non ſolvendi ſit præſcripta legitimè?

1 Primò. Ad præſcribendum requiritur vel conſuetudo immemorialis, vel titulus. Patet ex c. 1. de præſcript. in 6 quia talis præſcriptio & contra Eccleſiam eſt, & contra Jus commune. Privatus autem, utut uſu longævo, nec conſtituere, nec abrogare legem poteſt, eximendo ſe ab obligatione ejus, etſo per invincibilem ignorantiam excuſetur. ergo ſolùm per præſcriptionem, ut eſt quid facti (mutando vel conferendo

do dominium, ſervitutem &c.) poteſt ſe ſolvere jugo obligationis, & debitum extinguere.

2 Secundò. Per conſuetudinem Communitatis, ſi duret quadraginta annis, præſcribi poteſt etiam ſine titulo contra onus quotæ &c. Ita Gl. Abb. cum aliis antiquis, & Covar. Gutier. Molina &c. ex c. ult. de Conſuet. & c. *Auditis* de Præſcript. Nam conſtat, leges viâ conſuetudinis oppoſitæ abrogari poſſe per Communitatem; ſicut etiam per longævum uſum ejusdem conſtituuntur, & inducuntur. Poſcunt autem omnes in præſenti dictum tempus conſuetudinis, quamvis Jus non ſatis expreſſum ſit. Ratio eſt, quia agitur de gravi damno Eccleſiæ, nec aliter præſumi prudenter poteſt tacitus conſenſus Pontificis; *tacitus*, inquam, nam prævia facti cognitio nec requiritur jure aliquo, nec ex natura rei eſt neceſſaria.

Differentia ergo inter propriam Præſcriptionem & Conſuetudinem præſcriptam contra Legem eſt, quòd illa requirat bonam fidem, ut patet tit. de Præſcript. per tot. hæc verò in principio fieri poſſit per actus pravos legi contrarios, ut omnes fatentur; aliàs nulla conſuetudo humana poſſet Legem abrogare. Rurſus præſcriptio debet eſſe ab immemoriali, ſi non conſtat de titulo. Nam ſi initii, etiam tituli memoria eſſe poteſt, & debet; quia ſecùs actus Legi contrariùs, & maximè detentio rei alienæ nequit excuſari, niſi oſtenſo privilegio &c. quod rarum eſt. Ubi autem initium extra memoriam hominum eſt, etiam tituli facile eſt obliviſci: nec veriſimile eſt, ſine hoc eſſe potuiſſe tam longum uſum: ergo præſumitur bonus, cùm non probetur malus. 3

CAPUT XIV.

Quid Pontifex poſſit in concedendis, vel remittendis Decimis?

1 Primò. Pontifex utendo abſoluta poteſtate obligationem Decimarum poteſt omnino tollere, ita ut ſi faceret; factum teneret, quamvis malè faceret, ſalvo tamen ſemper jure naturali alendi Miniſtros. Nam totum jus eſt de Jure Eccleſiaſtico: ergo ſemper pendet à voluntate Pontificis. Tunc autem, ſi hic nihil determinat, Epiſcopus poſſet ac deberet determinare modum alendi Miniſtros, cùm ſit Paſtor Ordinarius habens ſufficientem Jurisdictionem, niſi impediatur. Quòd ſi & is negligat, Fideles poſſent tranſigere cum Miniſtris.

Secundò. Simpliciter loquendo, non poteſt Pontifex legem hanc, etiam ut Eccleſiaſticam, in totum abrogare. Quòd non licitè, conſtat, 2

quia

quia cederet in generale damnum Eccleſiæ, non tantùm temporale, ſed etiam ſpirituale. Nam cultus DEI maxima ex parte minueretur, & ferè univerſim indecenter, vel ſine conveniente ornatu fieret; Eccleſiaſtici vileſcerent, velut operarii mercenarii Laicorum, & cogerentur ad Sacramenta indignè tractanda, nec in munere gerendo eſſet ſolicitudo, authoritas, & libertas debita, jacerétque ſubventio pauperum. At Spiritus ſanctus non magis hæc permittet quàm abolitionem Immunitatum, Cæremoniarum, &c. cùm ejus ſit regere Pontificiam poteſtatem, ne exeret cum detrimento communi & notabili totius Eccleſiæ.

3 Tertiò. Poteſt Pontifex in particulari aliquos eximere à ſolvendis Decimis, non tantùm juri ſuo cedendo, ſed diſpenſando vel in ipſo præcepto, vel in applicatione Decimarum. Eſt certa ex uſu, & ex c. *A nobis.* c. *Ex parte,* 1. c. *Nuper* de Decim. c. 2. de Eccl. ædific. c. ult. Ut lite pend. & ex privilegiis Religionum. Quòd non fiat ceſſio, conſtat: nam hanc etiam facere Parochus ſuis poteſt: & Pontifex tollit onus reſpectu cuiusque Eccleſiæ. Diſpenſatio autem, ut omnis alia, debet eſſe ex cauſa, & ſupponere ſuſtentationem debitam; & tunc Jus naturæ non dictat, ab unoquoque ſolvendam eſſe quotam &c.

4 Differentia tamen eſt, an relaxatio fiat Eccleſiaſticis, an Laicis. Nam quoad illos facilis eſt, ut fatentur omnes, & ſonant omnia privilegia Juris. Nec enim ut valeat, poſcit cauſam extrinſecam, ſed ſufficit talibus piè ſubveniri; & adhuc ſtat finis intentus, nempe cultus Divinus. Quòd ſi exceſſus aliquando rationabilem querimoniam excitet, ut c. *Suggeſtum* de Decim. non eſt contra Juſtitiam Comutativam, ſed Legalem, & fortè contra diſpenſationem fidelem. Quoad Laicos, ſicut applicatio Decimarum fieri poteſt ex juſta cauſa ita remiſſio à fortiori, cùm nihil in hoc ſit contra Jus naturale, vel Divinum.

CAPUT XV.

An valeat privilegium de non ſolvendis, vel de recipiendis Decimis, factum Laico ſine cauſa?

1 Primò. Tenet, ſi detur de non ſolvendo. Nec enim alii plùs ſolvunt, nec debitum eſt Juſtitiæ, ut talis ſolvat, niſi ſuppoſito præcepto Eccleſiæ: hoc autem diſpenſari poteſt validè &c. Sic Præſcriptio tenet contra dictum onus, nec examinatur cauſa. Unde ſequitur, quòd ſimiliter teneat privilegium recipiendi Decimas, datum ſine cauſa Eccleſiaſticis, quia ſolùm ſit diſpenſatio in Jure Eccleſiaſtico, citra violationem Commutativæ,

2 Secundò. Si applicatio fit Laico ſine juſta cauſa, quæ honeſtet conceſſionem, nec recipiens, nec Pontifex eſt tutus, quamvis ille, ſi debitè informavit, rectè præſumat, bene actum eſſe, utique ſecluſo affectu merè humano, & prodigalitate. Vel enim Clerici nullum dominium habent redituûm, vel id eſt ſive penes Beneficiatum, ſive Communitatem Eccleſiæ, ad quam pertinent reditus? Si 1mum, clara eſt nullitas actûs facti à non domino. Si 2um, idem eſt, nec enim Papa dominus eſt niſi redituûm ad ſe pertinentium, agítque contra voluntatem veri Domini, & contra juſtam intentionem ſolventium. Nec in hoc objectio vel ratio eſt, quæ oppoſitum probabiliter ſuadeat.

3 Tertiò. Idem eſt à fortiori, ſi reditus, cuicunque tandem, ita applicantur, ut Miniſtro deſit Congrua. Patet enim contra juſtitiam denegari operario, quo dignus eſt, loquendo per ſe. Vel ergo ſciens & volens recipit Beneficium (Curatum an ſimplex, perinde eſt) ſine Congrua, vel per deceptionem, ignorantiam &c. Si 1mum, voluntariè ſe obligat ſervire ſuis ſtipendiis. Si 2um, nec ipſe ſe obligavit, nec cogi poteſt ad ita ſerviendum, ſeclusâ extremâ neceſſitate Eccleſiæ, nec ad relinquendum Beneficium, cujus Dominus eſt, nec ad non ſerviendum, cùm id ſit & contra Bonum Eccleſiæ, & contra Jus proprium vi tituli acquiſitum.

4 Quartò. Populus non tenetur in dicto caſu denuo providere de Congrua Miniſtri. Nam primus debitor eſt, qui recipit Decimas, ſecundus verò ipſe Pontifex, ſi injuſtè applicavit reditus, quia populus jam ſatisfecit dando ſive Paſtori immediato (cum quo, & non cum Vicario ejus paciſcitur) ſive Supremo; nec hic denuo gravare poteſt ſine cauſa graviſſima pertinente ad bonum commune, ſicut ſi Rex non ſolvit ſtipendia Judicibus (ſupponendo ſolvi Tributa ſufficientia, ut per ſe ſuóſque gubernet) Regnum non tenetur denuo ſolvere: ergo cùm ſimiliter ſe habeant parochiani reſpectu Pontificis, cogi non poſſunt, ut injuriam ſarciant Tertii. Facit Trid. providens de Congrua Vicarii ſ. 6. c. 2. de Ref. ſ. 7. c. 5. & 7. ſ. 25. c. 16. de Reform.

Quintò. Prælati alii nullam poteſtatem habent circa Jura Decimarum immutanda aliter, quàm jure communi ſtatutum, vel legitima conſuetudine receptum ſit. Nec enim per Canonem, nec per Concilia talis mutatio illis conceſſa eſt, ſed ſolùm, ut in certis caſibus applicare poſſint ad opera pia Decimas, Beneficia ex iis erecta &c. addendo plerumque, id concedi ut Delegatis Apoſtolicæ Sedis. Trid. ſ. 7. c. 5. 6. 7. 8. & ſ. 21. c. 3. 4. 5. 7. & ſ. 22. c. 9. & ſ. 23. c. 18. & ſ. 24. c. 13. & ſ. 25. c. 9. de Reform. Quæ quidem providentiſſima remedia ſunt ad finem fructuûm conſequendum, non verò relaxatio Juris communis de ſolutione vel applicatione Decimarum. 5

CAPUT

CAPUT XVI.

An dictum Præceptum obliget omnes & ſolos Fideles*, præſertim Laicos?*

1 Primò. Per ſe loquendo, & vi juris communis, tenentur dicto præcepto omnes Baptizati, niſi legitimo titulo exempti ſint. Ita c. *Ex transmiſſa.* c. *A nobis* de Decim. Nam omnes tenentur recipere Sacramenta de manu Sacerdotum. Nec Hæreticum vitium ſuum eximit à ſubjectione, & licèt facto non ſit, jure tenetur eſſe Fidelis, ſícque communi oneri ſubjacet. Similiter Miniſtri eidem tenentur præſtare quod poſſunt, illuminando ex officio, cogendo ad converſionem &c.

2 Dices: Pauperes non poſſe obligari, ſicut nec ad eos extenditur promiſſio legis veteris: Mal. 3. *Probate me ſuper hoc.* ℞. Paſtoris eſſe remittere graviter egenti pro ſe, & familia ſuſtentanda. Nec gravis neceſſitas eſt titulus in rem ſub dominio Eccleſiæ conſtitutam: nec propter inopiam committi poteſt injuſtitia, ſeu negari quod ex juſtitia debitum eſt. Ergo ſive bonâ, ſive malâ fide detineatur, ſemper quod detinetur, reddi debet, cùm poteſt. Imò addit Rebuff. etiam quod in extrema neceſſitate conſumitur, reſtitui debere. Sed falsò, quia nec ratione rei acceptæ, utpote conſumptæ, nec ratione acceptionis obligatio eſt, quia ut propria conſumpta eſt.

Excuſatio tamen probabilis eſt; 3 quia egere ad propriam ſuſtentationem gravis reputatur neceſſitas: præceptum autem, cùm ſit affirmativum, pro tunc non urget. Et qui poſſidet rem alienam, ſic excuſatur, ut non teneatur reddere pro ſtatim. Quod equidem maximè urget, ſi pauper de ſua inopia certus diffidit de remiſſione, tenétque antiquus Canoniſta, Eccleſiam non obligare egentem graviter ad ſuſtentationem familiæ, id quod non improbat Innoc. c. *Licet*, de Cenſibus.

Secundò, Infideles non tenentur. 4 De quota Decimæ conſtat, quia qui foris ſunt, nihil ad nos. Rurſus quoad debitum ſuſtentationis, deficit fundamentum, quia Sacerdotes nec offerunt pro Infidelibus, nec eis ſpiritualia miniſtrant; nec etiam ſola Fides Catechumenum ſubjicit Eccleſiæ, niſi quatenus filii propter characterem parentum, horúmque voluntatem ſeu obligationem fiunt ſubditi.

Confirmatur, quia vel obligatio 5 eſſet generalis omnium, vel occupantium terras olim ſubjectas Eccleſiæ, vel eorum, quibus ex officio prædicatur Fides, vel Judæorum? Non primum, quia obligatio recognoſcendi dominium Divinum non infert

infert onus Decimarum. Dein Eccleſia nec ratione perſonarum, nec ratione rei jus ullum habet, nec injuſtitia eſt non credere &c. Non 2um, quia licet Jus Eccleſiæ duret quaſi in habitu (ut ad ſummum probat c. *Prima.* 16. q. 3. c. *Cùm per bellicum* 34. q. 1.) tamen idem quamdiu non miniſtratur ſpiritualia, quaſi ſuſpenditur, ſolúmque tyranni ad generalem terræ reſtitutionem tenentur. Quod enim ad præſens attinet, reſtitutio ad praxin reduci nequit, præſertim quia ignorantia, non Fidei ſed Juris Eccleſiaſtici, facilè excuſat. Obligare autem converſos, & intolerabile onus foret, & magnum impedimentum Fidei; nec Eccleſia ſic onerare conſuevit.

6 Non tertium, quia licèt titulus de ſe probabilis ſit (ut fortè Romæ ad alendum Prædicatorem Judæorum) tamen Eccleſia eo non utitur, ut nec Chriſtus nec Apoſtoli uſi ſunt in mittendis Prædicatoribus, ſempérque ſuppetunt Miniſtri voluntarii pauperes, cùm oppoſitum fortè cederet ſcandalo. Quæ quidem ipſa cauſa honeſtat cumulum Decimarum, quas pendunt Fideles. Non 4tum, nam aliud eſt de Prædialibus, aliud de Perſonalibus Decimis. Nam illæ debentur per poſſeſſorem quemlibet c. *De terris* de Decim. c. *Quanto.* de Uſur. ibi. *Quas priùs accipere conſueverant.* Secus eſt de his; nam nec ratione perſonarum, nec ratione rei Eccleſia jus habet acquiſitum, ſicut nec ut quis negotietur, lucretur &c. & aliàs ſi Judæus ſarcire debet, quod inquilinus Chriſtianus ſolviſſet, etiam nobilis, Clericus &c. Veriſimile ergo non eſt, quod Abb. vult, Judæum ut impedit incolatum Chriſtiani, teneri ad perſonales Decimas; ſic enim Infideles omnes tenerentur, ut Japones ſimiliter impediendo.

CAPUT XVII.

An Clerici & Eccleſiaſtici omnes teneantur ad Decimas ſolvendas.

1 Primò. Pontifex propriè & per ſe non obligatur ratione ſuæ perſonæ, ſed aliquando ratione ſuæ poſſeſſionis, & debiti realis. Ita diſtinguitur c. *Tua* de Decim. Per debitum enim perſonale intelligitur, quod ex actione vel paſſione ipſius perſonæ oritur: ſicut Reale eſt ex re accepta vel poſſeſſa, quæ ſecum affert onus, ut dictum eſt de Judæis. Si ergo prædium Patrimoniale ante aſſumptionem Pontificis fuit obligatum, etiam poſtea eſt, cùm ille non ſit Dominus bonorum Eccleſiaſticorum & ad diſpenſandum ſecum egeat causâ. Quòd ſi res de Patrimonio S. Petri ſit ſibi non debet Papa, nec Eccleſiæ, cùm ſupra totam ſit.

Debi-

2 Debitum autem perſonale locum non habet, quia vel deberet Papa Decimas ob recognitionem dominii Divini, vel ob receptionem Sacramentorum, vel ob ſuſtentationem Miniſtrorum? Non 1mum, ut ſæpe dictum eſt, nam dicta recognitio, ut à jure naturæ poſcitur, multis aliis modis impleri poteſt. Non 2um, quia Papa non habet Paſtorem Ordinarium, ſed Confeſſario utitur, ut officialibus aliis; ſicque reditus accipit, ut debitos ſibi pro ſua familia, & officialium ſuſtentatione. Non 3ũ. Quia Decimæ non debentur niſi Superiori, ſicque Lex earum non habet communem honeſtatem Principi & ſubditis, ut nec Lex tributaria.

3 Secundò. Poſſet Papa Decimas exigere ab Epiſcopis, & aliis Clericis. Nam fundamentum non deeſt, ut patet ex c. 2. eod. Nec refert, reditus eſſe Eccleſiaſticos, quia vel Clericus eſt Dominus eorum, vel non? Si 1mum, cur non ſolvit, quod debet. Si 2um, ſicut ad neceſſaria iis utitur, ita etiam ad debita ſolvenda, quia nec miles, mercator &c. ut talis ſolvit, ſed ut Fidelis, & materialiter ſe habet, unde lucrentur. Diſtinguendum ergo eſt inter activum uſum, & paſſivum Sacramentorum, ſicut inter Communionem Clericalem, & non talem; ob priorem enim uſum non ſolvitur ſed alterum.

4 Tertiò. Attento jure Eccleſiaſtico, Epiſcopus non tenetur debito perſonali, quamvis reali teneri poſſit quoad Decimas prædiales, non verò quoad perſonales, etiam titulo ſpirituali acquiſitas. De debito reali conſtat ex dictis. Quantùm ad perſonale, vel id eſſet reſpectu Papæ, vel Archiepiſcopi, vel Parochi & inferiorum Clericorum. Non 1mum, quia Papa alitur ex Patrimonio S. Petri, Decimis Eccleſiæ Romanæ, partitione Redituũm ex variis Beneficiis, & Juribus expeditionum &c. ſtante etiã poteſtate exigendi amplius, ſi neceſſitas vel occaſio poſcit. Non 2um, quia ſubjectio parva eſt, nec Dignitas Archiepiſcopi meretur tantam compenſationem; ſatisque hæc fieri cenſetur pro onere annexo per ſportulas & contributiones alias in judicio, & viſitatione. Non 3um, ut conſtat ex dictis, nam ceſſat fundatum debendi, ſcilicet ſubjectio.

Quartò. Parochus non tenetur ad ullas Decimas titulo perſonalis Debiti, attento Jure comuni. Vel enim deberet Epiſcopo, vel ſuæ Eccleſiæ? Non 2um, quia ad hanc comparatur, ut conferens, non ut recipiens Sacramenta. Non 1um, quia nec Pontifex obligat nec Epiſcopus eum obligare poteſt c. *Conſtitutum*. c. *Nulli Epiſcoporum*. c. *Prædicator* 16. q. 1. Secus eſſe conſtat de debito reali ex patrimonio. Tunc enim Parochus ut Dominus rei, ſibi ut Miniſtro ſolvit; imò in rigore, non ſibi ſed Clero Eccleſiæ, nam hujus Miniſtris propriè debentur Decimæ, ex quibus pars ad Parochum pertinet. 5

Quintò, Clerici alii, qui non ſunt Paſtores Eccleſiæ, nec ex officio Di- 6

vina miniſtrant, per ſe & vi Juris communis tenentur ad Decimas, non tantùm debito reali, ut conſtat ex dictis (& ſupponitur c. *ſiquis Laicus* d c. & q. 1.) ſed etiam perſonali. Quoad reale excipitur id, quod percipitur ex prædiis Eccleſiaſticis, ut tenet communior; & meritò. Nam nec ipſa habent onus reale ſolvendi Decimas Eccleſiæ, cujus ſunt, nec ex earum fructibus debetur alia Decima, ut olim à Levitis, quos Eccleſia in hoc imitata non eſt, d. c. 2. ubi ſupponitur, ſtipendium ſolvi integrum, & ſine onere. Excipit Alens. niſi Clericus teſtari poſſit de fructibus Beneficialibus. At quo jure vel ratione? Oportet ergo ut conſuetudo & facultatem teſtandi, & id onus induxerit; nam ſeparabilia ſunt.

7 De debito perſonali conſtat ex ſubjectione ad Parochum. c. *Omnis utriuſque* de Pœn. & remiſs. titulóque operis ipſis impenſi, in quo fundatur onus in d. c. 2. Maléque reſtringit Gl. & literam & rationem textûs ad Clericos conjugatos. Unde ſtando in rigore Juris, idē eſt quoad Decimas perſonales ex lucris temporalibus: quamvis ſecus ſit de acquiſitis titulo ſpirituali, propter proportionem cum Beneficialibus; nec enim Eccleſia gravat Clericos in Bonis Eccleſiaſticis, extra caſus jure expreſſos.

Sextò. De aliis perſonis Eccleſiaſticis, quocunque titulo tales ſint, idem eſt Nam Clerici propriùs ſunt Eccleſiaſtici, nec tamen eximuntur; nec eſt ratio eximendi. De Religioſis etiam ut talibus conſtat ex c. *Ex parte.* 1. c. *Licèt.* cum aliis de Decim. & c. 2. §. *Cæterum* eod. in 6. & c. *Veniens* de Tranſact. Quòd ſi ſint Beneficiati, eorum ſequuntur regulam. 8

Septimò Debetur de rigore Juris Decima ex poſſeſſione & fundis unius Parochiæ ſitis in territorio alterius. Nam res tranſit cum onere, ut etiam ad Papam & Epiſcopum ſic tranſit: conſtátque de bonis Monaſterii in alia Parochia ſitis c. *Commiſſum.* c. *Nuper.* cum aliis de Decim. Nec repugnat fundum eſſe Eccleſiaſticum, & debere cenſum juxta latè dicta de Immunitate Eccleſiaſtica. Adde c. *Eccleſiæ* c. *Ubicunque* 16. q. 1. ubi dicitur, antiquas Eccleſias non debere fraudari propter novas ædificatas. Regula ergo ſupra poſita de Bonis Eccleſiaſticis patitur exceptionem, Pontifice ita providente, ut jura magis certa ſint. Tamen oppoſitum tenet S. Thomas. 2. 2. q. 87. a. 4. ad 1. ubi Cajet. Soto &c. allegando c. *Quæſiti* d. c. & q. & uſu eſſe receptum, ſignificant Covar. & Gutier. 9

CAPUT.

CAPUT XVIII.

An aliqui eximantur à debito Decimarum?

1 Primò conſtat eſſe locum exemptioni à dicto debito. Ita c. *A nobis* de Decim. Eſtque evidens ex uſu. Nec enim debitum, etiam quoad ſuſtentationem, eſt reſpectu ſingularū perſonarum, familiarum &c. &c. ſed reſpectu totius Cōmunitatis, cumque ex juſta cauſa ſit exemptio, nec acceptio perſonarum eſt, nec injuria Communitatis, aut Cleri, quia nec illa plus ſolvit, nec huic debetur niſi Congrua, & quod ſupra eſt, Eccleſia augere vel minuere poteſt, ut bono communi expedit. Denique exemptio fieri pôteſt à ſolo Pontifice, ſicut ſolius conſenſu tacito vel expreſſo nititur conſuetudo derogans dicto debito.

2 Secundò. Privilegium Juris (alia enim, quantùm ad factum ſub ſcientiam non cadunt) fit tum Religioſis generatim, tum Ciſtercienſibus, Hoſpitalariis &c. Prius fit non tantùm circa perſonales Decimas, ſed etiam prædiales c. *Decimas* 16. q. 1. ibi: *de laboribus ſeu nutrimentis ſuis propriis* c. 2. de Eccl. ædific. ibi. *De hortis & nutrimentis animalium ſuorum.* Alterum fit unis circa prædia propriis ſumptibus culta, aliis quoad novalia tantùm. c. *Ex multiplici* c. *Ex parte* 1. c *Licet.* c. *Ad audientiam.* c. *Quoniam* de Decimis. Reſtringitur tamen ad acquiſita. c. *Nuper.* eod. & c. 2. §. *Cæterum.* eod. in 6.

Tertiò. Odioſum eſt dictum Privilegium, ſicque ſalva proprietate verbòrum reſtringendum. Nam derogat & Juri communi, & Eccleſiarum: ergo ut quàm minimum deroget, intelligi debet, quoad poteſt. c. *Cùm Capella*, de Privil. l. *Prætor ait.* §. *ſiquis.* 1. & 2. ff. Ne quid in loco publ. 3

CAPUT XIX.

Exponuntur varia dubia circa Privilegia non ſolvendi Decimas.

1 Primò. Privilegium Prædialium ſolvit ab onere reali, non perſonali tantùm, nec quoad novalia tantùm. Nam ante c. *Decimas* 16. q. 1. omnes tenebantur, ſolúmque ibi liberantur ab onere novalium: at c. *Ex parte* 1. de Decim. fit abſoluta exemptio de *Laboribus* quoad Ciſtercienſes &c. quoad alios verò de Novalibus tantùm; ſicque oppoſitus intellectus exploditur in c. *Ad audientiam* eod. facitque. c. *Nuper* eodem, ubi derogatur Privilegio circa noviter acquirenda; & ideò in novis conceſſionibus eadem derogatio expreſsè tollitur.

Nec

2 Nec ad rem ſunt c. *Dudum.* eod. & c. *Dudum* de Privil. Nam in illo unitur Eccleſia Hoſpitali; per quod non ſequitur Epiſcopum perdere ſua jura, licèt parochialia unita ſint. In hoc verò ſolùm explicatur Vox *Novale* ex c. *Quid* de V.S. ſignificare nempe terram ſimpliciter infructuoſam antè. Ergo ſi ante ex gramine Decimæ fuerunt ſolutæ, conceſſio Novalium non juvat. Denique ſolùm ſermo eſt de onere per jus commune impoſito: nam oneri, quod titulo vel privilegio alio ineſt, non derogatur per conceſſionem generalem.

3 Secundò. Conceſſio de Prædialibus extenditur ad novalia ſubſequentia, Negat Rebuff. niſi dicatur *de laboribus.* At Privilegia Juris ſemper ſic ſonant poſtulando & proprietatē & laborem: Prædialia autem poſcunt tantùm proprietatem, quæ non deeſt novalibus. Quòd ſi allegas præjudicium, idem ſequitur, cùm propriis manibus quàm ſumptibus colere difficilius ſit. Dein vel læſio eſt enormis, vel non? ſi 1mum, ſemper cavenda eſt c. *Suggeſtum* de decim. & d. c. *Quid* & c. pen. de Cler. non reſid. Si 2um, in utroque ſtat proprietas Verborum.

4 Tertiò. Privilegium Prædialium intelligitur etiam de acquirendis. Nam d. c. *Nuper* omnes intelligunt ut derogatorium: & in c. *Quia circa.* de Privil. poſcitur pleniſſima interpretatio citra limitationem, nec contentam nec neceſſariam æquitati Beneficii: ergo res dici non poteſt tranſire cum onere, quando hoc tollitur. Eſtque aliud de Præſcriptione Decimarum, aliud de exemptione abſoluta ab earum onere.

Quartò. Non intelligitur dictum Privilegium de Prædiis conductitiis. Patet ex c. *Dilecti* de Decim. & d. c. *Ex parte* Nec enim derogatio fit, ſed declaratio, per labores intelligi partem ſuorum agrorum, qui, non illi, propriè coluntur; nec illi, cùm in alieno fiunt, labores proprii ſunt, ſed fundi locati; nec exemptio fit fundo directè, ſed perſonis, & harum ratione fundo: ad quod non ſufficit cultura tantùm. In idem recidit ſi dicitur, *quos habent*, utique ſimpliciter, & non ſecundùm quid, ſeu uſum tantùm. 5

6 Imò idem eſt de fundo Emphytevtico. Nam loquendo propriiſſimè, Emphytevta non eſt Dominus l. 1. jun. Gl. ult. ff. Si ager Emphyt. petatur. Nec Emphyteuſis eſt aliud in re, quàm conductio ad longum tempus: & ideo etiam conductor cenſetur habere dominium utile. l. 1. ff. de Superfic. Sicque locatio pro alienatione habetur c. *Nulli.* de reb. Eccleſ. non alien. Clem. 1. eod. Sola enim duratio non mutat ſubſtantiam contractûs: & Pontifex indefinitè dicit, *conduxiſtis*, & ad *firmam* ſeu penſionem, quod cadit in Emphyteuſin arg. c. *Veſtra* de Locat. Pars ergo hæc tutior eſt, cùm aliunde agatur de præjudicio.

Non

7 Quintò. Non extenditur dictum Privilegium ad colonos, quantùm ad Jus commune. Nam expreſsè dicitur *propriis ſumptibus*, vel *laboribus* c. *A nobis*, c. *Tua* de Decim. Sin Privilegium abſolutè ſonet de prædiis, non refert hæc coli per colonos, ſed eſt Reale, ut notat Gl. Clem. 2. eod. V. *Excolendas*, quam omnes ſequuntur. Nec tunc colono directè vel indirectè fit Gratia, ſed ſolùm eatenus dicitur liber, quatenus eam compenſat Religioſis penſione auctâ. Aliàs abuſus eſſet, & bona Eccleſiæ virtute darentur Laico ſine cauſa & poteſtate. Igitur Reale Privilegium eſt, cùm conceſſio fit Decimarum, quomodocùnque colantur, ut cùm dicitur, *liberamus eorum prædia.* vel abſolutè *in Prædialibus Decimis*, vel *ſive per ſe, ſive per alios colant.* Perſonale autem erit, cùm fit reſtrictio: *quos ſuis laboribus, ſuis ſumptibus &c.*

8 Dices. Ex Jure communi ſubintelligi dictam particulam. R. Privilegium eſſe reale juxta Gl. & Abb. cùm dicitur: *eximimus prædia.* ergo idem eſt in cæteris formulis: aliàs exprimeretur reſtitutio d. c. *Ad audientiam*, nec foret liberatio Religioſorum, ſi coloni ſolvunt, cùm nec juris quid habeant in Decimas, nec has dent de ſuis prædiis. Igitur cùm dicitur *ſuis ſumptibus*, jus nil ſtatuit poſitivè, ſed ſolùm negativè ſe habet, non concedendo plus. Quòd ſi reſtrictio fit liberationis ad partem aliquotam, quæ percipitur, ut de *fructibus ſuis*, probabile eſt, dictam partem tantùm liberari, non aliam, quæ colono cedit; ſi inquam *fit reſtrictio &c.* at forma eſſe ſolet: *fructus prædiorum de prædiis ſuis*; *Eximimus prædia &c.*

CAPUT XX.

Quibus modis amittatur Privilegium non ſolvendi Decimas?

1 Primò tollitur per enormem læſionem Eccleſiæ. Ita c. *Suggeſtum* de Decim. ubi Doctores omnes. Nam intrinſeca conditio eſt Privilegii, ſi *non lædat*; aliàs injuſtum foret, ſive à principio læſio fuerit, ſive pòſt ſequatur. Vel ergo eſt evidens, vel non? Si 1mum, eo ipſo in conſcientia perit privilegium, quia jam conſtat de mente dantis: quamvis Judicis ſit decidere cauſam, non Eccleſiæ, ut viâ facti procedat: quod nullibi conceditur. Si 2um, Papæ eſt interpretari reſcriptum ſuum, non verò alius moderari poteſt ſive in toto, ſive in parte, poſtquam Gratia ſimpliciter periît vi dictæ cauſæ. Et in d. c. *Suggeſtum* præcipitur vel non uſus, vel compoſitio, utique ſi læſio vel clara non eſt, vel occaſio litium. &c.

2 Secundò. Tollitur per contrarium uſum ſolvendi, ſuppoſito tempore legitimo ad præſcribendum. Ita

Ita c. *Si de terra*, c. *Accedentibus* de Privil. Non enim ſufficit renuntiatio tacita, multóque minùs privati in cauſa Eccleſiæ, donec altera Jus ſtabile acquirat; conſequenter per conſenſum ipſius juris incluſum in Præſcriptione. Quamvis autem contra privatum privilegiatum citiùs præſcribatur, tamen ubi agitur contra jus Eccleſiæ, requiruntur 40. anni de jure poſteriore. c. *Illud* de Præſcript.

3 Tertiò. Ceſſat per ſubſequentem conventionem & pactionem Partium. Ita d. c. *Suggeſtum*. & c. *Dilecti* eod. Nam nec eſt per ſe mala dicta conventio, nec Simoniaca, ùt ſupponitur, nec prohibita per Jus, ſed ſuaſa tanquam rationabilis, & utrinque utilis; ſicque non eſt purè liberalis renuntiatio, ſed juſta conventio ſecundùm jus, conſequenter non egens confirmatione Papæ. Dixi: *ſubſequentem*: nam ſi antecedit Gratiam, reddit hanc ſubreptitiam c. *Ex multiplici* eod.

Quartò. Ceſſat per alienationem. 4
Non enim privilegiũ ita reale eſt, ut tranſeat cum re, quia non fit niſi Religioni. Vel ergo fundus venditur cariùs, vel non? ſi 1mum, Simonia fit. Si 2um, diſſipatio, & uſurpatio alienæ poteſtatis. Sic exemplo famuli Monaſterii deſinit cum ſervitio. Aliud autem eſt de alienatione, aliud de ſubrogatione fundi novi pro vendito: nam ſubrogatum non eſt ſimpliciter acquiſitum denuò, & ideò prioris naturam ſapit, etiam ſtando diſpoſitione c. *Nuper* eod. quin & odioſa eſt derogatio, & adhuc ſtat ejus intentio, ne opes accreſcant.

CAPUT XXI.

An ſecundùm commune Jus Decimæ ſolvendæ ſint Eccleſiæ Parochiali.

1 Primò. Perſonales de Jure communi debentur Parochiæ, in qua quis vi dicti Juris tenetur recipere Sacramenta. Ita omnes ex c. *Ad Apoſtolicæ* de Decim. c. *Significavit* de Paroch. c. *Queſti*. c. *Statuimus* c. *In ſacris*. c. *De Decimis* 16. q. 1. Nam dantur in ſuſtentationem Miniſtrorum ex officio, & ut onus perſonale ob perceptum Miniſterium. Mutato ergo domicilio, etiam Eccleſia mutatur, penes quam ſit jus; mutato inquam, quia ſola peregrinatio &c. non obligat Eccleſiæ alteri. d. c. *Ad Apoſtolicæ* & c. 3. *de Sepult*. in 6. Ubi autem unum domiciliũ eſt principale, alterum acceſſorium, in illo ſolvitur: ſicut dividitur, ſi utrumque æquale eſt, licèt conſuetudo attendenda ſit.

Secundò.

2 Secundò. *Prædiales* debentur Parochiæ prædii. Ita communis Theologorum, Canoniſtarum, & Summiſtarum ex c. *Cùm contingat.* c. *Cùm in tua.* c. *Quoniam.* de Decim. c. ult. de Paroch. c. ult. de Reſtit. Spol. in 6. c. 1. 13. q. 1. c. *Siquis Laicus* , & c. *Eccleſiæ* c. *Quicunque* 16. q. 1. Trid. ſ. 14. c. 9. & ſ. 24. c. 13. de Refor. Nam quotidiana mutatio hominum magnam confuſionem afferret c. *Cùm ſint homines.* de Decim. c. *Super eo.* de Paroch. c. *Licèt.* c. *Quicunque.* 16. q. 3. Ergo rectè attenditur res potiùs quàm perſona. l. *Imperatores* ff. de Public. & Vectig. Sícque jus Eccleſiarũ per ſe æquale eſt: incommodum autem per accidens, quod cuique evenire poteſt; & lex attendit, quod frequentius eſt. At mutatio loci rara eſt, & ſi fit, præjudicare non debet Eccleſiæ, de ſe ſemper paratæ ad miniſtrandum.

Tertiò. Decimæ mixtæ dividendæ ſunt inter Eccleſias paſcuorum 3 pro rata moræ in paſcendo, accubando &c, non autem in itinere. Ita Gl. d. c. *Ad Apoſtolicæ*, quam ſequitur S. Thomas cum communi. Reputantur enim ut prædiales, & pecus alitur ex fructibus prædii. Paſcua autem itineris ſunt res parvi momenti, & diviſio fieret moraliter impoſſibilis: & ideò nec in perſona attenditur iter, ſed domicilium vel quaſi tale. Semper tamen ſpectanda eſt conſuetudo, maximè ſi uno menſe hîc, altero ibi morantur pecora, difficillima enim fit diviſio.

CAPUT XXII.

De Conſuetudine ſolvendi Decimas in aliena Parochia.

1 Primò. Non ſufficit decennium ad præſcribendum. Nam quidquid ſit de conſuetudine decennali contra jus legale; in præſenti requiritur propriè dicta Præſcriptio, conſequenter 40. annorum. c. *Auditis* de Præſcript. & c. 3. de Conſuet. in 6. Perperam autem negatur, non eſſe conſuetudinem contra Jus, ut patet ex c. *Cùm contingat.* c. *Cùm in tua.* de Decim. c. *Siquis Laicus.* c. *Quicunque.* cum aliis 16. q. 1. c. 1. 13. q. 1 c. ult. de Reſt. ſpol. in 6. Ubi diſpoſitio non ſit merè affirmativè, ſed privativè. Agitur enim contra jus facti; & ideo etiam contra Privilegiatum requiritur longior conſuetudo c. *Accedentibus* de Privil. Ergo fortiùs contra jus Parochiæ, & Miniſtrorum ex officio.

Confirmatur, quia nunquam 2 fuit jus contrarium, ad quod rediri prætenditur, ſed ſolùm non uſus ante diviſionem Parochiarum, imò ſemper ſervata eſt pariformitas, ne jura Diœceſium confunderentur can. 74. Apoſt. c. *Apoſtolicæ.* de Donat. c. *Ad Apoſtolicæ.* de Decim. ubi non obſtat particula *Diu*: nam etiam ponitur in d. c. *Accedentibus*, nec ſignificat tempus certum, ſed aliunde determinandum ex materia, perſo-

nis &c. & in c. *Ad aures* de Præſcript. ſupponitur, requiri in noſtro caſu tempus 40. annorum, uti etiam inter Diœceſes c. 1. eod. in 6.

3 Secundò. Non extenditur dicta Præſcriptio ad Novalia nunquam antè poſſeſſa. Ita omnes d. c. *Cùm contingat.* c. *Tua.* §. *Nec.* eod. Nec enim præſcriptio ad furem extenditur, nec plus præſcribitur, quàm uſu captum ſit, nec ab uno ad aliud prædium extenſio fit, d. c. *Cùm in tua* ergo novalia manent Eccleſiæ, in qua ſunt d. c. *Contingat.* c. *Quoniam* eod.

4 Tertiò. Secùs eſt de Novalibus antè poſſeſſis per Decimationem graminis, lignorum &c. Patet ex c. *Dudum* de Privil. c. *Commiſſum.* de Decim. c. 2. §. 1. eod. in 6. Præſcriptio enim realis per ſe primò eſt circa fundum: ſicque varietas fructuûm non refert. Hinc idem eſt, ſi fundus ſit unus, & certis terminis clauſus, licèt non ubique cultus fuerit: nam poſſidetur totus, & non per partes.

Quartò. Opinio Abbatis de decennio ſufficiente ad præſcribendum, 5 procedit, ubi Jus nil determinat. Exemplum eſt in Decimis mixtis, nam omnes docent, pro regula attendendam eſſe conſuetudinem. Idem eſt cùm dubium eſt, ad quam Eccleſiam pertineat prædium.

CAPUT XXIII.

De Privilegio ſolvendi Decimas extra propriam Parochiam.

1 Primò. Valere dictum Privilegium poteſt; utique ſalvâ Congruâ Miniſtrorum. Odioſum quidem eſt, quia aberrat à ſcopo Decimarum, nihil commodi relinquens Parochianis, multoque difficilius, ſi extra Diœceſin eas auferat, ut eodem titulo odioſa eſt Beneficiorum Unio perpetua. Trid. ſ. 7. c. 6. & ſ. 14. c. 9. de Reform. Licèt ergo rarum eſſe debeat, nec ſine magna cauſa, impoſſibile non eſt, quia omnes unum corpus ſumus, & Pontifex à ſingulis exigere poteſt Decimas, & cauſa eſſe poteſt boni univerſalis.

2 Secundò. Si dictum Privilegium indefinitè fertur, non comprehendit novalia. Ita ſimpliciter Rebuff. Covar. Gutier. contra alios oppoſitum affirmantes, ſi detur Clerico. Nam licèt huic detur, ſimpliciter odioſum eſt, licèt minùs, quàm ſi Laico datur: ergo adhuc reſtringendum eſt, ſi poteſt. Vel ergo reſtringi poteſt ſalvâ proprietate verborum, vel non? Si 2um, ergo nec reſpectu Laici; vel ſi enormis læſio exigit, idem erit contra Clericum. Si 1mum, ergo etiam reſpectu hujus plenè intelligitur. Novalia enim exprimi debent, ut ſupponitur c. 2. §. 1. de Decim. in 6. nec tunc etiam, niſi quoad medietatem intelliguntur conceſſa.

Neque

3 Neque fundamentum diſtinguendi inter Clericum & Laicum ſumi poteſt ex c. *Ex parte 2.* & c. *Tua. 1.* de Decim, Nam aliud eſt de Privilegio non ſolvendi Decimas, aliud de præſenti privilegio, quia illud & eſt negativum, conſequenter negat omnia, & non affert præjudicium: hoc verò aufert totum Parochiæ. Et juxta lectionem integram d. c. *Ex parte*, quam affert Rebuff. evidens eſt, agi de jure ordinario Parochiali, non de Privilegio; quo ſuppoſito, rectè dicitur comprehendi novalia. Juxta lectionem verò Gregorianam ſenſus non eſt valere argumentum à ſimili, ſed ſolùm, quòd juxta ſubjectam materiam redintegratio, quæ facta eſt in expreſsè ablatis, à fortiori comprehendat non expreſsè ablata.

CAPUT XXIV.

An in Eccleſia Baptiſmali ſolvendæ ſint Decimæ?

1 Primò. De Jure communi ſtatur pro Parochiali, non pro Baptiſmali, licet Parochialis etiam ſit, & Matrix alterius. Conſtat quoad Decimas perſonales: nam ſufficit quælibet mutatio domicilii: nec Matrix prætendere poteſt per ſe loquendo, niſi Oblationes Baptiſmales. Similiter quoad Prædiales ſufficit, per ſe loquendo, diviſio territorii, quia licet res tranſeat cum onere, tamen quando fundamentum oneris transfertur in alium, etiam utilitas transferenda eſt: aliàs totum onus oneroſum eſſet penes unam, & tota utilitas penes alteram Eccleſiam, contra c. *Ad Audientiam*, 1. de Eccl. ædif. juncto Trid. ſ. 21. c. 4. de Reform. Nec obſtant c. *Eccleſiæ.* & c. *Quicunque* 16. q. 1. Nam agunt de Capellis, & Oratoriis: & titulus antiquitatis æquè in Parochiali quàm Baptiſmali eſſe poteſt; nec ſufficit quoad præſens, cùm injuſtè non præjudicetur, abſtrahendo de antiquæ utilitate pro rata oneris averſi in Parochialem novam.

Secundò. Ceſſat aliis modis controverſia inter dictas Eccleſias quoad Decimas. Nam ſi altera ſolùm ſe habet ut Capella alterius, non erecta in titulum Beneficii, vel Vicariæ perpetuæ, & ſolùm per Capellanum officietur, ut Mercenarium Rectoris; non habet quod prætendat, c. *Ex parte* de Reſcript. Rurſus fieri ſolet tranſactio inter veterem & novam Parochiam: eâque ſtatur, utpote juſtâ & legitimâ, ut præſumitur, donec oppoſitum probetur c. ult. 9. q. 2. cum iis, quæ congerit Felin. in c. *Quarta.* de Præſcript. n. 12. Denique conſetudo decennis ſufficit c. *Cùm contingat.* de Decim. Non eſt enim apertè contra jus, ſed dubium inter utramque Eccleſiam. 2

Tertiò. De Jure communi, & ſeclusis 3

cluſis aliis titulis idem eſt, licèt Eccleſia Baptiſmalis ſit Cathedralis. Nam dignitas ejus non dat Jus Parochiæ; ſícque hæc etiam ad novalia territorii ſui jus habet. Quòdſi prædia nullius Parochiæ ſunt, ad menſam Epiſcopi pertinent c. *Quoniam* eod. Nam Epiſopus diſponit de omnibus Decimis nondum applicatis certæ Eccleſiæ.

CAPUT XXV.

Poſſíntne Decimæ deberi aut juſtè ſolvi Laicis?

1 Primò. Decimæ ut tales & ut fructus Eccleſiaſtici, per ſe non debentur Laicis; imò per nullam præſcriptionem vel humanam conceſſionem deberi poſſunt, formaliter & propriè loquendo. Conſtat ex c. *Quamvis.* c. *Prohibemus.* c. *Adhæc.* c. *Tua.* 1. de Decim. c. *Cauſam* de Præſcript. c. ult. de Rer. permut. c. *Decimas.* c. *Pervenit* c. ult. 16. q. 7. c. ult. 10. q. 1. c. *Pervenit* 1. q. 3. Nam nemo ſtipendii, niſi etiam miniſterii capax eſt, ergo ut Laici incapaces ſunt miniſterii ſpiritualis, ita & Decimarum, ut ſunt ſtipendium illius. Rurſus præſcriptio non eſt ſine juſta poſſeſſione; nec hæc ſine capacitate tituli. Quòdſi ſpirituale quid conceditur Laico, ergo ſubintrat, ut perſona Eccleſiaſtica, & ut talis capit fructus Eccleſiaſticos, quà tales.

2 Secundò. Laicus juſtè percipit fructus Decimarum, non quidem proprio titulo, ſed vel nomine Clericorum, ad quos pertinent, vel per juſtam diſpenſationem & applicationem Prælatorum Eccleſiæ. Senſus non eſt de perceptione materiali, ut fit per famulum, ſed formali, quâ quis fructus in ſuum dominium transfert. Nam eo ipſo, ut fructus temporales, juſtè in dominium veniunt, ſi hoc ab his manat, quibus jus primarium & uſus eorum competit, ſuppoſitâ juſtâ cauſâ accommodatâ Laico.

Confirmatur ex variis modis transferendi dictum jus. Nam aliud eſt 3
fructus jam perceptos à Clerico accipere, aliud nondum perceptos à Clerico, cui debentur. Prius non eſt ſolvi Decimas Laico, ſed has à Clerico diſpenſari, donari &c. quamvis ſi prodigè fit, ille huic cooperetur illicitè accipiendo, non tamen retinendo, ſi Clericus eſt Dominus redituûm. Poſterius propria authoritate fit à quolibet Beneficiato c. 2. de Locato, dummodo infra decennium ſit locatio. Clem. 1. de Reb. Eccl. non alien. junct. c. ult. Ne Præl. vices &c. At X. *Ambitioſæ.* eod. concedit triennium tantùm.

Alter modus eſt dandi per modum ſtipendii, ut pro cantu &c. 4
Quod nec reſtrictionem habet ut locatio, nec difficultatem, quia dantur

tur fructus, ut temporales, & titulo conductionis operarum, & ab habente poteſtatem. Ultimus modus eſt per donationem, utique ex poteſtate & cauſa legitima, ut Regibus fit à Pontifice. Habet enim ſupremam poteſtatem in omni genere gubernationis: éſtque in præſenti moraliter neceſſaria ad bonum univerſale Eccleſiæ, tum ob rationem gratitudinis, & defenſionis Eccleſiæ; tum quia facit ad authoritatem Prælatorum, & venerationem, &c.

CAPUT XXVI.

An Decimæ dari in Feudum poſſint authoritate inferiorum Prælatorum.

1 Primò. Feuda, etiam perpetua, quæ ante Urbanum in Synodo Turonica anno 1096. conceſſa ſunt, imò ante Lateran. ſub Alex. III. anno 1179. conceſſa, tenent. Prius ſumitur ex uſibus Feud. tit. Epiſcopum vel Abbatem &c. ubi dicitur, Feudum nullum habere vigorem ſecundùm hoc, quod conſtitutum eſt à Papa Urbano in ſancta Synodo, hoc eſt illud, quod poſt ejus decretum fuerit datum: quod autem ante datum fuerit, firmiter permanere debet. Poſterior pars ſupponitur c. 2. §. *Sanè* de Decim. in 6. ſive titulo præſcriptionis id fuerit, ſive per declarationem Concil. Lateran. ſive piè creditum ſit, reſtitutionem factam eſſe poſt Urbanum.

2 Secundò. Reſtringitur dicta prohibitio ad Feuda perpetua. Nam vitalitia nullibi prohibita ſunt, & poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi, quidquid citra diſpenſationem fit, ex generali ſeu communi Providentia. Patétque à fortiori ex conceſſionibus firmatis per Urbanum, & Alexandrum. Dein dicta prohibitio vel ſupponitur, vel confirmatur in c. *Prohibemus*. c. *Quamvis*. c. *Adhæc* de Decim. expreſsè tamen in c. *Cùm Apoſtolica* de his, quæ fiunt à Prælat. &c. in fine ad perpetua reſtringitur. Ratio autem prohibitionis non eſt ſpiritualitas Juris Decimarum, aliàs nulla conceſſio valeret, ſed evitatio prodigalitatis &c.

Tertiò. Feudum injuſtè detentum reſtitui poteſt Eccleſiæ alteri, cujus non erant Decimæ, ex authoritate Epiſcopi. 3
Quòd enim transferri non poſſit in Laicum de conſenſu Epiſcopi, tenent omnes ex d. c. *Cùm Apoſtolica*, & aliis citatis. Si autem reſtitutio fit Eccleſiæ, cujus ſunt Decimæ, opus non eſt conſenſu dicto, quia nil ſubtrahitur, ſed illi acquiritur. Sufficere autem dictum conſenſum reſpectu diverſæ Eccleſiæ, expreſſum eſt in d. c. *Cùm Apoſtolica*. Nam quidquid dicat Abbas, de injuſta detentione loquitur,

ibi & Hieron. & Papa; & Eccleſia uti potuit tali Providentia ad vitanda mala majora: ſicut cùm Creditor contentus eſt reſtitutione factâ pauperibus. Malè autem infert Abbas, nec juſtè detenta transferri in Laicum poſſe.

4 Quartò. Feudum, quod juſtè tenetur, transferri per Epiſcopum poteſt in Laicum. Vel enim Feudatarius habet filium, vel eſt poſſeſſor ultimus, vel per ejus obitum vacat Feudum? Si 1mum, conſtat tranſire Feudum, aliàs non eſſet perpetuum. Si 2dum, ergo cùm non erigatur de novo, non comprehenditur ſub prohibitione Urbani vel Alexandri: ergo quod ante hos, etiam nunc fieri poteſt. Si 3tium, idem eſt, ut omnes fatentur: nondum enim bona ſunt de menſa Epiſcopi &c. nec ipſo facto ei incorporantur, ut conſtat ex c. 2. de Feudis. & d. c. *Cùm Apoſtolica.* c. *Cùm & plantare.* De Privil. Oportet tamen, cùm cauſa ex natura rei ſit neceſſaria, intercedere utilitatem Eccleſiæ, ut rationem gratitudinis, vel communis boni: parùm enim quoad hoc refert, an Feudum ſit novum, an inſtauratum tantùm.

CAPUT XXVII.

An Laici præſcribere poſſint perceptionem Decimarum?

1 Primò. Laicus vi Præſcriptionis non poteſt poſſidere, & exigere Decimas. Ita c. *Cauſam.* de Præſcript. Nec enim ibi prætenſio erat tituli ſpiritualis, utpote ſtolida; nec agebatur niſi de commoditate tantùm fructuum. Rurſus Præſcriptio requirit poſſeſſionem propriam & Civilem, quâ quis proprio nomine, jure & titulo rem habeat ut ſuam: at Laicus incapax eſt, ut ſuo nomine habeat Decimas. Denique vis tota Præſcriptionis eſt à lege inſtituente talem modum transferendi jus &c. at modus prætenſus in præſenti non eſt ab ulla lege.

2 Secundò. Conſuetudo immemorialis ſufficit in vi probationis privilegii, feudi alteriúsve conceſſionis legitimæ. Ita Felin. & Bald. Imola, Domin. in c. 2. §. *Sanè.* de Decim. in 6. Nam debemus tueri conceſſionem, cui authoritatem vetuſtas dat, quamvis jus non probetur. l. ult. ff. de aqua pluv. Poſtulátque ratio politica regiminis externi, ut credatur opinioni tam antiquæ in favorem poſſidentis, cujus in dubio melior eſt conditio. ergo maximè cùm ſtat tam vehemens præſumptio; probántque exempla in unione Eccleſiarum, facultate eligendi Confeſſarium &c. Ceſſat tamen dicta præſumptio, ſi cum conſuetudine non currit conſtans fama, & opinio Decimationis factæ virtute conceſſionis; ſicque Præſcriptio non ſufficit, ut tandem rectè concludit Covar.

CAPUT

CAPUT XXVIII.

Ad quas perſonas Eccleſiaſticas Decimæ *pertineant jure communi.*

1 Primò. Vi primævæ inſtitutionis debentur Decimæ Clero cujusque Diœceſis ad ſuſtentationem ipſius, & omnes expenſas neceſſarias ſervitio Eccleſiarum. Conſtat ex principio hujus materiæ, & ex proportione inſtitutionis cum Lege Veteri, & ex Juribus per decurſum hucusque citatis. Dein conſtat ex Actis Apoſt. epiſtolis Pauli, & ex c. 1. cum ſequentibus. diſt. 80. & c. 1. cum aliis. diſt. 99. & Hiſtoria Eccleſiaſtica, à principio factam eſſe diviſionem Diœceſium. Sicut enim à Chriſto inſtituta eſt dignitas Epiſcopalis, ita ex ejuſdem præcepto manavit dicta diviſio (Apoſtolis relictâ determinatione) tanquam ſummè neceſſaria ad ordinem rectum.

2 Hinc autem etiam ſumitur Decimarum diviſio per Diœceſes. Licèt enim principio omnia fuerint communia, & Clerus vixerit ex eleemoſynis, & oblationibus, tamen etiam Decimæ cœperunt induci, ut earum meminit Clemens l. 2. Conſt. c. 25. 34. 35. & poſt eum Patres ferè omnes antiqui. Non erant autem illæ totius Chriſtianitatis, ſed Diœceſis cujuſque, ſervatâ propotione, c. *Pervenit.* c. *Omnes Baſilicæ.* c. *Quoniam.* cum aliis 16. q. 7. ut planè neceſſe erat ad vitandam confuſionem Diœceſium. Penes Epiſcopum tamen, tanquam Paſtorem cura erat totius diſtributionis, juxta Clem. ſuprà, & c. *Videntes.* c. *Epiſcopus.* c. *Præcipimus* cum aliis 12. q. 1. & c. *Vulteranæ.* c. *Conceſſo.* c. *Quatuor* cum aliis 12. q. 2.

Secundò. Poſt Diœceſium diviſionem in Parochias, cujusque harum Decimæ pertinent per ſe loquendo ad totum Clerum ex officio in ea miniſtrantem, & non ad ſolum Parochum; licèt per hunc regulariter diſtribuantur, & in hoc ſervandæ ſint conſuetudo & Ordinationes Epiſcoporum. Conſtat prior pars ex dictis de jure Parochiæ privativè tali, ſicut etiam in Diœceſi ſervandum eſt c. *Super eo.* de Paroch. Ratio alterius partis eſt, quia Decimæ non debentur ſolùm propter curam Animarum, ſed ſimpliciter propter Miniſterium Divini cultûs. c. *Ex parte* 2. de Decim. & Fideles non tantùm Sacramenta percipere debent, ſed etiam per Miniſtros ſacros & ex officio deputatos ſacrificare, DEUM laudare &c. Patétque dictum jus aliorum Miniſtrorum non tantùm negativè (nullum enim jus eos excludit) ſed etiam poſitivè ex generalibus locutionibus Jurium, ut d. c. *Ex parte*. & c. *Tua* 1. eod. c. 1. 16. q. 7. c. *Ad hoc.* 16. q. 1. cum ſimilibus. Nec Jus hoc correctum eſt per diviſionem Parochiarū. 3

Confirm. Quia Decimæ propriè 4

 de-

debentur iis qui habent jus ſpirituale: hoc autem includitur principaliter in omni Beneficio; ideò enim vendi nequit. Nec ſola actio operativa ſalutis Animarum fundat dictum Jus, ſed quodlibet Miniſterium ſpirituale, præſertim quia ſemper tendit de ſe in ſalutem Animarum. Vel ergo actio ſpiritualis fit ex proprio officio, collato per Eccleſiam cum ſpirituali titulo, vel ſolùm ex devotione, vel titulo mercenario? Si 1mum, ſufficit ad jus Decimarum. Si 2um vel 3um. ſecùs eſſe conſtat in Regularibus, Capellanis, imò ipſómet Parocho, cùm non operatur ex officio.

5 Tertiò Epiſcopus comprehenditur ſub Miniſtris cujusque Parochiæ, ut Miniſter ſuo modo proximus, & ut Prælatus. Patet ex c. *Vobis.* cum aliis ſuprà citatis 12. q. 2. c. *Quoniam.* c. *Dudum.* de Decim. c. *Quarta* de Præſcript. Non ergo quarta Decimationum ex conſuetudine Epiſcopo competit, ut ſine probatione vult Gl. c. *Conquerente.* de off. Ord. Nam conſuetudo eſſet contra jus, nec propter illam, utpote contingentem, excipi poſſet pars Epiſcopalis, niſi eſſet jure definita Epiſcopo, tanquam parti Cleri Parochialis, ut ſemper habitus eſt. c. *Unio.* 10. q. 3. & olim quidem etiam quoad oblationes. Nunc autem quarta tantùm Prædialium ei debetur, nec plus etiam in Cathedrali, niſi ſit proprius ejus Curatus, quia nullo jure plus ei tribuitur.

Dices: ergo etiam Pontifici debentur Decimæ ex qualibet Parochia. R. Jus non deeſſe, ſi Pontifex velit, c. *Cùm homines* de Decim. ubi integra lectio in Lateran. p. 4. c. 14. habet: *Cùm Decimas Eccleſiæ & mihi reddere teneantur.* Tamen Jure ordinario non comprehenditur Pontifex ſub Parochia, ſecùs ac Epiſcopus quoad portionem ſuam Canonicam. Quoad alia autem habet hic alligatam juri communi poteſtatem, ita ut nec quæ ad alios pertinent, ſibi uſurpare, nec novum onus Clero imponere poſſit, ut ſæpe inculcatur 16. q. 1. 6

Quartò. Pauperes & Fabrica Eccleſiæ nullum habent jus intrinſecum ad partem Decimarum, ſed id totum eſt penes Clericos cum onere ſive Juſtitiæ, ſive Charitatis. Quoad Pauperes videri poteſt Abulenſis in Math. 23. q. 177. Licèt autem portio Fabricæ ſit ſeparata, tamen non debetur templo materiali, ſed Clero ratione Templi, ut in talem & non alium uſum eam diſpenſet. Similiter Muſici &c. imò etiam Clerici mercenarii jus intrinſecum non habent ad Decimas, nec actionem reſpectu ſolventium illas, ſed ſolùm reſpectu Epiſcopi, Parochi, vel Eccleſiæ, à quibus conducti ſervitium præſtant. 7

Caput

CAPUT XXIX,

Corollaria & Aſſertiones, quæ ex doctrina ſuperioris capitis inferuntur.

1 Primò. Decimæ principaliter debentur Epiſcopo. Nam ad hunc pertinet & Cura Animarum, & Regimen exterius, & onera omnia, propter quæ illæ ſolvuntur. Quare triplici titulo eas exigit; ex Cathedrali Eccleſia, ex *Parœcia*, præſertim quam ut Paſtor proprius per mercenarios tantùm regit, & denique ex prædiis peculiariter ad ejus menſam pertinentibus, quæ nullius *Parochiæ* ſunt &c.

2 Secundò. Locum alterum tenet *Parochus*. Nam duplex hic ordo Epiſcopalis & Parochialis per ſe neceſſarius eſt Fidelibus, & in qualibet Parochia; cui proin ſolicitè providetur in Trid. ſ. 25. c. 16. de Reform. Jura autem non definiunt portionem debitam *Parocho*. Quanquam juxta antiqua Clero Parochiæ debeatur quarta; conſequenter & *Parocho*, ſi ſolus ſit. Quòdſi eget Cooperatore, populum gravare nequit, Trid. s. 21, c. 4. de Ref. & arg. c. ult. de Eccl. ædif. & c. *Et temporis 16. q. 1.*

3 Tertiò. Capitulis Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum eorúmque membris debentur propriiſſimè Decimæ, eóque modo & proportione, quo menſis eorum applicatæ ſunt. Ita c. *Ex parte 2.* de Decim. cum proportione extendendo ad quemlibet, qui titulo Beneficii propriè dicti percipit partẽ Decimarũ Eccleſiæ. Nec enim tales ſunt quaſi Penſionarii, vel Stipendiati Parochi, Epiſcopi: ergo ſicut poſt diviſionem Parochiarum jus eſt *Parocho* in Decimas Paræciales; ita poſt harum diviſionem in plura Beneficia quisque Beneficiatus directè & per ſe jus habet in portionem ſibi aſſignatam: & ſicut jus Parochi in ſuas Decimas pendet ex inſtitutione Eccleſiæ, trahitque obligationem Juſtitiæ in *Fidelibus*, ita jus Beneficiati alterius.

4 Quartò. Simplex Clericus nullum habet jus ad *Decimas*. Nam ideò etiam ipſe non obligatur ex Juſtitia ad Horas, ſed ex Religione. Quòdſi ſervit ex pacto, qui cum eo pactus eſt, ſtare eo debet quoad ſuſtentationem; ſive ſolvat ex Decimis, ſive aliunde, id enim non eſt jus proprium ad Decimas. Idem eſt de Religioſis. c. *Alia cauſa.* c. *Placuit. 2.* c. *Pervenit.* c. *Doctor.* c. *Si Monachus. 16.* q. 1. & ideò qui ſibi uſurpant Decimas, damnantur Clem. 1. de *Decim.* & Clem. *Cupientes* de Pænis, quia Jus integrum manet penes obligatos ex officio.

5 Poſſunt tamen applicari Decimæ Religioſis: primùm quidem dando ut pauperibus; id quod eſt dare fructus, non jus. 2. Conferendo jus per unionem Beneficii. 3. per Privilegium, quia ſi Laicis dari poteſt, à fortiori Religioſis. c. *Quamvis.* de Decim. ſive titulo ſubſidii tantùm detur, ſive cum onere Miniſterii ſpiritualis, ut poteſt juxta communem. c. *Cauſam quæ*, de Præſcript.

CAPUT XXX.

An Clerici vel Eccleſiaſticæ perſonæ Præſcriptione acquirere poſſint Jus Decimarum?

1 Primò. Monaſterium poteſt acquirere dictum Jus, præſcribendo Eccleſiam ipſam, ejúsque onera in ſe ſuſcipiendo. Eſt certa apud omnes. Nam Eccleſia poteſt ſic acquiri ab eo, qui eſt capax Miniſterii. c. *Ad aures* de Præſcript. at eo ipſo acquiritur fundamentum: ergo ut principale, ita acceſſorium acquiritur, ſeu Decimæ, quæ titulo Parochiæ exigunrur. Sic jus ad Procurationes, præſcripto Jure viſitandi, præſcribitur. c. *Cùm ex officii*, eod.

2 Secundò. Per ſe & directè non poteſt Clericus totum jus Decimarum præſcribere ſine Parochia, vel ſimili titulo; poteſt tamen per talem præſcriptionem ſufficienter probari ſeu præſumi privilegium, vi cujus Decimæ juſtè exigantur. Nam Decimis intrinſecum eſt, ut ſint ſtipendium Miniſterii ſpiritualis: ergo non poſſunt aliter exigi, niſi ratione conceſſionis factæ à Domino vel Diſpenſatore. Atqui ut ſupponitur, Monaſterium non ſuſcipit onus Miniſterii, ſed commodum tantùm: ergo ſeclusâ dictâ conceſſione, tam clara eſt injuſtitia in exigendo Decimas, ut nullo titulo colorari poſſit; quin ſit neceſſaria ſpecialis prohibitio præſcribendi. Falſumque eſt, quidquid per Privilegium, etiam præſcriptione obtineri poſſe, quia multa ſine privilegio fieri non poſſunt bona fide, ergo nec præſcribi. c. *Accedentibus*, eod.

3 Pars altera patet ex dictis ſuprà de Laico: quamvis in præſenti facilius ſit privilegium, maximè ſi Religioſi ſe agnoſcant ex juſtitia ad miniſterium ſpirituale obligatos. Quia verò titulus non eſt præter privilegium, de quo dubitatur, opus eſt conſuetudine immemoriali c. 1. de Decim. in 6. Secùs autem eſt de Parocho &c, nam quia habet jus ad aliquas Decimas, bona fide poſſidere poteſt perceptionem aliarum, tanquam comprehenſam ſub ſuo jure, ut d. c. *Ad aures* c. *Ad Apoſtolicæ*, c. *De quarta*. eod. & c. *Cùm ſint homines*, de Decim. Licèt enim Decimæ quoad ſubſtantiam ſeu totum ſuum eſſe, præſcribi nequeant, ſecùs eſt quoad augmentum vel extenſionem.

CAPUT

CAPUT XXXI.

Ex quibus rebus Decimæ perſonales ſolvendæ ſint?

1 Primò. Præſtandæ ſunt de Jure ex omni vero lucro per hominem acquiſito. Ita c. *Decimæ.* 16. q. 1. c. *Ex transmiſſa.* c. *Non eſt.* de Decim. & tenent omnes. Non enim debentur de nullo lucro, cùm jus reſiſtat, nec etiam de hoc potiùs quàm illo, cùm ubi jus non diſtinguit, neque nos diſtinguere poſſimus ſine ratione, vel alio jure cogente: at nec ratio eſſe poteſt de uno potiùs, quàm alio, nec quod conſuetudo excipit, de jure eſt.

2 Secundò. Non debentur dictæ Decimæ ex bonis advenientibus per liberalem largitionem, Legatum, Inſtitutionem &c. Nam onera non ſunt augenda ſine jure cogente: at jura ſolùm agunt vel de fructibus terræ & animalium, vel de his, quæ proveniunt ex noſtris laboribus, ita ut ſicut Prædiales ex fructibus prædiorum, ita Perſonales debeantur ex fructibus perſonæ, ſeu lucris acquiſitis arte, induſtriâ &c. aliàs comprehendere neceſſe eſt etiam bona immobilia, & eleemoſynas Pauperis, quod nemo dixit; ſiquidem nulla limitatio fit particulæ de *omnibus bonis* in d. c. *Non eſt.* Reſtringitur ergo textus ad ſubjectam materiam de bonis *acquiſitis* activè. c. *Tua nobis.* eod. & d. c. *Ex transmiſſa.* aliàs ibi clarè comprehenduntur immobilia, quod omnes rejiciunt.

Confirm. Quia vel excipitur, cùm quod obvenit, debitum eſt, ut obtentum ab inteſtato, vel cùm neceſſarium eſt ſuſtentationi perſonæ, vel cùm parum quid eſt? Non 1mum, nam etiam merces debita eſt operario. Non 2dum, quia idem foret de milite, mercenario &c. Non 3tium, quia idem eſt in omni alio lucro. Et licèt ſingula ſint modica, quantitas totius anni ſat magna eſſe poteſt. Solùm ergo relictis à teſtatore &c. onus inhærere poteſt, Decimis antè non ſolutis. 3

CAPUT XXXII.

An aliqua propria lucra ſint exempta à dicto onere?

1 Primò. Nullum exemptum eſt, loquendo de jure, & per ſe. Patet ex Juribus citatis cap. ſup. ut de lucro ex *militia* &c. c. *Non eſt.* de Decim. eſto paupertas militis excuſare poſſit juxta dicta ſuprà, nam difficultas eſt generalis. Idem eſt de præda lucrata juxta exemplum Ab-

rahæ. c. *Decimas* 16. q. 7. de lucro ex ludo; quia contingentia eventûs ferè nunquam excluditur à lucro negotiationis, & ſimilium.

2 Dices. Ergo vendens bovem &c. ſimiliter tenetur? Et quid de acquiſitis immobilibus in bello? ℞. per ſe deberi ex lucro Decimam, ſive id conſiſtat in re mobili, ſive immobili, ut ſi pro ſeptenni labore datur vinea. Vel ergo venditur bos cum lucro, vel non? Si 2dum, conſtat nil deberi. Si 1mum, ſolvendum erit. c. *Paſtoralis* de Decim. non quidem in ſpecie, ſed in valore, ut in negotiatione agnorum. Debet tamen lucrum eſſe conſummatum, & ideò eouſque ſuſpenditur debitum ex lucroſa venditione in d. c. *Paſtoralis*. non verò quòd res immobilis fuerit vendita. De immobilibus tamen bello acquiſitis ſecùs eſt regulariter, vel quia jam antè poſſeſſa ſunt, vel quia reputantur ut compenſatio expenſarum, aut injuriæ illatæ.

Secundò. Acquiſita turpiter, non tamen injuſtè, decimanda ſunt, per ſe loquendo. Aliena enim & obnoxia reſtitutioni non computantur in bonis. At ſecùs eſt de ſtipendio belli injuſti, adulteræ, meretricis, hiſtrionis. Nam æquum non eſt, ut propter ſolam ſuam turpitudinem lucrator liber ſit à communi onere, c. *Intelleximus* de Judic. Sic cùm quis ſeminat triticum furatum in agro alieno, vel colligit in ſuo; poteſt ex novem partibus ſatisfieri pro uſurpatione fundi, vel fructuûm ſeminatorum; ſicque manet Decima prædialis. 3

Dixi, per ſe loquendo. Ceſſat enim dicta obligatio in meretrice publica, à qua Eccleſia non recipit Oblationes &c. Nec tenetur illa quod lucrata eſt, ſervare uſque ad finem vitæ, nec etiam in alia pia opera convertere, cùm nullibi præceptum ſit: & prior obligatio magno foret impedimento converſionis. 4

CAPUT XXXIII.

An Decimæ Perſonales debeantur integræ, vel deductis expenſis?

1 Primò. Debentur deductis expenſis. Ita omnes ex c. *Paſtoralis* de Decim. quod nititur conceſſione antiquiore, ſive per conſuetudinem inducta fuerit (nam jus ſcriptum non extat) ſive ratio coëgerit ad communem hanc interpretationem. Nam lucrum, de quo ſolvitur decima, non eſt utique totum pretium, quod accipitur in negotiatione &c. nec inter acquiſita computantur, niſi quæ reſtant deductis expenſis c. *Ex transmiſſa*. eod. Et aliàs idem bis decimaretur contra d. c. *Paſtoralis*, & per exactionem nimiam; cùm in Prædialibus ex uno decem, & in Perſonali-

nalibus, vix unum è decem proveniant regulariter.

2 Nec obſtat c. *Non eſt*, eod. Nam aptatur materiæ: hæc autem in Perſonalibus eſt lucrum, quod non apparet, niſi deductis expenſis; & tunc utique de toto debetur decima. Eſtque neceſſaria reſtrictio ad Prædiales (ut in integra lectione etiam indicatur) ne abſurdum fiat contra d. c. *Paſtoralis* ab Innoc. III. conditum, qui paulò poſterior eſt Cœleſtino III. authore prioris Canonis; & tamen dicit, conceſſionem jam eſſe factam: ergo dici nequit, quod derogare voluerit juri anteriori.

Secundò. Sumptus, qui non cauſantur ex ipſo miniſterio vel arte, ſed vel per ſe neceſſarii ſunt, ſeclusâ arte, vel ita voluntarii, ut ſine illis fieri optimè opus poſſet, non deducuntur, ſed ſolùm, qui præcisè propter tale miniſterium fiunt. Nam aliàs ferè ſoli Negotiatores tenerentur, non verò miles, mercenarius &c. qui vix habent, quod ſufficiat ſuſtentationi ſuæ & familiæ; imò nec hoc plenè conſequuntur. 3

CAPUT XXXIV.

Ex quibus bonis prædiales Decimæ ſolvendæ ſint?

1 Primò. Solvendæ ſunt ex proventibus temporalibus mobilium, & immobilium omnium. Ita omnes ex c. *Nuntios.* c. *Ex parte* 2. c. *Ex transmiſſa.* c. *Tua nobis.* de Decim. cum aliis 16. q. 1. Nec enim minor liberalitas eſſe debet in lege nova erga Deum, quàm in veteri: nec eſt ratio major de hoc, quàm illo fructu: omnésque proventus decimi poſſunt eſſe neceſſarii, vel multùm commodi ad Divinum cultum, & ſuſtentationem Cleri. Et licèt ut ſinguli, ſint minuti, tamen univerſi poſſunt eſſe magni valoris; ſicque exiguntur c. *Ex multiplici.* c. *Cùm in tua.* eod. Hæc de Jure.

2 Excuſat enim conſuetudo, ſi ſit immemorialis, ut fortè eſt in oleribus merè voluptuariis: omnésque eam notant in vivariis & ſtagnis domeſticis. Dixi *immemorialis*, nam exemptio ordinariè non fundatur niſi in ſola conſuetudine: ergo cùm ſit contra jus, immemorialis eſſe debet, ſecùs ac cùm accedit titulus; nam tunc ſufficit conſuetudo 40. annorum.

Secundò. Non ſequitur ex dicto onere, quòd idem decimetur bis contra c. *Paſtoralis* eod. nec etiam confuſio Perſonalium cum Prædialibus Decimis fit. Nam aliquando lucrum eſt ex ſola actione, ut in artefacto, nam omnes expenſæ fiunt in materiam ejus, ſicque conſtat lucrum eſſe Perſonale tantùm. Aliquando autem provenit ex actione, 3

&

& etiam ratione rei acceptæ. Vel ergo res accepta fuit priùs ſub dominio accipientis, vel non? Si 2dum, ut in venatione &c. Decima Perſonalis tantùm eſt juxta omnes, quia res ut fuit nullius, non habuit valorem: & ideo lucrum non eſt ex prædio aut re, quæ conſideretur ut adjuncta prædio vel domicilio. Si 1mum, ut cùm locatur ſtagnum, ſilva &c. vendere jus venandi, piſcandi &c. in re non eſt, niſi vendere piſces ſecundùm valorem aliquem, quem habent ante capturam; ſicque lucrum eſt quaſi fructus poſſeſſionis, ergo Prædialis.

4 At per capturam creſcit valor rei; ergo lucrum, quod cedit piſcanti ex venditione piſcium, deductis expenſis conductionis, eſt perſonale; ſicque utraque Decima ſimul ſumpta non excedit Decimam valoris integri rei captæ. Idem eſt in lapicidinis, ſylvis &c. cùm venduntur ligna, lapides, &c. nam partim ut perſonalis, partim ut prædialis conſtituet Decimam valoris integri lignorum, lapidum &c. quæ reputantur in fructu fundi. Unde non refert, oves paſci in prato meo decimato; nam fructus fundi per ſe diſtinctus eſt, & onus habet Decimæ, ſive vendatur, ſive donetur, ſive in proprios uſus convertatur.

5 Secùs eſt de uſu Domûs, quia hæc non habet fructum neceſſarium, ſed voluntarium; & ideò uſus non computatur in fructu. Quoad pecudes autem duplex modus eſt lucrandi: unus percipiendo fructus natos ex eis, ut lanam, fœtus; alter per modum ſolius negotiationis, transferendo emptas in uno loco ad alium, ubi cariùs vendantur, vel poſtquam in eodem loco meliùs nutritæ ſunt. Lucrum ergo poſterioris modi eſt perſonale.

CAPUT XXXV.

An Prædiales Decimæ ſolvendæ ſint integræ?

1 Primò. Nec expenſæ, nec tributum, nec penſio deduci poſſunt. Conſtat ex c. *Tua nobis.* c. *Non eſt.* c. *Paſtoralis.* c. *Cùm homines.* c. *Cùm non ſit.* de Decim. Duobus enim modis attendi poſſunt fructus; uno, ſecundùm ſe ut oriuntur: altero ut ſunt lucrum & commodum Uſufructuarii, Legatarii, &c. Priori modo agitur de illis in præſenti, ſicut etiam cùm certa penſio fructuum ex feudo, fundo &c. debetur. d. c. *Tua nobis*, & c. *Si pendentes.* ff. de uſufructu. Secùs eſt de poſteriore modo l. *Fructus.* ff. Sol. Matrim. l. 1. Cod. de Fruct. & lit. expenſ. l. *Fuudus.* ff. Fam. herciſc. Nec enim cùm fructus reſtituuntur læſo Domino, hic illos ſine ſumptibus habuiſſet: nec Hæres tenetur Legatario

tario colere agrum &c. nec Beneficiarius fallit narrando ſolùm quæ ſtipendio cedunt, tacitis expenſis. Felin. c. *Ad aures.* de Reſcript.

2 Confirm. Quia onus nimium non eſt, ſi eventus plurium annorum omnibus compenſatis attendantur, ut conſtat experientiâ. Et æquum eſt, ut ſit conformis confeſſio nunc Juſtitiæ, nunc Miſericordiæ Divinæ; ſicut Miniſtri æqualiter laborant contingentiam ferendo, Eccleſiâ, cùm paupertas excuſat, non tantùm connivente, ſed etiam ſuccurrente. Adde facilem ſocietatem inter Deum & hominem, cùm iſte rigat, & plantat, ille incrementum dat pro Decimâ tantùm. Denique ſemen non decimatur, ſed moritur, & quod oritur, totum novum eſt.

3 Minùs conquerendum eſt de reparatione molendini, mercium, &c. Nam in his damnum aliquando fit, in ſemine ſemper. Dein res reſtaurata manet Domino, ergo eidem expenſæ, non Eccleſiæ d. c. *Paſtoralis.* Expenſæ autem factæ in merces deperditas, non pertinent ad lucrum, quod decimatur. Similiter Regio tributo juſto nihil demitur, ſi conſiſtant in parte aliquota fructuum decimatorum: nam eo ipſo Rex ſolvit, quod Eccleſiæ debet. Sin pars ſit determinata, Eccleſia pati non debet, nec virtute dare Tributum ex Decimis.

Secundò. Eccleſia nec plus nec minus accipit, quàm Decimam, ſi fundus oneratus ſit penſione. Vel ergo hæc eſt determinata, vel pars aliquota? Si 1mum, onere Decimæ manente penes Dominum, aut penſio minuenda eſt, aut hujus pretium augendum, ut contractus ſit juſtus. Si 2dum, Penſio percipi debet ex re jam decimata, aut Penſionarius pro rata ſolvere Decimam. Idémque eſt de colono, ſive priùs, ſive poſterius, quàm fructuum diviſio fiat, ſolvatur Decima. 4

Quòd ſi colonus ſerviát pro certa portione fructuum, hæc tanquam expenſa detrahi non poteſt de fructibus decimandis: & tamen ille, licèt non prædialem, ad perſonalem decimam tenetur de mercede, ſicut cùm accipit pecuniam. Addit Abul. q. 204. in Matth. 23. Dominum etiam rejecto onere Decimarum in colonum, debere perſonalem de ſuo lucro. Sed falſum eſt, nam lucrum totum eſt ex prædio, & ideò ille percipit penſionem ſolùm proportionatam valori novem partium; Colonus autem lucratur ex propria actione: quamvis quaſi Fructuarius cenſeatur, & habens dominium utile fundi, ſícque ratione hujus lucrari. 5

CAPUT XXXVI.

Quomodo debitæ ſint Decimæ Eccleſiæ.

1 Primò. Debentur non tantùm ex Religione, ſed etiam ex Juſtitia, Nam ſuſtentatio Miniſtri ſic debetur ex natura rei: ergo ſimiliter poſt taxationem juſtè factam per legem; cùm hæc conſtituat medium Juſtitiæ, ut in pretiis rerum &c. Difficultas ſolùm eſt, an Decimæ debeantur ut res aliena debitoris, an ut propria? Prius vult Abbas, poſterius Canoniſtæ antiquiores, & ſequitur Frideric. Senenſis.

2 Secundò. Eccleſia non habet proprium & rigoroſum Dominium Decimarum nondum perceptarum. Nam in re nondum diviſa non acquiritur dominium rei determinatæ, ſed id manet penes eum, cujus ſunt fructus. arg. leg. 2. ff. de Pollicit. niſi oſtendatur dominium commune, & titulus ejus. At Eccleſia ſicut dominium commune non habet in fundos & pecora, ita nec in fructus, ſive vi nativitatis, ſive vi præcepti: hoc enim nec tollit dominium, nec facit commune, niſi explicet; quod hic non fit, ut patet in lege Veteri & Nova.

3 Nam licèt in illa dicatur *Primogenita mea*, tamen Exod. 21. dicitur, *Decimas tuas. & Primitias tuas &c.* at Dominium debet eſſe de re certa, ſaltem formaliter, & quoad partem aliquotam, & non pro mero arbitrio offerentis, ut in Primitiis fit: ergo ſolùm dicuntur eſſe DEI Decimæ, ſicut ipſa Primogenita, non propter ſeparationem à domino, ſed quia ad DEI cultum ſpecialiter deputantur. Dein Canones utuntur verbis Scripturæ Veteris: ergo plùs non tribuunt, quàm hæc Levitis tribuerit. Rectè autem Eccleſia dicit ſuum, ad quod habet peculiare jus, l. *Rem in bonis* ff. de acq. rer. dom. & Patres vocant furem, homicidam &c. qui ſuperflua non tribuit pauperi, quamvis dominio non excidat: aliàs etiam Pauperum eſſet Decima aliqua.

Dices: Eccleſia poteſt ſibi vendicare Decimas c. *Moderamine.* 16. q. 1. 4
ergo ut rem propriam l. *In rem.* ff. de Rei Vendicat. R. pro ipſo jure Decimarum, ut in aliis incorporalibus non agi *vendicatione*, ſed actione *Confeſſoria*: pro fructibus autem ſufficere perſonalem actionem, quæ dicitur *ex Lege*, vel Canone. quamvis ut ait Hoſtiens, c. *Parochianos.* de Decim. Canoniſtæ parùm curent de his formis. Nec enim actio ſeu petitio pendet ex Dominio, cùm conſtet Decimas non poſſe accipi authoritate propria, ſed peti tantùm: & Parochiani ſit omnes fructus vendicare, & conſequenter habere actionem directam per rei vindicationem.

Tertiò. Eccleſia non tantùm ha- 5
bet

bet jus ad Decimas nondum perceptas, ſed & jus aliquod in illis, quod dici poteſt dominium utile, licèt non ſit directum, quale habet Uſufructuarius in fructibus nondum perceptis. Nam poſſeſſor bonæ fidei tenetur Eccleſiæ titulo rei acceptæ, ut tenet communis ex c. *Paſtoralis* c. *Tua nobis.* eod. quia ſicut fundi ipſi, ita & fructus tranſeunt cum onere. Hinc tamen non ſequitur dominium. l. *Is verò* Inſt. de rer. diviſ. ibi: *ad quem uſusfructus pertinet, non aliter fructuum Dominus efficitur, quàm ſi ipſe eos perceperit.* Et tamen jus habet in illis à Domino diſtractis. Similiter ergo Eccleſia ſe habet, ut Uſufructuaria partialis: eique competit actio utilis per vendicationem, ut Gl. diſtinguit §. *ſi quis in aliena.* V. *utilis actio.* Inſt. eodem. & Gl. l. *Pomponius* §. *de arbore.* V. *dabant* ff. de rei vindicat.

6 Idem ex ſententia omnium ſufficit, & neceſſarium eſt in ipſis fundis, ut ratio probat in d. c. *Paſtoralis*, quòd res reſtaurata maneat Domino. Nam intelligi debet etiam quoad decimam partem in confuſo ſumptam; aliàs non concluderetur, partem aliquotam expenſarum non deberi ab Eccleſia. Quod autem dicitur, ſalvâ Decimâ, fructus eſſe reſtaurantis, intelligitur de dominio utili Eccleſiæ quoad illam. Utili, inquam, non propriè tali & directo, ut patet in fure fructuûm, qui ſine dubio ſatisfacit, reſtituendo omnia Domino. Si enim Eccleſia vel Parochus non poteſt eos accipere propriâ authoritate; quomodo alius rapit, ut det Parochiæ? Si autem Dominus negligat, Eccleſia agere poterit vel ratione rei acceptæ, vel ratione damni illati.

Idem eſt de Poſſeſſore malæ fidei fructuûm non decimatorum. Nam res tranſiît cum onere, conſequenter cum pacto tacito ſolvendi, ita ut emptor ſit quaſi miniſter prioris. Imò tunc emptor non acquirit dominium Decimæ, quia vendens vel non poteſt, vel certè non vult id vendere. Vel ſi venditur, agi poteſt cum emptore (velit nolit) titulo & rei acceptæ & injuriæ, nam onus cum reipſa incedit. Gl. c. *In aliquibus.* de Decim. Cum ipſo etiam debitore primario agi poterit, quia non potuit ſe liberare onere ſine conſenſu Eccleſiæ. 7

Quartò. Contra Parochianum agi non poteſt, cùm pereunt fructus, niſi ratione culpæ ſit cauſa moralis, quòd pereant. Duplici enim modo poteſt eſſe cauſa, uno commiſſivè, altero omiſſivè. Si ergo ipſe comburit ſegetes, arbores ſuccidit, utique tenetur ut quisque alius: nec enim excuſat bellum juſtum, niſi combuſtio &c. ſit medium neceſſarium ad victoriam, vel bellum ſecurè & expedi è agendum, ſicque damnum ſit per accidens; nec innocens cum nocente unquam involvi debet, ſi ſeparatio poſt bellum convenienter fieri poteſt. Quòd ſi Parochianus per injuriam alterum 8

provocat, ſícque ex odio hic incendat ſegetes: patet, illum nec ratione rei acceptæ teneri Eccleſiæ, nec ratione injuſtæ acceptionis. Nam nec poſitivè cooperatus eſt, cùm occaſio fuerit remota, nec omiſſivè, quia præceptum Decimarum non obligat ad removendum obſtaculum remotum.

9 Confirm. Quia Dominus ex juſtitia reſpectu Eccleſiæ non tenetur cuſtodire fructus, nec ſeminare, nec curare, ut plures fructus ſint, aut vigilare, ne fœtus ovium pereant: ubi autem injuſtitia non eſt, nec detinetur res aliena, obligatio non eſt reſtituendi. Vel ergo quantùm ad culpam omiſſivam, dominus fuit in mora poſt fructus jam collectos, vel ſolùm in colligendo? Si 1mum, injuſtitia eſt: nam tunc ex juſtitia debentur fructus, c. *Cùm homines* eod. jun. Gl. V. *fructibus collectis.* Si 2um, ſolùm moneri poteſt, & ſi nolit, compelli ad colligendum arg. d. c. *In aliquibus* propter jus in fundum, poſſétque ipſa Eccleſia aſſumere curam colligendi: eáque per potentiam impeditâ, damnum imputatur contumaciæ alterius.

Sin taceant Paſtores, & nec ſe o offerant ad culturam, alteri nihil imputatur, ut probant dicta; facítque exemplum fructuarii. Nam ſi huic legantur omnes fructus prædii, ſemper intelligitur expenſis ipſius. Si autem certa pars legetur, proprietarii eſt cultura uſque ad collectionem fructuûm, ſuis etiam expenſis faciendam, juxta Bart. l. *Fructus* ff. ſol. matrim. Quodſi negligit, ad nihil tenetur; tamen fructuarius habet jus petendi, & procurandi, ut prædia fideliter adminiſtrentur, ne ex alterius negligentiâ privetur portione ſua competenti.

CAPUT XXXVII.

Quando & ubi teneantur Fideles ſolvere Decimas?

1 Primò. Solvendæ ſunt etiam non petitæ, & ſine mora. Ita c. *Cùm homines* de Decim. Nam forma præcepti ſonat abſolutè, imò Ex. 22. præcipitur *oblatio*: ergo ſecluſa petitione, ſicut quisque alteri, quod ſuum eſt, debet etiam non petenti, ſi tempus adſit ſolvendi. Unde etiam ſecluſa monitione, culpa eſt in mora, ut eſt certa & communis ſententia, quidquid dicant Pariſ. & Archidiac. Nam utique culpa eſt, cùm non ſolvitur pro tempore, pro quo debetur: ergo loquendo de Jure ſolvendum eſt *ſtatim*, d. c. *Cùm homines*. & Ex. 22. Quantùm ad cenſuram autem opus eſt prævia monitione c. *Pervenit*, eod. c. *Omnes*. 17. q. 7.

Secun-

2 Secundò. Tempus ſolvendi Decimas Perſonales eſt poſt curſum añi naturalis, niſi communis conventio secùs habeat, ut computando ab unis nundinis ad alias &c. Sic enim patet, quomodo computandum ſit lucrum ex ludo, negotiatione &c. nec ratio excogitari poteſt aptior moribus humanis, ut rectè Gl. c. *Revertimini.* V. *Annus.* 16. q. 1. Dilatio autem amplior, ſecluſâ conſuetudine concedi non debet, quia ut dixit Lex Civilis, minùs ſolvit, qui tardiùs ſolvit; utique quatenus mora poteſt eſſe incomoda Creditori.

3 Tertiò. Prædiales collectis fructibus ſtatim ſolvendæ ſunt. Ita communis ex d. c. *Cùm homines.* & c. *Ex parte.* 1. eod. eſto fundus ter fructificet. Nec enim, cùm per præceptum tempus deſignari debuit, aptius potuit determinari, loquendo per ſe, & quoad fruges. Nam fœtus dari debet ſine matre, cùm commodè poteſt: aliàs decimatio infructuoſa foret, & conſequenter inutilis. Quoad lac, butyrum, caſeum &c. ſtatur conſuetudine, & hac ſecluſâ arbitrio prudenti, & quoad poteſt, juxta jus. Idem eſt de proventibus pecuniarum ex his, quæ non habent fructus naturales: nam ſolvuntur per annos, niſi uſus aliud determinârit.

Quartò. De Jure non tenetur quis deferre Decimas ſuis ſumptibus, ſive leves ſint, ſive graves; extentque horrea publica, vel non. Novum enim gravamen ſine jure expreſſo imponi non poteſt: ergo ſufficit moneri Parochum de tempore percipiendi. Quòd ſi Conſuetudo decennii ſecùs habet, eâ ſtandum eſt, cùm non ſit contra jus: dumodo caveatur, ne fructus indecimati recondantur ſine ſcientia Parochi. Cederet enim in præjudicium fructuarii, quia *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari:* ſicque habet recepta praxis. 4

CAPUT XXXVIII.

Quomodo ab Eccleſia recuperari poſſint Decimæ non ſolutæ?

1 Primò. Semper poſſunt exigi à debitore injuſto. Nam practicè improbabile & temerarium eſt, non petitas tempore collectionis, nec poſtea peti poſſe, ut tenet Pariſ. conſ. 15. ſed nec jure, nec ratione; nec ab alio Authore traditur. Qui enim non ſtatim petit, non cenſetur remittere debitum; imò petitio ex urbanitate ſemper omitti poteſt: & ſi Parochus nunc non petit, poteſt poſtea petere, & ex tunc alter erit in mora.

2 Secundò. Non poteſt Parochus per vim Decimas accipere. Nemo enim per vim privata authoritate depelli poteſt à legitima poſſeſſione, cùm talis vis ſit contra pacem Reipublicæ, & eſſe poſſit origo plurium injuriarum, & ſcandalorum, & ideò omnia jura poſcunt poteſtatem publicam. Vel ergo fit Vis corporalis, vel Spiritualis? Si 1um, ergo per manifeſtam injuriam. Si 2um, Parocho non competit coactio forenſis: denegatio autem Sacramenti locum non habet, niſi in delicto notorio, quale in præſenti non eſt, ſive facto, quia cuique ſuppetere poteſt excuſatio, ſive Jure, quia non ſufficit excommunicatio ipſo facto, ſine prævia Denuntiatione: & hæc ſupponit ſententiam Declaratoriam, Facit c. *In litteris.* c *Conquerentes.* cum aliis. de Reſtit. Spol.

3 Tertiò. Prælatus cogere poteſt per cenſuram, imò & debet per ſe loquendo. De poteſtate conſtat ex c. *Omnes.* & c. *Decimas.* 1. 16. q. 7. & Trid. ſ. 25, c. 2. de Ref. & ex ipſo crimine Sacrilegii; paſſimque inculcatur tit. de Decim. Unde c. *Pervenit.* eod. etiam obligatio notatur, quia negligi nequit defenſio bonorum Eccleſiaſticorum: eſto conniveri interdum poſſit propter vitanda majora mala & ſcandala. Diſtinguendum tamen eſt;

4 Nam aliud eſt, agi de jure Decimarum, aliud de Decimâ temporali injuſtè negatâ. Prius non debet cedi de facili, ut conſtat exemplo S. Thomæ Cantuarienſis. Poſterius non obligat pro ſemper, ſed pro loco & tempore juxta prudens arbitrium: ſicque omitti poteſt defenſio propter ſcandalum, præſertim publicum & plurium, & interdum propter bonum ſpirituale ignorantis &c. Unde etiam locum habet tranſactio, compoſitio &c. de præteritis, imò & futuris, citra alienationem tamen; aliàs requiritur authoritas Superioris, & utilitas Eccleſiæ c. ult. de Rer. permut. c. *Ut ſuper.* de Reb. Eccl. non alien. Denique bona, quæ jam ſunt in poteſtate Eccleſiæ, benè diſpenſare ita neceſſarium eſt, ut oppoſitum nunquam liceat propter ſcandalum, quia eſt contra *Divinum* Præceptum negativum.

Quartò. Decimæ non ſolutæ de præterito non poſſunt peti ab ultimo poſſeſſore fundi, ut Legatario &c. Ita antiquiores Canoniſtæ, quos refert Abbas contrarius. c. *Paſtoralis* de *Decim.* Nam. c. *In aliquibus.* c. *De terris.* eod. & c. *Siquis Laicus.* 14. q. 1. evidenter agunt de onere fundi pro futuris tantùm *Decimis*; omnesque negant totalem ſimilitudinem cum tributo. l. *Imperatores* ff. de Publ. & Vectig. Aliàs erit onus & ſuper poſſeſſiones, & ſuper fructus: & tamen obligatione ſpeciali præcepti Decimarum ſolùm pro ſuis fructibus prædium quodque obligatum eſſet; quod tamen ſine fundamento eſt & lege, quæ 5

onus

onus induxerit. Fundus enim non habet onus, niſi ut virtute continet fructus; ergo futuros: nam præteritos non continet: & ideò, ſi fundus uni, alteri fructus donentur, primus debitor eſt poſſeſſor fructuum. d. c. *Paſtoralis.* & c. *Cùm non ſit.* eod.

6 Quintò. Pro Decimis non obligantur immobilia per modum generalis hypothecæ, ut bona Tutoris, vel Mariti. Nam tales extenſiones non ſunt faciles; éſtque magna differentia inter Fidelem quemlibet, & Tutorem vel Prælatum reſpectu Eccleſiæ: hi enim fortiùs, at ille non magìs obligatur quoad Decimas, quàm quoad debita alia. Solùm ergo per generalem regulam juſtitiæ applicanda ſunt, quæ tradi ſolent de reſtitutione uſurarum; viderique poſſunt Covar. 3. Var. c. 3. n. 6. Nav. Man. c. 17. n. 165. Soto, l. 6. de juſt. q. 1. a. 4. Medina &c.

7 Sextò. Quod emitur ex rebus decimandis, non fit Eccleſiæ quoad partem decimam. Nam vel eſt generale, quòd empta ex bonis alienis fiant ejus, cujus pecunia &c. fuit, vel eſt ſpeciale privilegium reſpectu Eccleſiæ læſæ? Non 1um, ut patet in re empta ab uſurario ex lucro uſurario. Non 2um, quia nullo jure probari poteſt: nam in c. 1. *De pecul. Cler.* (quod unicè allegatur) agitur de adminiſtrante bona Eccleſiæ: ergo multò incertius eſt de emptis ex Decima, quæ verè fuit ementis. Ergo in foro interno ſolùm eſt obligatio ſolvendi Decimas non ſolutas.

Neque obſtat d. c. *Paſtoralis*; nam argumentum à contrario ſenſu eſt inefficax, quando de obligatione aliunde non conſtat: Pontifex autem loquitur de his, ſuper quibus interrogatur. Dein non agit de dominio rei emptæ, ſed de lucro ex mercibus venditis; certum autem eſt, nullum lucrum ex pecunia non decimata (imò etiamſi tota eſſet Eccleſiæ) deberi Eccleſiæ, ut lucrum eſt, ſed ſolùm ut ex omni lucro debetur Decima Perſonalis, quod ibi deciditur. Certum inquam eſt, quia nec Uſurarius, quod lucratus eſt, debet mutuatario, ſed tantùm pecuniam &c. 8

Septimò. Cauſæ Decimales ſunt Eccleſiaſticæ, ſícque in foro Eccleſiæ tractandum eſt, quoties de jure Decimarum, vel ſuper dubiis circa earum ſolutionem lites oriuntur. Eſt generalis & certa regula ex c. *Prohibemus.* c. *Tua.* 1. eod. c. *Ex tenore.* de Foro compet. c. *Decernimus.* c. *Quando.* de Judic. Clem. ult. eod. Nam Eccleſiæ cum Decimis & omnibus rebus ſuis ad ordinationem & conſequenter ad curam & juriſdictionem Paſtorum Eccleſiæ pertinent. c. *Decretum* cum aliis 19. q. 1. c. *Statuimus.* c. *In ſacris.* cum tri- 9

tribus ſequentibus. 16. q. 1. c. 1, & 2. c. *Nullus.* c. *In nona.* 16. q. 7. Solúmque exceptio privilegii Pontificii admitti poteſt, cùm agitur de Decimis, ut talibus. Si verò perſolutæ jam ſunt. & poſtea furto &c. diſtractæ, jam periit annexio cum titulo ſpirituali, nullóque modo bona Eccleſiaſtica ſunt: & ideò lites circa eas ſunt fori Laici, niſi obſtet ratio perſonarum, inter quas agitur.

LIBER. II.

De Diebus Feſtis.

CAPUT I.

An Præceptum Sabbati convenienter latum ſit inter Præcepta primæ Tabulæ.

1 Primò. Juris naturalis eſt, ut aliquod tempus ſoli Divino cultui tribuatur. Nam jure naturali præcipitur cultus, etiam externus, ſed ex natura ſua homo eget tempore ad actiones, maximè externas, & tempore quidem vacivo; aliàs non poteſt convenienter ſe impendere operi: ergo intelligitur compræcipi vacatio ab aliis. Sicut autem dictum jus non determinat actiones, ita nec tempora: ergo tertium Præceptum Decalogi (ut omnes Theologi inferunt) fuit partim Morale, partim Cæremoniale, cùm reliqua ſint purè Moralia. Unde per anticipationem dicitur Gen. 2. *Benedixit diei ſeptimo:* eguit enim dedicatio illa quoad executionem promulgatione legis, quæ ante Moyſen non fuit; eſto, obſervatio antè cœperit, & etiam ad Philoſophos pervenerit Traditio, teſte Euſebio.

Secundò, Morale eſt dictum præceptum, quatenus abſolutè præcipit cultum externum. Nam perinde eſt hunc præcipere, & præcipere ut tempus aliquod ei detur: quia nec tempus præcipitur, niſi ut circumſtantia dicti cultûs, nec hic, quin tempus aliquod ei tribuendum ſit vi ejuſdem præcepti. Unde ad internam adorationem, quæ eſt primi præcepti, non præcipitur vacatio ab opere, quia operando poteſt quis ſe exercere in latria per Fidem, &c. 2

Tertiò,

3 Tertiò. Vi dicti præcepti nullum ſpeciale opus exigitur, ſed ſola ceſſatio. Patet Ex. 20. & 31. Deut. 5. cum ſimilibus, Nec enim ex ceſſatione fit conſequens, ut lex naturæ obliget ad actus externos, niſi poſitiva pro tunc obliget; quia ipſa ceſſatio ex intentione præcepti, & intentione id ſervandi, eſt Religioſa absque alio ſigno externo Lev. 23. *Dies ſeptimus, quia Sabbati requies eſt, vocabitur Sanctus*, notando cauſalem *quia*: ergo ceſſatio pertinet ad cultum ſigno negativo declaratum; ſicque materialiter præceptum videtur negativum, licèt formaliter & in genere ſigni ſit affirmativum.

4 Quartò. Idem præceptum fuit Cæremoniale multis modis. Ut ſignificando quietem à Creatione, quietem Chriſti in ſepulchro, & noſtram æternam. 2. In determinatione diei. 3. Vacatione à Veſpera ad veſperam. 4. Otio non tantùm à voluntariis, ſed etiam aliquo neceſſario. Reprehendit autem Seneca, ut refert Auguſtinus, Sabbatum; quaſi ſeptima pars vitæ perdatur. Sed impium eſt dicere, quod in Divino cultu conſumitur, perdi. Secùs, ſi quis abutitur præcepto.

5 Quintò. Ceſſavit dictum præceptum, quantùm ad totam determinationem ſuperadditam ultra moralem & naturalem obligationem. Eſt de Fide ex generali doctrina de ceſſatione Legalium Gal. 3. Act. 15. Licèt autem intrinſecè malum, & mortiferum non ſit ſervare Sabbatum, non vi dicti præcepti, aut ſignificando Chriſtum venturum: tamen Eccleſia rectè id prohibet in deteſtationem Judaiſmi; quia cùm non præcipiatur ullibi, ut patet Act. 15. ſpiritu Judaico cenſetur duci, qui id ſervat. Conſtat autem de prohibitione c. *Pervenit*. de Conſ. d. 3. & in Laod. c. 29. & Traditione. Imò quia Sabbatum ſignificat quietem Chriſti in ſepulchro, Col. 2. non jubilo, ſed mœrore & jejunio celebrari id convenit, juxta conſuetudinem antiquiſſimam c. *Sabbato*. de Conſ. d. 3.

Nec obſtat c. *Licet* de Feriis, quia non eſt ſermo de die ſeptimo ſecundùm materialem numerationem à Creatione, ſed formaliter pro illo, qui eſt ultimus in ſeptenario numero dierum. Sicque optimè conſtat, utrâque ſacrâ Paginâ dictum diem probari, nunc in materiali Sabbato (nam etiam Chriſtus & Apoſtoli id cum honore volebant ſepelire) nunc in Dominico. Act. 2. & 1. Cor. 16. nam una Sabbati vel prima, idem eſt ac poſt Sabbatum, juxta Hieron. & communem expoſitionem S. Thomæ, Cajetani, Anſelmi, &c. 6

CAPUT II.

An obſervatio Feſtorum convenienter inſtituta ſit in Lege nova?

1 Primò. De fide eſt, dictam obſervationem convenienter inſtitutam eſſe. Nam eſt ex Traditione Apoſtolica, ut hanc allegant Epiph. Hilar. Tertull. Orig. Nazianz. Baſil. Auguſt. & ſumitur ex Actor. 20. & 1. Corinth. 16. Idem ſumitur ex communi conſenſu Eccleſiæ; & hæc eſt columna & fundamentum veritatis: ergo errare non poteſt in re tanti momenti. Ratio eſt, quia ita convenit rectæ gubernationi hominum; nam & hi indigent quiete à laboribus, & Communitati toti ſic deſtinatur tempus ad publicè conveniendum pro Divino cultu, juxta inſtitutionem Legis veteris, per ſe conſentaneam rationi naturali, & Fidei.

2 Secundò. Nihil repugnat dicta obſervantia cum abrogatione Cæremoniarum Veteris Legis. Non enim fit vi hujus, quaſi adhuc obliget, minùs verò ſecundùm propriam & ſpecialem ſignificationem illius; conſequenter nec ſecundùm proprium modum accommodatum ad eam ſignificationem. Tamen in Obſervantiis Veteribus ſunt quædam rationes generales, quæ ſecundùm ſe pertinent ad moralem rationem virtutum, ut de ſe abſtrahunt à particulari Ritu & ſignificatione, ut patet in Decimis, Oblationibus, &c. Idem ergo eſt in præſenti; nam præſcribi certum tempus Communi & publico cultui Dei, locum habet in omni lege, etiam naturali, & in omni gente, ut quid per ſe congruum, juxta menſuram cognitionis Dei, quam quæque gens habet.

Neque Aërius & Lutherus quidquam pro ſua hæreſi concludunt ex Gal. 4. & Col. 2. Sive enim intelligatur de obſervatione gentili, ut Orig. & Auguſt. volunt; ſive (ut eſt probabilius) de obſervantia Judaica, quaſi non liceat ſacrificare, convenire, &c. extra certa tempora: obſervantia fuit ſuperſtitioſa, & vana, & eatenus conveniens cum idololatria. Unde dicitur: *Convertimini ad egena & infirma elementa*: item *Parte feſti*, quia non erant feſta perfecta, ſed umbra noſtrorum, quæ ipſum corpus Chriſti continent. Nec Eccleſia inſtituit certos dies, quaſi non omnes ſint æquales ad cultum &c. ſed ſolùm ut omnia ordinatè fiant, deſignatio fit propter eos maximè, qui magis ſæculo, quàm Deo vacant, & facilè negligerent, niſi ſic inducerentur ad officium Religionis. 3

CAPUT

CAPUT III.

De Diebus, quos Univerſa Eccleſia ex obligatione ſervat.

1 Primò. Poteſtas præcipiendi feſta univerſalia, ſeu toti Eccleſiæ communia, eſt præcipuè in Summo Pontifice, & quodammodo in ſolo. Nam conſenſio totius Eccleſiæ in cultu certi temporis poteſt pertinere ad convenientem uſum Religionis, & unitatem Eccleſiaſticam. Ergo cùm determinatio non ſit facta à Chriſto, relicta eſt Eccleſiæ. At nec Concilium habet poteſtatem præcipiendi toti Eccleſiæ ſine Pontifice, nec etiam ſine hujus conſenſu expreſſo vel tacito conſuetudo univerſalis eſſe poteſt; nec Epiſcopus, aliúsve Prælatus ita præcipere poteſt: Laici autem nihil omnino Jurisdictionis habent in materia ſpirituali.

2 Igitur feſta alia ſunt particularia Diœceſi, alia univerſalia. c. *Conqueſtus.* & c. *Quoniam* de Feriis c. 1. de Conſ. d. 3. c. *Catholica* d. 11. Rurſus licèt omnia ſint in Dei cultum, alia addunt cultum Sancti, alia non. Et feſta Dei vel ad Deum referuntur ut Deum, vel ſunt propria Chriſti. Alia verò vel Hyperduliam continent, vel Duliam communem Sanctorum.

CAPUT IV.

De obſervatione diei Dominicæ, & Feſto SS. Trinitatis.

1 Primò. Obſervatio Dominicæ eſt antiquiſſima. Conſtat ex Apoc. 1. (ubi notatur dies Reſurrectionis, & de eodem evidenter eſt totus pſalmus 117.) & Actor. 20. ubi dicta die ſit fractio panis, ſeu Sacrificium, Communio, Concio, Oblationes aliæ, juxta intellectum Patrum. Hinc jejunium tunc prohibetur, juxta Can. Apoſt. 65. & Carth. IV. Can. 64. Gang. c. 18. c. *Placuit.* c. *Jejunium.* c. *Nequis.* c. *Jejunia* de Conſ. d. 4. c. *Siquis.* d. 7. c. ult. d. 30. c. *Sacerdos.* 26. q. 7.

2 Congruentia hujus determinationis conſtat; nam eodem die præter Creationem Mundi, & datum Manna, contigit Reſurrectio Chriſti, Nativitas, & Circumciſio, Miſſio Spiritûs ſancti, & Ordinatio Apoſtolorum in Epiſcopos, Joan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum.* Et ideò Epiſcopi die Dominico ordinantur. c. 1. d. 75. jun. c. *In novo.* d. 21. Alii addunt Baptiſmum Chriſti, & converſionem aquæ in vinum. Sed utrumque fieri nequit poſt unius tantùm anni interpolationem die Dominico.

3 Secundò. Non eſt Juris Divini dictum præceptum. Nam nec ex Scriptura, nec ex Traditione habetur; & Regula eſt, non eſſe præcepta Divina poſitiva in accidentalibus, ſed solùm in ſubſtantialibus, ſcilicet Fide, Sacrificio, & Sacramentis: reliqua autem Paſtorum determinationi relicta eſſe, juxta communem S. Thom. Probabile autem eſt, verbotenus præceptum cœpiſſe ab Apoſtolis, & poſtea ſcriptum eſſe, ut c. 2. & c. *Sabbato.* de Conſ. d. 3. c. *Quoniam.* c. *Licet.* c. *Conqueſtus.* de Feriis. Quod etiam ſuis legibus muniêrunt Imperatores l. 2. l. *Omnes dies.* & l. ult. Cod. de Fer. Notat Ambroſius dici diem *Solis* illuſtratum *Sole Juſtitiæ* reſurgente.

4 Tertiò. Immobilitas dicti præcepti non eſt abſoluta, ſed moralis, & ut poteſtas Eccleſiæ ſubjacet directioni Spiritûs ſancti. Nam quædam tam ſunt propinqua & ſimilia Divinis inſtitut s, tam conformia rationi, tot honeſtatis rationibus munita, támque antiqua, ut prudenter tolli non poſſint: at Spiritus ſanctus non permittet, ut contra rationem quid mutetur. Secùs eſt de determinatione Sabbati; nam & voluntas Legiſlatoris defuit, & ratio perpetuitatis poſitivæ: in præſenti neutrum; nec Reſurrectio poterit non fuiſſe &c.

Quartò. Cultus dictæ diei per ſe & directè non refertur ad peculiarem memoriam myſteriorum, de quibus ſuprà, ſed ad ipſum Deum propter ſe, & ſuam Excellentiam colendum. Nam dicta dies cenſetur dicata in honorem totius Trinitatis, propter fidem ejus expreſſam: imò olim etiam Præfatio de eadem dicebatur, ſicut nunc Symbolum; & in Officio Reſponſorium octavum de Trinitate eſt. Facit c. *Invenimus* de Conſec. d. 1. & c. 2. de Fer. Feſtum verò peculiare propter expreſſiorem memoriam induci cœpit à Joanne XXII. in Eccleſiam Romanam (ut notat Summa Piſana) receptum poſteà univerſaliter. 5

CAPUT V.

De Feſtis pertinentibus ad vitam & mortem Chriſti, & communibus B. Virgini.

1 Primum eſt (ordine temporis procedendo) Feſtum Incarnationis. Sicut autem dies Immaculatæ Conceptionis fuit gloria S. Annæ, at principalior Filiæ: ita hìc. Eccleſia tamen potiùs reſpicit Matrem, quia quoad nos Redemptionis gaudium fuit die Nativitatis Chriſti. Hæc ergo alterum locum obtinet, & principem quidem in gaudio. In Circumciſione cœpit ſolvi gaudium, pro nobis aſſumpto ſignaculo proprio lapſorum

ſorum hominum, & Nomine, cui omne genu flectitur. Addit Durandus, eſſe diem quaſi octavam ſuppletionis; nam in die Nativitatis multa de Partu, pauca de Pariente aguntur in Divinis officiis.

2 Die Epiphaniæ præcipuum eſt vocatio Gentium, quamvis tunc etiam contigerit Baptiſmus Chriſti juxta Clementem, & juxta alios etiam miraculum aquæ converſæ in vinum. In Præſentatione Chriſti in templo, de qua multa in Officio, ſimul agitur honor Virginis; & ideò, ut notant Juriſtæ, per omnia anni tempora celebratur ejus cultus, ut Purificatio hyeme, vere Annuntiatio, æſtate Aſſumptio, & Nativitas autumno. Feſtum Transfigurationis coli cœpit juxta Platinam ſub Calixto III. propter Victoriam eo die relatam contra Turcas prope Belgradum. Ultimum Feſtum eſt Paſſionis, ſeu Hebdomadæ ſanctæ.

3 Secundò. Feſtum proprium non eſt per Hebdomadam Sanctam. Nam Feriæ aliæ dicuntur in honorem Dei introductæ, aliæ *Ruſticæ*, ſeu *Temporales*, ut in Meſſe; aliæ *Repentinæ*, quæ ob occurrentem occaſionem uno vel altero die præcipiuntur. Primæ ſunt vel cum præcepto cultûs Religioſi, vel ſolius abſtinentiæ à ſtrepitu Judiciorum, ut olim erat per totam Quadrageſimam, imò à Septuageſima c. *Decrevit.* 22. q. 5. c. 2. 15. q. 4. l. *Quadraginta.* Cod. de Fer. Sed hæc abolita ſunt tanquam Jura Conciliorum tantùm Provincialium &c. Quòdſi per Hebdomadam ſanctam proprium fuit Feſtum, ex conſuetudine etiam hæc revocata ſunt, necFeſti meminit c. 1. de Conſ. d. 3.

Nec refert, alicubi ceſſare operationes ab Officio Feriæ quintæ uſque ad finem Officii Feriæ ſextæ. 4 Nam vel ſolùm eſt ex devotione, vel ſi obligatio eſt, ſolùm quoad ceſſationem in publico propter ſcandalum & perturbationem vitandam; ſignúmque eſt, quia incidente tunc die Annuntiationis longè alio modo populus ſervat Feſtum. Nec obſtat c. ult. de Fer. quia intentio ejus directa eſt de Feriis Judicialibus; tamen ſimul enumerat Feſta ſimpliciter & Religiosè ſolennia, ſeu ex præcepto colenda, ut ex qualitate materiæ, juribus aliis, & ex Traditione maximè ſumitur, ita ut regula ſit citra exceptionem, niſi quam materia vel conſuetudo oſtendat.

CAPUT VI.

De Feſto Paſchatis, & Reſurrectionis Domini.

1 Primò. Conſtat eſſe de præcepto, & celebrandum die Dominico. Ita c. 1. de Conſ. d. 3. & Can. Apoſt. 68. quin initium præcepti extet, & ideò aliqui putent eſſe Divinum. Sed non ſequitur; nam dicto c. 1. &

& apud Clem. tota Hebdomas eſt feſta, cùm tamen Eccleſia Romana tres dies tantùm colat. Diem Dominicum verò notat Clem. l. 5. Conſt. c. 16. & 18. præcepto per miraculum confirmato, ut notatur c. *Nôſſe vos* de Conſ. d. 4. & legem firmat Victor c. *Celebritatem.* de Conſ. d. 3. ob controverſiam ortam inter Latinam & Græcam Eccleſiam, & definitam à Nicæno, ut referunt Conc. Antioch. Socr. Euſeb. Niceph. Athan. Ambr. Aug. contra Quartadecimanos.

2 Secundò. Sentire, quòd non liceat dicta celebratio, niſi Lunâ decimâ quartâ, hæreticum eſt. Nam Patres hoc ſenſu damnant Quartadecimanos; cùm impoſſibile ſit, ut columna Veritatis illicitum pro licito habeat. Vel enim illicitum eſſet ex lege Moſaica, vel Jure naturali, vel Divino poſitivo, vel Humano? Non 1mum, quia Judaïcum eſt hæreſin involvens de neceſſitate Legalium. Non 2dum, quia ſtultum. Non 3tium, quia hæreticè fingitur Traditio Divini Juris contra Traditionem Eccleſiæ. Non 4tum, quia præter temeritatem hæreſis eſt, ſupra leges Conciliares & Pontificias dari tale jus reddens cultum illicitum.

3 Tertiò. Sentire, quòd ſecluſâ lege Eccleſiæ non liceat dicta celebratio niſi die Dominico, & non Lunâ Decimâ quartâ, improbabile eſt, non hæreticum. Nam præceptum celebrandi dicta die nec eſt naturale, nec Divinum poſitivum, quia nec ſcriptum, nec traditum eſt, imò nec quoad ſubſtantiam præcepti. Quòd ſi Joannes, ut refertur, celebravit decimâ quartâ, fecit, vel ut Synagogam cum honore ſepeliret, vel propter diem magis certum, vel propter conſonantiam Veritatis & Umbræ.

Quartò. Sentire, quòd res, ut-ut antea indifferens, poſt prohibitionem Eccleſiæ liceat, Hæreticum eſt. 4
Nam aliud eſt loqui de obſervantia, aliud de Doctrina. Prior vel eſt indifferens, vel etiam bona quoad obſervantiam diei decimæ quartæ, ſi lex habuit vel uſus aliter ſentientium Epiſcoporum de re indifferenti de ſe; vel etiam prava, ſacrilega, ſcandaloſa, aut ſchiſmatica poſt legem univerſalem Eccleſiæ. At dicere, non eſſe peccatum agere contra dictam legem, hæreticum eſt, & abnegare poteſtatem Eccleſiæ; quo titulo damnantur Quartadecimani pertinaces, ſicut nunc Communicantes ſub utraque ſpecie.

Nec evaſio eſſe poteſt, quaſi materia non ſit capax tantæ obligationis: nam evidenter obſtat communis ſenſus Patrum & Eccleſiæ, dum adeò laboratum eſt in Concilio pro uniformitate Feſti, tanquam per ſe valde decenti. Et eidem ſenſui repugnat dicere, quòd res vel non ſit præcepta, vel non cum tanto rigore, vel non ſatis juſtè. Nam Concil. 5

cil. Antioch. ſub Jul. I. c. 1. ſub graviſſima cenſura præcipit ſervari Nicænum, & ne Paſcha celebretur Lunâ Decimâ quartâ.

6 Quintò. Eccleſia magnis rationibus ad ita ſtatuendum mota eſt; & ſentire, quòd ritus oppoſitus ſit magis conveniens, eſt plus quàm temerarium; docere autem valde ſcandaloſum & impium. Nam evidenter ſupponitur in cit. Decretis, noſtrum ritum magis convenire; id quod ſufficit ad dictum gradum certitudinis, non verò ut oppoſitum dicatur hæreticum: quia major convenientia non definitur expreſsè, nec per neceſſariam conſecutionem habetur ex vi præcepti, cùm ſufficiat præcipi, quod convenit.

7 Rationes dictæ convenientiæ ſunt 1mo, quia ita traditum eſt à Principibus Apoſtolorum Petro & Paulo, & Apoſtolis aliis (excepto fortè Joanne) & per conſuetudinem ferè univerſalem. 2. Ne videamur Judæis conſentire, aut eos imitari, ſicque illi ſe jactent, quaſi ſine ipſorum diſciplinæ ſubſidio obſervare has res non poſſimus, ut dixit Conſtantinus 3. Quia dies Dominicus per ſe proprius eſt Domini: *Hæc dies, quam fecit* &c.

8 Sextò. Paſcha celebrandum eſt Dominico proximo 14tæ lunæ primi menſis anni lunaris; Idque convenienter ſtatutum eſt. Totum hoc, non minùs, quàm quæ dicta ſunt, certum eſt. Menſis enim primus accipitur, de quo Ex. 12. & 13. non utique propter tranſitum Angeli, ſed Chriſti ad Patrem, & noſtrum à morte ad vitam. Quia autem primus menſis eſt circa æquinoctium vernum, ſi hoc cadat vel ipsâ 14tâ Lunâ, vel qualibet hanc antecedente, menſis erit primus; ſecùs ultimus anni Lunaris, ſi 14ta præceſſit æquinoctium. Ita omnes juxta Clavium; ſicque erroris notantur Judæi, quòd Paſcha celebrent ante æquinoctium, & conſequenter eodem anno nunc bis, nunc nunquam.

Congruentia eſt, quia veriſimile 9 eſt, Creationem Mundi contigiſſe in æquinoctio Verno, vel poſt illud, ſeu in principio naturali Veris, ſicque computatur annus lunaris inter duo æquinoctia Verna: meritò autem computatur cum præcedenti anno, ſi major pars menſis præceſſit æquinoctium. Dein Chriſtus non eſt paſſus ante æquinoctium, quia poſt Paſcha: ergo in noſtro ritu veritas reſpondet figuræ, vitamúsque celebrationem binam Paſchatis eodem anno lunari. Denique non reſpicimus niſi diem Reſurrectionis, quæ poſterior fuit Decimâ quartâ. Cur ergo definitè inhæreamus decimæ quartæ, & Judaizando?

Septimò. Latitudo celebrandi 10 Paſcha comprehendit decimam quintam, uſque ad vigeſimam primam Lunam. Ita Beda, Iſidor. Victor Papa, & Auguſt. cùm volunt, Domini-

minicam Paſchalem eſſe illam, quæ proximè ſequitur poſt 14tam Lunam. Vel ergo 14ta eſt & dies Sabati & æquinoctii, vel incidit in Dominicam? Si 1mum, Paſcha erit 15â Lunâ. Non enim refert, eſſe primum Azymorum. Jo. 13. quia Eccleſia non celebrat veſperam 14tæ lunæ, ut Judæi celebrant, tanquam proprium ſuum Paſcha: aliunde autem Eccleſia non poteſt Feſtum diutiùs differre, quia non eſſet tempus fixum pro Paſchate. Si 2um. ergo rejicitur Paſcha in Dominicam ſequentem ſeu Lunam vigeſimam primam; nec ultrà poteſt rejici, quia jam non eſſet Dominica prima poſt decimam quartam Lunam.

Octavò. Quoad annum Solarem
11 latitudo celebrandi Paſcha eſt à 22. Martii uſque ad 25. Aprilis. Nam decima quarta luna vel eſt in æquinoctio & Sabbato, vel in æquinoctio & die Veneris &c. vel in 18. Aprilis & Dominicam incidit? Si 1mum, Paſcha eſt 22. Martii. Si 2dum, Paſcha eſt 23. Martii, & ſic deinceps numerando uſque ad ſequentem Dominicam à Luna decimâ quartâ ſubſequente æquinoctium. Si 3tium, Paſcha differtur ad 25. Aprilis, non ultrà. Si enim novilunium Martij cadit in 7. Martii, non erit Paſchale, ſed ultimum prioris anni lunaris juxta dicta, quia decima quarta menſis erit 20. Martii, adeóque ante Æquinoctium. Si cadat in 8. Martii, erit Paſchale, quia decima quarta Luna tunc erit 21. Martii, ſeu in æquinoctio. Novilunium ergo Paſchale eſt ab 8. Martii uſque ad 5. April. incluſivè.

Nonò. Rectè ſtatur æquinoctio 12
Eccleſiaſtico potiùs, quàm Mathematico. Nam ſufficit, quòd plùs minùs diſtet à vero: aliunde autem debet eſſe certum, & omnibus facilè cognitum; ergo lege fixum. Nimia verò diſtantia utriuſque æquinoctii (nam annus communis ferè per ſex horas deficit ab integro circulo Solari) correcta eſt à Gregorio XIII. abjectis decem diebus menſe Octobri anni 1582. & deinceps ſubtrahendo diem biſſextilem quovis anno centeſimo, quia aliàs intra 100. annos ultra neceſſarios adderetur. Denique ſequimur Æquinoctium Eccleſiaſticum, ut ſe habet reſpectu Judææ, ubi Chriſtus mortuus eſt; nam idem eſt cum Romano, & mors Chriſti contigit, quando nobis eſt Ver, aliis verò Autumnus ſeu initium ejus.

CAPUT

CAPUT VII.

De aliis Feſtivitatibus pertinentibus ad Chriſti Gloriam.

1 Præter octo Feſta hactenus expoſita numeratur nono loco Feſtum Aſcenſionis. Quidquid autem ſit de particulari conſuetudine, dies Rogationum non ſunt Feſti de præcepto, ut notant Summiſtæ omnes, & Doctores in c. 1. de Cons. d. 3. & c. ult. de Fer. Decimum eſt Pentecoſtes, quia Chriſtus & miſit Spiritum Sanctum, & hujus dona & fructus promeruit, & tunc cœpit quaſi publicè regnare in Eccleſia militante, ac prædicari. Undecimum eſt Corporis Chriſti, inſtitutum ab Urbano IV. Clem. un de Reliq. & Ven. contra Hæreſin Berengarii, & diſſeminatam per Petrobuſianos, Henricianos, Waldenſes. Decuit enim triumphum agi de Hæreſi, Trid. ſ. 13. c. 5. ſicut nunc per DEI Providentiam contra Lutherum &c. creſcit in dies devotio Sanctiſſimi Sacramenti.

2 Duodecimum eſt Inventionis S. Crucis (alterum de Exaltatione non eſt de præcepto) cujus hiſtoriam unanimiter quoad ſubſtantiam referunt Euſeb. Ambros. Paulin. Sulpilt. Ruffin. Theod. Socrat. Sozom. Niceph. quin varietas contradictionem involvat. Nam Crux potuit primùm eſſe agnita per titulum, at non certò; ſicut poſtea per miraculum. Nec obſtat c. *Sancta.* d. 15. & c. *Crucis.* de Cons. d. 3. quia aliud eſt fundamentum cultûs, aliud occaſio inſtitutionis. Nam Crux ſine dubio digna eſt veneratione; eſto occaſio inſtitutionis ſit ex fide humana. Sicut Eccleſia rectè agit ſolennes gratias pro Victoria v. g. de qua ſolùm conſtat ex dicta fide.

Rurſus ne Beneficia Divina in oblivionem abeant, Eccleſia rectè ea 3
recolit certis temporibus: duo autem ſunt in beneficio dictæ Inventionis; unum quòd DEUS infatuaverit conſilium Judæorum & Gentilium, non comburentium potiùs ſacrum ſignum, quàm abſcondentium. Alterum eſt, quòd id manifeſtaverit, cùm primùm cœpit Pax Eccleſiæ. Non enim Inventio fuit ante victoriam contra Maxentium, nec Helena tantum opus aggreſſa fuiſſet, niſi nixa authoritate & fide Filii: ergo poſt converſionem ejus, imò poſt Nicœnũ, ut ferè omnes referunt: ergo tempore Silveſtri ergo d. c. *Crucis* non eſt Euſebii, qui Silveſtrum quatuor annis anteceſſit; ſicque Gratianus, quod invenit, congeſſit ſine examine Hiſtoriarum. Potuítque hiſtoria eſſe teſtatiſſima tempore Silveſtri; eſto Gelaſius centum pòſt annis ſubſequens, rectè moneat, quaſdã hiſtorias prudenter eſſe diſcernendas; nam ſcripta ipſa Patrum non damnat.

CAPUT VIII.

De Feſtis Beatiſſimæ Virginis.

1 Primum eſt Conceptionis Immaculatæ. Nec enim Eccleſia admittere poteſt errorem univerſalem in materia morali; ergo ſi conſulit cultum dicti Feſti X *Cùm præcelſa* & X. *Grave nimis* de Reliq. & Ven. &c. etiam præcipere potuit, tanquam certò licitum. 2. Cultus Nativitatis Virginis (quidquid ſit de Africa tempore Auguſtini) rectè inductus eſt, ut ex homiliis Ildephonſi, & aliorum patet, & ex Beda, & Martyrologiis; eſto non conſtet de initio præcepti. 3ium. eſt Præſentationis, 4tum. Annuntiationis. 5tum. Viſitationis. 6tum. Purificationis. 7um. Aſſumptionis. 8vum. S. MARIÆ ad Nives.

2 Diſtinguenda autem ſunt tria circa hæc Feſta, ſcilicet veritas Myſterii, celebritas Officii publici, & præceptum Feſti. Rurſus Feſtum aliquando eſt particulare quoad præceptum, aliquando etiam quoad devotionem, ut Feſtum Exſpectationis Virginis.

CAPUT IX.

De Feſtivitatibus aliorum Sanctorum.

1 Primò. De Fide eſt, ſanctè dicari potuiſſe Feſta in honorem Sanctorum. Conſtat ex perpetua traditione, & conſenſu Eccleſiæ, ut teſtantur Clem. Euſeb. Tertull. Cypr. & conciones Aug. Naz. Nyſs. Ambros. Chryſoſt. Ratio eſt, quia Sancti ſunt digni cultu, non tantùm Civili, ſed Religioſo: ad hunc autem dedicantur dies, quibus ſacrificamus DEO, orando illum cum commemoratione Sanctorum, & ſpecialiter poſcendo, ut per interceſſionem talis vel talis Sancti juvemur; quod totum cedit in laudem DEI.

2 Secundò. Rectè præcipi potuit obſervantia talium Feſtorum. Nam cùm res ſit ſancta, poteſtatem Eccleſiæ non excedit. Accedit utilitas, ut Fides non dormiat, Spes erigatur, conſpicando Sanctorum gloriam, & eorum auxilium exſpectando, Charitáſque augeatur erga DEUM, & Sanctos; ac denique ut Gratitudo exhibeatur pro acceptis Beneficiis. Aliunde onus nimium non eſt, ſed potiùs juvat ad moderandos labores externos, ne ſpiritum obruant; nec tanta Feſtorum multitudo eſt, ut quæ neceſſaria ſunt, impediantur.

3 Errant ergo Hæretici, & primò quidem negando dictam poteſtatem Ec-

Eccleſiæ, quaſi deroget Libertati Legis Gratiæ. Hæc enim ſolùm excludit neceſſitatem Legalium, non verò præcepta ália poſitiva, aut Feſta, quæ celebrantur Fide & Spiritu Chriſti, ut ait Naz. Suppoſito autem præcepto, de Fide eſt teneri fideles ad obſervantiam Feſtorum, ut præcepta eſt. Rurſus errant, cultum Civilem tantùm exhiberi poſſe Sanctis. nam evidens eſt, cultu altiore Sanctos eſſe dignos, quàm Principes ſæculi; & inſtitutionem dicti Cultûs cedere in Gloriam DEI: nam fideles tunc magis exercentur in officiis piis, & putare debent, tunc agi diem Feſtum, quando ſancto cultu laudatur Deus in Sanctis ſuis.

4 Quantùm ad Feſta de Præcepto, conſtat de Feſto S. Michaëlis, junctâ memoriâ omnium Angelorum die Dedicationis. 2. De Feſto Nativitatis S. Joannis, tanquam termino utriuſque Legis. 3. Apoſtolorum. Eccleſia autem ſemper Petro jungit Paulum comitem individuum, propter magnos ejus labores in Eccleſiam. 4. Feſtum Martyrum non eſt niſi de SS. Stephano, Laurentio, & Innocentibus. 5. Nullum de Confeſſoribus, nam Romæ tantùm eſt Feſtum S. Silveſtri, & c. 1. de Cons. d. 3. agens de S. Martino eſt Concilii Lugdunenſis; Et Clem. un. de Reliq. & Ven. ſolùm agit de ſolennitate officii Doctorum. 6. Nullum eſt de de SS. fœminis ſpeciale, ſed commune omnium Sanctorum, cœptum à Bonifació IV.

His Author ſubnectit plura in confirmationem peregrinationis S. Jacobi in Hiſpaniam anno decimo poſt Chriſti mortem. Inprimis enim in nullo obſtat *Actis* Apoſt. quia ultra tertium annum à Chriſti morte nihil ibi refertur niſi de Petro & Paulo. Nec refert, diviſionem Apoſtolorum non contigiſſe ante vincula Petri; quia peregrinatio ſuſcipi potuit cum animo revertendi, ut Petrus rediit, fundatâ Eccleſiâ Antiochenâ. Similiter non obſtat, Gentibus prædicatum non eſſe ante viſionem Petri; nam fortè etiam in Hiſpania erant Judæi diſperſi *in omni natione* Act. 1. & Paulus ſtatim abiit ad prædicandum, quibus & quomodo à Chriſto didicerat; & ante publicatam veritatem Act. 10. locum habere potuit privatus inſtinctus adeundi Gentes: præterquam, quòd poſt diviſionem ſuperfuerint tres vel quatuor anni uſque ad mortem Jacobi. 5

Nec quòd ſileant Scriptores eorum temporum, argumento eſt oppoſiti. Nam dicta peregrinatio nil habuit prodigioſi, quod ad ſcribendum excitaret; præſertim externos, ſolùm aſſuetos attendere bella, & quæ pertinent ad ſtatum Rerumpublicarum: externos inquam, nam in Hiſpania non erant Scriptores. Dein ſi Lucas ſiluiſ- 6

ſet, Acta Pauli non niſi ex traditione haberentur, ſicut inſtitutio Sedis Antiochenæ, de qua Clem. Hier. Euſebius, utique in eadem duntaxat fundati. Et ſi traditioni Hiſpaniarum fides negatur; quomodo Traditiones aliæ Eccleſiaſticæ conſervari poterunt inconcuſſæ? Adde rem haberi ex monumento B. Virginis *del Pilar*, præter duo quæ rem confirmant. Unum eſt quòd Sancti corpus eò delatum ſit; alterum, quod Sanctus plurimis beneficiis Hiſpaniam affecerit; non certè alia ex cauſa, niſi quòd per Evangelium ipſa eam genuerit. Quare miniſterio Hiſpaniarum DEUS uti dignatus eſt ad converſionem inumerarum Gentium, & Novi Munndi, ut dici ſolet.

CAPUT X.

De Comparatione & numero dictarum Feſtivitatum.

1 Primò. Feſta univerſalia Eccleſiæ ſolùm ſunt octoginta unum. Nam Dominicæ 52. ſunt regulariter (anno enim ſexto 53) & Feſta Domini decem. Horum autem duo incidunt in Dominicam, & duo alia tribuuntur Virgini: pro quibus adduntur quatuor ejuſdem, & unum Joannis Baptiſtæ, decem Apoſtolorum, unum S. Michaëlis, & demum Sanctorum omnium. Quia verò plura in Dominicas incidunt, vix unquam erunt octoginta dies Feſti.

2 Secundò. Inter dicta Feſta eſt æqualitas obligationis, quantùm ad durationem, & actiones vel omiſſiones præceptas, quamvis inæqualitas ſit intenſiva, & in ſolennitate externa. Nam quoad durationem Feſti, ſemper intelligitur dies naturalis conſt-ns 24. horis, ut in Jejunio, Officio Canonico. Rurſus præceptum de Miſſa, & operibus ſervilibus, fertur per modum unius pro omnibus Feſtis citra varietatem Inæqualitas autem intenſiva eſt ex ipſa natura Feſtorum, cùm unum altero ſit dignius cultu: ſicut ipſi actus colendi inæquales ſunt inter ſe. Non tamen inæqualitas tam notabilis eſt, ut in Confeſſione explicari debeat, niſi accedat ratio ſcandali, vel alterius circumſtantiæ extrinſecæ.

Ideò enim in minoribus Feſtis diſpenſatur, & non in ſolennibus c. *Licet* de Fer. quæ juxta Gl. Abb & Jo. Andr. ſunt Nativitas, Epiphania, Paſcha, Aſcenſio, Pentecoſte, Aſſumptio Virginis (ut inter privilegiata ponitur c. *Alma* de S. E in 6.) conſequenter etiam Feſtum Corporis Chriſti, cùm non minùs ut ſolenne receptum ſit, quàm cætera; nam etiam de iis non extat jus. Fundamentum ergo ſolùm eſſe debet communis exiſtimatio, quâ æqualia reputari ſolent dicta Feſta, & 3

quaſi

quaſi Paſchalia; eſto uni annexum ſit privilegium in Jure, non alteri. Sicque Feſtum S. Jacobi Compoſtellæ poteſt æquè eſſe ſolenne, ac alia, ita ut diſpenſari nequeat ſine cauſa valde extraordinaria.

CAPUT XI.

De Feſtis, quæ in aliquibus tantùm Provinciis vel Diœceſibus ſervantur de Præcepto.

1 Primò. Vi juris communis poteſt Feſtum eſſe in particulari Eccleſia quin ſit in tota; ut Feſtum Patroni, Dedicationis. Nam materia præcepti poteſt eſſe in uno loco, non in altero, ſicque, quod ad factum attinet, ſpeciale eſſe loci. Sic obligatio ſervandi votum eſt univerſalis: at factum particulare. Quantùm autem ex conſuetudine conſtat, lex non eſt inſtituendi Feſta particularia: nam c. 1. de Conſ. d. 3. eſt Provinciale.

2 Secundò. Epiſcopi poſſunt dicta Feſta inſtituere. Licèt enim Eccleſia tota unitatem ſervet in ſubſtantialibus, & Ritibus primariis: quoad ſecundarios tamen decet varietas. At res hæc, quia Pontifex hiſce non ſe ſolet intromittere, pertinet ad Juriſdictionem Ordinarii: ergo hujus eſt præcipere Cultum Feſti particularis, ut eſt uſûs antiquiſſimi d. c. 1. & ult. de Feriis. Nam aliud eſt Canonizare Sanctum, aliud jam Canonizato cultum deferre & præcipere: poſterius poteſt Epiſcopus, non prius c. 1. de Reliq. & Ven. Juſque antiquius eſſe, ibidem indicatur.

Colligitur, obligationem Feſti particularis eandem eſſe, per ſe loquendo, quæ in Feſto univerſali, ſolúmque differre quoad perſonas. Nam univerſale obligat quemque, ubicunque exiſtat; ſecùs particulare. Per ſe, inquam: nam quoad factum varietas eſſe poteſt, ut obligatione poſitâ ad dimidium diem tantùm; quamvis idem facere Pontifex potuiſſet in Feſto univerſali: cur enim non? Supponi tamen debet vera Fides Myſterii, in quo fundatur Feſtum particulare, ut Trinitatis: ſicut etiam ratio ſacrificandi diem, debet antè eſſe probata in Eccleſia Romana. Ideò enim Bernar. meritò reprehendit devotionem Feſti Conceptionis Virginis, ex titulo præſervationis à macula, tunc nondum recepto; eſto celebrari potuerit titulo primæ ſanctificationis, quocunque inſtanti contigerit, aut titulo gratitudinis ob Virginem nobis donatam. 3

Tertiò. De rigore juris non ſolus Epiſcopus, ſed cum Clero & Populo poteſt dictas leges ferre. Ita d. c. 1. & d. ult. Omnéſque fatentur limitationem, quantùm ad aſſen- 4

ſum Cleri, ut ſæpè aliàs c. *Novit.* cum aliis, de his quæ fiunt à Prælato &c. quamvis multùm poſſit conſuetudo in contrarium, c. 3. de Conſuet. in 6 Excipit autem Abbas, quoad aſſenſum Populi, ſi ſine cauſa contradicat. c. *Geſta.* c. *Ubi.* d. 74. quæ tamen non faciunt ad cauſam. Deinde c. 1. de his, quæ fiunt à maj. par. &c.&c. & c. 1. d. 65. probarent etiam de Clero, præterquam quòd ſolùm agant, cùm minor pars contradicit. Licèt ergo Jurisdictio Epiſcopi Monarchica ſit, nec reſiſti ei poſſit, niſi manifeſtè iniqua præcipiat, ſed ſolùm ad ſuperiorem recurri: tamen ſecùs eſt, ubi jus limitat, ut expreſsè fit in præſenti; & meritò, quia Populus poſſet gravari, & à lucris impediri.

Intelligendum eſt ergo dictum jus, ſi Populus unanimi conſenſu reſiſtit: nam eo ipſo præſumitur, præceptum non fore utile, & juſtã cauſam eſſe contradicendi. Quòd ſi Clerus & aliqui de Populo conſentiant, etiam ſufficit; maximè ubi contradictio non videtur juſta, & ita procedit opinio Abbatis, præſertim attenta conſuetudine. Vocatur enim Clerus tantùm, & præcipitur; nam Populus cenſetur conſentire, quando non contradicit. Adde dependentiam hanc ſolùm eſſe in fieri, cùm lex fertur; nam ſi ſemel Populus conſenſit, ligatur, & quoad abrogationem Feſti poteſtas Epiſcopi nullibi ligatur. 5

CAPUT XII.

An Poteſtas Laica poſſit obſervantiam Feſti præcipere ſine authoritate Epiſcopi?

1 Primò. Non poteſt præcipere obſervantiam Feſti dedicati Divino cultui. Ita communis & clara. Nam Laici in ſpiritualibus nullam habent authoritatem præcipiendi c. *Cùm Laicis.* de reb. Eccl. non alien. c. *Decernimus* de Judic. c. *Benè quidem* cum aliis d. 96. At Cultus Religioſus directè & immediatè ordinatur ad bonum animæ, & ad ſacra & ſpiritualia ſpectat: & aliàs Princeps etiam prohibere poſſet Feſtum, ſicque eſſent ſchiſmata ſublatâ ſubordinatione. Facit à c. ult. de Reb. Eccl. non alien. c. *Eccleſiæ.* de Conſtit.

Solùm ergo Princeps præcipere poteſt vacationem Civilem in oſtenſionem lætitiæ; ſi autem vult cultum Religioſum, Jejunium, Preces &c. petat ab Epiſcopo, qui ſemper deferet, prout res poſcit. Nam finis Religionis eſt altior, quàm Politicæ, quæ ſiſtit in pace Reipublicæ, nec Religionem attingit, niſi ut eò confert. Perfecta autem Religio 2

ligio primariò tendit in Deum, & eodem ordinat pacem externam: ergo nunc ſpectat ad altiorem poteſtatem, & diſtinctam ab alia ſubordinata. Sicque Jejunium v. g. præcipi debet in ordine ad bonum animæ, & cultum Dei per ſe ſpectatum; ſi autem ad inferiorem finem ordinatur, providendum erit per eandem poteſtatem Spiritualem.

3 Secundò. Conſuetudo, licèt ſit Populi & Cleri (nam ſi Populi tantùm eſt, non comprehendit Clerum) vim Legis non habet, niſi ſit cum conſenſu expreſſo vel tacito Epiſcopi. Deeſt enim Jurisdictio: eſtque difficile, an conſuetudo ſit devotionis tantùm, an obliga ionis, niſi intercedat vel expreſſa approbatio Epiſcopi, vel ſactum, ut punitio transgreſſionis, vel denique communis exiſtimatio urbis vel Diœceſis: nam ſcit Epiſcopus, & probat, ſi non corrigit.

Quod attinet ad leges Codicis de re præſenti, neceſſe non eſt dicere, quòd per ignorantiam uſurpatæ ſint, vel latæ ex conſenſu Pontificis. Nam propriè non ſunt de Feſtis, ſed his ſuppoſitis, ut defenſores & protectores Eccleſiæ præcipiunt eorum obſervantiam, & ſub pœna. Quod non excedit poteſtatem Civilem, maximè quando toleratur, & approbatur, ut utile ad Diſciplinam Eccleſiaſticam, ut patet in pœnis Hæreſis, quibus tamen Judex ſæcularis uti nequ t, niſi poſt ſententiam à proprio foro latam. 4

CAPUT XIII.

An Peregrini obligentur ad Feſta Patriæ ſervanda?

1 Primò. Non obligantur. Ita communiſſima Nav. Covar. Abb. Felin. in c. *Ut Animarum* §. *Statuto.* de Conſt, in 6. & c. *A nobis* 1. de S. E. Ideò enim peregrinus non incurrit cenſuram Statuti, quia non violat illud extra territorium, eſto violet legem naturalem: quia Statutum directè & per ſe reſpicit territorium, ſeu pro hoc fertur, ut in ſimili c. *Illa.* d. 12. Nec enim Lex abſolutè fertur ad ſubditos ſecundùm ſe ſpectatos, ſed ad exiſtentes in tali loco, ſeu potiùs directè fertur ad locum, cultum in eo præcipiendo; ſicque ceſſat materia in ſubdito abſente.

Secundò. Operarius poteſt à loco abire, ſicque vitare obligationem Nam hæc non præcipit permanentiam: fuga autem obligationis de ſe indifferens eſt, & ideo ex fine dijudicanda eſt: ergo non fit propria fraus & dolus per abitum ex loco. 2

Caput

CAPUT VIX.

An Peregrini obligentur ad Feſta loci, in quo verſantur.

1 Primò. Ad obligationem Feſti non requiritur domicilium fixum, ſeu cum animo perpetuò manendi, ſed ſufficit quaſi domicilium. Contrarium practicè probabile non eſt, quia non ſufficit multitudo Authorum ſine ratione, & fundamento probabili. Nam quis dicet, Studioſos per magnam anni partem in loco morantes, non teneri ad Miſſam &c. Eſtque per ſe abſurdum, ſolvi ſimul legibus & patriæ & loci novi; ac populum reliquum obligari, & excipi Studioſos, Negotiatores &c. qui tamen acquirunt forum, l. *Hæres abſens*, §. *Proinde* ff. de Judic. Idémque eſt quoad uſum Sacramentorum, & juxta multos etiam quoad diſpenſandum.

2 Secundò. Ad acquirendum domicilium non requiritur actualis mora, ſed ſufficit & neceſſarius eſt animus manendi per tempus notabile, judicio prudentis tale. Nam nec ad domicilium fixum requiritur mora actualis: & licèt certum ſit, conſtitui quaſi domicilium per animum manendi majori anni parte; tamen ſat longum tempus ſunt quatuor vel quinque menſes: ergo ſufficit animus manendi ad tempus incertum, ut pro tali habeatur, quod notabilem durationem poſcit, licèt nunc tardiùs nunc citiùs conficiatur.

Tertiò. Nec quaſi domicilium requiritur, quantum ad præſens. Ita Navar. Covar. Abb. Hoſt. Card. Imola, Bonif. Angel. nec oppoſitum ullo modo probatur Authori. Nam omnes putant ſe obligari in loco, ſi ſit terminus ad quem peregrinationis: ergo ſufficit conſuetudo. d. c. *Illa*, & c. *Quæ contra*, d. 8 utpote rationabilis, & neceſſaria ad bonos mores propter vitandum ſcandalum. Imò conſuetudo eſt potiùs juxta, quàm præter jus: nam vim non habet, niſi ut fundata in Jurisdictione: ergo Epiſcopi loci. Quia nec Pontifex, nec conſuetudo univerſalis, nec jus gentium tunc obligat: ergo illius eſt, ut punire transgreſſorem, ita & obligare, cùm punitio tam crebra dici nequeat injuſta; & ratio ſcandali, ut ad hanc vel illam actionem obligat, ita ſufficiens ratio ſit præcipiendi ſimpliciter &c. 3

Confirmat. Nam uſu omnium Regnorum ſtatuitur Jus peregrinis, ut in Nundinis &c. Bart. & Bald. l. 1. ff. de Jurisd. om. Jud. at ſpiritualis poteſtas non eſt minùs perfecta in ordine ad ſuum finem: ergo ſicut medium juſtitiæ in taxando pretio &c. pro omnibus conſtitui poteſt, ita & medium temperantiæ &c. cùm ſit plena poteſtas ut in 4

in locum, ita in actiones loci, & Lex indifferenter loquatur, æquúmque ſit, ut qui commodum, etiam onus ſentiat. Et Sanchez pro certa obligationem Peregrini habet, ſi Feſtum particulare eſt in utroque loco: at lex Patriæ tunc non obligat, utpote extra territorium, nec lex univerſalis, cùm cultus ſit particularis: ergo lex territorii novi.

5 Quartò. Etiam in loco tranſitûs eſt dicta obligatio, loquendo per ſe & de Jure. Nam rationes factæ cum proportione applicari poſſunt, cùm minor vel major mora in loco non mutet Juriſdictionem hujus, ſed ſicut prior tantùm ceſſat per abſentiam, ita altera ſtatim incipit per præſentiam advenæ. Sic de Vagis omnes concedunt; nam oppoſitum eſſet contra bonos mores eorum, nec ſine perturbatione Reipublicæ. Dein ſtat, per accidens impediri abitum citra animum morandi, conſequenter ſine acquiſitione quaſi domicilii. l. *Nihil intereſt.* 25. ff. de Captiv. & Poſthum. ergo mora ſola tunc non ſufficeret etiam per hebdomades &c. &c. ut ſequitur ex opinione oppoſita: at conſequens clarè cedit in ſcandalum.

6 Quintò. Obligatio Miſſæ non eſt reſpectu advenæ, niſi morantis in loco pro toto tempore, quod ad eam implendam conceditur. Nam nec obligatur ratione domicilii, nec ratione præſentiæ, cùm ſit in puro tranſitu: nec etiam locum habet ratio ſcandali, vel ratio alia boni communis: aliàs onus eſſet differendi iter, vel actiones neceſſarias ad iter &c. Secùs ergo eſt, ſi mora ſit toto tempore matutino, vel iter per loca Feſti toto eo tempore. Quantùm ad laborem, vix eſſe poteſt obligatio gravis, propter parvitatem moræ in laborando; imò damnari nequit, qui totâ nocte vel clàm laborat nixus opinione oppoſita, ideò enim ſuprà dixi, *loquendo per ſe.*

Fundamentum opinionis excuſantis tranſeuntem eſt, quia parum pro nihilo reputatur. c. *Nam & ego.* de V. S. c. *Ad Audientiam.* de Regular. Additur exemplum de Græco Sacerdote peregrino. Sed exemplum non eſt ad rem, quia lex Rituum non eſt localis, ſed perſonarum & ſtatuum. Sic etiam Monachi differunt à Clericis; idémque erit, ſi lex ſolùm ad incolas loquatur: hactenus verò ſermo fuit de lege indifferenter lata pro loco. Metaphora autem clara eſt in d. c. *Nam* ſolúmque ad præſumptionem facit conſideratio parvi temporis, ut in Profeſſione tacita &c. At ubi veritas attenditur, tempus eſſe debet, quale poſcit conſummatio rei, ut conſenſûs pacti, diſceſsûs ab oppido &c. ergo & in præſenti ſufficit mora in loco, quæ juſtè poſcat conformitatem cum aliis. 7

Nec obſtat d. §. *Proinde* aut l. *Debitor* ff. de Pignor. Nam in priore ſolùm negatur, per actionem tranſeuntem acquiri forum permanens, & in abſentem. Qui autem 8

præſens eſt, ſine dubio conveniri poteſt, ut ſi ſit Debitor, ſi fraudem commiſit &c. ſicque retorquetur objectio. In poſteriore agitur de connexione ſervi cum prædio, & negatur, illum ſub hujus venditione comprehendi, niſi perpetuò deſtinatus fuerit ad prædium; quæ enim aliàs connexio foret? At in præſenti non petitur connexio perſonæ cum loco, ſed actualis tantùm cohabitatio, ſeu unio aliqua cum populo: quæ certè perpetua eſſe non debet; aliàs nec quaſi domicilium ſufficeret.

9 Sextò. Relaxatio Juris communis quoad feſtum v. g. Innocentûm non egreditur locum particularem; comprehenditque advenam. Poſterius patet ex citatis ſuprà, & authoritate Auguſtini, & ex uſu Luſitanorum Advenarum in Caſtella, veſcentium inteſtinis animalium, & advenarum Mediolani in principio Quadrageſimæ. Unde etiam prior pars conſtat uſu è converſo peregrinantium Caſtellanorum & Mediolanenſium ad alios: ſicque oppoſitum non poteſt eſſe practicè tutum. Derogatio enim eſt affixa loco, nec eſt ratio extendendi, utpote odioſam; multóque magis fictio, quaſi perſona præſens ſit Patriæ, odioſa & futilis eſt.

CAPUT XV.

An ſit in Eccleſia præceptum de Miſſa audienda in die Feſto.

1 Primò. Præceptum Eccleſiæ obligat ad audiendam Miſſam integram in Feſtis de Præcepto. Eſt certiſſima ex communi conſenſu & traditione Eccleſiæ; & c. *Siquis.* c. *Quando.* c. *Qui in die.* c. *Omnes Fideles.* c. *Miſſas* de Conſ. d. 1. ex quibus etiam ſumitur antiquitas præcepti, uti ex can. 10. Apoſt. & ex Clem. Juſtin. Hieron. Auguſt. Licèt autem probabile ſit, quòd ſuppoſita inſtitutione ſacrificii, Fideles Jure Divino teneantur id per Sacerdotem offerre, tamen obligatio ad omnia Feſta & ad integrum Officium Miſſæ (ultra hujus ſubſtantiam) ab Eccleſia eſt.

Secundò. Obligatio hæc ex genere eſt ſub mortali, & ad hoc ſufficit voluntaria omiſſio (ſecluſa excuſatione) licèt abſit contemptus, vel conſuetudo omittendi. Eſt omnino vera & communis Palud. Ant. Sylv. Abb. Lupi. Nav. Cajet. Soto. Sola enim conſuetudo omittendi non faceret mortale, niſi auditio Miſſæ propriè præcepta ſit, ut patet in mendacio: & contemptus etiam Conſilii eſt gravis. Miſſam autem non eſſe propriè præceptam, aut materiam totam eſſe levem, non poteſt dici ſine magno errore. 2

Tertiò. Præceptum nec requirit, 3
nec

nec poſitivè concedit certam temporis latitudinem in die naturali, ſed obligat, ut quamprimum poſſit impleatur, ſi poſtea implendum non eſt. Nam univerſim hæc eſt natura & vis præcepti affirmativi, ſi aliud non exprimit: quod in præſenti non fit, ſed præceptum fertur ſimpliciter: ergo impleri poteſt ſtatim à media nocte, à meridie &c. quia nec formaliter fit determinatio, nec colligi poteſt ex vi & forma præcepti affirmativi. Similiter ſi poſtea non poſſum, ſtatim teneor, juxta Doctores omnes, & conſuetudinem.

4 Sanchez negat, ſi ſit Feſtum loci, & incola exeat aliò ad laborandum, quia præceptum non obligat pro toto tempore matutino. Sed in re practica non eſt recedendum à communi, & conſuetudine pia & ſancta, nec eſt occaſio danda minuendi cultum Divinum. Ratio Sancii non probat, quia ſupponit conceſſionem quaſi poſitivam, aut determinationem temporis, contra dicta. Secùs eſt, ſiquis cogeretur expectare, nam ad hoc non obligat præceptum, ut omnes ſupponimus: & regulariter intervenit excuſatio, ne pereat denarius diurnus operario. Scandala tamen vitanda ſunt, ſempérque ſtandum eſt conſuetudine, & ſtatuto Synodali.

CAPUT XVI.

An in die Feſto aliæ actiones ſacræ in præcepto ſint?

1 Primò. Præceptum Feſti, ut eſt affirmativum, non obligat, niſi ad Miſſam. Ita communis: quia plùs nec eſt ſcriptum, nec traditum: & qui aliud vult, oſtendat oportet vel legem, vel conſuetudinem. Sic falsô allegatur obligatio communicandi die Paſchatis; idémque à fortiori eſt de communicando qualibet Dominicâ. Rurſus cùm ſermo eſt de orationibus diſtinctis à Miſſa in Syn. VI. c. 8. Conc. Tribur. c. 35. & Matiſc. 1. c. 1. ſatis explicatur per uſum, & c. 10. Apoſt de Orationibus tempore Miſſæ audiri aut fundi ſolitis. Lex enim poſitiva, cùm præcipit actum, etiam determinat illum, ejúsque durationem; nec finis præcepti ſemper ſub præceptum cadit.

Secundò. Obligatio non eſt rigoroſa Fidelium, ut Concionem audiant. Nam aliud eſt de Paſtore, aliud de Fidelibus. Ille reſpicit totum populum, qui ſemper indiget verbo Dei: ergo rectè determinatum eſt tempus concionandi, & frequens quidem, quamvis non pro ſingulis Dominicis rigoroſé obliget, ut conſuetudo interpretatur. At Fidelium obligatio eſt perſonalis, nec generalis de ſe, nec cum tam certa determinatione temporis. Nec obſtant d. can. 10. c. *Sacerdote*, de Conſ. d. 1. 2

d. 1. *Interrogo*. 1. q. 1. c. *Inter cætera*. de Off. Ord. nam partim agunt de vitando ſcandalo, & perturbatione in egreſſu, partim de Verbo Dei, non ratione ſoni ſenſibilis, ſed ratione veritatis æternæ. Et Trid. ſ. 24. c. 4. de Ref. addit, *ubi commodè fieri poteſt*, ſatis indicans, non eſſe rigoroſam obligationem, ſed ſufficere invitationem, ut ſeſſ. 22. Dec. de obſerv. in Miſſa. Intelligi etiam poteſt de lege Charitatis, ut eſt de cura animæ, etiam quoad utilia; præterquam quòd indicet obligationem Juris adeundi Parochiam, quæ nunc non eſt, loquendo de rigore.

3 Tertiò, Obligatio non eſt colendi Feſtum per Oblationes, actum Dilectionis Dei ſuper omnia, aut Contritionis & Pœnitentiæ. Nam præceptum Oblationum c. *Omnis Chriſtianus* de Conf d. 1. eſt diverſæ rationis à præſenti præcepto, & impleri poteſt die non Feſto, ſicut & abrogari, manente obligatione Feſti. Rurſus quo fundamento Scot. vult præcipi per hanc Amorem Dei? non Decalogi, quia pertineret ad primum præceptum; non ad tertium, quod de Religione eſt, & hujus actus ſtat, quin imperetur ex Charitate. Non legis Eccleſiæ aliàs eſſet de actu merè interno. Idémque eſt de actu Fidei & Spei, juxta communem & veram S. Thomæ, Cajet. Nav. Soto. Idem proin eſt de Contritione.

Sed objicit Angel. v. *Feria*. Si memoria occurrit ſtatûs peccati, non poteſt quis vacare cultui Dei; & Levit. 16. & 23. præcipitur afflictio animæ. Dein tempus cultûs Divini eſt valde opportunum pro exercitio Charitatis, ſatiúsque foret corporaliter laborare, quàm diem otio agere, ut de Judæis ait Auguſt. ℞. Legem Veterem neque nunc obligare, neque tunc obligâſſe pro omni Sabbato, ſed pro Feſto Septembris, cui nunc ſuccedit Confeſſio annua. Sine contritione autem ſtat intentio & attentio neceſſaria ad auditionem Miſſæ: nec ob memoriam peccati ſequitur obligatio pœnitendi, aliàs ſemper ſequeretur, & in omni actione. 4

Porrò præceptum Contritionis, Dilectionis &c. non obligat pro omni tempore opportuno, ſed pro articulo neceſſitatis, vel quando actus ſit moraliter neceſſarius ad vitam rectè inſtituendam: quod non eſt ita in omnibus Feſtis, imò in profeſtis magis neceſſarium eſſe poteſt. Denique præceptum affirmativum cultûs non ſequitur ex negativo operum quorundam; nec hoc otioſum eſt, ſed propter cultum: ſícque medium de ſe utile eſt, licèt finis non præcipiatur, ut patet in impedito à Miſſa; non enim tenetur ſupplere per orationem &c. 5

CAPUT

CAPUT XVII.

Sola Corporalia opera prohibita eſſe in Feſto, non tamen omnia.

1 Primò. Præcipitur vacatio aliqua ab opere. Ita c. 1. c. *Licèt.* c. *Conqueſtus.* de Fer. Syn. VI. Aurel. III. Antiſiod. Mogunt. ſub Carolo M. Matiſc. II. Clem. Greg. Hier. Aug. Conſuetudo denique & conſenſus omnium Doctorum: ſicque in jure ſolùm quod traditum eſt, ſcribitur, vel magis explicatur: nam præceptum antiquius eſt jure ſcripto. Inculcatur etiam in cit. loc. ne Chriſtiani vacando Judaizent: nec enim nunc attenditur quies, ut cæremonialis, ſed ut moralis eſt, & apta ad Divinum cultum, & ad convenientē gubernationem: ſolúmque ad imitationem veteris cultûs, non ad æqualitatem inſtitutum eſt præceptum quietis: & hæc etiam Judæis ſtrictior erat, quàm Feſtis aliis.

Secundò. Sola opera corporalia prohibentur, non tamen omnia ſimpliciter, nec omnia, quæ Judæis prohibita fuerant. Nam Eccleſia non præcipit interna niſi connexa cum externis :nec vetat externa, niſi ſervilia ſint , ſicut nec lex Vetus prohibuit, Matth. 12. Joan. 7. & 1. Machab 2. Porrò ſervile reſpectu alicujus dicitur : ſicque vel ſervitium eſt humanum, vel Religioſum , vel peccaminoſum. De Servitio Religioſo conſtat non prohiberi , ſed præcipi. 2

CAPUT XVIII.

An per quodcunque peccatum præſertim mortale, Feſta violentur?

1 Primò. Peccatum, quod fit die Feſto, directè & formaliter non pugnat cum præcepto Feſti. Ita Cajet. Soto, Victor. Almain. Sylv. Arm. Angles, Nav. Covar. Gutier. Nam evidens eſt , peccatum ut ſic non contineri ſub prohibitione operum externorum ſeu corporalium, ut patet de imperio actionis pravæ , fornicatione , luſu injuſto , actione liberali pravâ , omiſſione reſtituendi, eleemoſynæ , peccatis internis : at juxta S. Thom. non prohibetur niſi opus externum. Nec refert, peccatum dici ſervitutem, nam propriè loquendum eſt, aliàs nil erit certum. Servitus autem dicitur , quia tradit poteſtati Satanæ , dominatui concupiſcentiæ, ſempérque ſuo pondere trahit in aliud.

Confirmatur, quia ſi dicitur, virtualiter præcipi amotionem impedimenti cultûs, vel intelligitur de omni impedimento tranſeunte, vel de 2

eo, quod relinquit impeditum? Non 1mum, aliàs dormire nimiùm, confabulari, imò ſtudere, &c. erit mortale. Non 2dum, quia ebrietas poſt Miſſam non reddit ineptum ad cultum præceptum. Reddi autem ineptum ad cultum voluntarium non opponitur cultui præcepto. Eſtque aliud, quod præcipitur, aliud propter quod, ut Charitas eſt finis præcepti: ergo ſicut præceptum de medio, non obligat ad finem, quia non eſt de hoc: ita ſi eſt de uno medio, non ſtatim eſt de omnibus; & ſi prohibet unum, non eoipſo omnia impedimenta.

3 Dices: ſtare paritatem rationis, ut ponderant Ambr. Aug. Et c. 1. de Fer. prohibetur omne opus illicitum; facitque c. *Conſideret.* de Pœn. d. 5. ℞. Argumentum à pari nullum eſſe in Legibus Poſitivis, quia hæ pendent à libertate Legiſlatoris: hic autem noluit omnia prohibere, utpote aliunde prohibita, ſed quæ in uſu ſunt, & frequentiùs diſtrahunt. ut Ex. 20. *Sex diebus* &c. *facies omnia opera tua*, utique licita: ergo de iiſdem ſubditur: *Septimo autem* &c. *Non facies omne opus in eo.* Similiter ergo in d. c. 1. ſermo eſt non de opere illicito in genere, ſed in tali materia; quia peccatum præcepto cultûs opponitur aliquando quoad materiam, aliquando quoad finem. Quo ſenſu dixit Auguſt. per ſaltum impudicum graviùs peccari, quàm per opus indifferens in feſto. In d. c. *Conſideret*, multa miſcentur, quæ conſilii tantùm ſunt.

Secundò. Probabile eſt ex circumſtantia feſti creſcere malitiam peccati. Nam etiam in re aliàs indifferenti, ut in copula conjugali, notatur ſimilis indecentia; & ideò agitatio taurorum prohibetur in feſto, quia prudentia in omni opere requirit congruitatem temporis. *Eſt Tempus tacendi* &c. ſimiliſque nota eſt die Paraſceves, Rogationum, & in profeſtis. Igitur augmentum malitiæ, vel eſt intra eandem ſpeciem, vel per novam ſpeciem contra Religionem, ut in abuſu loci ſacri. Utroque modo tamen veniale tantùm augmentum eſt (ſecluſo contemptu, ſcandalo &c.) ut de copula in feſto loquuntur graviores Doctores; nec enim feſtum ita ſanctificatum eſt, ut teneamur omnes ejus partes revereri aliter, quàm non faciendo opus ſpecialiter in eo prohibitum. 4

CAPUT XIX.

An omne opus Mercenarium ſervile ſit, & conſequenter illicitum in foro.

1 Primò. Reſpectus ad lucrum non facit opus ſervile ſeu prohibitum præcepto feſti. Ita Cajet. Soto. Nav. Lop. Armil. Med. Azor, & mo-

moderni frequentiùs contra antiquos Canoniſtas, & Summiſtas. Nam operari ſpe lucri non eſt proprium ſervi, ſed commune etiam Principibus, Nobilibus, nec tamen hi ſerviunt ulli: quia nec ratione operis, cùm non tendat in commodum alterius, nec ratione intentionis, quia operantur propter ſe.

2 Confirmatur: quia Eccleſia non prohibet operari hac vel illa intentione, ſed facere hoc vel illud opus; ergo ſi hoc non eſt ſervile ex ſe, nec ex intentione tale fit, niſi de voce diſputes: nam agimus de ſervili prohibito. Et ſi ſtudere propter lucrum prohibitum eſt, etiam ſi ſit ob lucrum famæ &c. &c. contra Feſtum erit, cùm ambitio æquè ac avaritia, ſit ſervitus Idolorum; utique per ſimilitudinem, quatenus homo ſubjicitur pecuniæ, honori &c. non quidem ob cultum, ut ſit idolo, ſed ad uſum ſuum.

3 Secundò. Opus non fit ſervile propter intentionem mercenariam, ſeu tantum lucrandi, quantum pro obſequio debetur. Nam Eccleſia non prohibet operari propter mercedem, niſi prohibendo opus ipſum ſecundùm ſe, ut patet in opere liberali, quod de ſe pretio æſtimabile eſt: at nemo cogitur ad gratis faciendum; nec coactio per ſe confert ad Religionem, & aliunde opus poteſt eſſe neceſſarium ad Eccleſiæ ornatum, vel publicam utilitatem, ut patet in Muſicis, aliisque Miniſtris templi, Lectoribus in Schola. Nec Eccleſia diſponit de intentione extrinſeca, vel ſi ſecùs, exprimit.

Confirmatur ex c. *Licèt* de Feriis: 4
nam diſpenſatur cum onere dandi eleemoſynam, vel oblationem Eccleſiæ ex lucro; quod non intelligitur de Decima, cùm hæc non detur pauperi: ergo vel omnes, qui adjuvant piſcationem, operari debent gratis, vel ſunt partiarii lucri? Non 1mum, quia diſpenſatio fit inutilis, nemine gratis ſervire volente. Non 2um, quia volunt ſtipendium certum, non ſortem incertam: Denique opus proximo neceſſarium ſemper conceditur; nec ſequitur, gratis fieri debere, imò injuſtum eſt cogere ad ſerviendum gratis.

CAPUT XX.

Quidnam ſit de ratione operis ſervilis prohibiti per præceptum Feſti?

1 Juxta Abul. Ex. 12. q. 24. ſervile eſt *Opus laborioſum organorum executivorum nulla urgente cauſa ad humanam vitam non immediatè ſuſtentandam, aut fovendam.* Sed ſequitur, prohibitum eſſe in Feſto cantare, pedibus ambulare &c. Altera deſcriptio eſt apud S.Thom: 22. q. 122. a. 4.

a. 4. eſſe *opus corporale ex his, in quibus unus homo alteri inſervire ſolet, ſeu ad quorum executionem ſervos deputatos habemus.*

2 Quod declarans Sanctus, poſcit, ut opus ſit mechanicum, ſeu quod per artem mechanicam dirigi poſſit. Commune enim eſt mechanico & liberali operi, eſſe & ſpirituale, ut per mentem dirigitur, & corporale, ut fit per organa corporea; diſtingui ergo debent ex terminis ſeu paſſionibus proximè intentis. Nam mechanicum pro fine habet opus materiale & corporeum, ac proinde cedens in utilitatem corporis, ut eſt calceos conſuere. Aſt liberale non fit immediatè propter materialem paſſionem, ſed ordinatur ad ſpiritualem, ut ad inſtruendum, excitandum &c. Igitur mechanicum ſeu ſervile eſt opus corporale, non tantùm ex parte inſtrumenti, ſed etiam ex proximo effectu, ad quem ordinatur ex natura vel inſtitutione.

CAPUT XXI.

De operibus naturalibus, Pietatis, & Religionis non prohibitis in feſto.

1 Primò. Opus naturale ſeu per ſe neceſſarium corpori, non eſt opus prohibitum in feſto, ſed diſtinguitur ab opere ſervili. Nam ut opus dividitur in mechanicum & liberale, intelligitur de artificiali, quod per artem dirigi debet, éſtque inventum ad naturam juvandam in corporalibus & ſpiritualibus: & ideò contradiſtinguitur ab opere naturali, ut eſt comeſtio, copula, lotio corporis c. *Pervenit.* de Conſ. d. 3. & alia viliora.

2 Secundò. Actio coquendi excipitur per conſuetudinem, non ut derogantem, ſed ut declarantem jus. Aliud enim eſt excuſari vel excipi, aliud opus non eſſe ſervile, quia non ex intentione operantis, ratione obligationis, indigentiâ proximi &c. ſed ex ipſa intrinſeca conditione habet opus, quòd ſit ſervile, ſcilicet propter effectum corporalem, ad quem terminatur. Exceptio igitur de coctione non tam ſcripta eſt primitùs, quàm tradita, ad modum Ex. 12. *Exceptis his, quæ ad veſcendum pertinent*; & extenditur ad cibos artificioſos, ut paſtellos: imò ad colligendos primos fructus, occiſionem & excoriationem animalium &c. maximè quando ratio neceſſitatis eſt. Sic etiam panes pinſuntur vel propter populi multitudinem, vel ob plura feſta &c. quæ non extendenda, ſed coarctanda ſunt, quoad poſſunt.

3 Tertiò. Quæ per ſolam intentionem referuntur ad cultum Dei, vel remotè cedunt in utilitatem templi, ſeclu-

ſecluſâ neceſſitate non licent: ſecùs eſt de aliis, quæ ad Religionem pertinent. Prior pars patet; aliàs liceret arare agros Eccleſiæ, dealbare parietes &c. poſſétque votum de his fieri &c. quod eſt contra ſenſum communem omnium. Idémque eſt de operibus miſericordiæ mechanicis, ut eſt conſuere veſtes pro paupere: nam propter intentionem piam opus non deſinit eſſe ſervile. Unde duo diſplicent in aliis authoribus; unum eſt, quòd excuſationem confundant cum non prohibitione, alterum, quòd requirant opus gratuitum, ut neceſſitas excuſet; at cur Chirurgus debet gratis ſervire, cùm ſecat venam? idem eſt de opere naturali, cùm paſcitur eſuriens.

Quoad alteram partem vel opus 4 immediatè continet cultum Dei; vel remotè ſe habet, requiſitum tamen in ipſo Feſto, ut pulſatio campanæ; vel præveniri quidem poteſt, ſed tamen ex ipſo modo determinatur ad cultũ, ut extractio ſacræ Veſtis, Ornatio Altaris? Si 1mum, non homini, ſed Deo ſervitur, éſtque opus maximè intentum, ut de Circumciſione Joan. 7. Matth. 12. Si 2dum, acceſſorium ſequitur principale; & maximè tunc intercedit neceſſitas vera & publica. Si 3tium, prohibitio non eſt, niſi actio ſit valde remota, & communis domibus, ut verrere, tapetes figere, ſi præverti poteſt; quamvis propter ipſam conjunctionẽ ad locum, materia ſit levis.

CAPUT XXII.

An opera liberalia prohibeantur, vel cur permittantur in die feſto?

1 Primò. Opera liberalia non ſunt prohibita in feſto: eſto, totum diem abſumant, ſecluſâ Miſsâ. Nam lex expreſsè limitat ad ſervilia. Quòd autem ratio limitationis lateat, parum referret, cùm ſtandum ſit diſpoſitione legis. Dein ſtudere ſi peccatum eſt (ut vult Abul. Ant. de Butrio) vel eſt commiſſionis, vel omiſſionis? Non 1mum, ubi enim prohibetur? Non 2dum, quia ſupponitur audiri Miſſam. Denique ſic nihil liceret homini, præter Dei cultum: hoc autem eſt conjicere ferè omnes in evidens periculum transgreſſionis.

Secundò. Differentia ſufficiens 2 eſt quoad præſens inter liberalia & mechanica. Nam illa etiam lex Vetus, quam Eccleſia imitatur, conceſſit. Dein ſunt ſuperioris ordinis, & minùs communia, ut occupent, quia non ita neceſſaria vitæ humanæ. Lex autem attendit, quod frequentius eſt, & ut plurimùm diſtrahit. Igitur etiam in mechanicis licet inſtructio ut talis: ſecùs ac uſus & praxis eorum; nam ſervilis non eſt, ſicut nec delineatio & figuræ in Mathematicis, quia ſolùm fiunt ad manuducendum intellectum.

CAPUT XXIII.

Denturne Opera nec ſervilia nec liberalia?

1 Primò. Non datur tertium membrum. Nam ſi opus eſt corporale, & circa materiam & effectum corporalem, quin ſit quaſi connaturale ad conſervationem, propagationem, & vegetationem Corporis ab ipſa natura datum, ſed induſtriâ vel arte hominis adjunctum, & principaliter ordinatum ad uſum ſenſibilem ſeu corporalem: ergo eo ipſo ſervile eſt, ſive diu duret, ſive non; ſive leve ſit, ſive laborioſum. Si autem tale non eſt, ſervile non eſt, quidquid ſcrupuloſiſſimè dicat Abul. de itinere ob negotium, ambulatione ultra duas leucas.

2 Secundò. Nulla eſt diſtinctio operum, quòd alia ſervi, alia liberi propria, alia communia ſint. Nam ſi inter liberum & ſervum non datur medium; ergo nec inter opus liberum & ſervile. Vel enim ſermo eſt de perſonis abſolutè, vel de ſervo & libero formaliter, ſeu ut talibus? Si 1mum, quodlibet opus de ſe eſt commune, ut ſtudere, menſis miniſtrare, lavare pedes &c. quod ſervire eſt, licèt à Rege fiat. Si 2um, ergo ſi opus liberale eſt, quod facit ſervus; non facit ut ſervus, ſed ut convenit cum libero in ratione perſonæ rationalis. Et in idem recidit, ſi dicas, ſervile eſſe, quod reſpicit ſervum tanquam connaturale ſubjectum; nam naturaliſſimè amat Deum &c.

Confirmatur contra Cajet. moraliter rem inquirendo, an lucrum, merces &c. faciat opus ſervile, an certa menſura laboris, durationis? Non 1um, ut fatetur Cajet. Non 2um, quia nec ſtudium propter defatigationem fit ſervile, nec actio cultûs Divini: nec præceptum Feſti prohibet laborem, ſed opus; labor autem auget opus intra ſuum ordinem, non verò hunc mutat. De actionibus ſcribendi, venandi &c. propter quas dicta diſtinctio excogitata eſt, dicendum reſtat. 3

CAPUT XXIV.

An Actio ſcribendi ſit aliquando ſervilis, & prohibita in Feſto

1 Primò. De ſe & regulariter dicta actio non eſt ſervilis. Ita omnes. Nam eſt opus mentis, non tantùm effectivè, & directivè (quod commune eſt omni operi artis) ſed etiam terminativè, & quaſi finaliter. Dein eſt quædam locutio permanens, ordinata ad exprimendos conceptus

ceptus proprios, & ſimiles gignendos in mente legentis: ſive id fiat propter novam notitiam gignendam, ſive propter memoriam.

2 Secundò Licèt fiat dicta Actio pro mercede, non fit ſervilis, aut prohibita in Feſto. Ita ſequitur evidenter, ſuppoſitô principiô, quòd ratio lucri, mercedis &c. non transferat opus ad rationem ſervilis. Vel ergo ſcriptio fit per ſe proprios conceptus exprimendo; vel ut à diſcipulo; vel ut ab inſtrumento tertii, ut condiſcipuli dictantis? Si 1mum, ut in ſcribente hiſtoriam, defenſionem Juridicam Rei, concionem &c. non obſtat lucrum, ut omnes fatentur: perinde enim eſt, acſi voce inſtruerem pro mercede. Si 2um & 3tium, idem eſt; ſi enim rem priùs auditam licet notare & ſcribere, cur non etiam ſimul audire & ſcribere?

3 Confirmatur. Quia aliàs ſine diſpenſatione adhiberi non poſſet Amanuenſis; quod eſt contra uſum omnium timoratorum, non ignorantium, ſed doctiſſimorum. Nec refert non intelligi, quod ſcribitur; nam idem eſt in locutione; & natura actionis attenditur, non conditio ſcribentis: & actio naturâ ſuâ ſpiritualis eſt, ſeu ordinata ad mentem. Quia ergo opinio Sylv. &c. &c. de opere mercenario eſt antiquata, & oppoſita nunc communis omnium, dempto Soto; non poteſt nunc prior, ut applicatur ad particularem materiam, dici communis, ut Azor vocat, nec etiam tutior, ut idem vult dicendo, non eſſe recedendum à tutiore & communi ſenſu recepta.

Nam tutior ſententia dicitur, quando res eſt dubia ex una, & certa ex altera parte: at in præſenti practicè certum eſt, nullum eſſe peccatum; quia ubi res conſtat per rationem & authoritatem ſufficientem, non eſt dubia, ut conſtat ex materia de Conſcientia. Nec ſemper, quod æquius eſt, ex multitudine Authorum penſandum eſt, cùm unius ſententia & ratio alios vincere poſſit. l. 1. §. *Sed neque.* Cod. de Vet. Jur. enucleando. 4

CAPUT. XXV.

An tranſcribere ſit opus ſervile, & prohibitum in Feſto?

1 Primò. Tranſcribere non eſt univerſim ſervile. Oppoſita Cajetani, ut jacet indiſtinctè, nulla ratione probabili defendi poteſt. Nam ſi actio fit causâ diſciplinæ, ut à Scholari deſcribente, quod omiſit, utique licet, tanquam actus & à mente procedens, & ad mentem ordinatus, conſequenter ſpiritualis. Et juxta omnes idem eſt, ſive voce ſive ſcripto doceam; ergo etiam perinde eſt, ſive ſcribam dictata,

ſive tranſcribam ſcripta Magiſtri. Idem, ſi ex Codice impreſſo quid tranſcribo pro memoria: ſoli ergo Summiſtæ damnant actum mercenarium.

2 Secundò. Non obſtat, dictum actum fieri pro mercede. Exemplum eſt in Condiſcipulo, Famulo, & Amanuenſi, ſi uterque ſimul intendat diſciplinam ſuam. Nam actio tamen mentalis eſt, nec opus liberale attenditur ex fine operantis, ſed ex objecto operis; & cooperans actioni de ſe liberali, habet ſufficientem intentionem liberalem. Quòd ſi ergo ipſe deſcribo à me ſcripta, utique licet; tota enim differentia eſt, quòd quæ ſcribo, oculis percipio, non auribus.

3 Sic autem recidit in idem, quod de ſcriptione dictum eſt: nam ſi pluribus ſimul Amanuenſibus dictando, ſcribatur, utique licet: ergo etiam ſi priùs dictata uni, pòſt alter deſcribat, quia quòd ſimul, vel ſucceſſivè ſcriptio fiat, non mutat naturam operis: & uterque ſcribit dictante alio, quamvis unus mediatè. Et Cajetanus fatetur, perinde ac de tranſeunte locutione, judicandum eſſe de permanente: ergo etiam perinde eſt, ſcribere ſive voce dictata ſint, ſive calamo. Falſum enim eſt, deſcriptionem eſſe imitationem tantùm materialem, ut in pingendo; nam ſolùm eſt formalis in ratione ſigni, non quoad formam literarum, ut ſi ſimul verto in aliam linguam.

Tertiò. Ars imprimendi tota eſt 4
mechanica; ſicque malè comparatur cum arte ſcribendi. Nam inprimis fuſio literarum per ſe terminatur in corporali artefacto: figere autem illas, ex intrinſeco ſuo modo dirigitur ad figuram imprimendam chartæ, ut ſigillum & ut imago imprimitur, quod planè mechanicum eſt; ſicque remotum & accidentarium eſt, quòd inde reſultet ſignum mentale. Denique ordinatur, ut præparatio materiæ ad impreſſionem de ſe ſervilem; & ideò non ſe habet per modum locutionis & expreſſionis mentis, ut ſcriptio, nec in ea formantur litteræ ipſæ.

CAPUT XXVI.

An actio pingendi de ſe ſit ſervilis?

1 Primò. Actio pingendi prohibita eſt ſimpliciter, per ſe loquendo. Nam ad prohibitionem ſufficit, eſſe opus mechanicum. Habet autem dicta actio conditiones omnes operis ſervilis, ut terminati ad materiã extrinſecã &c. &c. & aliàs poſſet pro pretio exerceri totâ die, quod eſt contra uſum & bonos mores. Valdè autem differt pictura à ſcriptio-

ptione, nam illa progreditur ſolùm à mente, ut artefactum conforme idolo mentis, ſicut ſtatua, domus &c. & ex natura ſua ordinatur ad aſſimilandam imaginem rei veræ; unde ſequitur excitatio memoriæ, ſicut intuitio filii refert patrem. At ſcriptura procedit à mente ad exprimendos hujus conceptus, ratiocinia, judicia, & per ſe tendit ad inſtruendam mentem, tanquam per ſe opus doctrinæ & diſciplinæ.

2 Secundò. Actio pingendi in Feſto, aliis titulis excuſanda eſt, quàm negando eſſe ſervilem. Nam quòd fiat gratis, causâ voluptatis, pietatis &c. per ſe non ſufficit: nam ſic liceret etiam formare vas argenteum &c. Et quod Summiſtæ dicunt de imitando ſeu copiando imaginem, cum grano ſalis accipiendum eſt; nam potiùs liceret effingere propriam imaginem. Cùm ergo omnes fateantur, licere aliquid in arte, quamvis mechanica ſit juxta omnes, tituli ſumi debent ex materiæ levitate, vel conſuetudine (ſi talis eſt) vel ex benigna interpretatione, quòd Eccleſia permittat actionem, quæ proximè accedit ad artem liberalem.

Accedit coloratus titulus moralis neceſſitatis, quia homo, præſertim ſæcularis, nec aſſuetus, non poteſt tota die vacare lectioni orationi; & conſequenter ne otioſus ſit, eget moraliter aliqua hujuſmodi operatione, quæ ſit tanquam medium ad ſublevandam naturam ſine culpabili otio. Denique delineare &c. non eſt propriè pingere, ſed ſolùm mentem juvare, ut poſtea idolum talis imaginis perfectè formari poſſit: quod videtur accedere ad liberalem diſciplinam; & juxta hæc de aliis exemplis judicandum eſt. 3

CAPUT XXVII.

An iter agere, ſaltare, & ſimilia ſint ſervilia?

1 Primò. Itinerari ut ſic non eſt ſervile: eſto, ſi eſſet, conſuetudo univerſalis ſufficeret ad excuſandum, Sumitur ex lege veteri, & Act. 1. *Sabbati habens iter*: quod tamen aliis diebus non limitatur; multò autem minus per Eccleſiam limitatio fit. Nec enim opus eſt propriè mechanicum, ſed quaſi naturale, quod ordinatur ad corporis vegetationem, conſervationem, ſituationem: eſtque quaſi prævium quid ad omnes actiones alicubi exercendas; ſicque non includitur, ſub opere, quod dividitur in ſervile & liberale.

Secundò. Secus eſt per ſe loquendo. cùm iter requirit opera ſervilia, ut agendo jumentum, vel currus onuſtos. Ita Matiſc. II. generali- 2

raliter agens de uſu ſervili jumenti. Tamen aliud eſt de itinere perſonæ, aliud de onerando currus &c. Quoad prius, acceſſorium tanquam per ſe neceſſarium (ut eſt jungere equos, lectum deferre &c.) ſequitur principale conceſſum. Poſterius die Feſto cœptum, ſicut per ſe eſt abuſus, ita itinere jam inchoato, per ſe etiam conſuetum eſt; nam ſubſiſtere debere grave foret damnum, multáque ſunt, quæ transvectionem ſine mora requirant

3 Tertiò. Opus Muſicæ, ſive voce ſive inſtrumentis fiat, itémque agitatio corporis in ſaltu &c. non eſt ſervile, nec hoc titulo per ſe prohibitum in Feſto. Nam Muſica inter artes liberales computatur, nec per ſe eſt ſervorum, aut ordinata ad ſerviendum ex genere ſuo, ſed animi oblectationem & excitationem; ſicque eſt actus ſermocinationis per modulos, vel ornatus inſtrumentis.

Quæ verò magis corporalia adduntur, ſolùm conſiſtunt in motu corporis ad ejus levamen, & ad cooperandum exultationi; ſícque ad actionem liberalem pertinent. An verò hæc fiant pro mercede, cum defatigatione &c. impertinens eſt: quamvis exceſſus de ſe venialem malitiam habeat, quia Feſta ridiculo exponuntur. 4

CAPUT XXVIII.

De Venatione, Piſcatione, & Militia.

1 Primò. Venatio, ut ſic & per ſe ſpectata, eſt ſervilis. Nam ut ex Dialectica conſtat, ars venandi eſt mechanica, cùm opus ejus ſit corporale & laborioſum, & omninò ſiſtens in materia & effectu corporali; ſícque commune quid homini cum beſtiis, quibus etiam utimur ad venandum. Nec intereſt inter ſciſſionem ligni &c. & venationem, niſi quòd in uno defatigatio major ſit, & minor induſtria, in altero voluptas &c. &c. Et ſi venatio per ſe licet, ergo & piſcatio, contra c. *Licet*, de Fer. ubi ſupponitur eſſe ſervilem.

2 Angelus allegat c. *Qui venatoribus* &c. *An putatis* d. 86. Sed falsò aſſumit, per ſe prohiberi venationem in Quadrageſima: nec Ambr. ferre potuit legem generalem: quamvis ſentiat, actionem eſſe illicitam per accidens, quatenus in ea aliàs peccatur, vel omittuntur præcepta &c. Igitur oportet, ut generali prohibitione comprehendatur: nec enim ſpeciali vetatur ſive in Quadrageſima, ſive in Feſto.

Exceptio autem per modum excuſationis petenda eſt juxta dicta aliàs, ex levitate materiæ, ut ſi actio ſit per unam duáſve horas, & à pran- 3

dio

dio tantùm ad vitandum otium, vel pejora. Facit etiam conſuetudo, quia difficile eſt damnare omnes, qui plus licentiæ ſumunt: nam Paſtores ſciunt & tolerant. Accedit apprehenſio vulgi, venationem nobili modo exercitam non eſſe ſervilem; nec inde licèt in Feſto fiat, ſcandalum ſumitur. Idem dicendum de piſcatione, ſi moderata ſit, & ſine magno labore miniſtrantium, ut in flumine, non in mari &c. d. c. *Licet*. Actio enim utut per ſe prohibita, tamen in caſu particulari, & tali modo facta, permittitur ex ratione ſpeciali, vel conſuetudine, ut in legibus humanis faciſſimum eſt.

4 Secundò. Actus bellandi per ſe ſervilis eſt, & in Feſto prohibitus, per ſe loquendo. Nam loquendo de executione (ordinatio enim belli &c. eſt actus mentis) ars militaris eſt mechanica; ſicut Magiſtri uſûs armorum ſunt abſque dubio mechanici: & ideò eorum exercitia non permittuntur in Feſto. Dein ſi occidere feras ſervile eſt, multò magis tale eſt occidere homines; unde ad hoc Reſpublica deputat ſervos. Nec æquiparatio cum ſtudio l. *Advocati*. Cod. de Advoc. diverſ. Judic. tenet in omnibus, ſed quoad utilitatem Reipublicæ, & annexa Privilegia. Nam ratio operis ſervilis ſumitur ex fine proximo, ut patet in Chirurgia: ex fine tamen remoto actus bellandi dicitur nobilis ob famam, honorem, defenſionem reipublicæ: & ſi juſtâ causâ ſit, actus eſt fortitudinis, & index præſtantis animi, roboris corporis &c.

5 Porro ſpecialis prohibitio dicti actûs non ſit; nam c. 1. *de Treug.* agit de Quadrageſima, & eidem derogatum eſt conſuetudine contraria. Et c. *Quod non* de R. J. ſolùm ponitur regula de exceptione neceſſitatis, quæ utique tenet in bello defenſivo, ut canoni conſentit l. *Divus* ff. de Fer. l. *Omnes judices*. Cod. eod. In aggreſſivo autem facit Epiickia & diſpenſatio d. c. *Licèt*. quia occaſio ſemel amiſſa non redit. Unde de privatâ rixâ loquendum eſt cum proportione ad dicta; nam defenſio in Feſto utiquè licet.

6 Tertiò. Exercitia militaria Civium licent in Feſto. Nam juſta exceptio eſt à poſita regula, cùm illa diebus aliis non poſſint commodè fieri, & tamen bono communi neceſſaria ſint. Dein parum aut nihil habent de opere ſervili, quia potiùs habentur ad memoriam exercendam, vel habendam cognitionem perſonarum quàm ad exercendam militiam. Quòd ſi ſervile quid miſcetur, honeſtatur ex aliis cauſis.

CAPUT

CAPUT XXIX.

De operibus non ſervilibus ſeu liberis prohibitis ſpeciali jure.

1 Primò. Quinque tantùm actiones liberales prohibentur in Feſto. *Patet* ex c. 1. & c. ult. de Feriis, ſcilicet de mercatu, placito, judicio ad pœnam, & juramento. Quæ ad duo revocantur generaliore prohibitione, ad mercatum & ſtrepitum forenſem d. c. ult & in Matiſc. II. Turon. & Mogunt. & conſentit l. pen. ff. de fer. l. 1. cum aliis. Cod eod. Licèt enim dicti actus mechanici non ſint, ſed ordinentur ad cognitionem & convictũ humanum; tamen inter opera liberalia maximè diſtrahunt. Quantùm ad particulam *Placitum*, refertur vox ad omnem cauſam civilem, ſicut poſterior particula d. c. 1. *Neque aliquis ad mortem &c.* ad omnem criminalem. Sic enim uſus vocis *Placitum* reſtringitur in Canone, quamvis vis latina ſit diverſa, ut dicitur Placitum Principium, Philoſophorum.

2 Secundò. Sub Mercatu comprehenditur omnis contractus, per ſe loquendo, ut emptio, locatio, permutatio &c. Ita omnes Canoniſtæ & Summiſtæ, à fortiori intelligendo nundinas annuas, hebdomadarias, contractus privatorum publicè & cum ſolennitate factos, ut in ſubhaſtatione. Dixi: *per ſe*; nam emptio neceſſariorum ad victum, ſiquidem præveniri nequit, utique excipitur; & ſæpe excuſatur ob levitatem materiæ, vel uſum communem, quo derogatur legi: & ſubeſſe poteſt publicæ utilitatis ratio, ut quia non eſſent emptores, vel exiguo numero tantùm, vel quia Ruſtici non poſſunt deſerere rus, vel quia affluxus non poteſt bis fieri, ſemel pro Feſto, dein ob nundinas; ſicque cum proportione tenet diſpenſatio c. *Licet.* eod.

Tertiò. Prohibitio Strepitûs Forenſis comprehendit omnes perſonas Judiciales, ut Judicem, Partes, Teſtes, Tabellionem, Advocatum, & ſiqui ſunt horum Miniſtri. Nam jura citata indifferenter & generaliter loquuntur. Similiter comprehenduntur omnes actiones judicii, quæ propriè forenſes & publicæ ſunt, & quaſi intrinſecè pertinent ad Acta judicii. Secùs autem eſt de his, quæ extrinſecè fieri poſſunt, quaſi remotæ diſpoſitiones ſeu præparationes, ut confectio inſtrumenti, examen teſtium ex commiſſione Judicis extra locum Judicii; nam ſtat quies fori. Denique quoad Feſtum particulare ratio habetur loci Judicis; nam ipſe eſt Principalis quem alii ſequi debent; & aliàs nimia foret dilatio Judicii. Pars verò Judicem adire poteſt ſine violatione Feſti. 3

CAPUT

CAPUT XXX.

De Actibus Forenſibus in particulari prohibitis in Feſto, vel irritis.

1 Primò. Prohibitio comprehendit omnes tres partes judicii, ſcilicet inchoationem cauſæ, proceſſum ejus ac cognitionem, & terminum per ſententiam. Ita omnes ex c. 1. & ult. de Fer. Nam in illis conſiſtit ſtrepitus judicialis. Additur irritatio ipſo facto, loquendo de feriis in Dei honorem deputatis; ſecùs enim eſt de feriis ruſticis, quibus Partes utpote in ſuum levamen introductis, renuntiare poſſunt.

2 Secundò. Citatio, ſi fit pro Feſto vel in Feſto, illicita & nulla eſt. Nam ſi fit pro Feſto: ergo præcipitur violatio Feſti; ergo nulliter in terminis. Quòd ſi dicitur tali die menſis, hebdomadæ &c. non præſumitur prava intentio, ſed actus valet, ut poteſt, ſcilicet pro die ſequenti. Ita Innoc. Anton. & alii. Similiter ſi dicitur uſque ad Dominicam, intelligitur hæc incluſivè, ut compareatur die ſequenti. Idemque eſt, cùm dicitur intra octo dies, nam ſolùm mora conceditur, & optio diei habilis inter conceſſos.

3 Pars altera patet, quia citatio facta in Feſto, attenditur vel ut eſt actio ſeu præceptum Judicis, vel ut eſt quaſi paſſio Partis ſeu intimatio præcepti? Si 1um, ergo pertinet ad ſtrepitum; nec fit ſine cognitione cauſæ, & juxta Abb. cenſetur ſententia Interlocutoria: ergo nulla eſt, quæcunque deinde intimatio fiat: nam agitur de favore & Religionis & Rei. Si 2um, vel ex voluntate Judicis ita fit; ergo iniquè juxta dicta num. ſuper. vel ex ignorantia, malitia Miniſtri, aut Judicis extrajudicialiter agentis; ergo tenet præceptum, non tamen intimatio, quia pars eſt ſtrepitûs Forenſis. l. *Ut in die* & l. *ult.* Cod. de Fer. ergo denuo repeti debet, aliàs omnia erunt nulla.

Tertiò. Examen Teſtium in Feſto 4
eſt illicitum & nullum. Gl. In Clem. un. de Offic. Deleg Specul. Jo. Andr. licere id volunt, ſi in profeſto præceſſit Juramentum, quia ad hujus diem retrotrahitur; & eſt actus extrajudicialis meri executoris. Abbas autem cenſet actum eſſe illicitum, quia diſtrahit, non tamen irritum. Sed contrà, quia dictus actus non eſt ſervilis, ſed prohibetur ut judicialis: idem autem præceptum eſt, quod & prohibet, & irritat. Nec refert, quòd actus diſtrahat; nam etiam lectio curioſæ hiſtoriæ diſtrahit, quin prohibeatur in Feſto.

5 Deinde retrotractio fingitur, nam quo jure habetur? Imò contra jus eſt, quia ſemper interrogatio fit ſub Juramento: ergo hoc repetitur. Rurſus examen ſine dubio pertinet ad ſtrepitum judicialem, éſtque magna pars ejus; ſicque *Proceſſus* quoad illud *non tenet.* d. c. ult. & d. l. ult. Et Teſtis, ut fatetur Abb. cogi non poteſt: ergo non interrogatur juridicè, vel ſi juridicè, ergo nulliter. Tabellio etiam ſine dubio peccat ſcribendo & fidem dando: id autem pertinet ad Proceſſum. Denique executio hæc & fundatur in Jurisdictione Judicis, & eſt fori contentioſi.

6 Quartò. Non omnis ſententia prohibetur in Feſto, ſed ſolùm in cauſa litigioſa, ejúsque executio à fortiori. Prior pars patet de ſententia Excommunicationis: quia non fit cum ſtrepitu, imò excommunicare non eſt procedere & judicare, ſed velut præceptum ponere; ideò enim abſolutio licet, & utrumque favor eſt animæ. Similiter licent actus Jurisdictionis voluntariæ d. c. ult. & l. *Actus* Cod. de Fer. Nam ſtrepitus judicialis dicitur, ubi cauſa eſt contentioſa, & ubi quæſtiones & jurgia tractantur, Abb. Hoſt. Jo. Andr. Spec. Et huc à fortiori pertinet Executio; nam quid ſit judiciale, rectè colligimus ex d. l. *Actus.* d. l. *Ut in die.* & d. l. ult. majórque tunc fit perturbatio Partium: ergo irritatur actus, ut poteſt; nam aliquando conſiſtit in facto irrevocabili.

Quintò. Loquendo in rigore, idem eſt de Appellatione. Nam revera pertinet ad Proceſſum, nec lex Civilis potuit derogare Canoni, imò nullibi obſtat; nam l. 1. Cod. eod. & l. 1. §. *Dies.* ff. Quando appell. & Auth. de Appell. & intra quæ temp. Coll. 4. ſolùm probant ad ſummum, quòd ubi neceſſitas urget, defenſio ſit juris naturæ: at conceſſo decendio, neceſſitas per ſe non urget. Quia verò oppoſitum tenet communis Juriſtarum, réſque fit ſine magno ſtrepitu, éſtque favor; Author damnare non audet. A fortiori autem licent omnes actus extrajudiciales, ut quòd Advocatus informet Judicem &c. quòd internuntius ſeu Arbitrator & Compoſitor conciliet Partes: nam fœdera & ſimilia pacta licent. Secùs eſt de vero Arbitro; quia procedit modo judiciali. 7

Sextò. Nec omnia juramenta (publica privatáve) nec ſola judicialia prohibentur. Non enim prius; aliàs quodlibet juramentum eſſet ſpeciale peccatum, contra omnem ſenſum & uſum Eccleſiæ, & contra rationem: nam quæ neceſſitas tantæ prohibitionis? Non poſterius, quia d. c. 1. additur: *Niſi pro pace.* tale autem juramentum non eſt judiciale. Ergo exceptio pertinet ad juramenta conventionum & obligationum humanarum; per Pacem intelli- 8

telligendo quodlibet, quod facit ad jurgia removenda, & conciliandam concordiam: nam pax ſemper rectè procuratur. Prohibetur ergo juramentum ſolenniter factum, in aliqua publica actione, ut conſonat textus, ubi poſt *mercatum* & *judicium* prohibitum, ſubditur juramentum.

9 Septimò. Duplex exceptio dictæ prohibitionis fit, niſi *neceſſitas urgeat*, vel *pietas ſuadeat.* Ita d. c. ult. quod ſicut generaliter prohibet, ita etiam generaliter & indifferenter excipit, qualiscunque cauſa ſit, civilis, criminalis &c. ut notant omnes, intelligendo *neceſſitatem*, ſi effectus judicii poſcat in feſto, l. 1. §. *Sed excipiuntur.* l. 2. & 3. ff de Fer. c. *Significaverunt* de Judic. Sic incarceratur ſuſpectus de fuga, & damnatur Hæreticus in feſto propter atrocitatem delicti, ſcandalum publicum &c. Sic in parvis oppidis judicia fiunt, quia aliàs non adſunt ruſtici. *Ad Pietatem* juxta omnes ſufficit ſola ratio miſericordiæ indigentium, ut in cauſa miſerabilium perſonarum. l. 2. ff de Fer. & ne graventur expenſis. Poteſt etiam Pietas ſumi pro Religione, obſervantia erga patriam, parentes, conſanguineos, ſi quidem vera ratio indigentiæ ſublevandæ ſubſit; nam ſola Religio &c. non eſt titulus rationabilis.

CAPUT XXXI.

Quanta ſit obligatio dictæ prohibitionis, & quamdiu duret?

1 Primò. Obligatio ex genere ſuo gravis eſt, etiam ſecluſo contemptu: quamvis in individuo ob levitatem materiæ peccatum poſſit eſſe leve. De priore conſtat ex dictis ſuprà. Poſterius certiſſimum eſt. Sic Sylv. Ang. Soto. Navar. Cajet. excuſant tonſorem à gravi, ſi tondeat per partem horæ. Alii verò extendunt ad tertiam diei; alii laborem horæ pro mortali habent. Sed per prius fit nimia licentia, multum derogando legi, & ſine probabili fundamento; per poſterius fit nimia reſtrictio, cùm pars 24ta nec nimia ſit reſpectu totius, nec multùm impediat finem præcepti. Res ergo eſt prudentis arbitrii, attendendo qualitatem, & laborem operis: & ſiquis invincibiliter erret in arbitrio, veniale tantùm erit; imò nec hoc, ſi aliqualis neceſſitas accedit levitati materiæ.

Secundò. Durat dicta obligatio per totum diem naturalem (niſi in particulari præcepto pars tantùm deſignetur) initium autem & finis obligationis eſt à media nocte in alteram, ut in jejunio. Conſtat ex communi conſuetudine, de qua, quantùm ad Hiſpaniam, Galliam, & Italiam, teſtatur Author. Nam ali- 2

ud eſt de feſto in ordine ad officium Eccleſiaſticum, aliud in ordine ad præſentem obligationem: ſicque illud ſæpè transfertur, non tamen iſta in diem alium. Quòdſi in variis Provinciis aliud introductum eſt, conſtat, ſtandum eſſe conſuetudine; ſicut dimidia tantùm die feſti obligatio tenet, ubi ſtatutum vel conſuetudo tenet.

3 Sed quid ad c. 1. de Feriis? Gl. id accommodat ad officium, ſed non conſonat textus. Abb. per *Veſperam* intelligit ortum Solis. Sed & violentum eſt, & contra obſervantiam, quæ non incipit à diluculo. Poſſet ergo intelligi punctum medium noctis, quo Sol nobis incipit propinquare: clarius tamen dicitur, veſperam accipi pro nocte, non determinando punctum ejus, ſed relinquendo, ut juxta communem uſum intelligatur. Igitur quòd non liceat Sabbato laborare poſt occaſum Solis, ut vult Roſella, ſine dubio falſum eſt, ſuppoſito priore principio.

CAPUT *XXXII.*

De Cauſis, quæ excuſare poſſunt ab obſervatione Feſti.

1 Primò. Generatim loquendo, excuſat neceſſitas imminens, quæ præveniri non potuit; vel quia repentina eſt, vel diu durat, vel quia uſus & conditio humana aliud non patitur. Aliud enim eſt, per ſe non eſſe obligationem, ut in actione coquendi; aliud, obligationem tolli per diſpenſationem, aliud, manente obligatione de ſe; in particulari caſu hic & nunc excuſationem eſſe ob cauſam, ob quam intelligatur, Legislatorem noluiſſe obligare pro tali caſu, quin interveniat propriè dicta diſpenſatio.

2 Secundò. Excuſat neceſſitas propriæ conſervationis, vel ſuſtentationis propriæ vitæ, aut familiæ. Oportet tamen, ut & abſit ſcandalum, laborando ſecretè, & neceſſitas certa & evidens ſit. Nam ſi dubia ſit, eo ipſo cauſa non ſufficit, ſed recurri debet ad Paſtorem, ſicut idem, quando actio eſt publica, ut in ſegete tegenda contra pluviam &c. optimè aditur: tutiúsque eſt propter affectum proprium ad ſe, & defectum doctrinæ, conſulere doctum. An verò ſine diſpendio ceſſari poſſit à coctione laterum &c. facti eſt, non juris; & ſcire ad artifices ſpectat, & illis credendum eſt.

Sic etiam excuſatur famulus, ab hero coactus ad laborandum; nam vel privaretur ſtipendio, vel alimento neceſſario, vel domo & famulatu ejiceretur, quin ſpes ſit facilè reperiendi commodum ſimile. Ita Cajet. Nav. Sylv. Ang. Roſel. Anton. Si enim neceſſitas intrinſeca excu- 3

ſat;

ſat; ergò & extrinſeca; nam ſupponimus, abeſſe injuriam Religionis, quæ ob nullum metum permitti poteſt.

4 Tertiò. Excuſat neceſſitas Communitatis. Ita c. *Licet.* de Fer. éſtque exemplum in militibus, quibus cùm præveniri non potuit, de annona & neceſſariis providendum eſt. Imò vi conſuetudinis ſufficit, licèt cauſa publica non ſit ſimpliciter neceſſaria, ſed conveniens tantùm; ut in adventu Regis parantur theatra. Tamen tutius petitur licentia; nam ut detur, cauſa ſine dubio ſufficiens eſt.

Quartò. Excuſat vera neceſſitas proximi. Eſtque excuſatio facilior, cùm hìc abſit periculum affectûs proprii; quamvis tutius ſit, uti conſilio. Ubi autem clara eſt neceſſitas, tutius eſt excedere; nec tunc, ſi bona fide proceditur, peccatur. Igitur dicta omnia duobus verbis ex c. ult. eod. comprehendi poſſunt, niſi *neceſſitas urgeat*, vel *pietas ſuadeat.* Textus autem ſolùm agit de actibus Judicialibus, excipiendo illos à prohibitione, non excuſando, quaſi ex genere prohibitos. Oportuítque explicari, ne dubium eſſet de valore actuûm. 5

CAPUT XXXIII.

De Diſpenſatione in hoc Præcepto.

1 Primò. Diſpenſatio non ſolùm per Pontificem, ſed etiam Epiſcopum, imò & Parochum dari poteſt; utique ex cauſa. Pertinet enim hæc poteſtas ad ordinarium Regimen, & eſt moraliter neceſſaria pro caſibus repentinis, vel extraordinariè occurrentibus: ergo etiam Parocho competit, ſi licentia ſolùm ſit ad tempus, & pro ratione actualis occaſionis occurrentis. Ita Antonin. Cajet. Soto, Sylv. Angel. Nec enim cauſa per ſe ſemper ſufficit ad excuſandum, nec ſemper certa eſt; & adhuc ad ſcandalum tollendum, licèt certa ſit, interponitur rectè authoritas Superioris. Licentia autem merè præſumpta non ſufficit, quamvis ſufficiat pro practica certitudine, ſi ſit judicium probabile de per ſe ſufficientia cauſæ; ut ſi in jure probata eſt, ſaltem æquivalenter.

Secundò. Diſpenſatio à jure eſt in c. *Licet* de Fer. nec enim ſiſtitur in materiali exemplo. Sed rectè extenditur ad capturam tynnorum, imò etiam ad venationem, vel alia genera acquiſitionum, ſervata proportione in aliis; ut quòd agatur utilitas publica, quia occaſio non redit acquirendi in tanta quantitate. Vi textûs autem additur onus eleemoſynæ; quod non eſt per modum conſilii: in diſpenſatione autem per hominem ſecùs eſt, eſto, poſſit onus addi, quia conſonat juri, ſed 2

non præcipitur. Quòd ſi cauſa privati ſit, vitatio damni accedere debet, non mera acquiſitio lucri, niſi ob indigentiam perſonæ omiſſio prudenter cenſeatur nocumentum non mediocre. De diſpenſatione c. ult. eod. dictum eſt ſuprà.

3 Tertiò. Diſpenſatio tacita etiam à conſuetudine eſſe poteſt quoad opera de ſe prohibita. Ita Antonin. Sylv. Cajet. Soto, Tab. Armil. Navar. Nam licèt legem nemo tollere poſſit, niſi qui ferre poteſt, tamen facto concedi poſſe diſpenſationem, fatentur omnes; ut ſi Prælati, quod fit, videndo & tacendo tolerant. Cauſam autem diſpenſandi ſecum fert conſuetudò, nam & præſumitur orta ex neceſſitate, & aliàs ſubeſſet periculum animarum.

Sic ergo excuſantur quoad aliqua opera Piſcatores, Venatores, Pictores, Tonſores, Artifices veſperi præparantes materiam, mundantes inſtrumenta artis, vendentes ruſticis in feſto venientibus, Judices iisdem jus dicentes; eſto etiam ſubſit cauſa neceſſitatis & pietatis. Hæc tamen amplianda non ſunt, quia diſpenſatio regulariter ſtrictè accipienda eſt, & conſuetudo diſciplinam relaxans odioſa eſt, & creſcit, niſi multitudo in officio contineatur à Paſtoribus. 4

LIBER III.

De Reverentia debita locis Religioſis.

CAPUT I.

An ex affirmativo vel negativo præcepto debeatur loco ſacro reverentia aliqua?

1 Primò. Rectè deputantur loca ſpecialia ac ſacra ad DEI cultum. Conſonat non tantùm Scripturæ, ac definitioni Eccleſiæ, ſed etiam rationi naturali, ut error oppoſitus vix habeat rationem apparentem. Nam ſacer locus hic dicitur, qui ſpecialiter deputatur ad actiones Divini cultûs, maximè Sacrificia & Orationes; eſtque triplex, quia vel authoritate Epiſcopi eſt erectus, & conſecratus aut benedictus; vel eadem quidem authoritate erectus eſt, ſed non benedictus; vel denique privatâ tantùm authoritate erectus eſt. Primo modo propriè dicitur *Eccleſia*, altero *Baſilica*. Gl. c. 1. de Relig. dom. quamvis etiam prius nomen retineat, ſiquidem ſimpliciter eſt pro ordinario uſu Fidelium: ad vitandum

dum autem æquivocum dicitur Eccleſia non benedicta.

2 Quòd ſi erectio privata eſt, locus ſacer propriè non eſt, nedum Eccleſia. l. *In tantum.* ff. de rer. diviſ. ſed dicitur *Oratorium*, vel ſi per ſe ſeparatus eſt, *Eremitorium* aut *Capella.* Tamen hæc vox etiam Eccleſiam ſignificat, utique ſimplicem, non Parochialem: aliquando autem indifferenter quamlibet, ut tit. de Capellis Monach. Sermo ergo in præſenti, maximè eſt de primo genere loci ſacri.

3 Secundò. Certiſſimum eſt, Eccleſiam debitâ reverentiâ tractandam eſſe, idque pertinere ad cultum Dei. Nam ut definit Syn. VII. & Nic. II. rebus ſacris debetur honor Religioſus: at templum non eſt minùs ſacrum, quàm veſtis. Porrò quantùm ad debitum ſeu obligationem, aliud eſt, ad præſtandum, aliud ad vitandum quid obligari. Rurſus aliud eſt, colere Deum in templo, aliud templum ipſum venerari: illud fit per actum directè terminatum ad Deum, ut objectum, quod colitur propter ſeipſum. Poſterius fit per actum proximè terminatum ad locum, ut objectum ſeu materiam, circa quam verſatur reverentiæ actus, Deum verò attingit, ut rationem colendi locum. Nam rès inanimis eſt incapax honoris propter ſe.

4 Tertiò. Nullum eſt ſpeciale præceptum colendi Deum in Eccleſia, niſi quatenus actio aliqua Divini cultûs non poteſt extra eam legitimè exerceri. Conſtat de Jure naturali. Licèt autem Eccleſia convenientiſſimè locum inſtituat ad Dei cultum, non tamen hunc arctat ad illum, cùm Deus ubilibet rectè coli poſſit. Solùm ergo pro Sacrificio non permittit quemlibet locum; imò olim Parochiam tantùm deputabat, c. *Si quis etiam* de Conſ. d. 1. c. *Nulli* de Conſ. d. 3. Similiter pro Horis Canonicis locus præſcriptus eſt, non pro oratione privata. Oblationes denique non reſpiciunt talem locum; ut ſi extra Eccleſiam celebratur pro populo.

Quartò. Nullum datum eſt præceptum affirmativum abſolutum de aliquo cultu circa loca ſacra; & conſequenter præceptum reverenter ea tractandi, licèt formam Affirmativi habeat, reſolvitur in Negativum; & poteſt impleri per ceſſationem ab omni opere, quod loco injurioſum ſit. Nam nec teneor adire locum, niſi ob Sacrificium, Horas &c. nec tunc ad directam venerationem loci, cùm ſufficiat, Deum ibi colere; & hic cultus nec formaliter nec materialiter terminetur ad locum, niſi per accidens tantùm, quatenus ibi fit; ſicque abſolutæ obligationis nec eſt neceſſitas, nec uſus, ſicut hypotheticæ, ut orandi attentè, ſi volo orare. Similiter enim, ſiquid agere volo circa locum, debet eſſe actio honoraria: ſi eò accedere; ergo reverenter: ſi ſigna facere æſtimationis, ergo debitæ; ſeu reveren- 5

tiæ

tiæ c. *Decet,* de Im̃. Eccl. in 6. ubi quibusdam ſuaſis miſcentur, quæ ſunt juris naturæ.

6 Quintò. Obligamur vitare non tantùm omnem actionem, directâ & formali intentione factam in contumeliam ſeu irreverentiam loci, ſed omnem exteriorem, qui in ſe continet irreverentiam, quacunque intentione fiat. Nam duplici modo conſtituitur actus in ſpecie peccati, uno, per directam intentionem, ut ſi adulter directè vult dehoneſtationem mariti; altero, indirectâ voluntate, & ex ſola intentione operis voliti, ut ſi nollet, conjungi injuriam mariti. Prior modus vix cadit niſi ex animo hæretico, vel odio; ſemperque graviſſimus eſt, licèt actio externa ſit leviſſima. Poſterior ergo per ſe ſufficit, quia ſatis eſt velle actum externum, qui habet talem conditionem non ignoratam, licèt non intendatur. Quòd ſi animus ſit ſignificandi, quòd non oporteat facere differentiam inter hunc, & communem locum, contemptus erit formalis, eſto actus de ſe indifferens ſit, ut confabulatio.

CAPUT II.

De Actibus in loco ſacro prohibitis, qui illum polluunt.

1 Primò. Actus, quibus polluitur Eccleſia, quinque ſunt. Patet ex c. *Propoſuiſti,* & c. *Conſuluiſti,* de Conſ. Eccl. c. un. eod. in 6. c. *Eccleſiam* 12. de Conſ. d. 1. Numerantur enim homicidium (utique voluntarium, ſeu non merè caſuale) effuſio ſanguinis, effuſio ſeminis, ſepelitio excommunicati, ſepelitio Pagani. Addunt deſtructionem Eccleſiæ vel Conſecrationis. Sed huc non pertinet; nam quòd locus denuò conſecrari debeat, commune eſt etiam caſuali combuſtioni, vel ruinæ parietum (ſecùs eſt, ſi tectum, aut ligneum aliud quid comburatur; nam parietibus inhæret Conſecratio) d. c. *Propoſuiſti.* & c. *Ligneis,* eod. c. *Eccleſiis* de Conſ. d. 1. ergo non ex prohibitione actionis, ſed ob ſublatum fundamentum Conſecrationis ſequitur ineptitudo loci. Imò quia benedictio adhæret ſolo, non opus eſt expurgatione, ſed Divina liberè celebrari poſſunt in loco benedicto, & non polluto per dictos caſus ſeu actus.

Commune autem eſt dictis actibus, quòd ſi fiant, ex genere ſuo ſacrilegium mortale committatur; quia non fiunt ſine gravi irreverentia loci. Differentia tamẽ eſt, quia in primis tribus caſibus locus polluitur vi tranſeuntis actionis; in poſterioribus verò vi permanentis effectûs. Corpus enim ante omnia exhumandum eſt, & poſtea utendum ritu Expurgationis; cùm in prioribus 2

ſuffi-

ſufficiat expurgatio per Orationes & Ritum conſuetum. Dein in illis requiritur culpa, ſecùs in poſterioribus, c. *Sacris.* de Sepult.

3 Secundò. Effuſio ſanguinis &c. rationem ſacrilegii non habet, quia polluitur Eccleſia, ſed è converſo; quidquid ſit, an ſit néćne ea malitia ex jure poſitivo. Nam effectus pollutionis per ſe & ut ſic, non eſt culpa, ſed velut pœna, & ad modum cenſuræ: at furtum v. g. non ideò malum eſt, quia per illud incurritur cenſura; nec ſi in Eccleſia fit, ſacrilegum fit per cenſuram, ſed ſupponitur eſſe: ſicut interdictum Eccleſiæ ſupponit crimen in ea factum; & ſemper pœna, præſertim ſpiritualis ſupponit culpam, ſive ex ſe talem, ſive ortam ex prohibitione Eccleſiæ.

4 Confirm. Quia ex vi Pollutionis non ſequitur intrinſecè, actum eſſe mortalem, ut non ſequitur in irregularitate ex defectu lenitatis, cùm pollutio non ſit vera macula, ſed ſolùm impedimentum morale ab Eccleſia poſitum; ſícque admittit Angel. debitum conjugale & licitè reddi, & polluere Eccleſiam. Nec refert, culpam aggravari; nam etiam aggravatur per contumaciam contra cenſuram, & tamen ſubſtantialis culpa furti v. g. non eſt ratione cenſuræ, ſed prohibitionis, quam Cenſura ſupponit. Eandémque ſupponunt (eſto non exprimant, ſicut nec inſtitutionem Pollutionis) Jura, ut d. c. un. d. c. *Propoſuiſti.* c. *Aqua.* c. *Si Eccleſia.* eod.

Tertiò. Ultimi duo caſus (quidquid ſit de prioribus) quoad rationem ſacrilegii ſolùm fundantur in prohibitione Eccleſiæ. Nam communicatio potuit negari Vivo tantùm: ergo excommunicatum ſepelire ideò malum eſt, quia prohibitio formaliter includitur in Excommunicatione: ergo illa non eſt juris naturalis, ut patet in non vitando excommunicato: ergo multò evidentius eſt, ſepelitionem non ideò eſſe malam, quia polluit. Nec vi ſepelitionis prohibitæ ſequitur Pollutio, magis quàm ob effractionem Eccleſiæ, ut patet in interdicto perſonaliter (d. c. *Sacris* per verbum *Præciſis*) & aliis expreſsè privatis ſepulturâ ſacrâ. Nemo enim ſive Canoniſta ſive Summiſta meminit Pollutionis ſecutæ ex eorum ſepelitione; nec æquiparatio cum Excomunicatione fit, niſi in his, quæ generaliter conveniunt cenſuræ, vel quæ expreſſa ſunt c. *Is cui.* de S. E. in 6. aliàs non eſſent cenſuræ diſtinctæ. Denique quòd locus ſacer pro ſolis Fidelibus deſtinatus ſit, eſt ex deſtinatione merè voluntaria Eccleſiæ, ut patet in excluſione Catechumeni, & infantis, qui ratione patris videtur habere jus. 5

Dices: Intrinſecè malum eſt, ſepelire hominem, quem conſtat eſſe damnatum. ℟. Argumentum procedere generaliùs de omni publico 6

P pec-

peccatore, non de Infideli tantùm aut Excommunicato, conſequenter ſine Jure quoad rem præſentem. Dein negatur aſſumptum; nam defuncto poteſt haberi honor propter alios titulos, ut conjunctionis, humanitatis &c. ergo nec intentio per ſe mala eſt, nec actio per ſe injurioſa loco, utpote non deformato, niſi ſuppoſitâ aliâ prohibitione. Et hæc eſt ipſa inſtitutio, ut Fideles ibi juventur ſuffragiis, & tanquam in ſacro depoſito ſint uſque ad Reſurrectionem; ſicque nullus, de cujus impœnitentia moraliter, vel ex præſumptione juris conſtat, ibi ſepeliri poteſt. c. *Quibus.* c. *Quæſitum.* c. *Fures*, cum aliis 13. q. 2.

CAPUT III.

An omne opus profanum in templo factum, ſit contra ſanctitatem Loci?

1 Primò. Profanum, quod merè negativè opponitur Religioni, non ſufficit ad ſacrilegium. Nam hoc modo profanum eſt, quidquid non ſpectat ad Religionem: conſtat autem & impropriè ſic dici profanum, ſi non ſit poſitivè & contrariè oppoſitum Religioni, & aliàs quemlibet actum etiam virtutis, fore malum in loco ſacro, ut actum Pœnitentiæ, ſi non fiat ex imperio Religionis: at talia præcepta fingenda non ſunt.

2 Secundò. Non omnis actus in individuo indifferens, eo ipſo eſt malus ob circumſtantiam loci ſacri. Nam nec lex poſitiva prohibet omnes actus, nec ratio naturalis dictat, nihil niſi actum virtutis licitè agi poſſe in dicto loco: quo enim principio id colligitur? nam ratio ſolùm dictat, nil agendum eſſe contra reverentiam loci: actus autem indifferens non eſt irreverentia. Nec quia locus ſacer eſt, generalis ratio loci amittitur, ùt quòd tegat, recreet: ergo licet eo uti, non ut ſanctus eſt, ſi nil fit contra ſanctitatem ejus.

Hinc tamen non ſequitur, omnem actum indifferentem ibi licere, ſicut nec omnem bonum de ſe; & ideò controverſia eſt de actu malo. Nam alii volunt, omnem malum eſſe ſacrilegum ex dicta circumſtantia, ut ejectio vendentium è templo &c. Alii ut Cajet. Sanch. negant, ullum actum ex natura rei opponi ſanctitati loci, quia nec affirmari poteſt de quolibet actu malo, nec eſt major ratio de aliquo. Sic etiam non omne peccatum perſonæ ſacræ, vel contra hanc commiſſum, ſacrilegium eſt. 3

CAPUT IV.

De Actionibus Forenſibus prohibitis in templo.

1 Primò. Eccleſia poteſt aliquas actiones prohibere in loco ſacro, ut eo ipſo ſint ſacrilegæ, licèt aliàs non eſſent. Ita omnes. Nam Legislator poteſt conſtituere actum præceptum in certa ſpecie virtutis, & actum prohibitum in certa ſpecie vitii pro capacitate materiæ: quamvis differentia ſit inter utrumque. Nec enim poteſt fieri actus virtutis, qui de ſe non eſt, cùm id pendeat ex materia quaſi intrinſeca actûs: ſicque lex ſupponit honeſtatem actûs præcepti, & ſuperaddit neceſſitatem. Tunc autem actus contrarius, qui priùs ſolùm negatio erat temperantiæ v. g. fit intemperantia privativa, ut comeſtio carnis. Unde regulariter loquendo, in eadem materia poteſt exerceri actus virtutis ſine lege; ut abſtinere à deambulatione in templo &c. propter cultum Dei, religioſum eſt.

2 Secundò. Placitum judiciale ex prohibitione Eccleſiæ fieri nequit in templo, & ſi fit, ſacrilegum eſt, licèt aliàs non eſſet, etiam ſuppoſita inſtitutione loci. Citatur c. 1. de Imm. Eccl. Sed ſolùm vetatur, ne Judices ſibi ad Placitum vendicent domos Eccleſiarum, conſequenter à fortiori templa. Non fit autem abſoluta prohibitio, ut nec de conſenſu Prælati liceat; nec attenditur ſpecialis ſanctitas loci, ſed libertas bonorum Eccleſiæ; & ideo extenditur vetitum etiam ad actus voluntariæ juriſdictionis. Rurſus in c. *Cùm Eccleſia* eod. prohibetur Placitum, ſed in cauſa ſanguinis: & additur excommunicatio, quæ non extenditur ultra dictam cauſam.

Jus igitur expreſſum eſt c. *Decet*, 3
eod. in 6. nam ut ex principio textûs conſtat, prohibitio fit intuitu ſanctitatis loci. Et illa ejusmodi eſt, ut contrarium permitti nequeat ex conſenſu Cleri, cùm Placitum ſemper ſit contra quietem loci, quæ ibi poſcitur. Imò infert Decius, prohiberi etiam Placitum Eccleſiaſticum propter particulam *cujuscunque fori.* Sed conſtat ex contextu, agi de foro materiali, non de Judiciali; nec Lex contra verba ſua (expreſsè enim limitat ad Placitum Laicum) extendi poteſt ob rationem, quâ utitur, cùm poſſit eâ uti, quantùm vult, & non ampliùs. Imò juxta c. ult. 2. q. 2. Eccleſiaſticum in Eccleſia inſtituendum eſt; utique de honeſtate, non de neceſſitate. arg. c. *Qua fronte.* de Appell.

Ex his autem patet, actum Placiti 4
non ſemper & ex ſe ac naturâ ſuâ ſacrilegum eſſe; & ideo dictam prohibitionem reſtringi ad Placitum Laicum. Eſtque congruentia, quia

Clericus ex ipſo loco magis commonetur Officii ſui, arg. c. *Teſtimonium* 11. q. 1. Rectè autem quantùm ad cultum Feſti, æquiparatur Laico Judici, quia tunc occupari debet rebus ſacris, non judicialibus litibus.

5 Tertiò. Obligat dicta prohibitio ex genere ſuo ſub mortali. Nam materia ex ſe gravis eſt, & ſpectat ad communem pacem, & ſpiritualem utilitatem Eccleſiæ, & ad virtutem Religionis. Et de cauſa ſanguinis fatentur omnes, propter Excommunicationem in d. c. *Cùm Eccleſia*; idem autem eſt de cauſis aliis, quia materia omnium ſatis gravis eſt, ipſáque prohibitio de ſe rigoroſa eſt juxta vocem *Interdicta*, quæ in d. c. *Decet* additur ad condiſtinguendum ab iis, quæ ſolùm conſilii ibi ſunt: & ideò jubentur compeſci Laici; utique per Cenſuras, ut Gl. explicat. Denique additur irritatio Placiti ſic vetiti in Eccleſia; conſequenter extendi nequit ad Placitum vetitum in aliis domibus Eccleſiæ. d. c. 1.

6 Quartò. Non extenditur dicta prohibitio ad actus voluntariæ Juriſdictionis. Abbas fatetur, illos non irritari: at nec prohibitio ullibi fit in citatis Juribus; eſto aliunde malitia eſſe poſſit ex natura rei, ut propter turbationem quietis &c. Et tractatio de re merè temporali, & Politica gubernatione prohibetur, non titulo Placiti, ſed per alia verba d. c. *Decet.* nempe *Publica Parlamenta.* Secùs autem eſt de Concilio ſuper re Eccleſiaſtica, vel pertinente ad pietatem; ſecùs etiam de collatione Doctoratûs, cùm nec Placitum ſit, nec actus Juriſdictionis contentioſæ, nec reperiatur prohibitum ſive ſub ratione generali, ſive ſub ſpeciali, imò uſus ejus ſit in graviſſimis Univerſitatibus: poteſt tamen ex natura rei illicitum eſſe, ſi perturbet &c.

Quintò. Mercatus in templo prohibitus eſt Jure Eccleſiaſtico, non tamen irritus. Patet ex d. c. *Decet.* 7
Nam duplici modo actus attendi poteſt: uno, generatim & ex intrinſeca ratione ſua; alio, ex genere & ut moraliter ſecundùm ſe ſpectatur negotiatio. Actus ergo in individuo poteſt eſſe honeſtus, & ex fine etiam, & propter talem modum, ut ſine perturbatione, vel alio incommodo Eccleſiæ fiat: interdum autem habet culpam, ſed venialem, ſi non excedatur in modo contendendi &c. Poſteriore modo ſpectata mercatura ex ſe improportionata eſt Templo, & multis periculis peccati expoſita; ſicque meritò dictum eſt, quòd faciat *Speluncam latronum*, & notatur in c. *Ejiciens* d. 88. & c. *Qualitas* de de Pœn. d. 5. Lex verò attendit, quod ſæpius accidit, prohibendo abſolutè, licèt in individuo malum in ſe non ſit, ſed ex genere tantùm. Et hoc modo intelligenda & conciliandа ſunt, quæ tomo 3. in 3. p. habentur circa rem præſentem.

CAPUT

CAPUT V.

De Actionibus furti prohibitis in Templo.

1 Primò. Furtum rei non ſacræ, quæ eſt ſub cuſtodia Templi,& quaſi ſub fide Dei, ſacrilegum eſt. Eſt certa ob caſum Heliodori circa Depoſita : & quia aliàs ruit diviſio trimembris ſacrilegi furti c. *Quisquis* 17. q. 1. Contra jus enim naturæ eſt, rem extrahere à Dominio Dei. Et l. *Divi.* ff. ad L. J. Pecul. conceditur Actio furti ob conditionem loci ſacri, non rei, quia Dominus furti tantùm Actionem habet, non ſacrilegii. Et l. *Aut furta.* ff. de Pœnis, ſatis notatur ſacrilegium ratione loci : nam ſi propter hunc res ſacra aufertur ſacrilegè, cur non res alia ablata? Denique Juris ſolùm erat diſcernere vitia in ordine ad vindictam, non pro conſcientia.

2 Secundò. Idem eſt, licèt res merè per accidens in loco ſacro fuerit, ratione nempe perſonæ, quæ ibi eſt. Ita communis, nihil diſtinguens inter caſum Depoſiti & præſentem. Nam nec Canon diſtinguit, nec eſt ratio diſtinguendi, aut verba d. c. *Quisquis* non accipiendi ſecundùm integrum & abſolutum ſignificatum: *ſiqui depoſita, vel alia quælibet exinde abſtrahunt*, ut ſenſus comunis tenet de abſcindente crumenam. Imò deſtruitur partitio d. c. *Quisquis.* quia Depoſitum jam eſt aliquo modo res ſacra, ſicut promiſſio jurata pertinet ad forum Eccleſiæ propter juramentum.

3 Confirmatur, quia ſi negotiatio eſt prohibita propter furta, & injuſtitias; ergo majori ratione furtum ipſum in Templo : ſicque ratio naturalis dictat, totam hanc reverentiam eſſe debitam Deo, vel templo propter Deum, qui in eo peculiariter habitat. Igitur oppoſita ſententia paucorum (Victor. Soto &c.) contra torrentem, judicari non debet practicè probabilis & ſecura, quia eſt ſine textu, & ſine ratione firma, vel probabiliter ſuadente. Vel ergo actus in ratione furti eſt venialis, vel mortalis? Si 1mum, idem eſt de ratione ſacrilegii. Si 2dum, de ſacrilegio judicent alii; nam violatio immunitatis fortè levis eſſe poſſet, quamvis difficile ſit diſcernere.

CAPUT VI.

De aliis actionibus fieri prohibitis ob reverentiam Templi.

1 Primò. Vetatur receptio ſuppellectilium &c. ſecluſa neceſſitate, Ita c. *Relinqui.* de Cuſt. Euch. Licèt autem Lex directè feratur Clero, per

conſequentiam tenet etiam alios, cùm non poſſint inducere ad vetitum: bonâ tamen fide facilè excuſantur, licèt peccet admittens. Sed ut delictum grave ſit, oportet notabiliter impediri vel fœdari Eccleſiam. Nec prohibitio extenditur ad Sacriſtiam (minùs ad Cœmeterium juxta ſubjectam materiam; quis enim ibi deponet?) ut conſtat ex proprietate verborum, & ex ratione textûs, & ex uſu recipiendi ibi depoſita.

2 Secundò. Prior pars c. *Decet.* de Immun. Eccl. in 6. eſt ſuaſiva uſque ad verſ. *Nullus in locis* &c. poſterior autem uſque ad §. *Ordinarii* præceptiva. Nam ad priorem referuntur illa: *Suadenda ſuadeant*; nec quæ conſilii tantùm ſunt, extorqueri per cenſuras poſſunt. Præceptum autem ſonat pars altera per particulam *Compeſcat*, utique per cenſuram: ergo ſupponendo culpam. Idem poſcit vox *interdicta*, & modus procedendi imperativè, & ſubjecta materia, ut mercatus, ſtrepitus judicii. Igitur qualitas peccati penſanda erit ex materia.

3 Sic utique grave eſt ſeditionem excitare, præſertim cum clamore & impetu. Et Nav. colligit hinc, etiam ludos clamoroſos prohiberi, utique turpes, ut omnes notant, quia repræſentationes, quæ ad pietatem movere poſſunt, non prohibentur. Textus autem de ludis profanis nil diſponit, ſed res penſandâ eſt, attento fine, fructu, vel impedimento, quod affert ludus. Magis facit c. *Cùm decorem* de Vita & hon. Rurſus *Parlamenta* Sæcularia, ſi non ſint de re iniqua, nec graviter turbent Divina, ſed ſolùm commoditatis gratiâ habeantur in Templo, non videntur gravem afferre irreverentiam; ſicque regulariter non eſſe mortalia.

Quantùm ad *Confabulationem*, vel eſt otioſa, vel fœda aut profana contrariè, vel de ſe honeſta? Si 1mum, venialis eſt irreverentia, per ſe loquendo. Si 2dum, prohibetur cum exaggeratione, ſicque irreverentia gravis eſt, ut detractio gravis, aut verba, quæ fovent odium & jurgia. Si 3tium, non prohibetur, quia non tenemur ſemper uti Templo, ut Templum eſt, cùm obligatio ſit quaſi affirmativa, & non obliget pro ſemper, ſed ſatis ſit nunquam agere contra illam: ergo non abſolutè prohibetur, quidquid non religioſum eſt, ſed ſolùm quæ aut otioſa, aut alias mala ſunt. Nec obſtant c. pen. & ult. d. 42. utpote Regulæ S. Auguſtini & S. Benedicti. Et in c. *Non oportet.* 2. & c. *Nulli* ead. diſt. quantùm ad convivia, ſermo non eſt, niſi ferè de eo, quod ex natura rei indecens eſt. 4

CAPUT

CAPUT VII.

Sintne aliqua, quæ in Templo fiunt, ratione hujus circumſtantiæ mala ex Jure naturali?

1 Primò. Multa ſunt, quæ licèt nec Jure naturali, nec Eccleſiæ prohibita ſint, malè fiunt in Templo; idque ex Jure naturali. Nam licèt inſtitutio Poſitiva reddat locum Sanctum, tamen ſicut Doctori ſua jura, & Calici conſecrato reverentia, ita & Templo naturaliter debetur, quod ſuum eſt, conſequenter ne profanetur. Si enim in aliis rebus conſecratis ita eſt, cur non in templo? Et utique in hoc indecentiſſimus ex ſe eſt uſus conjugii.

2 Nec refert, quòd liceat in caſu neceſſitatis, quaſi lex Eccleſiæ tunc ceſſet. Nam multi putant, nec tunc excuſari: & quidquid de hoc ſit, conſecutio eſt nulla, quia neceſſitas mutat materiam, ut patet in Panibus Propoſitionis, & Calice conſecrato. Nec exonerare ventrem excuſari poteſt à gravi ſacrilegio, non utique propter malitiam, ſed fœditatem materialem: idem ergo eſt in præſenti. Unde omnino diſplicet, quod vult Vaſq. fornicationem ſi occulta ſit, non habere circumſtantiam ſacrilegii gravis. Nam habet etiam ſecluſo Jure poſitivo, & ſaltem ex hoc habet c. *Significâſti* de Adult. quia culpa non pendet ex futuro eventu, nec actus ideò malus eſt, quia polluit; éſtque per accidens, quòd conditio publicitatis requiratur ad pœnam.

3 Secundò. Omne peccatum, ſaltem externum, habet in d. loco malitiam ſacrilegii. Quòd aggravetur, ferè omnes fatentur, quia ſine dubio magis pugnat cum recta ratione, quòd peccatum ibi potiùs, quàm alibi fiat. Idem ſumitur ex PP. Ambroſio, Baſilio, Chryſoſtomo, S. Thoma, Hieronymo contra Vigilant. dicente: *Quando iratus fuero, Baſilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus & animo & corpore contremiſco.* Et notant Interpretes in 1. Cor. 11. & omnes in facto Chriſti ejicientis vendentes &c. nam ſine dubio factum eo modo, quo fiebat, reputavit ſacrilegum, non vi legis poſitivæ, ſed ob loci ſanctitatem. Et fatetur Cajet. 2. 2. q. 91. a. 1. canere laſciva eſſe ſacrilegum, quia *loco ſacro injuria fit.*

Tertiò. Secùs eſt de actu interno, 4
ſiquidem locus ſit mera circumſtantia operantis. Si enim locus ſe habet ut pars objecti voliti, ut volendo furari ibi, ſine dubio ſacrilegium fit mentale, ut omnes conveniunt; conſtátque de diverſitate ſpeciei ex ſigno optimo. Nam quoties ſola circumſtantia facit actum ex non malo malum; ergo in nova ſpecie mali, cùm aliam non habeat: ergo idem fit in actu malo, quia & hic eſt injurioſus loco. At ſi locus ſolùm eſt circumſtantia operantis actum internum; nec Eccleſia hunc prohibet (non enim judicat de internis) nec jus naturale loci; quia cùm ille non

ſit ſenſibilis, per ſe non ſit in loco ſenſibili, ſicut actus externus per ſe & naturâ ſuâ dicit ordinē ad locū. Solùm ergo aggravatur actus ex parte operantis, quatenus ob circumſtantiam loci continere ſe deberet, & concupiſcentiâ rapi ſe ſinit.

5 Quartò. Circumſtantia dicta ſacrilegii rarò eſt mortalis, niſi interveniat prohibitio Eccleſiæ, vel notabilis irreverentia appareat in ipſo actu externo. Nam neque ex Jure Eccleſiæ, neque ex naturali conſtat, quodlibet mortale fieri eoipſo mortaliter ſacrilegum: quia licèt ejus malitia magis injurioſum reddat actum reſpectu Dei, non tamen reſpectu loci. Sic detractio, utut ex ſe gravior, minùs locum afficit, quàm furtum: & copula de ſe licita, plùs repugnat loco, quàm mendaciū, quia non tantùm ratione malitiæ, ſed etiam ex conditione & modo actûs materialis afficitur locus.

6 Secùs eſt ſuppoſita prohibitione Eccleſiæ, ut omnes fatentur. Licèt enim actus ex levitate materiæ ſit venialis; tamen ſi aliunde eſt mortalis, ſemper etiam eſt reſpectu prohibitionis ſuperadditæ; ſicque lex humana graviùs tunc obligat, quàm naturalis. Nam poteſt novam obligationem imponere proportionatam materiæ; imò ad hoc datur poteſtas determinandi, quod lex naturæ per ſe non determinabat. Rurſùm ſi lex non eſt directè prohibens, etiam irreverentia ſolùm indirecta eſt, & ex generali principio, ſicque levis eſſe poteſt; at poſita prohibitione, irreverentia jam eſt directa, quia lex determinat omiſſionē actûs in ſignum reverentiæ loci.

Denique actus in ſe habere poteſt notabilem irreverentiam, ut non ſolùm fornicatio, ſed etiam tactus maximè graviores, & in partibus inhoneſtis; quamvis fortè ſecùs ſit de turpi aſpectu aut nutu, præſertim ſi in tranſitu ſit, ſine notabili mora & ſcandalo. 7
Hoc quippe (regula generalis & certa dari nequit) ſignum eſt non contemnendum, quia licèt diverſam malitiam habeat, & per accidens reſpectu ejus, quod ſit, tamen indicat malitiam propriam, quando ſub illa movet actus ad ſcandalum: at qui ita operantur, apprehenduntur non tantùm ut luxurioſi, ſed ut irreligioſi, & in locum ſacrum injurioſi, ac ſub ea ratione graviter offendunt populum; ergo etiam Deum & Templum.

Neque hactenus dictis obſtat, quod affert Cajet. cum aliis. Nam cùm ait, actum eſſe contra ſanctitatem loci, qui impedit uſum ejus; vel intelligit de uſu, ad quem locus inſtituitur, vel ſub uſu intelligit omnia privilegia conceſſa loco? Si 1mum, apertè falſum eſt, quia locus non inſtituitur, ut ſit aſylum &c. Si 2um, Cajetanus & impropriè loquitur, quia non omnia pertinent ad proprium finem Eccleſiæ, & petit principium, quia virtute vult, nihil pugnare cum loco, niſi vi prohibitionis Eccleſiæ. Poteſt autem actus ex ſe includere virtualem contemptum loci, & conſequenter jure naturæ eſſe prohibitus, ſicut ſimilis contrectatio profana rei ſacræ, de quo pluribus infrà. 8

CAPUT

CAPUT VIII.

De Immunitate multiplici Eccleſiarum, præſertim quoad tuitionem delinquentium.

1 Primò. Per dictam Immunitatem intelligitur exemptio loci ab oneribus, operibus, uſibus repugnantibus ſanctitati ejus. Sicut enim vox *Eccleſia* nunc perſonas, nunc locum ſignificat, ita etiam Immunitas vel eſt perſonarum in ſe aut bonis, vel ipſius loci, ut nunc de illa ſermo eſt. Bonorum enim ejus Immunitas communis eſt aliis bonis Eccleſiaſticis, ut talibus, imò propriè non pertinet ad Eccleſiam, ut templum eſt, ſed ad Clerum ejus, quia illud non eſt capax dominii aut juris, ſed Clerus vel Communitas ratione Templi, ſeu in ordine ad illud.

2 Secundò. Jus loci ſacri eſt, ut habeat *Dotem* ſuam, ſeu *Manſum*, ut vocatur c. 1. de Eccl. ædif. & c. 1. de Cens. itemque ut ſit illæſum. Nam ſine dote conſecrari non poteſt c. *Placuit.* c. *Nemo.* de Conſ. d. 1. Dein conſideratur, ut perſona capax dominii (ſive hoc ſit Dei, ſive Cleri, ſive Communitatis) & conſequenter etiam injuriæ, vetitæ jure naturæ c. *Sacrilegium.* c. *Quiſquis.* c. *Qui rapit.* cum aliis 17. q. 4. c. *Conqueſti.* de S. E. Extenditur autem hæc immunitas c. *Sicut antiquitus.* 18. q. 4. ad confinia & domos per 40. vel 30. paſſus; quod juris tantùm poſitivi eſt, & ideò ſtandum eſt conſuetudine, quæ ſolùm videtur complecti Cœmeterium. Suppoſita tamen extenſione vis ſacrilega eſt, quæ intra id ſpatium fit, utpote prohibita in ſignum cultûs ejus.

Tertiò. Huc pertinet Immunitas ab his, quæ locum polluunt, de quibus ſuprà. Turrecrem. extendit ad excommunicationem minorem; ſed ſine textu, conſequenter ſine ratione, quia in ſimilibus alia eſſe nequit, niſi textus. Specialiter tamen quibuſdam interdicitur ſepultura ſacra c. *Quia in omnibus.* de Uſur. c. *Placuit* 25. q. 5. itemque ne Laici intra Eccleſiam ſepeliantur. c. *Præcipimus.* 13. q. 2. Sed conſuetudo oppoſitum habet. 3

Adde ex c. 1. de Immun. Eccl. privilegium, ne Sæculares uſurpent Eccleſiam ad Placitum vel Hoſpitium. Sed hoc non eſt conſiderare Eccleſiam, ut habet rationem loci, ſed perſonæ habentis jus circa ſua: & ideò prohibitio extenditur ad domos, quæ ſacra loca non ſunt, quamvis, ut alia bona Eccleſiaſtica aliquo modo ſacræ ſint, & ideò earum violatio ſacrilega ſit d. c. *Sacrilegium*, & d. c. *Quiſquis.* 4

Idem eſt de prohibitione, ne Eccleſia diruta in profanos uſus convertatur. Nec enim illi id propri- 5

Q um

um eſt, ut loco, ſed ut rei aliquo modo ſacræ. c. *Ad hæc* de Relig. dom. c. *Quæ ſemel.* de R. J. in 6. c. *Ligna.* c. *Altaris.* cum aliis de Conſ. d. 1. Negant aliqui, ex ſacris veſtibus ſciſſis fieri poſſe profanam, aut ſacram ex veſte feminæ. Sed utrumque falſum eſt: nam ut perſonæ ex profanis fiunt ſacræ, ita & veſtes, dummodo debito modo & figurâ applicentur.

6 Quartò. Speciale eſt loco ſacro, ut locus eſt, ut ſit Aſylum. Ita c. *Definivit.* c. *Miror.* c. *Nullus.* c. *Id conſtituimus* 17. q. 4. c. *Inter.* de Immun. Eccl. Eſtqúe res antiquiſſima, ut conſtat ex Nazian. Ambr. Chryſ. Auguſt. Conc. Tolet. XII. & Aurel. 1. & ex Decretis citatis. Quibus tamen antiquiores ſunt leges, licèt Immunitas principaliter inducta ſit per Pontifices (utique ex ſuavi providentia, non ex neceſſitate) nolentes eam præcipere, ſine conſenſu Imperatorum. Certum tamen eſt, materiam eſſe Eccleſiaſticam, & conſequenter in Canone majorem authoritatem circa eam eſſe, imò propriam & intrinſecam poteſtatem.

Alii volunt, dictam Immunitatem eſſe Juris Divini. Sed vel eſt naturalis vel Poſitivi? non 1mum, quia extrahere Reum è Templo, huic per ſe injurioſum non eſt, ut patet in caſibus conceſſis, nec ut non fiat, debetur vi conſecrationis, ſed per poteſtatem conferentis id jus. Non 2um, quia neque vi Legis Veteris, ut ex generalibus principiis conſtat (& à fortiori, cùm ſit Cæremoniale) neque vi Novæ, quia nec ſcriptum, nec traditum eſt; nec Chriſtus quid inſtituit præter Ritus ſubſtantiales Sacramentorum &c. Aliunde autem determinatio Immunitatis quoad loca, delicta, perſonas &c. tota eſt de Jure Eccleſiaſtico. 7

CAPUT IX.

Quænam Eccleſiæ gaudeant Immunitate?

1 Primò. Eccleſia conſecrata vel benedicta gaudet dicto Privilegio. Ita omnes. Sumitur ex vi ipſius vocis *Eccleſia*, quæ tali loco ſimpliciter tribuitur in propria & uſitata ſignificatione. Imò licèt locus nec conſecratus nec benedictus ſit, ſufficit eſſe Divinis obſequiis dedicatum, & Divina in eo celebrata eſſe. c. *Eccleſiæ.* de Immun. Eccl. Nam & locus propriè Religioſus eſt c. *Adhæc.* de Relig. Dom. & purificari debet à pollutione c. ult. de Conſ. Eccl. ſatiſque eſt, Jura loco tribuere nomen Eccleſiæ.

Secundò. Idem eſt, licèt Divina nondum in dicto loco celebrata ſint. Nam adhuc eſt ſimpliciter Religioſus d. c. *Ad hæc.* nec incipit eſſe Eccleſia, quia in eo celebratur, ſed è con- 2

converſo, quia Eccleſia eſt, ideò de jure ordinario apta eſt ad celebrandum. Dein Dedicatio ad hoc facta authoritate Epiſcopi, æquivalet Benedictioni, juxta rationem d. c. *Eccleſiæ.* Nec enim de celebratione ibi agitur, quaſi conditio ſit veræ Eccleſiæ, ſed ſolùm Eccleſia ab ea nominatur; quia ita frequentiùs accidit; conſequenter comprehenditur Eccleſia proximè apta ad celebrandum, ut aliàs nomen ſignificans actum, uſurpatur ad ſignificandam aptitudinem: et hæc eſt intentio Pontificis, ut declarat per rationem, quam allegat.

3 Confirmatur, quia falſum eſt, Dedicationem Eccleſiæ ante celebrationem nondum eſſe perfectam, quia locus non poteſt profanari, & ſi polluitur, purgandus eſt, ut ſubdit Gl. ſibi repugnans. Unde juxta communem non refert, locum eſſe interdictum vel pollutum, quia pœnæ non plùs operantur, quàm expreſſum ſit: at de privatione Immunitatis nil expreſſum eſt; nec locus peccavit, nec deſiit eſſe ſimpliciter Eccleſia: ergo ſicut Clericus excommunicatus gaudet Immunitate, ita & locus ſuâ, ſicut ne in eo ſit Mercatus, Placitum &c.

4 Tertiò. Nomine Eccleſiæ comprehenditur tota ejus fabrica, imò & cœmeterium. Nam favor præſertim Religionis, rectè ampliatur ad latam & communiter receptam ſignificationem vocis, ut tenet etiam conſuetudo, interpres optima. Omnéſque conſtituunt differentiã quoad dictum Privilegium, & Pollutionem in acceptione vocis *Eccleſia*; facítque c. *Id conſtituimus.* c. *Siquis contumax.* 17. q. 4. c. ult. de Immun. Eccl. l. *Quæ Religioſis.* ff. de rei Vendic. Unde etiam ſufficit, apprehendere vectem Eccleſiæ, ut notat Covar. aut eſſe in tecto, quia ibi quis propriè eſſe dicitur, ubi pedes habet, licèt à corpore non circumdetur, ut Sancti in convexo cœli. Satis enim eſt, eſſe intra ſitum Eccleſiæ, ut in ſuperiore camera, licèt non tegatur.

Quartò. Idem eſt de locis aliis propriè Religioſis, ut Monaſterio, Hoſpitali &c. Ita d. c. *Ad hæc.* & c. *Ligna.* de Conſ. d. 1. Imò idem datur domui Epiſcopi. d. c. *Id conſtituimus.* Sed limitant, ſi ſit intra 40. paſſus ab Eccleſia. Tamen id ſpatium per ſe eſt immune aliunde: ergo ſine fundamento textûs fit limitatio Privilegii diſtincti à Privilegio Eccleſiæ. Covar. allegat conſuetudinem forenſem contrariam. Quæ ſi ſit, tenet, cùm expreſsè non ſit contra Canonem. 5

Quintò. Secùs eſt de Oratoriis privatis. Nam tale Oratorium, licèt in eo authoritate Epiſcopi celebretur, nec eſt Eccleſia, loquendo ſimpliciter juxta uſum juris, nec locus verè Religioſus, aut immobiliter ad Divina deputatus; nam tali loco repugnat poſſe converti in uſus profanos, aut erigi authoritate privata. Quod denique Hoſt. Turrecr. 6

Sylv. notant de Reo amplexante Sacerdotem deferentem Corpus Chriſti, in praxi ſervandum eſt; nam locus, in quo dictum Corpus eſt, licèt in tranſitu, rectè dicitur Eccleſia, & idem eſt Privilegii fundamentum: ergo valde probabilis conſequentia eſt, deberi hanc reverentiam Chriſto, quaſi Jure Divino: quidquid neget Gl. c. *Quæſitum* 13. q. 2. de extenſione per conſequentiam.

CAPUT X.

Quæ perſonæ gaudeant dictâ Immunitate?

1 Primò. Laici omnes baptizati gaudent dicto Privilegio. Ita omnes. Nam locutio eſt indefinita, & negativa ſeu prohibens. c. *Siquis contumax.* 17.q.4. c. *Inter.* de Immun. Eccl. ergo excipere non licet, niſi ratio vel authoritas cogat. Unde non refert, eſſe excommunicatum, quia cenſura plus non operatur, quàm expreſſum ſit. Idem eſt de interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ: cùm non obligetur in tanto periculo, nec excludatur, niſi in ordine ad actus Religionis, ſed ingredi poſſit ob pluviam, defenſionem ſui &c.

2 Idem eſt de ſervo, loquendo de punitione publica. Nam reſpectu Judicis reputatur, ut liber; nec apud Deum eſt acceptio perſonarum. Si autem punitio herilis eſt, cogitur redire, præſtito priùs juramento impunitatis per dominum. d. c. *Inter.* cùm habeat jus ad ejus opera. l. ult, Cod. de his, qui ad Eccl. conf. Si verò periculum ſit propter atrocitatem domini; aut major cautio dari debet, aut ſervus vendi.

3 Secundò. Immunitas non datur contra Judicem Eccleſiaſticum. Nam nec Privilegium Fori quemquam tuetur contra Eccleſiam, nec tuitio niſi adverſus poteſtatem Laicam committitur in d. c. *Inter*; & aliàs nec Clerici, nec Monachi incarcerari poſſent. Idémque tenet conſuetudo, interpres optima, ut patet, cùm damnatus ab Eccleſia, traditur brachio ſæculari: quamvis propter alia maleficia Hæreticus perinde gaudeat Immunitate ac alii, cùm fundamentum non ſit excipiendi, ubi Jus non excipit.

4 Tertiò. Infidelis, ſi petat baptiſmum, gaudet Immunitate. Vel enim petitio præceſſit fugam, vel ſequitur? Si 1mum, non eſt ratio præſumendi ſimulationẽ, aut dicendi, frequentiorem eſſe: nec fit beneficium perſonæ, aut patrocinium iniquitatis, magis quàm in tuitione Rei baptizati, ſed attenditur dignitas loci, & tuitio vitæ. Dein nec Canon ullum genus hominum excipit, nec eſt ratio, quæ cogat excipere; nam l. 1. Cod. eod. ſolùm excludit eos, qui *ſimulatè* petunt. Si 2um,

lex

lex diſponit in materia non ſuâ, cùm negat tales recipi debere ad baptiſmum: ergo Eccleſiæ eſt, hominem diligenter examinare, & admittere purgationem præſumptionis, cùm non ſit Juris & de Jure: ubi enim ſtatuitur? Dixi, ſi petat; nam aliàs procedit: *De his, qui forls &c.* Et lex contra hos vim habet, ubi Canon non repugnat, ut ſupponitur d. c. *Inter.*

CAPUT XI.

In quibus cauſis valeat Immunitas?

1 Primò. Non excipiuntur cauſæ civiles per ſe loquendo. Nam illas comprehendit l. 1. & ult. Cod. de his, qui ad Eccleſ. &c. & Canones volunt, ſtari lege: ergo vox *Reus* latè ſumitur pro poſtulato ad cauſam; ſicque non obſtant c. *Id conſtituimus* 12. q. 4. & c. *Inter* de Immun. Eccl. Rurſus argumentum à pari, quod Jaſon cum aliis ſumit ex die feſto, & eſt inefficax in re Juris poſitivi, & retorquetur in incarceratione latronis. Denique exceptio de obnoxiis tributis publicis ex Auth. de Mand. Princip. §. *Publicorum* præjudicat Canoni.

2 Secundò. Quantùm ad crimina, propter nullum extrahi Reus poteſt niſi in caſibus Jure exceptis, vel æquivalente conſuetudine. Regula conſtat ex citatis Juribus. Conſuetudo autem, ſi eſt videntibus Prælatis, ex beneplacito Eccleſiæ, & in odium delicti introducitur, non ad diminutionem reverentiæ loci: ergo tenet, ut circa furem, ſuppoſito facto ſeu conſuetudine, quam refert Covar.

3 Excipitur quidem d. c. *Inter*, latro publicus, vel nocturnus depopulator agrorum: at extendere exceptionem ad crimen quodlibet æquè grave, eſt improbabile. Nam in eodem textu præmittitur regula de quantumcunque gravibus: ergo illatio eſt deſtructio regulæ. Rurſus c. ult. eod. excipitur homicidium in Eccleſia factum: ergo ſecùs eſſe de facto extrà ſignificatur, quamvis ex ſe gravius latrocinio ſit. Denique argumentum à ſimili nullum eſt, nec jura ſine cauſa loquuntur in particulari: nam attendunt frequentiam criminis, perturbationem pacis publicæ &c. Ita Sylv. Covar. Abb. & alii.

Tertiò. Quodlibet crimen grave in Eccleſia commiſſum excipitur à dicta Regula. Ita communis Abbat. Nav. Covar. & uſu receptum eſt. Nam d. c. ult. priùs generaliter loquitur de ſpe impunitatis, ſubdens gratiâ exempli de homicidio &c. & poſtea reddit rationem generalem, *Fruſtra Legis auxilium &c.* ergo non refert, abfuiſſe dictam ſpem, cùm textus fundetur in qualitate delicti injurioſi Eccleſiæ. Perinde 4

Q 3 autem

autem eſt, ſive quis ſagittam mittat ab intrò foras, ſive è converſo, ſive intrò mandet, occidi foris &c. nam ſemper delictum fit intrò, ut Sol illuminans hìc, licèt non exiſtens hìc; nec attenditur conſummatio, niſi quam verba pœnæ exigunt.

5 Extendit Covar. ad peccatum prope Eccleſiam: at contra textum, qui expreſsè meminit Eccleſiæ, & Cœmeterii; ergo virtute excludens loca vicina. Dein ipſe negat referre, an ſub dicta ſpe peccetur, nécne; & aliàs qui longè abeſt, & cum eadem ſpe peccat, excludetur. Quod furem attinet, qui ſecum rem defert in Eccleſiam, injuriam per talem delationem rei ablatæ non facit Eccleſiæ; ſecùs ſi hac abutatur ad furtum occultandum.

Quartò. Exceptio occidentis *per induſtriam & inſidias* c. 1. de Homic. malè reſtringitur ad Clericos. Nam ſine fundamento reſtringitur particula *Siquis*; & recurritur ad metaphoram in re morali, intelligendo Degradationem per avulſionem ab Altari, cùm textus è Scriptura translatus ſit, conſequenter in ſenſu litterali: eſtque incertum & fortè falſum, quod de dicta pœna affertur, & certum, ſaltem ex dicto textu non probari. Nec refert, exceptionem tam generalem non fieri in d. c. *Inter*: nam Gregor. IX. potuit, & voluit addere. Denique parvi momenti eſt, Trid. ſ. 14. c. 7, d. textu uti pro irregularitate: nam & eſt argumentum à fortiori, & non diſtinguitur inter Clericum & Laicum. Ita Felin. Aretin. Covar. Abul.

Quintò. Stando in d. c. 1. non ſufficit homicidium præmeditatum cum induſtria & ſine dolo, nedum caſuale, aut voluntarium repente factum. Nam particulæ *per induſtriam & inſidias* non ſunt ſynonymæ, ut per ſe conſtat; & occiſio *inſidioſa* eſt aggreſſio nil tale præcaventis, maximè cùm cauſa non fuit præcavendi, ut ſi quis à tergo invaditur, veneno perimitur, aut ſimili dolo, ut Abſalon fratrem, & Joab Abner & Amaſa occidit. Secùs eſt, ſi totâ induſtriâ fit occiſio, at provocando, vel ſic aggrediendo, ut locus ſit defenſioni &c. Nam prior particula per poſteriorem explicatur, & limitatur, ut tenet communis, & ſecuta eſt conſuetudo. 7

De Aſſaſſinis ceſſat quæſtio, quia vel de eis ſermo eſt, ùt Gente certâ, c. 1 eodem in 6. vel juxta uſum vulgarem vocis de prædonibus viarum &c. Si 2um, utique inſidioſè occidunt. Si 1mum, ergo etiam ut Infideles excluduntur aſylo; imò in eis ſufficeret mandatum, effectu non ſecuto, juxta tenorem pœnæ contra eos latæ. Secùs eſt de Chriſtiano mandante; effectus enim requiritur & ſufficit, juxta interpretationem Juris c. 72. de R. J. in 6. Quia verò verba Legis requi- 8

quirunt effectum conſummatum, & humano modo ſumenda ſunt, & ad proprietatem reſtringenda, præſertim in materia odioſa, non ſufficit vulneratio inſidioſa, niſi oppoſitum habeat conſuetudo.

9 Sextò. Raptus virginis gaudet Immunitate, loquendo de Jure. Ita c. *De Raptoribus* 36. q. 1. Reſpondet Covar. derogatum eſſe. Sed ubi? Non per legem Civilem, quia non habet, quod deroget Canoni, & aliàs etiam adulter exciperetur, ut conſequenter concedit Anchar. ſed rejectus ab omnibus. Non per argumentum à ſimili ex noviore Jure Canonico, quia nullum eſt, ut eodem exemplo patet. Oppoſitum ergo defendi debet vel titulo conſuetudinis (facile enim eſt, ut d. Canon non fuerit univerſaliter receptus) vel quòd Raptus comprehendatur ſub latrocinio. &c.

Exceptio denique à regula fit de 10 fugiente è carcere. Sed exceptio & ſine jure eſt, & ſine probabili ratione. Nam talis jam eſt redditus ſuæ libertati, ſecùs ac cùm ad eum Evchariſtia defertur, aut cùm captivus per templum ducitur ex defectu alterius viæ. Et licèt juraverit manere, Eccleſia tamen jus habet eum tuendi, imò ſi incarceratio injuſta eſt, nullo modo reſtituere eum debet, ſed juramentum relaxare. Si autem juſta eſt, extradere poterit, prævia tamen cautione impunitatis.

CAPUT XII.

De Effectibus Immunitatis circa confugientes ad Templum.

1 Primò. Reus nec extrahi poteſt ex Eccleſia, nec in ea affici vi. Nam ſic Eccleſia eſſet carcer; quod indignius eſt, & contra Tolet. XII. & l. *Præſenti.* Cod. de his, qui ad Eccl. confug. Unde ſpoliari Reus nequit bonis allatis c. *Definivit* 17. q. 4. ſiquidem juſtè detinetur, nec defert quid contra Legē. Alioquì rectè ſubtrahitur materia culpæ, aut continuationis ejus. Similiter Eccleſia obſideri ita nequit, ut recluſo neceſſaria non deferantur, d. l. *Præſenti.* Denique juxta Abbatem, Jo. Andr Covar. & alios non licet veſtem Re arripere, aut eum capere, cùm extrà ponit pedes &c. nam fit vis perſonæ, quæ intra Eccleſiam eſt, quamdiu caput & præcipuas partes intrà habet.

Secundò. Reus, quamdiu in Aſylo eſt, damnari nequit ad pœnam 2 corporalem, nec huic æquiparatam, ut ſervitutem, triremes, & exilium. Ita c. *Inter* de Immun. Eccl. ubi hic effectus expreſsè diſtinguitur ab extractione perſonæ. Et ibi conceditur *punitio*, tamen ut diſtincta à *pœna*, ergo corporali: & ita ſimiliter intelligi poteſt c. *Id conſtituimus* 17. q. 4.

q. 4. Nec obſtat c. *De Raptoribus.* 36. q. 1. Nam diſponit de caſu ſpeciali, nec de ſe (utpote Jus Provinciale) obligat univerſim, nec in uſu eſt. Eccleſia tamen imponere poteſt pœnitentias pro ſcandalo &c. quia non datur Immunitas contra ſalutem Animæ.

CAPUT XIII.

Quale crimen, & quæ pœna ſit Judicis violantis Aſylum?

1 Primò. Extractio in tribus caſibus per ſe licita eſt. Conſtat in caſibus jure exceptis. Nam quia tunc jus concedit; nec conſenſu Paſtorum opus eſt, nec petitione facultatis, cùm nullibi caveatur, & Auth. *Siquis ei* Cod. ad L. J. de Adult. nil probet. Idem eſt, ſi Reus precibus &c. inducitur, ut exeat. Nam nec volenti injuria fit, nec Eccleſiæ, cùm ſola vis prohibeatur c. *Inter.* de Immun. Eccl. Idem denique eſt, ſi Rector licentiam dat, nam vis non fit Eccleſiæ, cui, & non perſonæ, directè datur Privilegium; at dari dicta licentia poteſt, factâ legitimâ compoſitione c. *Id conſtituimus.* 17. q. 4. non expectato conſenſu Rei; Judex tamen ſtare pactis tenetur.

2 Secundò. Judex per vim & contra Immunitatem extrahens Reum committit grave ſacrilegium. Eſt certiſſima ex c. *Sacrilegium.* c. *Quisquis.* c. *Siquis contumax*, c. *Miror.* 17 q 4 Unde vis vi repelli poteſt Jure naturæ; vi, inquam, ſed ſpirituali, aliiſve mediis v. g. abſque bello activo, ut fores claudendo &c. quia hoc nec decet, nec licet, ſecluſa diſpenſatione ſumendi arma. Injuria autem, quæ illata eſt, reſarciri debet, reſtituendo Reum, quia aliàs iniquitas ferret commodum, & parvi momenti foret Immunitas, ſi ſemel violata reparatione careret. Nec ſufficit tunc cautio Immunitatis, ſed promittenda eſt reſtitutio; etiam per cenſuram extorquenda, poſtea ſequente compoſitione aliâ, ut docent omnes, & uſus.

Tertiò. Judex ſic peccans tenetur crimine Majeſtatis, & ſupplicio capitis. Ita l. 2. & l. *Præſenti.* Cod. de his, qui ad Eccl. conf. Per Canonem autem non fertur cenſura, ferri tamen poteſt, & debet, per ſe loquendo d. c. *Miror.* & d. c. *Quisquis &c.* additúrque d. c. *Siquis contumax* pecuniaria pœna. 3

Quartò. Injuria etiam Reo fit contra Commutativam, cum obligatione reſtituendi. Ita Valentia & Moderni, nam Summiſtæ & alii rem non diſputant. Ratio eſt, quia Juriſdictio exercetur extra territorium (ſuppoſitâ exemptione loci ab actu comprehendendi) c. *Cùm Epiſcopus.* de off. ord. in 6. c. *Luminoſo.* 18. q. 2. c. 1. de Privil. in 6. Clem. ult. eod. ergo per tyrannidem contra Reum, ſicut contra Clericum uſurpatâ vi; eſto, exemptio principali- 4

paliter loco detur. Nam quia ei datur, ut tuetur confugientem, etiam in hunc redundat; ſicut cùm Gallia exempta ſit à Jurisdictione Hiſpana, etiam in Hiſpanum redundat exemptio, ut ibi degit, non ratione ſui, ſed loci.

5 Quintò. Captura eſt Juridicè nulla, & omnes actus ſubſequentes Judicii; ſicque quò magis progreditur Judex, multiplicat injurias, & conſequenter tenetur ad reſtitutionem omnium. Nulla, inquam, eſt captura, quatenus non confert novum jus vel poteſtatem in reum, Jure prohibente retentionem: ſicut Uſuraria acceptio eſt nulla, quia non acquiritur dominium. Atqui tota actio eſt violentia & tyrannis, & injuſta rapina: ergo non dat jus, nec poteſtatem retinendi, ſed obligatio eſt reſtituendi c. *Si antiquitus* cum aliis 17. q. 4. & c. *Decet*, de Immun. Eccl. in 6.

6 Idem ergo eſt de actibus ſequentibus, nam omnium fundamentum, ſcilicet poſſeſſio Rei, eſt nullum. Nec Reus legitimè interrogari poteſt, ut eſt ſignum evidens, quòd non teneatur reſpondere, ut omnes habent pro indubitato. Datur enim illi actio contra Judicem, ut ſe reſtituat: ergo donec audiatur, non cogitur reſpondere; imò nec in Eccleſia tenebatur: id autem jus non amiſit per violentiam.

Dices: Nemo reſtituit ſic commiſſa: at difficile creditu eſt, in tam communi praxi tam gravem errorem contineri, præſertim quia S. Thom. 2. 2. q. 92. a. 2. non meminit injuſtitiæ. R. non quæri quid agatur, ſed quid agendum ſit: conſuetudo autem non poteſt prævalere contra Jus, quod naturale eſt, ſuppoſitâ d. exemptione, cui Laici derogare non poſſunt. Dein reſtitutio hîc eſt, non ex re accepta, ſed injuſta acceptione, quæ ceſſat poſitâ ignorantiâ invincibili: putant autem, ſe non operari malè. Sed cavere debent, ne ſint præcipites, quia ſæpe ducuntur nimio affectu, ſine ſufficienti ratione. 7

S. Thomas loquitur hypotheticè, actum eſſe ſacrilegum, licèt non eſſet injuſtus, quod intentioni Sancti ſufficiebat. Et dictis addo, ſi Judex per alium faciat dolo exire Reum, idem crimen committi cum eadem obligatione reſtituendi, cùm illum ſic capit; nam actio principaliter erit ipſius Judicis. Quòd ſi doli particeps non ſit, ſine dubio capere poteſt egreſſum: & privatus tenebitur ad reſtituendum, quod poteſt. 8

TRACTATUS III.

De Vitiis Religioni contrariis, & præceptis negativis, quibus illa prohibentur.

LIBER I.

De Irreligioſitate, eiúſque Speciebus.

CAPUT I.

Quid ſit Irreligioſitas, & quot modis dicatur?

1 PRimò. Sicut Religio eſt una virtus, ita vitium oppoſitum poteſt ſub ratione unius concipi & ſignificari, vocando Irreligioſitatem. Quamvis enim vox minùs uſitata ſit Latinis, rectè applicatur, cùm irreverenria latiùs pateat, nec ita reſtringatur ad hoc vitium. Porro hoc diſtingui poteſt vel formaliter, ſeu ſecundùm formalem ſuam malitiam, vel materialiter, ut eſt in actione corporali, ſpirituali, vocibus, geſtibus &c.

2 Secundò. Licèt virtus Religionis unica ſit ſpecie, tamen malitia Irreligioſitatis eſt ſpeciei multiplicis. Nam per ſe incredibile eſt, dictam malitiam unius tantùm eſſe ſpeciei, ut patet de Idololatria & Perjurio; & aliàs ſufficeret confiteri Irreligioſitatem: quod in omnium ſententia abſurdum eſt; idémque patet in aliis virtutibus, ut Liberalitati opponitur & Prodigalitas & Avaritia, ſícque nihil obſtat, virtutẽ oppoſitam eſſe unius ſpeciei, quia habet actus ſpecie diverſos: formalis autem malitia vitii ſpectatur in actu potiùs, quàm in habitu, nec ille hunc generat per entitatẽ poſitivam.

Confirm. Quia bonitas eſt ex integra cauſa; at malitia ex quolibet defectu: ergo illa deſtrui poteſt per varios defectus diverſarum circumſtantiarum, ſícque reſultare malitia multiplex. Nam aliud eſt privatio quaſi partialis formæ oppoſitæ; aliud privatio totalis, quæ totaliter & omni modo privet formâ oppoſitâ. Sic Sacrilegium excludit quidem à ſuo actu totam honeſtatem Religionis, at non totaliter Religionem ipſam, quia non omnino excludit cultum veri Dei, cùm hoc ſit Idololatriæ. Igitur Irreligioſitas, ut genus ſupremum com- 3

plecti-

plectitur totam materiam Religionis, & omnem modum deſtruendi ejus honeſtatem; id quod non fit per vitia particularia Religioni oppoſita.

4 Tertiò. Irreligioſitas dividitur immediatè in duo membra. Sicut enim cultus Dei, vel huic in ſe & propter ſe exhibetur, vel rebus aliis Deo dicatis; ita Irreligioſitas ſpecificè ſumpta fit Deo ipſi in ſe; alia autem irreverentia, quæ Deo dicatis rebus fit, dicitur Sacrilegium, juxta uſum communem. Ad prius membrum pertinet Perjurium, Tentatio Dei, defectus Orationis, Blasphemia, Infidelitas in promiſſis, Ingratitudo ad Deum. Quæ omnia complectitur Irreligioſitas tertio & ſtrictiore modo ſumpta, ut dicit privationem officiorum, quibus Deus directè colitur, ſeu vitium per defectum in actu, qui deberet eſſe cultus Dei.

CAPUT II.

De Tentatione Dei formali & expreſſa.

1 Suppono, Tentationem aliam eſſe probationis, examinis ſeu experimenti, ut Deus tentavit Abraham, Job, Tobiam, Hebræos. Deut. 13. utique ut aliis, non Deo, palàm fieret virtus; aliam eſſe inductionis ſeu ſeductionis. Poſterior nec in Deum cadit, nec in hominem, niſi ſtolidum: nam cùm vox ſumatur in malam partem, quis Deum ad malum inducere vult? Imò eoipſo, quòd à Deo aliquid fit, malum non eſt. Duobus tamen modis participatur inductio aliqua Dei; uno, petendo quid malum in Oratione, altero, Deum per peccata provocando ad iram, & quaſi afflictionem ſeu exacerbationem. Pſ. 77.

2 Primò. Tentare Deum ex formali intentione, per ſe malum eſt, & Religioni contrarium; reducitur tamen ad defectum quendam in modo orandi ex parte materiæ orationi debitæ. Sermo eſt de Tentatione Dei ſimpliciter, ad ſumendum nempe experimentum de ejus Perfectionibus Fide certiſſimis, ut refertur Pſ. 77. *Nunquid & panem poterit dare?* & Ex. 27. *Eſtné Deus in nobis, &c.* Conſtat ergo de peccato mortali, & Irreligioſitate. Nam dubius in Fide, revera Infidelis eſt, ſeu carens Fide, ut quæ eſt aſſenſus certus & firmus: petere autem à Deo probationem ſuæ Potentiæ &c. eſt contra reverentiam Deo debitam.

Dices, dictam Irreverentiam ſolùm materialiter opponi Religioni, ſicut ipſam Infidelitatem; imò ut actum hujus imperantem habere eandem cum illa malitiam. R. ſicut ex Fide actum Religionis, ita ex Infidelitate actum Irreligioſitatis, ut Idololatriam, procedere poſſe. Vel ergo ſiſtitur in dubio Fidei interno, exteriùsve prodito, vel proceditur ad 3

petitionem miraculoſæ oſtenſionis Potentiæ? Si 1mum, peccatur contra Fidem, vel Confeſſionem ejus. Si 2um, actus imperatus malitiam habet ex proprio objecto; quod ſpectat ad defectum Orationis, quia ſolo facto non fit expreſſa Tentatio, niſi juncto deſiderio oſtenſionis miraculoſæ. &c.

4 Secundò. Nec ſemper malum eſt velle de Deo quid ſcire per modum extraordinarium, nec propriè Tentatio Dei, ut juxta locutionem Scripturæ in malam partem accipitur. Exemplum eſt, ſi ſimplex & rudis petat inſtrui, vel jam certus certior fieri petat ad vincendam tentationem. Oportet autem ut ſit neceſſitas ex parte finis pro propria vel aliena ſalute, vel pro Dei voluntate implenda, vel ſaltem ut valde conveniat bono alicui communi. Neceſſitas etiam poſcitur ex parte medii, ne omittantur media ordinaria à Deo præſtituta; aliàs petitio irrationabilis eſt, & magis quis tentat Deum, quàm ſperet. Denique jungi debet ſubmiſſio animi, non determinando ſignum particulare, vel modum Providentiæ Dan. 2. Elias verò & alii aliter egerunt ex ſpeciali inſtinctu Spiritûs Sancti, non de lege ordinaria.

Tertiò, Tentare Deum ad explorandam ejus voluntatem, vel determinationem de futuro eventu, per ſe malum eſt, licèt minùs grave ex genere, quàm altera Dei Tentatio. 5 Conſtat enim per ſe irreligioſum eſſe ſic ſcire velle ſecretum Dei, multóque major audacia eſt, petere ſignum in eum finem, & ut Deus expleat vanam curioſitatem, ac Magiſter ſit inutilium rerum: ergo Tentatio Dei fit, ut Chriſtus reſpondit Sathanæ, ſimul indicando gravitatem peccati, niſi ſimplicitas excuſet. Quia verò abeſt dubium in Fide, conſtat minùs peccari per hanc, quàm priorem Tentationem.

CAPUT III.

De Tentatione Dei interpretativa.

1 Difficultas eſt, quia omnes dictam Tentationem ponunt in exemplis vulgaribus, ut Purgationis, nolentis comedere, medicinam ſumere. At hæc contingere poſſunt ſine reſpectu ad Deum, ut nolendo ſanari ex patientia, humilitate. &c. Et dato dicto reſpectu; vel fit opus ſine præſumptione, ſolùm volendo experiri, an Deus juvet innocentem, vel fit cum præſumptione? Si 1um, fit Tentatio formalis. Si 2um; præſumptio opponitur Spei, & procedit ex fide nimia, & voluntariâ, quaſi Deus hîc & nunc per miraculum proviſurus ſit innocenti. Denique per Purgationẽ vulgarem exploratio non fit de Deo, ſed an homo ſit innocens &c. 2

Primò.

2 Primò. Neceſſarium eſt, ut opus, quo reſpuuntur cauſæ ſecundæ, fiat cum reſpectu ad Deum. Aliud enim eſt, nolle & cauſas & effectum; aliud, nolle cauſas ſecundas, volendo tamen effectum, conſequenter per cauſam primam. Nemo quippe ita ſtolidus eſt, ut velit effectum abſque omni causa. Et in hoc poſteriore caſu fit virtute imploratio Divini auxilii, quia vel corde hoc petitur, vel deſideratur.

3 Secundò. Irreligioſa eſt dicta imploratio, differtque à Tentatione formali Dei. Petitur enim extraordinaria Providentia, ergo contra honorem Dei, ejúsque ſanctam Providentiam; ſícque rectè dicitur Tentatio Dei interpretativa ſeu tacita, ut omnes Theologi vocant Tentationem cum addito. Convenit enim cum formali, quòd ſit petitio Divini auxilii contra ordinem Providentiæ: éſtque de ſe explorativa Divinæ Sapientiæ, aut Potentiæ; & licèt ſit ex nimia confidentia, tamen præſumptio non eſt, ſicut Irreligioſitas non eſt Infidelitas, licèt ex hac procedat. Differt autem à Tentatione formali Dei, quia non non eſt cum dubio in Fide, nec directa exploratio de Deo ejúsve Perfectione vel Voluntate.

Tertiò. Rectè prohibetur Purgatio vulgaris, tanquam mala. Ita c. *Mennam.* c. *Conſuluſti.* c. *Monomachia.* 2. q. 5. c. *Ex tuarum.* de Pur-Can. c. 3. & ult. de Purg. Vulg. Non enim mala eſt, quia prohibita, ſed è converſo; ſícque ratione materiæ æquivalet prohibitio univerſali, licèt fiat in particulari exemplo. Nec refert fieri aliquando miraculum; nam vel Deus ſpeciali inſtinctu movet, vel propter bonam fidem ineptè petentis aſſiſtit innocentiæ; videtúrque Num. 5. remedium fuiſſe ordinarium Legis. 4

Deniqùe Probatio per Evchariſtiam, ut concedit Wormat. Conc. in c. *Sæpe* 2. q. 5. non eſt intrinſecè illicita, quia non fit ad oſtenſionem miraculi, ſed in quaſi teſtimonium, & juramentum innocentiæ. Nec etiam ſpecialiter prohibetur, ſed ſolùm in generali, quatenus vetantur peregrina Judicia d. c. *Ex tuarum.* Et revera non convenit, tum propter periculum animæ, tum maximè propter Irreverentiam Sacrâmenti. 5

CAPUT IV.

De Blaſphemia, quid ſit?

1 Primò. Blaſphemia eſt *verbum maledictionis, convitii, ſeu contumeliæ in Deum.* Ita Doctores ex Aug. Athan. Hug. de S. Vict. & c. 2. de Maledic. Licèt enim vox vi ſuâ latiùs pateat, perinde ac maledictio, quæ etiam circa homines verſatur, tamen communi uſu ita, ut dictum eſt, reſtrictè accipitur, prout notat vitium oppoſitum Religioni, & per conſequens Deum habens pro objecto cui. Alia enim maledictio eſt contra Juſtitiam, Charitatem, Obſervantiam, &c. &c.

2 Secundò. Blaſphemia opponitur laudi Divinæ. Ideò enim dicitur verbum maledictionis, eſtque vitium linguæ, ſicut laus eſt honor ore exhibitus. Sicut autem laus Divina vel locutio ſenſibilis eſt vel mentalis, ita blaſphemia internè vel externè fit. Et ſatis diſtinguitur ab affectu blaſphemandi, licèt interna ſit, ſicut adoratio interna ab affectu adorandi, quia ad affectum comparatur ut objectum vel executio. Porrò cùm Scriptura Blaſphemiam tribuit facto, ut Exod. 32. Matth. 27. *Exſpuentes in eum* &c. ratione dicti contumelioſi adjecti id fit.

Tertiò. Omnis maledictio contra Deum, eſt verè & propriè Blaſphemia, ſicut è converſo omnis Blaſphemia eſt verbum maledictionis contra Deum. Nam in omni dicta maledictione eſt malitia Irreligioſitatis directæ contra Deum, & per verbum inhonorativum Dei. Igitur aut fit per verba indicativi modi (ut affirmando, quod Deo non convenit, negando, quod convenit, vel tribuendo creaturæ, quod Dei proprium eſt, *Hi ſunt Dii* &c. vel denique dubitando: *Nunquid poterit parare menſam?*) aut per verba optandi, imperandi Deo malum; aut contumelioſè nominando, ut Chriſti membra verenda &c. Unde quidquid aliqui dicant, non requiritur ad Blaſphemiam falſa aſſertio, nec illa formaliter & per ſe opponitur Confeſſioni Fidei. 3

CAPUT V.

Quotuplex ſit Blaſphemia?

1 Primò. Dividitur in eam, quæ eſt contra Deum, & aliam, quæ eſt contra Sanctos. Ita S. Thomas, Cajet. Summiſtæ, Covar. ex c. 2. de Maledic. quod indiſtinctè vocat Blaſphemiam; ſive contumelia in Deum,

Deum, ſive in Sanctos ſit. Nam tribus modis fit contumelia Sanctis; vel cum intentione detrahendi honori Dei in illo, vel cogitando ſaltem illum eſſe Dei amicum &c. vel ſine tali intentione & cogitatione? Si 1mum, Blaſphemia formaliſſima eſt, cujus malitia non ex ſono verbi, ſed ſignificatione & intentione ſumitur. Si 2dum, ergo opprobrium cadit in Deum ratione dicti vinculi cogitati, quia minus requirit injuria, quàm cultus Dei, ad quem formalis intentio neceſſaria eſt, non ad illam. Si 3tium, idem eſt.

2 Si enim formalis intentio non eſt neceſſaria; ergo nec cogitatio de Deo, quia ad voluntarium indirectum ſufficit potuiſſe & debuiſſe cogitari. Nec oppoſita opinio plus probat, quàm quòd in dicto actu etiam ſit malitia contra Duliam: hoc autem ſtat cum malitia contra Religionem, ſeu cultum Dei; & ita Jus ipſum præcipuè conſiderat, quod in dicta contumelia redundat in Deum, éſtque Blaſphemia interpretativa.

3 Secundò. Altera diviſio blaſphemiæ eſt in Hæreticalem, & non Hæreticalem, ſeu ſimplicem. Prior formaliter vel virtualiter continet Hæreſin, ut per enuntiativam quamlibet, per nomen convitii: *Injuſtus, ignorans &c.* item dicendo: *Non credo in Deum*, *abnego* &c. Poſterior, ſine Hæreſi eſt, ut cùm ſit per verbum optandi, nominando per ludibrium membra Chriſti. Ejusdem generis ſunt Verba: *Diſpliceat Deo. Ad deſpectum Dei* &c. utique quoad voluntatem antecedentem aut ſigni; non verò quaſi ſit contra voluntatem efficacem Dei.

CAPUT VI.

Qualis & quanta ſit malitia Blaſphemiæ?

1 Primò. Conſtat eſſe peccatum mortale, & ex ſuo genere graviſſimum. Oportet autem ut formaliter proferatur per modum convitii aut maledictionis in Deum: quia non ſufficit, verba materialiter tantùm referri, ut conſtat. Deinde ſi ſolùm ex levitate vel joco proferuntur, irreverentia eſt in vanum aſſumere nomen Dei, non propria Blaſphemia. Denique excuſatur per ſubreptionem, ut ſi priùs proferatur, quàm quis advertat ad ſignificationem, ſub qua continetur Blaſphemia. Idémque eſt, ſi non ex paſſione, ſed conſuetudine ita fiat, quin attendi poſſit, quid dicatur. Cajet. v. *Blaſphemia.*

2 Secundò. Blaſphemia diſtinguitur ab Infidelitate. Nam ſtat in Catholico, & in dæmone, qui credit & contremiſcit. Et in non Hæreticali nec eſt peccatum contra Fidem, nec contra Confeſſionem Fidei. Et licèt

Hæreticalis ſit, abeſt tamen ſæpe Hæreſis interna, ut ſi ex ira quis Deum vocet injuſtum, ſciens contrarium, ſicut ſæpe alter alterum vocat ſtultum, Judæum, ſciens mendacium eſſe; quod non curat, dummodo injuriam faciat, ut dæmon contra Deum. Licèt ergo contra Confeſſionem Fidei peccetur, tamen malitia, ut in Idololatria, diſtinguitur ab Infidelitate: ſicut Petrus negando Chriſtum & blasphemavit, & egit contra dictam Confeſſionem. Denique Blasphemia conſiſtit in locutione contumelioſa: Infidelitas autem poſcit & voluntatem diſſentiendi, & diſſenſum: ergo ſicut voluntas aſſentiendi non eſt voluntas colendi, ita voluntas diſcredendi non eſt formaliter voluntas convitiandi &c. ergo ſtat Infidelitas ſine Blasphemia, & viciſſim.

3 Tertiò. Blasphemia diſtinguitur ab Odio Dei, & à Deſperatione. Sæpe enim eſt ſine formali intentione convitiandi: & ſtante hac (conſequenter etiam odio) unum tamen non eſt alterum, quia odium formaliter eſt contra amorem, non honorem Dei, licèt ab illo tunc imperetur convitium, ſicut cùm quis ad oſtendendum odium ſuum ſimiliter maledicit alteri. Similiter Deſperatio radix eſt Blasphemiæ; nam & includit timorem injuriæ contra Deum, & quaſi naturâ ſuâ avertit ab affectu DEI, quem quis conſequi deſperat; ſícque facilè provocat ad blasphemandum. Eſt tamen affectus pravus valdè diverſus, licèt cùm in verba deſperationis prorumpitur, Blasphemia ſit, quia detrahitur Dei Bonitati, Veritati, aut Potentiæ.

Quartò. Similiter diſtinguitur à Juramento. Nam poteſt quis Blaſphemare, quin Deum adducat in teſtem. Sæpe autem utrumque conjungitur in uno eodémque actu, ut in Juramento execratorio, *Per vitam Dei*, aut membra Chriſti contumelioſè nominando. c. *Siquis.* 22. q. 1. & Auth. *Ut non luxurientur* &c. Collat. 6. tit. 5. Sed Cajet. Armil. Nav. negant blasphemum eſſe, cùm dicitur, *per Corpus & Sanguinem*, quia Deus habet carnem. Contrà eſt, quia etiam habet capillos, caput &c. & tamen fit Blasphemia d. c. *Siquis.* cùm conſiſtat in contumelia, non ſemper in falſitate. Nec refert, abeſſe intentionem; aliàs cùm indignans homini prorumpit in maledictionem vel abnegationem Dei, non blasphemaret: at ſufficit, vi ſignificationis verba eſſe contumelioſa. 4

Excuſatio tamen eſt, quia ſæpe materialiter tantùm proferuntur talia, neſciendo quid ſignificent; & juxta communem uſum Corpus & Sanguis Chriſti non videntur cum convitio diſtinctè nominari, ſed ſicut juratur per Chriſtum crucifixum, additio fit ad majorem conteſtationem, ut ſine blasphemia jurari poteſt per Sacramentum Eucharistiæ. Excuſant etiam formam: *Quàm verum eſt Evangelium*, quòd ſolùm comparatio fiat in veritate indiviſibili. 5

At

At certè ad confirmandam veritatem dicitur, cùm ideò ad Divinam potiùs, quàm aliam veritatem recurratur. Tamen res pendet ex intentione loquentium, qui ſæpe loquuntur per exaggerationem, nec intendunt æquiparationem omnimodam. Sícque excuſantur, vel quia non advertunt ad ſignificationem, vel quia verba capacia ſunt alterius ſignificationis.

6 Quintò. Jurare per Idolum Blasphemia eſt. Nam tribuitur illi, quod proprium eſt Dei. Licèt autem ſimpliciter & intenſivè gravius peccatum ſit, quàm falsò jurare per verum Deum, tamen hoc extenſivè, & ſecundùm quid majus eſt. c. *Movet.* 22. q. 1. quia plures continet malitias, ut injuſtitiæ, mendacii. Et perjurium Infidelis levius eſt, quàm Chriſtiani, quia major eſt ſanctitas veri Dei, quàm falſi, utut cogitati. Diſtinguitur tamen Perjurium à Blaſphemia, quia non affirmat, Deum fallere: at è converſo blasphemum Juramentum eſſe poteſt ſine mortali malitia perjurii, ut dicendo: *Per capillos Chriſti.*

7 Sextò. Gravitas comparativa Blasphemiæ cum odio Dei eſt nobis incerta. Pendet enim ex circumſtantiis, & modo peccandi; & moraliter fieri poteſt, ut multitudo malitiarum inferioris ordinis v. g. Perjurii, æquet vel ſuperet malitiam Juramenti Idololatræ. Quantùm ad diſtinctionem ſpecificam inter Blasphemias, Cajetanus eam cum multis negat; eſſe tamen probabile eſt, comparando hæreticales cum aliis, quamvis non inter ſe invicem: quia omnes conſiſtunt in falſa enuntiatione, & aliæ ſolùm ſecundùm magis & minùs diſtinguuntur in ratione contumeliæ. Blasphemiæ autem contra Sanctum malitia opponitur Duliæ.

Septimò. In vitiis Irreligioſitatis ſæpe miſceri poteſt malitia Blasphemiæ. Ut ſiquis vovet rem pravam, comminatio fit, conſequenter convitium. Juxta Nav. idem eſt, ſi Dei laudibus miſcentur turpia. Tamen ſi hæc ad illas non referuntur, erit malitia alterius rationis. Idem eſt de abuſu verborum Scripturæ; non enim Blasphemia, ſed regulariter ſacrilegium eſt, niſi tantus ſit abuſus, ut veritati & authoritati eorum derogari videatur; nam tunc contumelia tranſit in Authorem. Et Trid. ſ 4. in fine, cùm vitium reprehendit, abſtinet à nomine ſacrilegii vel blasphemiæ, vocans *Temeritatem, Irreverentiam, & Contemptum.* 8

CAPUT VII.

De Pœnis Blaſphemiæ in foro Divino, Canonico, & Civili.

Primò. In foro Dei conſtat ſequi pœnam æternam, niſi peccatum deleatur per Pœnitentiam. Nulla enim Blasphemia eſt ſimpliciter irremiſſibilis,

bilis, ſed aliqua ita dicitur, quatenus directè opponitur diſpoſitioni neceſſariæ ad remiſſionem peccati, & ideò hanc valde difficilem reddit. Qua de re to. 4. in 3. p. D. 8.

2 Secundò. Quantùm ad Confeſſionem, nulla imponitur Cenſura ipſo facto. Nam c. *Siquis* 22. q. 1. præcipitur ferri Depoſitio, ſed nunc in uſu non eſt; & c. *Statuimus* de Maledic. agit in Foro contentioſo: ergo nec reſpectu Epiſcopi de Jure communi reſervatio eſt peccati, nec reſpectu Papæ; aliàs Cenſura eſſet adjuncta. Denique pro foro externo variæ pœnæ latæ ſunt, ut in c. 2. eod. & Conſtit. Julii III. *In multis.* & Conſtit. Pii V. *Cùm primùm*, ſed non ſunt receptæ uſu.

LIBER II.

De Superſtitione.

CAPUT I.

Quomodo Superſtitio eſſe poſſit circa Deum verum, & quid ſit?

1 Primò. Errant Hæretici, non diſtinguendo inter Superſtitionem & Idololatriam, & ut graviùs calumnientur Eccleſiam, quodlibet vocando Idololatriam. Nam ſicut cultus Religionis eſſe debet & legitimus ex parte rei cultæ, & prudens in modo, ita Superſtitio alia eſt in cultu falſi, alia in cultu veri Dei. Quantùm ad vocem autem, & Scriptura & Patres per Idololatriam intelligunt cultum Idoli; éſtque quantùm ad rem, evidentiſſimum, diverſam utriuſque eſſe malitiam: ſicut ſi alium quis in Regno proclamet pro Rege, aut hunc ineptè colat; & quis Judæos aut Deiſtas vocat Idololatras? Nec licet verbis abuti contra uſum Scripturæ; nam ex verbis inordinatè prolatis incurritur Hæreſis.

Secundò. Superſtitio eſſe poteſt 2
in vera Religione. Ita S. Thom. & omnes contra Lactant. dicentem: *Omnino quid colas, intereſt, non quomodo colas.* Nam aliud eſt exiſtimatio de Deo, aliud ſignum ejus; & illa ſupponitur in ſuperſtitioſo Dei veri cultu eſſe vera, aliàs erit cultus Dei ficti vel exiſtimati. Nec refert Judæum errare negando Trinitatem; quia non adorat, niſi quod de Deo cognoſcit, quamvis in eo non totum, quod colendum eſt, colat. Et ſi falſitas nulla debet eſſe admixta; ergo nullus Infidelis vel Hæreticus coleret verum Deum; quod eſt contra

tra Apoſtolum Rom. 2. & 10. teſtantem de Gentilibus & Judæis.

3 Conf. Nam in ſigno ſeu cultu externo contingit ſuperſtitio, ſicut ruſticus, licèt non erret circa perſonam, Regi ineptè exhibere poteſt reverentiam. Et ex defectu modi ſæpe deſtruitur bonitas actûs ut juxta Apoſtolum ſtat æmulatio pro Deo etiam interna, ſed non ſecundùm ſcientiam: idémque eſt de Zelo indiſcreto, timore, & ſimilibus, ſi impudenter exercentur. Conſtátque exemplis Circumciſionis, Sacrificii cruenti, ſi nunc fiant: & in Sacramentis multa ſuperſtitioſè miſceri ſolent ab Hæreticis, & aliquando à Catholicis, ut notat Alex. I. prohibens offerri niſi in pane & vino permixto aquâ, & Cœleſtin. I. reprehendens Sacerdotes *Amictos pallio*, & *præcinctos lumbum* juxta litteram Luc. 12. Stat ergo cultus Superſtitioſus veri Dei in Gentili, Judæo, Hæretico &c.

4 Tertiò. Hæretici ineptè & contra rationem damnant Superſtitionis, quidquid præceptum non eſt. Nam clara ratio dictat, quòd utile ſit plura bona facere, quàm præceptum ſit. Dein lex naturæ vel Divina non determinat omnia, quæ ad Dei cultum ſpectant; & ita vix fieri poteſt, quin quoad actiones cultûs utamur determinatione humana. Unde ipſimet Hæretici inducunt Ritus à Deo non præſcriptos, in quibus tamen concordes eſſe nequeunt: ergo planè ignorant, quid loquantur, damnando ſémet Superſtitionis & Idololatriæ. Superſtitioſum proin ſolùm eſt, quod pugnat cum Inſtitutione Divina, vel Eccleſiaſtica, aut cum ratione naturali oſtendente inutilitatem, ſuperfluitatem &c.

Levia verò ſunt, quæ Hæretici objiciunt. Nam Deut. 18. non præcipitur, niſi ut non addatur contrarium quid, cùm quæ conſonant, utique liceant: aliàs nec Oblationes ſpontanteneæ licerent. Lev. 23. vel Scriptura Scripturæ derogaret, peccâſſéntque Judæi, addendo alia feſtis præceptis. Rurſus Col. 2. non damnatur omnis cultus voluntarius, aliàs etiam Virginitas & Continentia ob finem orandi &c. damnaretur ab Apoſtolo. Vitari ergo vult Superſtitiones Legales, ſeu Religionis per Angelos traditæ, cultúmque nec lege nec ratione fundatum. Denique ratio Lactantii ſolùm probat non peccari per exceſſum in cultu formali; ſecùs autem eſt in materiali, ut opportunè importunè colere volendo & offerendo quodlibet, bis eodem die communicando, ſacrificando &c. c. *Comperimus.* de Conſ. d. 2. 5

CAPUT II.

Quot modis, & quàm graviter peccari poſſit per cultum ſuperſtitioſum veri Dei?

1 Primò. Juxta S. Thom. Superſtitio rectè dividitur in Pernicioſam, & Superfluam; per illam intelligendo Superſtitionem, quæ mendacium ſeu falſitatem in ſignificando continet. Sic enim diviſio fit per membra contradictoriè oppoſita, ut Superſtitio alia ſit cum falſitate, alia ſine falſitate: & ſicut debita adoratio eſſe debet *in Spiritu* & *Veritate*, ita oppoſitum vitium contineat vel falſitatem, vel vanitatem, ut cùm quis exterioribus inſiſtens, ad internum cultum nil proficit. Ut autem cultus falſus ſit, non requiritur formalis intentio mentiendi, ſed ſufficit intentio ſignificandi per factum v. g. per Circumciſionem, ut nunc fit, ut à Judæis: imò eſt neceſſaria; aliàs non erit uſus rei ut ſigni, nec falſum ſignificabitur.

2 Dices: ergo ſi abeſt intentio utendi Circumciſione, ut ſigno, licitus eſt uſus ejus. ℟. Abolitâ penitùs impoſitione Divinâ, cæremoniam jam eſſe prorſus inutilem, & conſequenter ſuperſtitioſam, eſto ſeclusâ ea intentione, pernicioſa ſeu falſa non eſſet, ut in Æthiopibus ineptè intendentibus conformare ſe Chriſto. Nam licèt actio fortè non ſit prohibita, quia mala, tamen ſaltem è converſo, quia prohibita, mala eſt. Dein dici poteſt etiam pernicioſa, quia proferens propoſitionem falſam in communi terminorum ſignificatione, licèt aliud ſignificare intendat, incurrit malitiam mendacii indirectam: ergo ſimiliter non excuſat intentio privata in uſu cæremoniæ, quæ ex communi ſenſu Eccleſiæ falſa eſt.

Secundò. Falſitas cultûs alia eſt 3
ex parte materiæ ſignificatæ, alia ex parte operantis. Exemplum poſterioris eſt, cùm quis ſacrificat vel operatur nomine Chriſti vel Eccleſiæ, quod nec ille, nec iſta ſuo nomine agi voluit, ut ſi non Sacerdos ſacrificet, abſolvat &c. ut Saul uſurpavit Officium Sacerdotis; aut ſi excommunicatus celebret, tanquam Miniſter ab Eccleſia deputatus. Tales enim falſarii ſunt, ſicut ſiquis Legatum ſe fingit, aut loquitur, quæ commiſſa non ſunt. Hinc falſitas ejusmodi vix eſſe levis poteſt, ut ex ipſa materia patet, & exemplis adductis. Secùs eſt, ſi falſitas ſit ex parte rei ſignificatæ; quia licèt ſemper pernicioſa ſit, tanquam cedens in injuriam Dei, tamen in individuo materia poteſt eſſe levis, ſicut teſtimonium falſum in materia levi leve eſt: idémque eſt in confitente, quod non fecit, ſervatis tamen ſubſtantialibus Sacramenti.

4 Tertiò. In cultu privato non committitur falſitas ex parte operantis. Nam intelligi nequit falſarius, ſeu nomine alterius agens, qui ſolùm ſuo nomine operatur, ut patet in exemplis à Cajetano objectis. Si enim quis jejunat die Dominica cum errore, & ſignificatione Hæreticorum negantium Reſurrectionem Chriſti (quod Eccleſia damnat c. *Jejunia.* c. *Nequis.* de Cons. d. 3.) falſitas eſt ex parte rei ſignificatæ. Eadémque falſitas committitur proponendo Reliquias falſas. Denique aliud eſt, orare nomine Eccleſiæ; aliud, pro Eccleſia. Si Sacerdos poſterius nolit, infidelis eſt, non mendax in oratione publica; & privatus contra Charitatem agit, ſic excludendo Eccleſiam in oratione privata.

5 Quartò. Cultus ſuperfluus pro qualitate materiæ judicandus eſt, an gravis vel levis ſit. Nam aliud eſt peccari contra inſtitutionem cultûs per defectum in ſubſtantia cultûs, aliud ſolùm in modo accidentali. Prior modus pertinet ad cultum falſum per falſitatem ex parte rei ſignificatæ, vel operantis; poſteriori modo cultus fit ſuperfluus & vanus, & ſecluſo contemptu & violatione alicujus gravis præcepti, levis, ut Ritus accidentales Miſſæ, Officii &c. non ſervare, vel ex devotione alios addere. Ita Cajet. Nav. Secùs eſt, ſi fit ex intentione introducendi novum Ritum contra legem vel uſum communem, ſeu omittendo ſtatutas Cæremonias propter proprias & inutiles; nam & propriè ſuperſtitioſum eſt, & totus cultus fit inutilis. Sin per negligentiam quid omittitur, non pertinet ad Superſtitionem, vel ſolùm reducitur per indirectum.

6 Denique ſubdividitur cultus ſuperſtitioſus in turpem & vanum. Prior de ſe mortalis eſt, ut ſi voveo mentiri. Hoc enim eſt ipſo facto profiteri, quòd fiat res Deo grata: ergo continet gravem injuriam. Quòd ſi cultus merè vanus ſit ſine tali turpitudine, regulariter venialis eſt, cùm ſupponatur ſtare ſubſtanria veri cultûs; ſolúmque conſideretur formalis malitia Superſtitionis. Alia autem malitia pendet ex materiali actu cultûs, & ideò ex variis vitiis, quæ in actu ſupponuntur vel intenduntur, eſſe poteſt, ut ſiquis colere Deum velit immolando homines.

CAPUT III.

De Idololatria, quid ſit, & quod objectum habeat.

1 Idololatria propriè accepta ſignificat Latriam Imaginis factæ ad indebitum cultum. Nec enim facere Imaginem ad delectationem, memori-

moriam ; exercitium artis, malum eſt. Origines vult, imaginem eſſe debere Chimæræ,non rei exiſtentis; at Aug. Idolum declarans, ait eſſe falſi Dei ſimulacrum. Nulla tamen contradictio eſt ; nam licèt imago ſit veri hominis, tamen ut deſtinata ad cultum ejus, ut Dei, imago eſt & ſimulacrum falſi Dei, ac Chimæræ : ſicque conſonat Origines cum Sap. 13. & facit Zach. 11 *O Paſtor & Idolum*, ſeu in re fictus Paſtor, non exercens officium ſuum, ſeu juxta Hieron. ſemet appellans Deum.

2 Per metaphoram applicatur Idololatria ad pecuniam, ventrem &c. Eph. 5. Phil. 3. ſeu quamlibet creaturam, quam homo pro Deo habet, ſeu anteponit vero Deo & ſaluti: ſicque ad quodlibet peccatum mortale locutio applicari poteſt. Denique à primæva inſtitutione vox translata eſt ad quamcunque creaturam, quæ ut Deus colitur, vel cultui proponitur, ſive imago ſit, ſive res inviſibilis.

CAPUT. IV.

Quomodo Latria tribuì poſſit idolo, & quotuplex ſit Idololatria?

1 Primò. Idololatria alia vera, alia ficta eſt. In priore tres actus diſtinguendi ſunt, ſcilicet æſtimatio Excellentiæ ſupremæ, affectus colendi, & exhibitio ſigni proteſtativi dictæ Excellentiæ. Vera enim Latria dicitur vel ex parte adorantis, vel rei adoratæ, vel ex parte utriusque : ergo falſitas oppoſita fit totidem modis; ſicque Idololatria omnis eſt falſa ex parte rei adoratæ, ſeu ſigni excellentiæ : ex parte autem adorantis potiùs ficta dicitur, quàm falsa.

2 Rurſum fictio fit vel ex parte intellectûs ſcientis nihil eſſe quod adoratur, vel ex parte affectûs tantùm, ut dæmon colit Divinitatem Chriſti ſciens illam, ſed ſine affectu colendi exhibet ſignum, quia cogitur. Denique ex utroque capite fit fictio, ut in Fideli, qui ex metu tyranni thus adolet idolo, utique ſine affectu colendi, & ſine æſtimatione; ad veram autem Idololatriam ex parte colentis neceſſaria eſt æſtimatio Divinæ Excellentiæ in re adorata.

3 Secundò. Suppoſitâ corruptione naturæ lapſæ, non eſt impoſſibilis Idololatria vera ex parte colentis Idolum, ſeu cum æſtimatione Diviniratis.Sumitur ex diſtinctione triplicis Theologiæ apud Auguſt. l. 6. & 7. de Civit. Dei, ſcilicet Phyſicæ, Civilis, & Fabuloſæ. Prima fuit Philoſophorum putantium totum mundum & ſingulas ejus partes animari à Divinitate, & fortè per plura Numina, ut aliud in Sole, aliud

in Luna, aëre, igne, aquâ &c. Sap. 13. Nec enim juxta Aug. res has propter ſeipſas colebant, ſed ob earum animas.

4 Alii unum ſummum Deum agnoſcebant, ſimul tamen plures minores Deos, dictos Dæmones, ſive non credendo dependentes ab illo in omni operatione, ſed ſupremos in aliquo genere agendi, ſive practicè errando in cultu æquali præſtito, ſicut Reges, licèt inæquales, cultu tamen æquali coli volunt. Multi etiam putârunt, Angelos non eſſe factos ab alio, & eatenus Deo æquiparabant. Denique quia omnia metiebantur ſua utilitate, & in Providentia unius Dei errabant, putârunt, dæmones non minùs quàm illum ſibi prodeſſe vel nocere poſſe: nam iſtis adminiſtrationem rerum inferiorum tribuebant.

5 Civilis Theologia, ſic dicta à communi uſu populi, opinabatur, Divinitatem ineſſe idolis. Inducta autem eſt, ut ait Triſmegiſt. apud Auguſt. per artem copulandi ſtatuis inviſibiles ſpiritus, ita ut illæ eſſent quaſi animata corpora; & *hoc*, ajebat, *eſſe Deos facere, eámque magnam & mirabilem Deos faciendi accepiſſe homines poteſtatem*. Sed non erat magna poteſtas, ſed mirabilis fraus Dæmonum, reſponſa dantium ex ſtatuis. ps. 95. *Omnes Dii gentium* &c. & 1. Cor. 10. *Quæ immolant Gentes, Dæmoniis immolant.* Sap. 13. Col. 2.

6 Theologia Fabuloſa eſt, quæ hominibus demortuis Deitatem tribuebat, colendo eorum imagines ut repræſentantes tantùm. Quia enim nec ratiociniis, nec præſtigiis, ſed vanâ tantùm traditione inducta eſt talis Theologia, dicta eſt Fabuloſa. Creditum autem eſt, cùm homines eſſent ſceleratiſſimi, Divinitatem comparari poſſe non tantùm per virtutem, ſed etiam per potentiam ita ſaltem, ut etiam poſt mortem Dii tales poſſent eſſe noxii, vel utiles ad uſus humanos; ſicque juxta neceſſitates ſuas à Gentibus multiplicati ſunt in infinitum.

7 Dices: quomodo credi potuit Divinitas in tot partes diviſa? 2. Quomodo Philoſophi unum tantùm Deum credentes Rom. 1. Idololatræ veri fuerunt, ſaltem quantùm ad affectum? Ad 1um R. conſtare de exiſtimatione multiplicis Deitatis. Licèt enim potentia creandi una ſit, credi potuit communis Angelis &c. ſicque Philoſophi putârunt, quemque in ſuo genere excellere, ut Deum vinearum &c. vel independentem eſſe in aliquo munere quoad efficaciam, licèt eſſet inæqualis in aliis. Vulgus autem cæco errore duci potuit, quòd Idolo neſcio quid ſummum inſit, non cogitando de relatione ad unum ſupremum.

8 Ad 2um, R. mendacium duobus modis contingere, vel volendo contra mentem dicere, vel putando eſſe verum. Sicque ſignum mendax Idololatriæ exhiberi poteſt Idolo, vel putando eſſe verum, vel

ſine

ſinæ hac opinione adorando ex adulatione, aut diabolico timore. Prior ergo Idololatria eſt omnino propria, & vera ex parte colentis: ſecùs poſterior propter incluſam falſitatem. Quia verò communi omnium gentium vel impoſitione, vel conſenſu Templum, Sacerdotium, Sacrificium ad Latriam determinata ſunt; Idololatria ſemper eſt vera vel ficta, tribuendo illa creaturæ.

CAPUT V.

De Origine Idololatriæ, quænam fuerit?

1 Primò. Theologia Phyſica orta eſt ex ignorantia veri Dei, & imbecillitate humani diſcursûs, adjunctâ hominum negligentiâ, & dæmonum deceptione. Ita Sap. 13. *Non potuerunt intelligere eum &c.* & ſubditur de ignorantia culpabili, & de progreſſu ad colendum partes mundi. Nam dicta Theologia non eſt orta ex Civili, imò hanc irriſit in libris, quamvis non in uſu, propter timorem humanum vel conſuetudinem. Imagines autem, ut Solis &c. ſi per ſe cultæ ſunt, ſupponunt Theologiam phyſicam, quatenus hæc, quod coluit, magis præſens habere voluit.

2 Secundò. Latria Imaginum, ſeu Theologia Civilis & Fabuloſa, originem vel occaſionem ſumpſit ex nimio affectu ad aliquos mortuos, & deſiderio eorum præſentiæ, accedente tyrannide, vel nimia Principum aſſentatione & adulatione, quæ pravam conſuetudinem induxit, & paulatim errorem auxit, cooperante dæmone per ſuas præſtigias. Ita Sap. 14. *Initium enim fornicationis &c.* (utique Idolatriæ juxta communem phraſin Scripturæ) *Neque enim erant ab initio.* &c. *Acerbo enim luctu dolens pater.* &c. &c.

Ubi non eſt ſermo de cultu privato; nam ſubditur: *Tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra & ſacrificia. Deinde interveniente tempore, convaleſcente iniqua conſuetudine, hic error tanquam lex cuſtoditus eſt, & tyrannorum imperio colebantur Idola.* Gratiâ autem exempli ponitur væſania hæc erga filium; ut ſimilem illi fuiſſe refertur de Syrophane Ægyptio; nec dicitur, exemplum fuiſſe primum, quamvis veriſimile ſit; eſto Scriptores ignorârint. 3

Tertiò. De initio Idololatriæ nihil certi definiri poteſt, nec etiam quod ſatis probabile ſit. Incredibile enim eſt, quòd jam tempore Seth cœperit, cùm tam clara traditio unius Dei fuerit, ut vix potuerit cogitari de pluritate Deorum. Leve autem eſt, occaſionem eſſe ſumptam ab Imaginibus, quibus Enoch uſus ſit ad repræſentandum Deum, nam nec lectio Hebraica movere debet contra Vulgatam, 4

tam, cujus ſenſus eſt, Enoch induxiſſe ſolennem Ritum per publicas deprecationes, Templum &c. nec dato uſu Imaginis, fundamentum eſt dicendi, ſtatim cœpiſſe Idololatriam: an ergo antè, an poſt diluvium cœperit, incertum eſt.

5 Quamvis autem Sap. 4. agi videatur de initio Theologiæ Fabuloſæ, non Civilis; textus tamen magis conſonat, priùs fuiſſe imagines, ut mortuum repræſentantes, quàm ut illæ deificarentur per immiſſionem Dæmonum: ſicque occaſio totius Idololatriæ ſive Civilis ſive Fabuloſæ, ſumi cœpit ex memorato affectu erga mortuum. Theologiæ ergo iſtæ ſi comparentur cum Phyſica, priores tempore ſunt, loquendo de cultu publico; nam dicitur *initium fornicationis*, fuitque iſte circa Idola jam in Progenitoribus Abrahæ. Jos. 24. Quantùm ad cultum privatum, probabile eſt, quod Euſebius tenet, primos omnium Ægyptios putâſſe, ſolem eſſe Deum.

CAPUT VI.

Quàm gravis ſit culpa Idololatriæ, & quæ pœna impoſita?

1 Primò, Peccatum ex genere ſuo graviſſimum eſt. Conſtat de Fide, & ratione naturali. Si enim Idololatria vera eſt, exiſtimatio de alio Deo injurioſiſſima eſt Deo vero: ergo & Profeſſio erroris; quia ſicut Excellentia Dei eſt incommunicabilis, ita & honor. Nec error, ſtante cognitione Dei, eſſe poteſt invincibilis, cùm ideò Philoſophi damnentur, Rom. 1. & illámet cognitio ſufficiat ad errorem advertendum. Quomodo enim agnoſcens unum Supremum in Regno, putat in eo alium affici poſſe honore Regi peculiariter debito? Ignorantia autem unius Dei vix reperitur in plenè compote rationis, præſertim circa res ſuperiores, &c.

2 Secundò, Idem eſt de Idololatria, in qua deeſt infidelitas, non tamen affectus colendi. Nam facit exemplum adductum de Rege, quia ſicut ratio adorandi Deum unica eſt, ita & Adoratio tam interna, quàm externa; tamque intrinſecè malum eſt, ſacrificare creaturæ, quàm profiteri eſſe Deum. Imò iſte modus pejor eſt priore, quantùm ad id, quod formaliter ponit, quia includit majus & formalius mendacium, & contemptum Dei: ſicut Hæreſis major infidelitas eſt Paganiſmo. Regulariter autem procedit ex odio, vel formali contemptu Dei, quia ad adulandum non eſſet neceſſarius affectus internus colendi.

3 Tertiò. Idem eſt de Idololatria ſimpliciter ficta. Non enim Fides tantùm, ſed etiam Confeſſio ejus neceſſaria eſt ad ſalutem Rom. 10.

Mat. 10. at profeſſio falſi Dei eſt negatio veri Dei. Adde, in eodem actu fieri deceptionem pernicioſiſſimam ob ſcandalum, ut ponderatur 2. Mach. 6 Sufficit autem voluntas ſigni, eſto citra affectum colendi; ſicque cum fictione infidelitatis ſtat veritas malitiæ, cùm ad Idololatriam ſufficiat ſaltem exteriùs profiteri cultum verè & ex animo exhibitum; quod non fit à Tragœdo imitante. Minus tamen mali eſt in hoc, quàm primo modo Idololatriæ, per ſe loquendo; nam propter ſcandalum ſecùs eſſe poteſt.

4 Quartò. Idololatria non eſt gravius peccatum Infidelitate, & odio Dei, ut perperam vult Cajet. Ita S. Thom. 2. 2. q. 34. a 2. Nam dictum odium directè opponitur virtuti ſummæ; & ſimiliter infidelitas opponitur majori virtuti: plúsque eſt Deo non dare fidem, quàm ejus honorem communicare alteri. Cajetani autem ratio eſt, quia Idololatria, quantùm in ſe eſt, tollit incommunicabilitatem Deitatis; quod ad odium pertinet; & negat eam; quod eſt infidelitatis: ergo utriusque proteſtatio fit.

5 Sed vel formaliter loquitur de odio Dei, vel ſolùm interpretativè? Si 2um, in omni peccato mortali reperitur. Si 1mum, nec in primo, nec in tertio modo Idololatriæ intervenit, nec etiam ſemper in ſecundo; quia pro arbitrio indignum colere poſſum citra odium tertii. Nec poſito odio Dei, ſequitur, quòd Irreligioſitas ſit peccatum majus, ſicut nec furtum propter mæchiam, gravius hac eſt; ſed ſolùm ſequitur, quòd unum ſit cauſa alterius, ſéque habeat, ut actus imperans ad imperatum; quod nec tollit diſtinctionem actuûm, nec confundit malitias. Puerilis autem comparatio eſt, complexum ex odio & Idololatria eſſe majus odio ſimplici.

Quintò. Idololatria rectè dicitur peccatum graviſſimum extenſivè, & ut radix ferè omnium vitiorum. Sumitur ex Rom. 1. & Sap. 14. Licèt enim non ſit adæquata cauſa omnium, cùm ſæpe aliunde oriantur, ſatis eſt, inde omnia oriri ſolere, partim induſtriâ dæmonis, partim Deo permittente in vindictam tantæ injuriæ, partim ex natura ipſius vitii, quod ad alia incitat ſive ut finis, ſive ut occaſio. 6

Sextò. Præter prædictos modi alii Idololatriæ formaliter ſumptæ eſſe nequeunt. Idololatra enim eſt, qui alteri, quàm vero Deo exhibet Divinum honorem: ergo hujus exhibitio eſt propria Idololatria. At dicta exhibitio vel merè externa eſt, vel etiã interna; & hæc vel fit concurrente intellectu & voluntate, vel voluntate tantùm. Tamen cauſaliter & per participationem, idem vitium eſſe poteſt in non Idololatra, ſicut alia vitia participantur à dante cauſam, vel cooperante peccato. Sic Dæmon participat volens adorari, & tyrannus idem appetens, ut Nabucho- 7

buchodonoſor, conſequenter majore ſuperbiâ quàm ſubditi, elevatus contra Deum.

8 Septimò. Per Idololatriam fictam non incurritur pœna. Ita communis & veriſſima. Nav. Sylv. Ang. Tab. Roſel. Simancas. Et inprimis quantùm ad Gentiles, conſtat nec poſſe pœnam poni ab Eccleſia. Si autem Baptizatus vitium committit cum infidelitate internâ, etiam conſtat incurrere omnes pœnas Apoſtaſiæ à Fide, non tamen alias; quia ſpecialiter poſitæ non ſunt pro Idololatria externa. Si denique ficta ſit, certum eſt, nec pœnam Hæreſis vel Apoſtaſiæ incurri; quidquid dicat Cajetanus.

Falſum enim eſt, in dicta Idololatria veram malitiam Infidelitatis eſſe, cùm ſolùm ſit vera malitia Idololatriæ & pernicioſi mendacii contra Confeſſionem Fidei: infidelitas autem non ſtat, ubi deeſt error; ſicque magna differentia eſt Cenſuræ ob furtum latæ, quia licèt eam incurrat metu adactus ad furandum, per metum non deſinit eſſe fur: at ſtante metu Idololatræ, ſtat abeſſe errorem. Denique pœnæ reſtringendæ ſunt, & licèt Eccleſia non puniat actum merè internum, tamen interdum non punit externum, niſi ut procedentem ab interno. 9

CAPUT VII.

De Superſtitione Divinativa, quid ſit, & unde habeat deformitatem?

1 Implicita Idololatria alia eſt cognitionis, alia operis: quarum illa Superſtitio Divinatoria dicitur, hæc verò vana Obſervantia, ſeu Magia. Duplex enim debetur Deo cultus, alius, recognoſcendo ſolùm ejus Excellentiam, alius, non petendo ab alio, quod ſolus præſtare poteſt: petitio autem vel eſt cognitionis, vel alterius effectûs ſive interni ſive externi. Igitur Divinatio (ſeu Divina notio) vi Etymologiæ eſt participatio cognitionis rerum occultarum, quæ Divinitatis propria eſt. Scriptura autem ſumit illam in deteriorem partem pro uſurpatione indebita prænotionis ſeu prædictionis rerum occultarum.

Primò. Conſtat Divinationem ſic ſumptam eſſe actum pravum. Ita Scriptura Deut. 18. Lev. 19. & 20. Eccli. 24. & Canones 26. q. 5. & Jus Civile Cod. de Maleficis &c. &c. ipſáque ratio naturalis. Licèt enim cognitio, quæ quæritur, ex objecto indifferens ſit, loquendo de fine proximo & intrinſeco Divinationis (nam remotus variatur infinitè) tamen medium malum eſt, ſcilicet inquiſitio indebita & peſſima, 2

ma, ut dicetur. Cæterùm homo naturaliter ſcire deſiderat, ſícque appetitio bona eſt, ſi ſit ex fine honeſto, & cum debita menſura; ſecùs enim vel ſolùm eſt vana curioſitas, vel graviter prava ob finem extraneum pravum, aut quia in ſcientia ponitur finis ultimus.

3 Secundò. Malitia Divinationis in hoc conſiſtit, quòd ſcientia rerum occultarum inquiritur per inſtructionem dæmonum. Nam etiam inquiſitio facta ab Apoſtolis Mat. 24. Act. 1. fuit indebita; nec tamen erant Divini, & Chriſtus illam ut intempeſtivam, curioſam, & ineptam retudit, & cum exaggeratione: *Neque Filius* (utique non abſolutè, ſed quadam ratione, ſcilicet à ſe, vel ex Humanitate) *ſcit*. Ruſus Patres omnes notant, in divinando peti opem diaboli; idemque inductione conſtat eorum, quæ Divinatione inveſtigantur.

4 Nec enim viâ inventionis, ſeu facultate naturali ſciuntur, cùm ſint vel actus liberi futuri, vel præſentes quidem, ſed per ſe occulti, ut cogitationes, vel effectus facti in loco diſtanti, vel res omnino præteritæ, & ſimiliter occultæ, vel res naturales occultæ, ut proprietates herbarum, mineræ &c. Licèt autem aliqua ſciri poſſint, tamen quæritur ſcientia ſine labore, vel certior, citior &c. quàm hîc & nunc haberi poſſit. Non enim à rebus inanimatis aut brutis; non ab homine, cujus vim res ſuperare ſupponitur: ergo cùm non petatur à Sanctis ejus (qui nil communicant niſi juxta Dei ordinationem) ſupereſt inſtructionem peti à dæmone: ergo cum hoc ſocietas ſit, utique noxia, periculis plena, & contra rationem, & Dei voluntatem, 1. Cor. 10. *Nolo vos fieri ſocios dæmoniorum.*

CAPUT VIII.

Qualis & quanta ſit malitia Divinationis expreſsè poſtulatæ à dæmone?

1 Primò, Malitia Superſtitionis graviſſima eſt, cùm petitur certa cognitio per ſe occultorum. Nam tunc tribuitur dæmoni, quod Dei proprium eſt, & Divinitatis ſignum, ut eſt de Fide, Iſ. 21. 41. 46. & tradunt Patres communiter; conſtâtque dæmoni id non competere ex dono Dei. Nec refert, abeſſe intentionem colendi: nam ſicut oratio ad Deū per ſe eſt cultus, ita etiam dicta petitio ad dæmonem: nec requiritur intentio formalis fu-

ran-

randi, occidendi, cùm plus requirat actus honeſtus quàm pravus: nec ſcire, quæ humano modo ſciri poſſunt, ſingularis excellentia eſt; at ſcire per ſe occulta vi naturæ, Divina Excellentia eſt: ergo petitio ſciendi iſta eſt ſignum cultûs. &c.

2 Secundò, Licèt non petatur niſi inſtructio, quam per ſe præſtare poteſt dæmon, adhuc petitio eſt ſuperſtitioſa; & Divinæ Religioni contraria. Sumitur ex 4. Reg. 1. ubi Rex non ſpecialiter reprehenditur, quòd Divinum quid cogitârit de Beelzebub, ſed abſolutè, quòd contempto Deo, dæmonem conſulat. Ratio eſt, quia juxta communem quaſi impoſitionem & æſtimationem hominum, conſultatio de occultis homini, ſeclusâ conjunctione cum Deo, habetur ut ſignum Confeſſionis Divinitatis. Dein eſto abſit intentio conſulendi dæmonem, ut infallibilem veritatem; tamen huc ille hominem deducere intendit & valet per ſuas artes, & Dei derelictionem: ergo committit quis ſe periculo hujus baratri; quod perinde eſt.

3 Exemplum eſt, cùm initur ſocietas cum muliere infami de adulteriis, de qua conſtet mentem & uſum eſſe deducendi familiares ſuos ad turpiſſima. Nam licèt ſocietas à principio vana ſit, per ſe jam haberet malitiam libidinis, propter periculum cui quis ſe committit: at conſtat dæmonem intendere uſurpationem Divinæ Excellentiæ, ut homo, Deo relicto, ſe illi ſubjiciat: ergo cooperatio ei fit ſuperſtitioſa; ſicque conſtat; exemplum de conſultatione humani Magiſtri non eſſe ſimile.

4 Confirmatur, quia Dæmon eſt publicus hoſtis Dei & hominum, & in omnibus intendit obſcurare gloriam Dei, & ideò omnes in Baptiſmo profitentur, quòd ei abrenuntient, cum bello contra ipſum, juxta Eph. 6. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ.* Ergo ſocietas cum ipſo eſt crimen læſæ Majeſtatis Divinæ, ſicut ſi Vaſallus ſe ſociet hoſti volenti Regem throno dejicere.

5 Tertiò. Utrique modo Divinationis conjunguntur interdum aliæ malitiæ. Nam ſemper morale periculum eſt deceptionis pernicioſæ vel conſulenti, vel aliis; quia dæmon ab initio mendax eſt, ſemper intentus ad nocendum, ſicque ſtat pacto (niſi à Deo impediatur) non propter fidelitatem, ſed ob odium hominis, & aviditatem nocendi, ut *per aliena vera* (ut ait Aug.) *ad ſua falſa traducat*, ſive error ſit in materia phyſica & ſpeculativa, ſive in practica pro Regula operandi &c. His additur Sacrificium, conſequenter expreſſa Idololatria, vel ſi cultus ſit communis Sanctis, Idolodulia. Adduntur pacta renuntiandi Chriſto, non utendi Sacramentis, ſacris aliis, devovendi animam &c.

Denique quantùm ad fidem, vel certa datur, vel humana tantùm? Si 1mum, Hæreſis eſt, non credendo mendacem dæmonem. Si 2dum, ex materia judicandum eſt, an ſit contra Fidem &c. Sequitur ad hæc prædictio, & conſequenter malitia ſcandali; & ideò pro ratione materiæ ſic prædicens poteſt cenſeri vel Hæreticus, vel ſeductor in materia Juſtitiæ &c. &c. hypocrita, fur, latro &c. prout hæc vel illa intentat.

CAPUT IX.

De Superſtitioſa Divinatione per pactum implicitum.

1 Primò. Ad pactum implicitum requiritur, ut cognitio, quæ intenditur, quæratur absque ope Divina, & per vanam inquiſitionem, ſeu per medium per ſe ineptum. Nam committi dictum peccatum ſine pacto expreſſo cum dæmone, tenent omnes cum Aug. Orig. Euſeb. intelligendo per pactum non tantùm conjunctionem quaſi ſtabilem per mutuam obligationem, ſed quamlibet ſocietatem, & petitionem auxilii.

2 Niti autem in inquirendo authoritate & auxilio Dei, per ſe utique malum non eſt, cùm Deus ſit fons omnis cognitionis. Rurſus ſi medium aptum eſt, non poteſt damnari, magis quàm omnis humana inquiſitio ex cauſis & effectibus, quaſi ſit ex pacto cum dæmone; eſſétque judicium temerarium, injurioſum naturæ, & veritati Catholicæ contrarium. Unde etiam conſtat ſecluſo pacto cum dæmone, non ſufficere ad dictum peccatum ſolam inquiſitionem vanam, vel credulitatem temerariam, quia illo ſecluſo, ex nullo alio capite, nec reſpectu alterius rei vel perſonæ, miſceri poteſt falſus cultus.

Secundò. Ut inquiſitio non ſit vana, neceſſe eſt medium eſſe ſenſibile ab homine, conſequenter proportionatum cognitioni humanæ, & veritati inquirendæ, ſeu cum hac connexum, & ut abſit impoſitio à Deo. Nam medium non continet concluſionem, niſi ut cauſa effectum, vel è converſo: tamen illa in ſe non ſemper eſt determinata, & ideò impedibilis per occurſum aliarum cauſarum; hic verò utpote jam exiſtens, conſequenter habet determinationem ſuam actualem; ſícque vanæ non ſunt obſervationes Medicæ, Phyſicæ, Mathematicæ &c. 3

Formale enim dictæ Vanitatis eſt, quòd ſecluſâ impoſitione Divina, ſpectetur objectum ſub pura ratione ſigni effectûs alterius, quem quis inquirit ſine conſideratione alterius connexionis cauſæ & effectûs inter ſe, vel effectuûm cum eâdem cauſâ. Vel enim ſignum eſt naturale, vel ex impoſitione? Si 1mum, ſo- 4

lùm

ſum ſignificat, in quantum habet connexionem cum cauſis & effectibus immediatam vel mediatam. Si 2dum, ergo ſi rem occultam ſignificat, oportet, ut ex impoſitione Divina ſit; ut iris nunc ſignificat non fore diluvium, & ſigna in die Pentecoſtes ſignificare poterant plures effectus propter prædictionem Chriſti.

5 Tertiò. Si inquiſitio vana non ſit ſeriò, non continet pactum cum dæmone. Ita communis cum Cajetano. Nam ſi non ſit, quòd quis putet medium eſſe utile; nec ſperet per id conſequi veritatem, ſed ſolùm otioſè quærat, quid tale ſignum juxta regulas artis deſignet, licèt falſas putet, peccatum veniale tantùm erit ſecluſo ſcandalo & periculo perveniendi ad ſeria.

6 Quartò. Inquiſitio vana, ſi ſeriò ſit, continet pactum cum dæmone. Nam talis vanitas damnatur, & in veteri teſtamento, ut per ſe mala, & à Patribus, quos refert Gratianus 26. q. 1. & ſequentibus, quia inquiſitio non fundatur in Deo, nec in medio naturali, ſed in regulis artis Divinatoriæ: ergo in diſciplina dæmonis. Dein vel ſupponit eas regulas eſſe veras, vel ſperat revelationem? Si 1mum, ex cujus Magiſterio? Si 2dum, à quo? Omnis enim cognitio per ſigna ad placitum acquiritur diſciplinâ potiùs, quàm inventione; & in illa docetur quis ab eo, qui ſcripſit vel dictavit: ergo in præſenti cognitio ultimatè eſt ab eo, qui authoritatem dedit ſigno, dicens, hæc illáve ſignificari: ergo à dæmone.

Dices: Poteſt quis expreſsè excludere dictum pactum, nec curare, quomodo res innotuerit, quia non præſumitur malum, niſi probetur: at non conſtat de origine mala: ergo fidi poteſt experientiæ, vel credi, à Deo eſſe revelatum. ℟. Per ignorantiam craſſam fieri, ut quis velit contraria, unum formaliter, alterum virtute, & in alio. Igitur talis volendo uti ſignis, vult pactum, quia experientia non niſi à dæmone manat, qui ut authoritatem ſibi conciliet, aliquando vera enuntiat; ſícque caſus hi numerantur & notantur, quia pauci ſunt; at deceptiones ſunt innumerabiles, ut ajunt Gellius & Cicero de Divinat. 7

Nec excuſat, quòd non cures; quia teneris curare. Poſitivè enim demonſtratur origo diſciplinæ, quòd non ſit à Deo, utpote deteſtante artem, & quia ſigna frequentiùs fallunt, nihílque pietati deſerviunt, ſed potiùs flagitiis; nec homines probi ſignis his utuntur. Qui ergo ducitur conſuetudine & experientiâ verorum eventuûm, non excuſatur, per ſe loquendo & regulariter, quia experientia reducitur ad ſocietatem cum dæmone. 8

CAPUT

CAPUT X.

Expediuntur nonnullæ difficultates circa ſpecies Divinationum.

1 Primò. In rigore non differunt ſpecie Pactio expreſſa & implicita. Nam ſolùm differunt, ut perfectum & imperfectum, completum & incompletum intra eandem ſpeciem, ut aliàs dicitur de voluntate tacita & expreſſa, ut in Profeſſione &c. Tamen practicè loquendo, certiſſimum eſt in Confeſſione aperiendum eſſe Pactum expreſſum, quia longè aliud judicium de eo ferendum eſt, propter præſumptionem Hæreſis, Cenſuras &c.

2 Secundò. Non diſtinguuntur dicta pacta in plures ſpecies. Nam ſolùm materialiter diſtinguuntur modi varii Inquiſitionis vanæ, ſicut etiam reſponſa dæmonis, ut facta per Pythones, corpus mortuum, Idola, auſpicium, inſomnium, ſortilegium, figuras in rebus inanimatis &c. Sicut autem idem eſt actus Fidei & Revelationis, licèt ſigna varientur, ut in Prophetis, ita etiam idem actus eſt vanè inquirendi & diſcendi à dæmone; nec enim quoad cognitionem differentia eſt, quantùm ad rem ſignificatam, & rationem credendi, ſed ſolùm quoad apprehenſionem. Denique quàm inutile ſignum unum, tam & alterum eſt.

3 Tertiò. Vana obſervantia ex ſternutatione, occurſu meretricis vel virginis &c. ſumpta, ſi definitè creditur eventum ſecuturum, qui portendi fingitur, non poteſt excuſari à gravi, loquendo per ſe. Nam talia ſigna non ſignificant naturaliter, nec ex impoſitione Dei, ergo Dæmonis. Nec refert, non eſſe quæſita, ſed caſu oblata: quia ſufficit voluntariè acceptari & credi, & licèt eventus caſu accidat, tamen ex illo ſupponitur comparata ars divinandi. Quòd verò cognitio ad operationem dirigatur, & eſt operantis tantùm, & ferè in omni Divinatione; ſtátque adhuc cognitio per ſe vana. Dixi *ſi definitè* &c. Nam ſi ſolùm ex vano timore aut ſimili levitate ceſſetur ab actione, veniale tantùm eſt, ſecluſo ſcandalo &c.

Quartò. Omnes ſpecies Divinationis ſunt intrinſecè malæ, quidquid ſine ratione diſtinguat quidam Rabbi apud Abul. 1. Reg. 14. q. 4. Nam & Scripturæ & Patres omnia genera damnant, & ut ratio de uno ſigno convincit, ita de omnibus. Nec obſtant exempla Scripturæ; nam Eliezer & à Deo inquiſivit, & prudenti conjecturâ æſtimavit candorem virginis ex liberalitate. De Jonatha credendum eſt ex inſtinctu egiſſe: Sacerdotum verò Philiſtiim malitiâ Deus uſus eſt ad confuſionem Infidelium, & ad conciliandam reverentiam Arcæ. 4

5 In verbis Joſeph (Gen. 44. *An ignoratis, quòd non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia?*) multiplex amphibologia eſt; nam interrogans, nec negat nec affirmat; & particula *mei* ſignificat, Joſephum eo gradu collocatum magis eſſe timendum, quàm ullum augurem. *Sit* autem accipi poteſt pro *æſtimetur, putetur*: & verbum *augurandi* in ſenſum bonum vel indifferentem, ut vox *Divinatio*, quia non additur in *ſcypho*, ut ſervus dixit vel cum mendacio, vel joco.

6 Non obſtat denique locus Job 37. *Qui in manu omnium hominum ſignat, ut noverint ſinguli opera ſua.* Nec enim Spiritui ſtricto tribuitur ars vana, ſed vel Chiromantia naturalis, quæ utitur ſignis ut effectibus, ex quibus aliquo modo temperamentum colligi poſſit, conſequenter inclinatio animi; vel accipitur *manus* pro libera poteſtate, ut in *manu Dei*, vel quia per imbres, nives &c. Deus quaſi claudit manus, & obſignat, ut *noverint ſinguli opera ſua*, & curam operandi habeant, nec occaſionem dimittant; quem ſenſum docet contextus.

CAPUT XI.

De Prohibitione judicandi occulta ex Aſtris.

1 Primò. Nec per ſe malum, nec prohibitum eſt, conjectare ex aſtris effectus naturales, qui per ſe proveniunt ex influentiis cœleſtibus &c. Nam effectus non ſunt per ſe occulti, ſed verè indicari poſſunt; confértque Scientia ad uſus vitæ humanæ: ergo non eſt cur prohibeatur. Unde etiam Sixtus V. in Motu 21. excipit *futuros eventus ex naturalibus cauſis neceſſariò vel frequenter provenientes*: & infrà: *Præterquam circa agriculturam, navigationem, & rem Medicam.*

2 Secundò. Licèt abſit malitia Divinationis, tamen aliter peccari poteſt in eo genere inquiſitionis, credulitatis, aut uſûs cognitionis. Nam hæc cognitio eſt curta & incerta, quia dempto Sole & Lunâ, de Planetis vix innoteſcit proprietas: & dato hoc, effectus pendet non ab una, ſed multis ſtellis, ita ut fixæ impediant concurſum Planetarum, & viciſſim. Pendet etiam ab inferioribus cauſis efficientibus & materialibus, ut diſpoſitione aëris, aquæ, terræ; nec tantùm ut ſe habent in uno loco, ſed & in aliis, quia ventus in uno excitatus, impedit effectum indicatum per aſtra in alio: & ita experientia oſtendit errores.

Conſtat ergo, peccari poſſe prædicendo abſolutè effectum aut certò: quod non eſt Superſtitionis, ſed inconſiderantiæ, quia habetur fides indiciis unius cauſæ, non conſiderando alias, nec impedimenta. 3

Eſtque genus quoddam mendacii, affirmare incerta pro certis, conditionatè futura pro abſolutè futuris; quamvis cùm præter conſtellationem, alia ſigna notantur in elementis, vel aliis effectibus naturalibus, magis abſoluta prædictio eſſe poſſit, ut in Nauticis, in Medicis. Peccatum verò ex ſe leve eſt, ſi non ſit pernicioſum bono publico vel privato: ſæpe etiam additur arrogantia, appetitus immodicus lucri &c.

4 Tertiò. Nec ex ſe malum eſt, nec univerſim prohibitum, ex ſtellis obſervatâ nativitate conjectare temperamentum pueri, & inde naturalem inclinationem ad iram, manſuetudinem, ſtudia, &c. Nam veriſimile eſt, Aſtra magnam habere vim in temperamentum: hoc autem ſequi ſolet propenſio hominis magna ex parte: ergo veriſimiliter arguitur non ex Divinatione, ſed ſpectando Aſtra ut ſignum naturale. Nec ulli bi extat prohibitio: quia Sixtus loquitur de futuris contingentibus, non de temperamento naturali.

5 Quartò. Tota inquiſitio temperamenti ex Aſtris incertiſſima eſt, & vix pervenit ad ſuſpicionem quandam, non verò ad conjecturam, vel cognitionem omnino probabilem, nedum certam. Ita communiter Patres, Theologi, & prudentiores Aſtrologi, & ſumitur à fortiori ex dictis. Nam tota incertitudo, quæ de aliis effectibus eſt, etiam hîc tenet, & adhuc augetur, quia conditiones rei generandæ magis pendent ex diſpoſitionibus materiæ ex qua, & ex efficacia proximæ virtutis activæ, quàm ex influentiis, ut eſt per ſe evidens. Sunt enim hæ cauſæ magis propriæ, & determinant cauſam univerſalem: ergo impoſſibile eſt, temperamentum colligere ex ſolis influentiis Aſtrorum.

Patet claro exemplo: ſi enim duæ terræ ſint diſparis qualitatis, in quibus eodem tempore triticum ſeminetur diverſæ qualitatis, & accedat etiam diverſa cultura; evidens eſt ſub paribus influentiis meliorem fore effectum, propter diſpoſitionem terræ, & ſi hæc eadem ſit, propter melius triticum, & his ac cæteris paribus, propter meliorem culturam: ergo eâdem ratione ſub paribus influentiis in prole confert melius temperamentum matris, qualitas melior ſeminis paterni, cura melior fœtûs, ob ſanitatem, alimenta & exercitia matris: at hæc nec conſiderant Aſtrologi, nec conſiderare poſſunt. 6

Confirm. Quia temperamentum principaliter perficitur in puncto conceptionis, nec facilè mutatur: multóque minùs per ſeparationem tantùm fœtûs ab utero: cur ergo tunc & non antè attenduntur influentiæ dictæ? Si dicis, punctum conceptionis non poſſe cognoſci: ergo convincitur, conjecturam vanam eſſe. Dein etiam punctum nativitatis non exactè cognoſcitur in ordine ad motum cœli velociſſimum, & continuam mutationem 7

aſpe-

aſpectûs: & præterea fallacia conſtat in Geminis, ut rectè urget Gregor. & latiùs Aug. 5. de Civ. c. 1. & ſequentibus. Igitur à fortiori hîc peccatur, tenendo quid ut certum, aut abſolutè definiendo.

8 Quintò. Prædicere futura contingentia, quæ à libertate pendent, ex ſignis cœli, peccatum Superſtitionis eſt, omni jure prohibitum. Eſt certa & communis Theologorum, Summiſtarum, & Canoniſtarum in c. 2. de Sortil. Sumitur ex Iſ. 47. Jer. 10. Galat. 4. Act. 19. & ſequuntur Canones d. c. 2. c. *illos.* 26. q. 2. c. *Sed & illud.* c. *Non liceat.* 26. q. 5. & l. 2. 5. & 7. Cod. de Malef. & Mathem. l. *Mathematicos.* Cod. de Epiſc. audient. itémque Patres, ut Aug. Euſeb. & alii paſſim: imò etiam Ethnici, ut Gellius & Cicero.

9 Vel enim prædictio fundatur in Aſtris, ut cauſis actuûm liberorum, vel ut puris ſignis? Si 1mum, Hæreſis eſt, cum Gentilibus omnia tribuens fato. Si 2dum, Superſtitio eſt diabolica. Nam diſcere à dæmone, ubi ſit theſaurus résve alia, malum intrinſecè eſt: at jam patefactum theſaurum effodere, non dicit commercium cum dæmone, ſicut nec uti Philoſophiâ jam per eum acquiſitâ. Falsò autem ſupponitur eſſe veritatem in dicta prædictione, & ſupponens jam credit dæmoni. Unde enim veritas? ex revelatione Dei? at hic monet *non timere à ſignis*, ſive ut cauſis, ſive ut ſignis. Ex Regulis artis? at falſis ſæpiſſimè; & in Geminis contraria ſignificant: quæ autem regula explicat æquivocum? & ſi explicat; ergo per revelationem diſtinctam de ſingulis. Igitur ſtellæ *in ſignum* ſunt. Gen. 1. ad uſus hujus vitæ diſtinguendo apta tempora, ut ad navigandum, ſeminandum, &c.

Dices: Cœlum ſolùm infallibiliter determinare ad unum: infallibilitas autem non infert neceſſitatem: nec DEUS ſit Author peccati, niſi quoad materiale tantùm. ℞. Ex doctrina Patrum, & evidenti ratione falſam eſſe & dictam infallibilitatem, & neceſſitatem, cùm neceſſitari aliud non ſit, quàm determinari ad unum per actionem poſitam extra poteſtatem determinati; ſícque etiam dicta infallibilitas tota eſt antecedens, non conſequens. Falſum etiam eſt (quamvis non eodem gradu certitudinis) Deum ſic determinare: tribuere autem ei tanquam primæ radici, quidquid ab homine fit turpiter, Hæreticum eſt. Denique falſum eſt, quòd cauſa corporalis determinet voluntatem ad actum ſpiritualem: nam hoc poſcit influxum directum & immediatum in voluntatem; ſenſus autem & ſenſibilia utut proponantur, non habent vim ſic determinandi, niſi ob perturbationem uſus rationis impediatur. 10

Sextò. Idem à fortiori eſt de futuris contingentibus, quæ à ſolo libe- 11

libero Dei arbitrio pendent; imò de omnibus ita occultis, ut humano modo ſciri nequeant. Nam nec per ſe, nec per accidens determinari poteſt DEUS per influentias: & ita nec naturales effectus ita certò prædici poſſunt, quin ſubſint mutationi, cùm Aſtra ſubjiciantur Providentiæ cauſæ primæ. Exemplum poſterioris partis ponitur d. c. 2. de furto facto, & rectè notatur, ignorantiam raro excuſare. Vel enim actio præterita diſcitur ex aſpectu ſiderum, qui eſt; vel ex eo, qui fuit? Si 1mum, multò minùs præterita actio ab eo pendet, quàm futura. Si 2dum, nec intuitivè in eo videtur actio, nec abſtractivè, quia ſtella non neceſſitat, ut actio hîc potiùs quàm ibi fiat.

12 Quòdſi effectus eſt caſualis per accidentarium concurſum naturalium cauſarum; ergo ut talis non habet cauſam per ſe, utique infra Deum; in cœlo autem nihil eſt, quod ſit cauſa concurſûs cauſarum. Nam dato, quòd omnes ſtellæ cognoſcantur (quod homini impoſſibile eſt) effectus pendet ex cauſis inferioribus, ſicque nec Angelus ſcire poteſt talem effectum, niſi omnes cauſas comprehendat.

Septimò. Idem denique eſt, licèt nihil certò aſſeratur, ſed probabiliter tantùm. Nam Sixtus V. etiam hanc evaſionem damnat, & prohibitam ſupponit, vel prohibet; ſicque ſine dubio tenendum eſt in Foro externo, cùm ſit præſumptio Juris & de Jure, eadémque incommoda ſequantur. Dein ſtellæ ſunt cauſæ remotiſſimæ, & ex innumeris paucæ tantùm ſunt notæ: unde ergo probabilitas, niſi ex diſciplina diaboli? Et ſi eſſet judicium probabile, profectò *timenda ſigna* hæc foreat, quod negat Scriptura. Secùs erit, ſi conjectura ſumatur non ex ſolis ſignis, ſed ex temperamento. 13

CAPUT XII.

An uſus Sortium ſemper ſit Superſtitioſus, & prohibitus.

1 Primò. Sortes diviſoriæ, ut in luſu, electione &c. per ſe & naturâ ſuâ malæ non ſunt; aliquæ verò jure humano prohibitæ, aliæ merè indifferentes. Nam per ſe loquendo, nec injuſtitia includitur, nec invocatio diaboli, ſed voluntaria pactio hominum, quæ eſſe poteſt cum æqualitate inter Partes; imò quod à Privatis fit, etiam lege imponi poteſt, tanquam jus æquale Partium, ut l. *Si duobus.* Cod. Communia de Leg. Nec Canones univerſim reſiſtunt, ſed c. *Eccleſia* de Sortil. quoad Electiones ad Beneficium vel Officium Eccleſiaſticum; imò vi rationis

tionis univerſim, ubi Jurisdictio vel adminiſtratio Eccleſiaſtica confertur, eſto ad unum actum tantùm, ut ibi notant Doctores, & Theologi.

2 Dices: Quid ſi ſuffragia paria ſint, aut ſi Congregatio tres eligat, reliquum committendo ſortibus. ℞. In priore caſu ſupereſſe viam Compromiſſi: actum autem de ſe nullum eſſe, cùm non ſit majoris Partis. Quantùm ad poſteriorem, ſine jure vel evidenti ratione nos non poſſumus excipere à Canone; & uſus ſolùm allegari poteſt de Electione Civili: ſi ergo alicubi res ſecùs habet, oportet, ut ſtatutum ſit approbatum à Pontifice derogante Canoni.

3 Secundò, Electio per ſortes facta, non eſt irrita, niſi ſit ad Eccleſiam. Nam in d. c. *Eccleſia* Jus tantùm eſt prohibens, & ideò admittitur Compromiſſo per ſortes facta, quia c. *Quia propter* de Elect. ut irritat, ſolùm agit de forma Electionis ad Eccleſiam, tacens de forma Compromiſſi, quantùm ad valorem. Idem ergo eſt in ſimilibus, quia Jus tanquam odioſum reſtringendum eſt, quoad poteſt, etiam quoad prohibitionem. Sicque malè tenet Baldus, ſortes non licere, niſi in caſibus jure permiſſis. Contraria enim regula tenenda eſt, eas licere, niſi ob circumſtantiam accidentariam, vel in caſibus Jure expreſſis prohibitæ ſint.

Patet uſu veteris teſtamenti in jurgiis tollendis Proverb. 18. & ex G. c. *Licèt cauſam* de Probat. communiter & uſu receptâ in Litibus Beneficialibus. Neceſſaria tamen eſt authoritas Prælati (nam conſenſus Partium non dat titulum, nec tollit periculum vitioſi ingreſſûs) & ſufficit, quia cui is adjudicat Beneficium, verè obtinet, & cum titulo ſufficiente, ſeclusâ vi, fraude, vel clarâ injuſtitiâ Proceſſûs. Idem eſt, ſi inter eligendos æqualitas ſit, ut cui permanendum tempore peſtis &c. quia dictum Jus rectè reſtringitur ad Eccleſiaſtica juxta particulam *in talibus*, & ſubjectam materiam. Unde non peccatur in Electione Civili, ſi vix diſcerni poſſit manifeſtus exceſſus, inter quos illa ſit: at ſi ſors cadere poteſt ſuper indignum, vel minùs dignum, contra Diſtributivam, Commutativam, & Legalem Juſtitiam eſt, ſic committere munia Civilia. 4

5 Tertiò. Uſus ſortium ad cognoſcendam veritatem occultam, niſi fiat ex inſpiratione Divina, expectando à Deo cognitionem veritatis, eſt illicitus, & ex genere ſuo gravem malitiam continet. Duplicis enim generis ſunt ſortes, quæ pro cognitione adhibentur; nam vel ſunt *Conſultatoriæ*, ſeu à DEO petendo cognitionem, vel *Divinatoriæ*, ſi illa à diabolo petitur: & tunc conſtat eſſe diaboli-

bolicas, ſive ſpeculativæ tantùm ſint, ſive practicæ, ut ad furem puniendum. Et tunc accedit peccatum aliud, ut infamationis, injuſtitiæ &c. nam ſemper Dæmon innocenti potiùs nocere intendit, quàm nocenti.

6 Quoad Conſultatorias autem, vel petitur ſignum extraordinarium, vel ſpecialis tantùm directio Divinæ Providentiæ ordinariæ? Si 1um conſtat committi Tentationem Dei, cùm etiam datâ neceſſitate, peti nequeat miraculum ſine ſpeciali inſtinctu. Si 2um, modus poteſt eſſe indebitus, ut ſi ſortes adhibentur ſine prævia oratione, reverentiâ, humilitate debita; aut ſi medium ſit improportionatum, ut adhibendo Evangelia de re temporali. Sin modus ſit debitus, & recta intentio, & materia, in qua in neutram partem quid ſit contra rectam rationem, nec reperitur via melior ad determinandum; non requiritur inſtinctus, ſed ſufficit prudens ratio ſumpta ex neceſſitate & honeſtate cauſæ, & dubio occurrente. Prudenter autem creditur, Deum ſpecialiter effecturum, quia oratur, & utor medio, quo poſſum ad me dirigendum.

7 Poſito autem inſtinctu Divino, dictæ ſortes utique licent, ut patet non ſolùm in Joſue (qui tamen mandatum Dei ſolùm executus eſt) & aliis, ſed etiam in Apoſtolis Act. 1. Nam Divino ſpiritu motus Petrus, intellexit providendum eſſe de Succeſſore, ſed dubium erat, an collatio penes ſolos eſſet, an immediatè à Chriſto, ut aliàs? ſtabatque dubium, licèt unus tantùm electus fuiſſet. Fuerunt ergo ſortes conſultatoriæ, ut oratio ſonat, & citra Tentationem; nam erat moralis neceſſitas, & publica utilitas, & cum inſtinctu, ut credendum eſt: & ideò creditur adfuiſſe ſignum, quia aliàs nil ſingulare habuiſſet Electio, convénitque talis conſolatio & ſatisfactio Apoſtolorum & tempori, & loco, ut Oratio exaudiretur.

Quòd ſi dicta Sors attenditur, ut Diviſoria, ſupponitur non patuiſſe de exceſſu meritorum; aliunde autem providendum fuit ſedi vacanti, nec erat ratio, cur Petrus vel Congregatio rem determinaret, nec etiam Jus prohibens ſortes. Unde etiam nunc ſic eligi poſſet Pontifex, ſi publicè conſtet de duorum eminenti dignitate. Denique in dicta Electione medium fuit aptum ad oſtendendam illius ſinceritatem, & ad tollendam omnem offenſam. 8

Quoad ſortes Saulis, nil cogit ad eas defendendas, quia nec fuit Sanctus, nec juſta neceſſitate adactus. Similiter ſortes de Jona ineptè miſſæ ſunt: tamen Deus temperat omnes, ſive permittendo, ut innocens plectatur pro nocente; ſive dirigendo, ut infallibiliter oſtendant 9

dant

dant veritatem. Et hæc eſt Gratia ſpecialis, vel ſpecialiſſima per modum Gratiæ gratis datæ, etiam impiis aliquando.

CAPUT XIII.

Quomodo Divinatio per ſomnia ſit ſuperſtitioſa?

1 Primò. Certum eſt, per ſe non eſſe malum inveſtigare cauſas ſomnii; ſed poteſt eſſe utile, & aliquando neceſſarium. Nam nequit id eſſe malum, niſi ex intentione operantis, aut per accidens: & quia ſomnia varia ſunt, utile de ſe eſt ad uſus vitæ, rationem varietatis quærere & reddere. Denique eſſe illa poſſunt à Deo, dæmone, vel à temperamento: ergo juvat diſcernere, unde ſint.

2 Secundò. Hæc conjectatio ex ſomniis, adeò tenuis & difficilis eſt, ut vix poſſit probabilis cognitio cauſæ comparari ex effectu, niſi adjunctis multis circumſtantiis vel naturalibus, vel moralibus, vel ſupernaturalibus. Nam ſolum ſomnium extaticum eſt proprium cauſæ primæ: ſi autem ſit per converſionem ad phantaſmata, nullum eſt, quod ab una cauſa neceſſariò proficiſcatur; quia ſaltem dæmon ingerere ſe poteſt, applicando activa paſſivis. Patétque diſcurrendo per cauſas alias, quæ ſunt vel temperamentum, vel cogitatio præcedens (ſub hac comprehendendo affectionem & conſuetudinem) & denique cauſa extrinſeca, ut aër ambiens, & à fortiori cœlum juxta dicta de ejus influentiis.

3 Quòd enim humores conferant ad ſomnia, conſtat quidem experientiâ & ratione, quia motus phantaſiæ in ſomno ſupponit mutationem aliquam objectivam; ergo factam mediis ſpiritibus animalibus, qui proportionatè ad diſpoſitionem humorum moveri poſſunt: ſicque læta ſomnia indicant abundantiam ſanguinis, bellicoſa bilis, triſtia melancholiæ, oneroſa & timida pituitæ. Similiter confert cogitatio præcedens, Eccli. 5. *Multas curas ſequuntur ſomnia.* Sicque alia eſſe ſolent avari, alia temperati, alia liberalis. Nam phantaſmata relicta facilè moventur, ſi proximè præceſſit cogitatio, vel ſi intenſa fuit, vel ſæpius repetita. Similiter aër ambiens, aſtra &c. ut corpus alterant per calorem, ita conſequenter commovent ſpiritus animales, ut ſomnium ſequatur.

4 Hinc autem concluditur incertitudo, imò tenuitas probabilitatis in conjectandis ſomniis. Nam triſte ſomnium ſanguinei potuit eſſe ex triſtitia, quæ præceſſit in vigili; aut ob varietatem corporis ambientis, influentis. Sic ſomnium occidentis hoſtem potuit de die præcedere cogitatio vindictæ; & ita de aliis affectionibus, conſuetudine.

Rur-

Rurſus ſomnium ſæpe eſt de non cogitatis; aut dudum antè cogitatis; ſæpe etiam eſt à dæmone, & aliquándò à bono ſpiritu & à Deo: ſicque impoſſibilis eſt conjectura firma cauſæ.

5 Tertiò. Impoſſibile eſt homini ex ſomnio, tanquam puro effectu, alium futurum cognoſcere, ſive naturalem cum certitudine, ſive contingentem ad utrumlibet, ſive liberum ullo modo. Nam etiam temperamentum & ſimilia difficulter ex ſomnio cognoſcuntur: ergo multò minùs effectus futurus naturalis; ut futura ægritudo ob repletionem humorum, quam ſomnium indicat. Dein cognitio ſupponit connexionem ſomnii & effectûs futuri cum una cauſa communi: at quæ iſta? Cæleſtis, Elementaris, Animalis, ſeu cogitatio & affectio prævia? at de prioribus cauſis dictum eſt; ultima verò nullum habet effectum determinatum & futurum, præter ſui memoriam.

6 Licèt autem quis excedat in ſimili diſcurſu Medico, non peccat contra Religionem, cùm hujus materia non agatur, ſed contra charitatem, juſtitiam, exponendo ſe vel alium gravi periculo. Secùs erit, ſi cum certitudine, vel nimiùm abſolutè prædicatur actus liber futurus, ut ſatis dictum eſt ſuprà.

7 Quartò. Somnia ut ſunt ſigna & quaſi voces, non niſi à ſuperiore Motore eſſe poſſunt, Spiritu bono vel malo, ſive fiant per modum expreſſæ locutionis, ut ad Joſephum, Magos, &c. ſive per apprehenſiones imaginum ſeu viſionum, quæ vel ſymbolicæ ſint, ut vir Macedo in ſomnio Pauli, vel propriæ, ut in ovibus Jacob. Non enim ſunt ab alio homine, nec ab ipſo ſomniante, qui tunc non utitur ratione; & ordinariè res illi ignota eſt & occulta, ut Pharaoni: ergo vel Divina ſomnia ſunt, vel diabolica.

Prioribus fidem habere, ſiquidem de origine ſatis moraliter conſtat, & ſanctum eſt & neceſſarium. Non enim refert, Deum hoc vel illo modo loqui, dummodo conſtet eum loqui, & locutio non ſit ænigmatica tantùm, quia aliàs ſolùm in generali credi poteſt; & ubi non ſufficienter proponitur, ut à Deo revelatum, etiam non creditur prudenter. Petere autem tale ſomnium, ſecluſâ gravi neceſſitate, & inſtinctu, eſto Superſtitio non ſit (ſi abſit morale periculum ſocietatis cum dæmone, transformante ſe in Angelum lucis) tamen eſt ex ambitione & ſuperba curioſitate ſciendi occulta Sapientiæ Divinæ. 8

Poſterioribus fidem habere, Superſtitio eſt, ut aliæ omnes Divinationes. Nam deſcit quis non per inventionem, ſed per diſciplinam; ergo diaboli. Nec refert eventum ſequi, quia dæmon, ut ſemel fallat, ſæpe verum dicit, & ideò credi ei nequit Deut. 12. *Etiamſi &c. ita evenerit, non credatis eis.* Nec etiam refert, ſomniari de rebus bonis, cogitationibus, myſteriis Fidei &c. 9

quia

quia dæmon omnia loqui poteſt, tum per intelligentiam Scripturæ, tum per conjecturam. Denique vel ſomnium eſt merè naturale citra ſignificationem ex impoſitione; aut caſualem tantùm ſine authoritate, cui credatur; vel ſi accipitur ut ſignum datum ab intelligente, ergo accipitur à dæmone tacitè vel expreſsè.

10 Quintò. Credere ſomniis ut ſignis ſine prudenti diſcretione, per ſe loquendo, non excuſatur à culpa gravi. Nam periculum evidens eſt deceptionis diabolicæ, & homo quantùm eſt ex ſe, vult credere, ſive à Deo ſive à dæmone illa ſint; & longè major culpa eſt in jam experto deceptionem. Quòd ſiquis ordinariè regulatur in actionibus per ſomnia, non poteſt excuſari à Superſtitione gravi, nam comparatur auguriis. Lev. 19. Deut. 18. & 2. Paral. 33. Seclusâ autem tali regulatione, ſiquis non omnino credit rem futuram eſſe, ſed ſolùm non operatur quid non prohibitum aliàs, ut evitet malum, quod timet; ſimplicitas eſt vel nimia timiditas, potiùs judicando poſſe eſſe, quàm verum eſſe; in quo minus eſt erroris, quamvis multum vanitatis.

11 Ad diſcernendam originem ſomnii conſiderandum eſt, an ſit turpe? Nam ſi nec animale, nec naturale eſt (ſpectata conditione hominis) evidens ferè eſt, eſſe diabolicum, quamvis morale potiùs quàm Divinatorium. Sicut è contrario ſi ſomnium ſit ſuave, ſpirituale, relinquens animum devotum, humilem &c. ſignum eſt, eſſe à bono ſpiritu. Rurſus quantùm ad materiã, ſi ducit ad malum, vel ſolam curioſitatem, æſtimationem apud alios, &c. clarum eſt, non eſſe à Deo, ut qui ſine magna cauſa non docet extraordinariè. Sin ad bonum proportionatum ducat, bonum jndicium eſt, ſed non ſufficiens: quamvis ſi ex occaſione, materia, effectibus conſtet, ordinari ad opus pium, & conſonum doctrinæ Fidei &c. prudens conjectura ſit, eſſe à bono ſpiritu: ſemper tamen optimum eſt, uti judicio Sapientûm.

CAPUT XIV.

An in operibus Magiæ interveniat pactum cum dæmone & Superſtitio?

1 Quantùm ad vocem; *Magia* pro Sapientia ſumitur apud Græcos, & *Magi* pro Sapientibus ſeu Philoſophis, maximè Aſtrologis. Inde autem vox translata eſt ad ſignificandam artem operandi mira, quatenus cauſæ occultæ ſint; ſicque Magia alia eſt naturalis, alia ſuperſtitioſa. Prior ſit poteſtate & artificio humano; & continere poteſt magnam curio-

curioſitatem, & etiam periculum; quia dæmon non dormit, ſed ſe miſcet, ubi poteſt. Poſterior latè ſumpta comprehendit omnes ſpecies Superſtitionis; reſtringitur autem ad artem operum, ſicut Divinatio ad artem cognoſcendi, dicitúrque Maleficium, ſi opus homini noxium eſt.

2 Primò. De Fide eſt dari Magiam. Conſtat Ex. 7. & 1. Reg. 28. Math. 24. Act. 8. Conſtátque de erroneis fundamentis oppoſiti: ut 1mo, quòd non dentur Angeli mali, contra Scripturam de tentatione Job, & Chriſti. & 1. Petr. 5. Eph. 6. 2do, quòd non detur pactum cum dæmone. At ſi ſermo eſt de poſſibili, repugnat Mat. 4. *Hæc omnia tibi dabo &c.* & poteſt dæmon & loqui & facere, quæ mali appetant. Sin de facto ſermo eſt, oppoſitum ſupponunt Scriptura, Jura omnia, Patres, & infinita teſtimonia humana. 3tiò quòd non fiat plus, quàm per hominem poſſit. Sed eſt contra Scripturam, & teſtimonia innumera. 4tò, Quòd ea fiant per animas. At bruta non cooperantur impio: de aliis verò idem erit, quod de dæmone, quamvis probabile ſit, naturali virtute illas nihil poſſe circa corpora. Denique Scriptura dæmoni tribuit dicta opera.

Secundò. Magia eſt Superſtitio, 3
& tacita Idololatria, Religioni contraria, imò ejuſdem rationis cum Divinatione, & tantùm materialiter differens, attendendo illam formaliter. Ideo enim Magi jubentur mulctari Ex. 22. Deut. 18 Lev. 19. 20. & 21. & Patres ac Theologi eadem ratione damnant Magiam, ſicut etiam Gentiles, cùm miracula Martyrum tribuerunt Magiæ. Tota tamen malitia formalis conſiſtit in ſocietate cum dæmone; nec refert, an ea ſit propter operandum, an propter cognoſcendum, cœteris paribus. Accedunt vitia alia horrenda. ut abnegatio Fidei &c. c. *In litteris.* de Raptor. c. ult de Sepult. l. *Non poſſunt.* l. *In ſumma.* ff. de Jure Fiſci, ubi agitur de reſtitutione damnorum.

CAPUT XV.

Qui ſint modi & ſpecies Magicæ Superſtitionis?

1 **Primò.** Species materiales Magiæ per tres ejus effectus diſtingui poſſunt. Nam aliquando ordinatur ad maleficia; aliquando ad ſanitates, ſub his comprehendendo, quidquid fit ad commodum hominis, ſive in corpore, ſive in aliis rebus; aliquando ad effectionem ſcientiæ. Et hæc diſtinguitur à Divinatione, quia quæritur ſcientia, quæ per ordinarium ſtudium, aut infuſionem per accidens obtineri poteſt;

poteſt: nec enim ſiquis repentè fit Philoſophus, promptus ad ſubitò dicendum &c. dicitur *Divinus*. Vel ergo quæritur per obſervantias vanas, vel per jejunium &c. Si primum, conſtat de Superſtitione, Si ſecundum, erit Tentatio Dei: & propter periculum diabolicæ ſocietatis participabit malitiam Superſtitionis, ut dictum eſt in ſimili.

2 Secundò. Si effectus ſanitatis ſuperat vim omnium agentium naturalium, adhibito ſigno vano; conſtat, effici illum per ſignum, ut tale, ſeu ad cujus præſentiam dæmon operetur. De effugiis, quæ prætenduntur, infrà patebit. Quòdſi adhibentur Reliquiæ Sancti, ſacra cerà &c. ſperare effectum tanquam certum, Superſtitionem continet, ſi non falſi, ſaltem ſuperflui cultûs, quia ſine cauſa poſcitur miraculum; éſtque nimia confidentia, vel vana & purè voluntaria, quia non fundata in promiſſione Dei; erítque etiam Tentatio Dei, ſiquis ſe periculo objiciat, omittat ordinaria media &c. nec abeſt periculum, ne dæmon ſe ingerat. Debet ergo oratio fieri cum reverentia & ſpe in Dei auxilium, & Sanctorum patrocinium: quod utique non deerit, quando & quomodo homini expedit.

3 Tertiò. Si effectus ſupernaturalis non eſt, ex medio, quod applicatur, & tempore, quo fit, conſtabit de cauſa. Si enim fit celerrimè, vel in locum diſtantiſſimum, conſtat, ſuperare vim ordinariam eorum, quæ per hominem applicantur. Rurſus vel medium conſiſtit in actione tranſeunte, ut verbis, halitu &c. vel re permanente. Si primum, & verba peregrina ſunt; præſumitur Superſtitio, maximè ſi putantur neceſſaria. Quòdſi nullam falſitatē continent, adhuc Superſtitio eſſe poteſt vi intentionis, ſi adhibentur; ut ſi adhibentur ut ſignum infallibile: quia cùm à Deo non ſint, à diabolo ſunt abutente verbis ſacris, ut decipiat ſub ſpecie boni. Regulariter etiam Superſtitio eſt in aliis cæremoniis, quia motio manûs v. g. per ſe activa non eſt, niſi caloris, qui non intenditur. Si ſecundum, idem eſt, quia cùm Deus non promiſerit, lutum v. g. non eſt ejus inſtrumentum ad ſanandos oculos.

Quartò. Vana eſt evaſio, quòd anima per ſuam imaginationem &c. det virtutem verbis. Nam imaginatio ad ſummum poteſt movere humores & ſpiritus imaginantis; quin per ſe & immediatè operetur quid in verba, vel in alium, niſi quod ad motum localem pertineat, vel alterationem aliquam, aut objectivam motionem, quæ proveniat ex ſpiritibus & humoribus concitatis: hæc autem non eſt productiva prætenſæ mirabilis virtutis. Dein ſic operans non magis habet concitatos ſpiritus, quàm Medicus vel artifex circa opera ſua; éſtque inſanum dicere, quòd pro- 4

X 2 pter

propter dictam concitationem attrahi per verba poſſit pondus: at plus fieret per dictam virtutem, quæ tamen non poteſt *capillum unum album facere nigrum.* Denique ſignificatio verbi vel ſolùm eſt ex impoſitione publica, quæ eſt ad ſignificandum, vel ex privata & voluntaria, ut in aliis ritibus; ergo tantùm eſt ens rationis, ſicque inepta ad dictum effectum.

5 Quintò. Similiter vana evaſio eſt, quòd imagines Aſtronomicæ, ut Leonis, Sagittarii &c. ex influentiis Aſtrorum, quibus conformantur, recipiant virtutem ad determinatum effectum, ut contra dolorem renum &c. Nam nec ex natura rei, nec ab artifice imago habet virtutem agendi, cùm compoſitio, ordo & figura, in quibus conſiſtit forma artificialis, non ſint principia agendi, nec diſponant ad recipiendam influentiam. Nec enim figura per ſe eſt ad alterandum, diſponendum, ut lignum v. g. citiùs comburatur, ſed ut meliùs applicetur actioni ignis, confert. Diſtinctio autem figuræ talis vel talis, ſolùm addit habitudinem vel ad artem vel ad ſubjectũ, quod informat; & ut phyſicè ſpectatur, ordinariè non habet qualitates activas, ut colores, qui nec diſponunt ad virtutem recipiendam, nec attendi ſolent in his imaginibus.

6 Confirmatur, quia in aſtris non datur dicta figura, ſed eſt ex humana inventione; ſicque alia potuit formari. 2. Etiam alia aſtra præter ſignificata, influunt: unde ergo determinatio ad hunc effectum? 3. A quo ſciri illa poteſt? nam vix notæ ſunt aliæ influentiæ, niſi lucis, & quatuor ſimplicium qualitatum, & earum, quæ formam ſubſtantialem conſequuntur: illas autem meliùs recipiunt herbæ, lapides &c. quàm artefacta. 4. Incredibile eſt, datâ influentiâ, illis virtutem imprimi immobiliter: ergo uſus imaginis non eſt ut cauſæ, ſed ut ſigni: ergo Superſtitio. 5. Si charactares alii rejiciuntur, quia ut neceſſarii ponuntur, non propter mutationem materiæ, ſed ut tali numero ſunt; idem eſt de ſimilitudine cum aſtro, poſitâ ut neceſſariâ.

Sextò. Salutatores (ſic dicti, quia conferunt ſanitatem tactu, benedictione, obſervantiâ aliâ, non quidem clarè ſuperſtitioſâ, ſed de ſe inefficaci) nec damnandi nec probandi ſunt univerſim. Vel enim occultè adhibent herbas medicinales; vel utuntur verbis tantùm deprecatoriis, quæ ab alio didicerunt; vel denique eſt virtus perſonalis? Si primum; permittendi non ſunt, niſi Magiſtratui oſtendant herbas, quibus utuntur, cum probabilitate virtutis naturalis. Si ſecundum, ſignum clarum eſt, non eſſe Gratiam gratìs datam, ut quæ non adhæret ſigno, ſed perſonæ communicatur, nec hujus eſt dare eam alteri. Nec etiam eſt virtus naturalis, quia adhæreret complexioni, ut in faſcinatione ex halitu &c. Si tertium, & non habuit initium malum, 7

dam-

damnari nequit in perſona pia: at in pravo ſuſpecta eſſe debet.

8 Nec enim dicta gratia pravis datur habitualiter, & quaſi ad arbitrium, ſed ſolùm ad unum actum per occaſionem, aut propter utilitatem Fidei, cùm aliud non ſit conſentaneum Divinæ Providentiæ, quia per ſe non confert ad ſalutem, & aliunde eo colore infinitæ fraudes Magorum occultari poſſent. Idémque eſt de externis rebus applicitis, quæ de ſe vim non habent: & aliàs audiendus eſſet, qui diceret ſe habere virtutem dandi primam gratiam. Si autem talis damnaretur ut Hæreticus; ergo ſimiliter rejici debet, de quocunque effectu ſupernaturali id affirmans cum certitudine promiſſionis &c.

Secùs autem, ſi opus redolet pietatem de ſe, nihilque mali aut falſi præfert, non nocet credere, quòd alicui Sancto talis gratia facta ſit propter tale opus, eúmque imitari velle in devotione; non quòd effectus infallibiliter ſecuturus credatur (id enim ſuperſtitioſum foret) ſed quia ſemper ſperari poteſt impetratio à Deo per opus pium. 9

CAPUT XVI.

An omnia opera Magiæ ſint præſtigioſa, vel ſolida & vera?

1 Primò. Omnia opera Magica, ſive in ſe ſint qualia apparent, ſive non, ſunt verè opera dæmonis. Sic enim columba ſuper Chriſtum verè erat opus Angelorum, qualiscunque fuerit: naturalia autem dæmonis imminuta non ſunt, ſed perſtat virtus ſuperioris contra inferiorem; quamvis minimus Angelus cuſtos reſiſtere poſſit toti inferno, quia agit ut Dei Miniſter, nec niſi ex ejus nutu. Porro de Fide conſtat ex Job. 1. & 41. Tob. 3. Eph. 6. & 1. Petr. 5. dæmonem poſſe in nos, & corpora maximè ſublunaria, agere, aliàs non eſſet de illo nobis timendũ aut curandum: conſtátque de motu locali Mat. 4. quamvis in eo pendeat à virtute increata, & ideo non poſſit ordinem univerſi mutare, imò nec multò minora facere, quæ ſine dubio faceret, ſi permitteretur.

Non poteſt autem dæmon immediatè per ſe tranſmutare corpora ad formas vel qualitates, ſed tantùm applicando activa paſſivis. Auguſt. 18. de Civit. c. 17. & 18. S. Thomas. Bonav. Alenſis, Victor. Caſtro &c. Sícque præter dictum motum nihil poteſt, nec generare perfecta animalia, quæ multam & perfectam organizationem requirunt, nec niſi per viam à natura inſtitutam fieri poſſunt, non quaſi caſuali concurſu agentium & patientium: ſecùs eſt juxta Auguſt. de muſcis, ranis &c. quarum cauſas citiſſimè dæmon applicare poteſt. 2

Secundò. Quoties effectus ſuperat omnem vim cauſarum naturalium 3

um & corporearum, ac requirit formalem mutationem quoad ſubſtantialem formam vel qualitates; talis per Magiam non fit verè ſed phantaſticè. Patet diſcurrendo per tres ſpecies Magiæ: nam ſcientia non poteſt ſubitò infundi: ſicque Anabaptiſta v. g. tamdiu diſputabit, quamdiu dæmon movet phantaſmata, poſtea relictus tam rudis, quàm antea erat. Idem eſt de reſuſcitatione, impaſſibilitate &c. idem de auro; nam ſemper verum afferre, nimia foret occaſio decipiendi; nec dæmon ſemper vult id hominis commodum.

4 Idem eſt de evocatione animarum, nam in ſanctas dæmon nil poteſt; & damnatæ nec ſuâ nec ejus voluntate exire poſſunt Luc. 16. & Purgantes lege tenentur, ne ante ſolutionem exeant loco, quin dæmon has Dei leges violare poſſit, aut ratio ſit licentiæ talis. Samuelis autem apparitionē fuiſſe verā ſumitur ex Eccli. 46 aliàs laus non teneret de Prophetia poſt mortē. Surrexit autem aſſumendo corpus, ut ab Angelis fit, quia plus neceſſarium non erat, conſequenter nec veriſimile; idque ex diſpenſatione Divina, non per poteſtatem dæmonis, quâ corpus formaretur, nedum quâ evocaretur.

5 Tertiò, Effectus, qui de ſe fieri poſſunt virtute dæmonis, nec ſemper verè, nec ſemper phantaſticè fiunt. Nam ſi permittitur, pendet ex libertate dæmonis, qui nunc hoc nunc illud cenſet utilius ſuo pravo fini; nec alia ratio, ſuppoſita poteſtate, reddi poteſt à à priori. A poſteriore autem conſtat inductione per tres ſpecies Magiæ: ſic enim conſtitit teſte Tertulliano, de occulta virtute herbarum, lapidum, &c. ita ut, ſicut Divinatio aliquando vera eſt, etiam magica cognitio ſine falſitate ſit. Rurſus cùm induit Angelum lucis, aliquando vera docet, & ſicut dementat hominem, ita phantaſiam confortare poteſt ad citiùs diſcendum.

Idem certius eſt de maleficiis; nam per ſe intenduntur: beneficia autem tantùm per occaſionem nocendi. 6
Conſtátque in impotentia conjugati, quæ nunc per ſe eſt & intrinſecè per exſiccationem, infrigidationem, nunc extrinſeca tantùm: quomodo autem perpetua ſit, cùm ſolùm pendeat à voluntate dæmonis, tractat Sanch. l. 7. D. 4. Denique veram eſſe translationem Sagarum, prudenter negari nequit; ſi enim circa Chriſtum id potuit, cur non circa has? cur nolit rem ſervientem graviſſimis ſceleribus? Eſtque evidens in iis, quæ facto ſigno crucis relinquuntur in loco diſtantiſſimo. Navar. aſſerens mortale eſſe, ſi creditur talis translatio, malè fundatur in c. *Epiſcopi*. 26. q. 5. nam particula *talia credunt*, intelligitur juxta ſubjectam materiam de Dea Diana &c. Alia autem falſa utique concurrunt; nam ſtultum eſt credere, quòd verus hircus deferat, non dæmon.

CAPUT

CAPUT XVII.

Quibus mediis uti liceat ad tollenda maleficia?

1 Primò. Beneficiis per Magiam verè acquiſitis uti licet, per ſe loquendo. Non enim includunt injuriam: ergo nec obligationem reſtituendi, aut tollendi, ut ſanitatem, cognitionem herbæ &c. conſtátque exemplo in turpiter acquiſitis à meretrice. Nam ſufficit pœnitentia, & mutatio vitæ: optimúmque eſt in his & ſimilibus recognoſcere beneficium Dei, utentis malis permiſſis in bonum peccatoris.

2 Oportet autem 1mo ut ſint verè acquiſita, ut verum aurum: nam niſi evidenter conſtat, uſus ejus non licet, quia ſæpe fucatum eſt. 2. ut bona non ſint aliena, ut aurum; nam dæmon rem tollere potuit tertio, ſed non jus. Practicè tamen obligatio eſſe nequit, quia conſtare nequit, an ex mari, theſauro &c. res ablata ſit &c. 3. ut conſervatio boni non pendeat à dæmone, ut geſtando amuletum: perdi enim potiùs debet vita, quàm ſervari tali auxilio.

3 Secundò. Remedium primum omnium, ut miſeri malefici reſipiſcant poſt abrenuntiationem, eſſe debet contra Deſperationem & Hæreſin. Nam putant de ſe actum eſſe: hoc autem credere definito judicio, eſt Hæreticum; & ſecundùm talem apprehenſionem operari, peccatum eſt deſperationis. Tenentur ergo tales credere, non ſolùm ſe licitè poſſe, ſed etiam debere reſcindere pactum, utpote iniquiſſimum. Peccatum autem deleri poſſe, de Fide conſtat, & eo deleto chirographum non nocet; imò experimento cognitum eſt, quòd, *ubi abundavit iniquitas, ſuperabundavit & Gratia.*

Tertiò. Contra Maleficium conſtat utilia eſſe remedia ſupernaturalia. Sic confert Oratio cum firma Fide & Spe, Conſcientia pura, conſequenter uſus Sacramentorum, opera bona, præſertim miſericordiæ, jejunii, humilitatis, & præcipuè, Sacrificium Miſſæ. Hæc tamen, utut & utilia & moraliter neceſſaria, communia ſunt pro omni tribulatione, illíſque addi poſſunt tum publica remedia, ut Exorciſmus, aqua benedicta; tum privata, præſertim effectu pendente, ut eſt invocatio Nominis JESU, ſignum Crucis, & humiliatio cordis; quæ dæmon propter ſuperbiam & odium in Chriſtum odit maximè. Quoad media phyſica, vel effectus pendet à maleficio, vel non? Si primum, medicina ſemper eludetur. Si ſecundum, viderint Medici. 4

Quartò. Licitum eſt remedium, quod per propriam hominis actionem 5

nem & poteſtatem deſtruendo ſignum maleficum, adhibetur. Ita Soto, Henr. Cajet. Caſtro, Sylv. Nav. Binsfeld. &c. &c. Nullibi enim reſiſtit jus poſitivum, ſive humanum, ſive etiam Divinum, utut paſſim deteſtans, quidquid in uſu hujus artis malum eſt: imò præcipit deſtrui idola, quibus dicta ſigna rectè æquiparantur. Silentium etiam Patrum & Theologorum, quorum aliqui rem pro certò licita habent, ſat ſigni eſt, nil agi per ſe contra jus naturæ: ſemper enim, ubi tale quid eſt, reprehendere ſolent. Ratio eſt, quia abeſt ſocietas, & honoratio dæmonis.

6 Nam actio de ſe tendit ad tollendam eam ſocietatem, éſtque involuntaria dæmoni, & ab ejus voluntate independens: quia tóllitur id quo movetur ad nocendum; ſícque non fit uſus ſigni, ut cauſæ, ſed deſtructio ejus ut ſigni vani, ſeu moventis ad nocendum. Scitur enim non ex dæmone, ſed ex operibus ejus malignis & horum experientiâ, moveri illum ſolere his rebus; ergo intentio operis non eſt obligandi illum ad agendum quid, ſed deſtruendi, quo is movetur ad agendum: nec deſtructio fit per artem & benevolentiam ejus, ſed per propriam hominis poteſtatem, & ipſo invito.

7 Confirmatur ex uſu omnium: nullus enim Confeſſarius doctus & prudens priùs abſolvet, quàm deſtructio facta ſit: & Magus tenetur ad reſtituendum; ergo à fortiori ad non nocendum &c. & ad hoc vi officii obligat Judex, ut ſic conſulat univerſali bono Reipublicæ, damnáque injuſta præpediat: ſimiliter alius, qui occurrere poteſt, tenetur ex miſericordia. Denique per ſe conſtat, chirographum deſtrui debere.

Dices. Actio eſt impertinens in ratione cauſæ: ergo tantùm confert in ratione ſigni, quo dæmon movetur ad ceſſandum. Dein cùm percutis ſagam, aut rem aliam loco ollæ defoſſæ reponis, jam fit ſignum poſitivum. Et quid ſi ſit pactum ſubitò reſtituendi ablatam ſanitatem? ℞. Sicut poſitio ſigni non fuit cauſa affirmationis, ita nec ablationem ſigni eſſe cauſam ceſſationis maleficii. Qui autem aufert, non intendit deſtruere cauſam, ſed ſignum; non per novam petitionem, ut dæmon agat vel non agat, ſed ne is alliciatur: ſícque non fit inductio poſitiva, ſed privatio inductionis, & per poteſtatem propriam, cujus uſus nec per ſe malus eſt, nec ſupponit ſcientiam per ſe malam, vel malè acquiſitam. 8

Imò ad prudenter agendum ſufficit probabilitas: conſtat autem, ceſſationem maleficii eſſe regularem, ſive quia DEUS non permittit plus, ſive quia dæmon vult videri fidelis. De cauſa ergo ceſſandi non curatur, ſicut nec quòd dæmon ex pacto ſe obligârit; nam etiam maleficus poteſt non intendere pactum, ſed tantùm 9

tùm deſtructionem dicti incentivi: & dæmon ſtante vel non ſtante pacto ceſſandi, poteſt etiam non ceſſare, prout ſibi putat congruere.

10 Porrò actionem eſſe poſitivam non refert, ſed ſi præcisè ad dictam deſtructionem ordinatur, de ſe indifferens eſt, vel etiam bona: aliàs non liceret ſignare ſe cruce, lavari &c. ob dictum finem. Denique non refert deſtruentis, quid dæmon ſpoponderit, quia non intendit, niſi deſtructionem incentivi, non verò ut maleficiatus curetur per dæmonem: & ad dictam intentionem per accidens eſt, malitiâ & induſtriâ dæmonis (qui fidelis videri vult) alterum curari, quia dæmon id non facit, ut provocatus ab alio tanquam rogante vel cooperante, ſed merè permittente.

CAPUT XVIII.

An ſit intrinſecè malum uti maleficio ad deſtruendum maleficium?

1 Primò. Contra effectum relictum ex maleficio præterito non licet remedium novi maleficii. Nam ſi non licet propter morbum aliunde ortum, cur contra ortum ex maleficio? Idémque eſt de perditis divitiis, combuſtâ domo &c. nam ſimili remedio reſarciri, eſt contra omnem Scripturam, Canonem, Legem. Unde clarum eſt, quòd intrinſecè malum ſit, remedium tale petere à non parato: quia non *ſunt facienda mala, ut eveniant bona.* Rom. 3. at Magia intrinſecè mala eſt juxta omnes.

2 Secundò. Idem eſt, ſi dictum remedium petatur à parato ad illud. Oppoſitum Angeli &c. ſpeculativè omnino falſum eſt, & practicè tam improbabile, & repugnans dogmatibus Fidei, ut erroneum judicetur. Convincitur enim eodem principio Rom. 3. & aliàs regulariter liceret dicta petitio, cùm Magi regulariter paratiſſimi ſint; nec petens fieret particeps delicti: quæ eſt falſa, pernicioſa, & erronea doctrina contra communem & indubitatam; aliàs ſimiliter peti poſſet à dæmone, utique paratiſſimo ex ſe. Igitur petere deſtructionem mali, bonum eſt, at petere à dæmone, peſſimum; quia omnis talis petitio (ſecùs eſt de objurgatione, contemptu &c. *Faceſſe, abi*) eſt ſocietas & quædam ſubjectio ad illum.

3 Confirmatur: Quia impoſſibile eſt dictam petitionem fieri cum fiducia, ſtante Fide; cùm dæmon ſit mendax, nec benefaciat corpori niſi ob malum animæ: & ideò etiam ob hoc periculum morale licere illa nequit. Rurſus, qui petit ut alter det vel faciat, utique moralis cauſa eſt operis, ut dati mutui, quamvis non uſuræ: cùm hæc ab illo ſeparari poſſit, ſecùs ac malitia Magiæ à male-

leficio. Nec homo mortalis, ſeclusâ virtute Divinâ, cogere dæmonem ut Angelus poteſt ad deſtructionem mali, ſed ſolùm in virtute ſuperioris dæmonis, non Divinâ, ut Angelus in ſubjectum: ergo cogere, ſolùm eſt vim Magicam repellere vi Magicâ, ſeu inductivâ ad Magiam.

4 Tertiò. Sciens, quòd licitè tolli poſſit malum à Malefico, licitè petit ablationem, per ſe loquendo. Non enim petit ut à Mago, ſed ut homine, quod præſtare poteſt citra Magiam: nec tenetur petere determinatum modum tollendi, magis quàm ut Turca per Chriſtum juret; ſubintelligitur enim ex natura rei, peti quod licitum ſit. Solùm ergo charitas, ſi ſpes ſit impediendi malum, obligare poterit. Dixi *Sciens* &c. Nam in dubio, an liceat actio petita, utique ſecùs eſt: itémque, ſi modus quidem ſit licitè tollendi malum, ſed ignotus Mago, nam ſub ſpecie verborum indifferens erit petitio: in re autem hîc & nunc petitio eſt Magici operis.

CAPUT XIX.

De Pœnis, quas incurrunt Magi, Malefici, & Divini.

1 Primò, Criminoſi hi omnes ferè iisdem pœnis in Jure afficiuntur citra diſtinctionem. Patet Cauſ. 26. per tot. & Cod. de Malefic. & Mathem. & in ipſa Scriptura Exod. 22. Lev. 20. Deut. 18. Gal. 5. *Apoc.* 18 & 21. In foro igitur Civili fertur ſententia capitis, quamvis reſtringatur ad maleficia. l. *Eorum*, Cod. eod. Nam alia permittit, quia non ſunt contra Juſtitiam, vel pacem publicam. De ordine Judicii agit Del Rio, Valent. Binsfeld. & præcipuè Malleus Malefic.

2 Secundò. Non incurritur Cenſura ipſo facto per dicta crimina, loquendo per ſe. Nam ſecùs eſt ob Hæreſin; Clericus autem punitur Suſpenſione vel Depoſitione c. 2. de Sortil. quamvis juxta circumſtantias nunc graviùs, nunc leviùs agatur, c. *Aliquanti.* cum aliis. 26. q. 5. & conſequenter juxta c. *Tua.* de Pœnis. Cúmque delictum, ſeclusâ Hæreſi, ſit mixti fori; de Laici punitione (ſiquidem leviùs peccet) agitur c. 1. de Sortil. & c. 2. & 3. & c. *Non oportet.* cum ſequentibus c. *Idolorum.* & c. *Epiſcopi.* 26. q. 5. c. *Quisquis.* 26. q. 8. Conſtat autem neceſſarium eſſe puritati Fidei, ut libri artis crementur, Act. 19. l. *Mathematicos.* Cod. de Epiſc. audient. & in Motu proprio Sixti V. contra Judiciarios.

Tertiò. Hæreſis non ſemper conjungitur cum dictis criminibus. 3 Supponitur in c. *Cauſam.* §. *Sanè.* de Hær. in 6. eſto ſæpe conjungatur d. c. *Epiſcopi.* Quantùm ad Forum externum

ternum (in interno ſpectatur veritas) præſumptio ſeu ſuſpicio vehemens eſt Hæreſis, ſiquis petat quod vires dæmonis ſuperat, & à ſolo Deo revelari aut fieri poteſt, quia nemo petit ab alio, quod is præſtare nequit. Item ſi conjungatur adoratio, vel dulia, & à fortiori ſi conjungitur renuntiatio Chriſti, Sacramentorum præſertim Evchariſtiæ. In pacto autem ſimplici, præſertim implicito tantùm, abeſt ſuſpicio.

LIBER III.

De Sacrilegio.

CAPUT I.

Quid & quotuplex ſit Sacrilegium?

1 Primò. Sacrilegium eſt *Violatio rei Sacræ*, ſeu Deo & ejus cultui dicatæ. Quamvis enim vox impoſita ſit ad ſignificandum furtum rei ſacræ, extenſa eſt ad injuriam quamlibet talis rei. Unde objectum *quod* ſeu materia proxima dicti criminis eſt res ſacra: objectum verò *cui* DEUS, in cujus injuriam cedit ea violatio. Cajetanus addi vult definitioni, *per actionem ſeu commutationem involuntariam*, ut Simonia excludatur. At ſic excluditur etiam venditio prohibita bonorum Eccleſiæ, Matrimonium Sacerdotis &c. Et reſpectu Dei, ſi ſacrilega ſit, actio omnis eſt involuntaria. Denique nec à Jure, nec à modo loquendi alienum eſt, Simoniam eſſe Sacrilegium, quamvis de ea ob copiam materiæ ſeparatim tractetur.

Secundò. Sacrilegium in tres quaſi ſpecies dividitur. Ita c. *Sicut.* & c. *Quisquis.* 17. q. 4. Nam vel eſt contra perſonas, vel loca, vel res alias ſacras. Sufficitque diviſionem eſſe Magiſtralem, & aptam ad omnia Sacrilegia explicanda, & comprehendenda ſub certis capitibus; eſto exacta non ſit in rigore ſpeculativo. 2

CAPUT II.

De multiplici Sacrilegio contra perſonam Sacram.

1 Primò. Perſona dicitur Sacra, quæ peculiari modo dicata eſt cultui Divino, conſequenter vel per Ordinem, vel Statum Religioſum approbatum, vel participationem ejus. Ita c. *Duo ſunt.* 12. q. 2. quia non

non ſufficit privata devotio, quâ quis per votum ſe Deo dicat; nec etiam quòd Fideles per baptiſmum, juſti per gratiam, ſic ſacrentur. Nam irreverentia facta Chriſtiano non ſemper eſt contra Religionem, ſed etiam contra juſtitiam, obſervantiam &c. Quòdſi intentio ſit in illo Deum inhonorandi, Irreligioſitas erit, non Sacrilegium, ſicut ejusdem rationis eſt adoratio, quæ directè Deo fit, & quæ in ſigno externo: & ſimiliter Irreligioſitas eſt contra Deum in homine quolibet, qui ut imago Dei inhonoratur. Porrò in c. *Conſtituit.* 17. q. 4. vox *Sacrilegium* ſumitur largè.

2 Secundò. Tria vel quatuor genera Sacrilegii numerantur. Ut 1mò inferre manus violentas dictis perſonis; quod ex jure poſitivo ſacrilegum eſt, ut multæ actiones in loco ſacro: quia ex natura rei non ſequitur ex ſanctitate talis Immunitas. 2dò: Violare privilegium Fori; éſtque Immunitas diverſæ rationis à priore ob Jurisdictionem: ſúntque etiam plures Cenſuræ, & ideò non ſufficit confiteri injectionem manuûm. 3tiò. Lædere Immunitatem à Tributis, quod fit per poteſtatem Dominativam ſimilem Jurisdictioni; & ideò non eſt ſimile de furto ſimplici. c. *Non minùs.* c. *Adverſus* de Immun. Eccl. 4tò: obſcæna agere &c. de quo nunc.

CAPUT III.

De Sacrilegio per violationem Caſtitatis.

1 Primò. Violatio Voti præter perfidiam in Deum, per ſe non addit malitiam aliam Sacrilegii. Nam 1. Timoth. 5. aliud non allegatur de violatione Caſtitatis poſt votum, quàm facere *primam fidem irritam*: & aliàs in omni fractione voti eſſet duplex malitia; quod eſt incredibile. Dein ſervare votum Jejunii v. g. unam tantùm habet honeſtatem Religionis: res autem non aliter Deo ſacratur, quàm quia Deo promittitur. Denique vel Sacrilegium largè ſumitur, vel in proprietate? Si primum, quodlibet peccatum contra Religionem, tale eſt. Si ſecundum, Perfidia eſt Irreligioſitas directè contra Deum, ſícque quodammodo genere diverſa à Sacrilegio: quomodo ergo per hoc eſſentialiter contrahitur? Dicere autem, quòd ſpecificetur ſicut Adulterium per Injuſtitiam, perinde eſt ac dicere, quòd violando votum ſemper ſint duæ malitiæ ſpecie.

Secundò. Ratio perſonæ ſacræ per ſe non addit malitiam Sacrilegii in violanda Caſtitate. Nam ſecluſo voto, indubitatum eſt apud omnes, ut olim in Subdiacono, & nunc in inferioribus Ordinibus. Idem eſt de Diaconatu; cùm juxta omnes neceſſe 2

neceſſe non ſit confiteri dictam circumſtantiam. Licèt autem oppoſitum de Sacerdote pium & probabile ſit, non tamen convincit, quia etiam blasphemia eam perſonam polluit, imò omne mortale: ergo ſemper exprimi deberet dicta circumſtantia; quod difficile creditu eſt.

3 Ratio eſt, quia ſecluſo voto perſona non ſacratur ad caſtitatem, nec oppoſitum peccatum reddit illam per ſe ineptam ad actus, ad quos conſecratur. Sin dicas, ſaltem eſſe venialem malitiam, ſequitur. tam excellentem poſſe eſſe conſecrationem, támque enorme peccatum, ut fiat Sacrilegium mortale: hoc autem pro Confeſſione ſatis ſcrupuloſum eſt. Satis ergo probabile eſt, repugnantiam generalem dicti peccati cum ſtatu non ſufficere, quia vi ſtatûs non prohibentur omnes actiones pravæ prohibitione ſpeciali: ergo illa ſola non ſufficit ad mortale Sacrilegium, niſi ratione voti, vel Legis Eccleſiaſticæ ſpecialiter obligantis intuitu Religionis & ſanctitatis.

CAPUT IV.

De Sacrilegiis contra locum, & alias res ſacras.

1 Primò. Violatio loci ſacri ſacrilega eſt, non verò violatio temporis ſacri. De priore dictum latè eſt. Quoad poſterius vel violatio fit omiſſione Sacrificii, vel per opera ſervilia, vel aliàs peccando? Si primum, Irreligioſitas eſt, ſicut ipſa Miſſa eſt directus Dei cultus. Si ſecundum, vacatio non præcipitur in venerationem diei, ſed directè in cultum Dei, ſive per modum ſigni, ſive ut locus ſit cultui. Sic differenter prohibetur negotiatio in templo, & in feſto: prior immediatè in reverentiam loci, poſterior in Dei cultum. Si 3tium, peccatum die ſacro non prohibetur, niſi ut obſtat cultui præcepto.

2 Ratio eſt, quia locus eſt quid permanens, ſícque capax conſecrationis & venerationis: at tempus tranſit, nec ſanctificari poteſt, niſi determinando actiones ſacras, quæ in eo fiant. Rurſus locus ſimpliciter immunis redditur ab omni uſu profano: tempus verò non niſi quoad actiones & omiſſiones præceptas ſanctificatur, non arcendo omnem uſum alium.

Secundò. Quatuor genera numerantur rei ſacræ. Ita S. Thomas. Ut 1mò Sacramenta. 2dò Vaſa ſacra, comprehendendo ſub eis imagines & Reliquias Sanctorum. 3tiò: Quæ ad ornatum Eccleſiæ & Miniſtrorum pertinent. 4tò: Bona pro eorundem ſuſtentatione. Cur autem hæc magis quàm Locus ſub uno genere comprehendantur, dicetur infrà. 3

CAPUT V.

Qualis ſit diviſio Sacrilegii in tres ſpecies?

1 Primò. Diviſio cap. 1. expoſita non eſt in ſpecies ultimas. Patet de ſingulis: nam verberatio Mortalis, & fornicatio ſpecie differunt: idémque eſt de violationibus Immunitatum; differúntque, judicium facere in loco ſacro, & mercaturam. Rurſus aliud eſt violare Sacramenta, aliud Calicem: & aliud eſt confringere illum, aliud eo uti, ut vaſe communi. Et in furto rei ſacræ de loco ſacro non eſt Sacrilegium ſimplex.

Secundò. Tria genera, in quæ dividitur Sacrilegium, differunt à fortiori, non materialiter ſed formaliter in ratione Sacrilegii. Nam in perſona attenditur dicatio ad Deum: in loco, ut tali, Immunitas à profanis: & hæc duo diverſam & ſpecialem conſiderationem in Jure habent. At vitia tertiæ ſpeciei, licèt in genere moris plurimùm differant, tamen à Jure ſolùm attenduntur ſub generali ratione. Et hæc eſt ratio ſufficiens diviſionis Magiſtralis. 2

CAPUT VI.

Dubia nonnulla proponuntur de quibuſdam rebus ſacris.

1 Circa numerationem rerum ſacrarum c. 4. factam dubitatur 1mo, cur comprehendatur Evchariſtia, cui ut vero Deo debetur Latria? 2do cur Reliquiæ & Imagines? nam ſi percuſſio Clerici juxta Vaſquez ſolùm eſt contra obſervantiam; ergo irreverentia in Reliquias contra Duliam tantùm eſt. 3tio. Cur omittitur Sacrificium? 4to. Cur Concio ſacra? nam nomina Dei, Chriſti &c. rectè habentur pro rebus ſacris.

2 Ad 1mum R. Sacrilegium concomitanter fieri circa ſpecies ſacras, ſeu Sacramentum tantùm. Sic cùm trahitur Clericus per veſtes, injuria perſonæ fit, licèt mediante veſte: at manus violentæ contra Evchariſtiam ſunt contra Chriſtum; & ideò non incurritur ſententia Canonis ob dictam violentiam, quia ſolùm lata eſt contra Percuſſorem Clerici Viatoris.

3 Ad 2um R. Percuſſionem Clerici eſſe contra Religionem, quia non prohibetur propter Clerici dignitatem abſolutam, ſed reſpectivam, ſeu propter habitudinem ad miniſterium: ſicut hæc in Templo attenditur. Non tamen excluditur, quin peccatum etiam ſit contra Juſtitiam, obſervantiam &c. Nec refert abeſſe intentionem ſic dehonorandi, quia ſatis eſt facere id

quod

quod ex ſe, vel ex prohibitione talem malitiam habet. Similiter ergo in ſacris Imaginibus attenditur & Dulia, & inſtrumentum Divini cultûs.

4 Ad 3tium R. non numerari hìc actiones, quæ directè & immediatè continent cultum Dei; nam etiam irreverentia immediatè Deo fit, tanquam Irreligioſitas, non Sacrilegium. Idémque eſt de oratione irreverenter factâ.

5 Ad 4tum R. Nomina ſacra rectè haberi pro rebus ſacris, quaſi ſub Imaginibus. Unde etiam Scriptura Canonica ſpecialem reverentiam meretur; sìcque illam adulterare non ſolùm blaſphemia & hæreſis, ſed etiam Sacrilegium eſt. At Concio in tantum pertinet ad Religionem, in quantum conjungitur ipſi Verbo Dei, & ideò in hujus irreverentiam redundat, quidquid indignè tractatur in ſacra doctrina, præſertim pro Concione.

CAPUT VII.

De Sacrilegii gravitate, qualitate, & pœnis.

1 Primò. Sacrilegium ex genere ſuo mortale eſt. Conſtat inductione trium ſpecierum ejus. Quamvis autem ex levitate materiæ, & defectu libertatis fiat veniale, tamen ſemper abeſſe debet contemptus. Dein levitas attendi debet ſecundùm omnes circumſtantias materiæ, & modum prohibitionis: nam ovum petere à Clerico, leve eſt; at petere titulo tributi, grave: & detentio violenta in ratione nocumenti eſt levis, non autem conſideratâ Immunitate.

2 Secundò. Sacrilegium ut per commiſſionem, ita etiam per omiſſionem fieri poteſt. Nam in moralibus etiam omiſſio reverentiæ debitæ reputatur irreverentia; conſtátque exemplis c. 1. & 2. de Cuſt. Euch. c. *Sanè* de celebr. Miſſ. & in omiſſione Communionis Paſchalis. Unde in omiſſione ſemper peccatur per defectum, in commiſſione autem etiam per exceſſum, ut publicâ oratione colendo non Canonizatum c. 1. de Reliq. & Ven. Sanct. & in Trid. ſ. 25. Decr. de Reliq. ubi vitium ex communi uſu Superſtitio dicitur. Sed de voce contendendum non eſt, ubi de re conſtat, nec diſputatur; quia de vitio contra actus ſecundarios Religionis, ſeu Latriam ſecundariam facilè ſumitur per analogiam, quid ſit cenſendum.

Tertiò. Malitia Sacrilegii non ſemper ſupponit aliam in actu. 3
Conſtat exemplis, ſeparari poſſe ab omni alia malitia, ut ſi conjux voto obligatus petit debitum; & Prælatus juſtè præcipit verbera in Cleri-

cum,

cum, ſed ſacrilegè per Laicos c. *Univerſitatis* de S.E. aut ſi Clericus volens percutitur, c. *Contingit.* ec d. Idem eſt in uſu matrimonii in loco ſacro, idem in indigna ſumptione Sacramenti. De Pœnis dictum eſt alibi.

LIBER IV.

De Simonia.

CAPUT I.

Quid ſit Simonia, & cur hac voce ſignificetur?

1 Primò. Vox ſumpta eſt à Simone Mago, utpote primo ſic criminoſo in lege Gratiæ. Conſtat ex c. *Quos.* 6. 1. q. 1. c. *Salvator.* 1. q. 3. Unde propter eundem vitium dicitur *Hæretica pravitas*, ſive quia putavit Apoſtolos eſſe Magos, ſive quia putavit, dona Spiritûs ſancti eſſe venalia; ſicque qui eum imitantur, Simoniacâ Hæreſi fœdari dicuntur, licèt per judicium ſpeculativum non errent in Fide.

2 Secundò. Definiri Simonia poteſt, quòd ſit Sacrilegium, quod committitur in Emptione Venditione, ſeu quolibet contractu, quo res ſpiritualis, ut talis eſt, pro temporali commutatur. De genere criminis dictum eſt ſuprà. Quòd Simonia Sacrilegium ſit diverſæ ſpeciei, ſaltem in ordine ad Confeſſionem, conſtat apud omnes. Imò inter ipſas Simonias neceſſe eſt confiteri modum, materiam &c. ſive propter diſtinctionem ſpecificam ſive quia aliter de illis judicium ferri nequit.

3 Tertiò. Generalior definitio Simoniæ eſt, & ab omnibus recepta, quòd ſit *ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum.* Dicitur *Voluntas*, vel ponendo genus generaliſſimum, vel notando ſubjectum vitii, vel propter Simoniam mentalem. Per *ſpirituale* dictum à Spiritu ſancto, ſeu animæ ſalute, comprehenduntur omnia & ſola, quæ ad eam per ſe & proximè ordinantur: nam circa hæc omnia & ſola verſatur Simonia ex conſenſu omnium. Denique vox *emendi* generaliter ſumitur, ut l. *Sicut* §. *Venditionis.* ff. Quibus mod. pig.

Hoſtienſ. putat, addendam definitioni particulam *opere ſubſecuto*, quia aliàs ſola Simonia mentalis definitur. Sed retorqueri videtur, ſolam realem per dictam particulam definiri. Tamen ſtat per actum definiri, ut furtum per *acceptionem* rei alienæ, utique intelligendo *actu* vel *voto*, ſicque etiam Simonia dicitur *Emptio*. Similiter autem per *voluntatem* non excluditur actio, ſicut nec è converſo illa per hanc, ſed notatur, quod intrinſecum eſt 4

Simo-

Simoniæ, tanquam commune omni vitio. Sed hæc de voce ſunt, non de re. Quatuor autem diſputanda ſunt; 1mo de genere vitii, ſeu Regula, à qua deviat. 2do. de materia. 3tio. de pretio. 4to. de actione ipſa commutandi.

CAPUT II.

Sitne aliqua Simonia Jure Divino prohibita?

1 Primò. Simonia ex genere ſuo eſſe poteſt, imò regulariter eſt, contra Jus Divinum naturale. Ita Theologi, Juriſtæ, Summiſtæ, nemine quem Author repererit, contradicente. Et convincitur ex Act. 8. quia Simon non peccavit contra Jus humanum, ſed à Petro ex ratione (utique illuſtratâ per Fidem) arguitur, ſicut qui indignè tractat Sacramenta. Conſtántque exempla de aliis Sacrilegiis, eodem Jure damnatis. Rationes S. Thomæ ſunt, quòd res incommutabilis æſtimetur pretio; & quòd homo ſic ſe gerat ut Dominum.

2 Prior ratio non fundatur in ſola inæqualitate, ſed maximè in improportione, propter quam Spirituale indignè tractatur. Nam cætera bona ſunt merè temporalia & humana, non ſacra aut veneratione digna, & ideo in illis poteſt eſſe conventio, & ceſſio Juris. At acquiri pretio temporali, eſt contra dignitatem doni ſupernaturalis, quod Dei proprium eſt, & ex gratuita ejus voluntate pendet. Unde eidem injuria fit, quaſi pretio cogendus ſit, nec res pendeat à gratuita ejus voluntate, ſed homo ſit principalis author, à cujus efficacia pendeat collatio Doni.

Tenet etiam poſterior ratio, quia non competit homini dominium gratiæ Sanctificantis &c. Vel ergo actus gratiæ conſideratur, ut pertinet ad ſanctificationem operantis, éſtque utilis ad meritum, vel ut per illum confertur aliquid alteri? Si 1um, nihil transferri poteſt in utilitatem alterius, nedum in dominium. Si ſecundum, nos non ſumus Domini ejus, quod confertur, ſed totum pendet ex ſola inſtitutione, acceptatione, & efficacitate Dei: ergo non actionem ſed fructum ipſum venderemus; qui utique vileſceret. 3

Secundò. In lege Gratiæ Chriſtus explicat dictum præceptum naturale per particulam *gratis date*. Nam ſtandum eſt proprietate *Gratis*, juxta Regulam generalem & Expoſitores. Verbum autem *Date* neceſſitatem continet, ſi aliunde non conſtat de ſenſu mitiore; quod in præſenti nec ex materia ſumitur, nec ex Patrũ expoſitione; imò iidem præceptũ præſens colligunt ex ejectione vendentium columbas, cùm Simoniaci multò graviùs peccent. 4

Confirmatur; quia dicta vox *gratis* utroque loco contextûs accipitur propriè, ſicque ex parte Dei ex- 5

excluditur omne omnino debitum, ſive meriti perfecti, ſive imperfecti, ſive etiam connaturalis habitudinis ad ipſam naturam. Igitur vendendo agitur & contra naturam Gratiæ, & contra Authorem hujus, quia venditur, quòd ſolus conferre poteſt; conſequenter homo vendens opus Dei, vendit id tanquam ſuum, & vendendo æſtimari vult, ut ſuum, non ut Dei eſt.

CAPUT III.

Qualis, quanta, & quàm intrinſeca ſit malitia Simoniæ?

1 Primò. Simonia eſt peccatum Religioni oppoſitum, & ex genere ſuo mortale, & graviſſimum quidem. Nam per illam irrogatur contemptus dono ſupernaturali, & authori ejus: & ideò graviſſimè exaggeratur cau. 1. per tot. præſertim c. ult. q. 7. Licèt enim vitia Theologicis virtutibus oppoſita per ſe graviora ſint, ut etiam Idololatria; tamen Simonia Eccleſiæ pernicioſiſſima eſt, quia ſic ſanctum datur canibus & indignis, & propter conjunctam avaritiam & ambitionem ſerpit illa ut cancer & peſtis, ut notatur c. *Sicut.* de Simon.

2 Secundò. Non datur levitas materiæ in Simonia. Vel enim eſſet in re ſpirituali, vel in pretio? Non primum, ut per ſe conſtat: quomodo enim leve eſt contemnere ſpirituale; aut facto ſibi tribuere, quod Dei proprium eſt, & donationis ejus gratuitæ? ergo neceſſariò grave eſt vendere vel unum Ave Maria, Tonſuram, unum Agnum cereum &c. Non ſecundum, quia ſi parvum eſt pretium, eò viliùs habes rem ſpiritualem; ſin magnum eſt, ergo lucrum ex ea re turpiſſimum eſt, & qui ſuum prodigit, cooperatur ſaltem: ergo ſicut non datur blaſphemia levis, ita nec Simonia levis. Imò nec ex ſubreptione dari poteſt, cùm interveniat conventio, ſeu actus per ſe poſcens gravem uſum libertatis. Poteſt tamen ignorantia eſſe inculpabilis, ſequendo opinionem probabilem; quamvis ſubeſſe etiam poſſit negligentia inquirendi &c.

Tertiò. De abſoluta potentia non repugnat ceſſare malitiam Simoniæ de ſe intrinſecam. Nam licèt, ut in omni materia legis naturalis, impoſſibilis ſit diſpenſatio, ſuppoſitâ materiâ nihil mutatâ intrinſecè; tamen mutatio fieri poteſt etiam in materia Simoniæ. Sic vendere Depoſitum eſt intrinſecè malum: at ceſſat eſſe tale, ſi Dominus rem concedat ad omnem uſum, & non ad cuſtodiam tantùm. Similiter ergo Deus ut Dominus poteſt Gratiam ſanitatis &c. dare ad inſtar boni humani, conſequenter cum facultate curandi pro pretio, quamvis non conſentaneâ naturis rerum ſupernaturalium. Habet 3

bet tamen minorem indecentiam in dicta Gratia: at Abſolutionem, Indulgentias &c. ad quæſtum ordinare, planè alienum videtur à Sapientia & Excellentia Divinæ Providentiæ.

CAPUT. IV.

An in Simonia ſit malitia etiam contra Juſtitiam.

1 Primò. Per Simoniam committitur injuſtitia contra Deum, ſed indiſtincta à vitio oppoſito Religioni, & unius quidem malitiæ; quæ ſimul eſt contra Deum, & contra rem ſacram, ſeu contra Deum per indebitum uſum rei ſacræ. Nec enim hæc injuſtitia conſiſtit in alienatione vel deſtructione rei alienæ, ſed in modo, nec Deus privatur dominio, nec vetuit dari rem alteri, ſed dari tali modo: ſicque injuſtitia eſt etiam ex parte ementis, ſecùs ac in emptione, quâ pauper acquirit Legatum vel eleemoſinam ab iniquo Hærede, Curatore &c. nam remiſſio, ad quam cogitur, emptio quædam eſt, utique iniqua ex parte diſpenſatoris.

2 Secundò. Reſpectu hominis non ſemper intercedit injuſtitia contra Commutativam. Patet ex parte ementis, qui voluntariè tali modo dat, ſicut emens ab uſurario injuſtus non eſt. Vendens autem privat ſe commodo utilitatis, honoris, voluptatis, ornatûs &c. quod loquendo humano modo, eſt pretio æſtimabile, & retinet valorem ſuum ſecundùm ſe, quando annectitur rei ſpirituali temporalis: ergo in re datur quid æquivalens ex pacto voluntario: ergo ſine injuſtitia, ſicut cùm ob lucrum ceſſans petitur quid ultra ſortem.

Tertiò. Pro ſola ſpiritualitate Temporale peti non poteſt citra injuſtitiam. Nam ob ſpiritualitatem valor rei non creſcit, ut Calicis (imò ob coarctatum uſum decreſcit) ut patet ex communi hominum æſtimatione & conſenſu, à quo reum pretia maximè pendent, éſtquæ hæc apprehenſio omnium Chriſtianorum, ipſæque leges vetant æſtimationem. Parùm ergo refert, an hoc proveniat ex dignitatis exceſſu, an ex adjuncto modo, circumſtantiis, fine præſertim, cum quibus dicta bona collata ſunt uſui & diſpenſationi noſtræ; nam ſufficit rem ſpiritualem ut ſic, eſſe invendibilem. Secùs eſt de bonis aliis, ſive quia ſaltem ſecundùm uſum & apprehenſionem æſtimari poſſunt, ut ſcientia, pudicitia, fama; ſive quia in ſe, ſed ratione alicujus actionis, æſtimantur pretio. 3

CAPUT V.

An Simonia ſit vitium proprium legis Gratiæ?

1 Primò. Nec materia, nec prohibitio Simoniæ deficit in Lege alia. Nam ex dicto duplici capite provenit incapacitas vitii, ut ſi materia deficit in tota natura, ætate, vel ſtatu hominis, etiam cogitatio ac deſiderium non deſcendit in cor hominis, loquendo moraliter. At materia dicti vitii non deficit in prioribus Legibus. ut conſtat in dono Prophetiæ, Pontificatu, Sacerdotio &c. Prohibitio autem vendendi talia eſt Juris naturæ, ut ſuprà dictum eſt.

2 Secundò. In Lege Naturæ & Moſaica commiſſum eſt dictum vitium. Patet de poſteriore ex 2. Mach. 4. de Jaſone, Menelao &c. quos poſteri imitati ſunt, Sacerdotium propter quæſtum faciendo annale Jo. 11. & 18. Sic etiam vitii hujus damnatūr Giezi c. *Sicut* de Simon. & c. *Citò.* c. *Eos quos.* 1. q 1. Idémque ſuppoſuit Hilarion, reſpondens liberato à dæmonibus, & pecuniam in pauperes diſtribuendam offerenti: *Non legiſti, quid Giezi, quid Simon paſſi ſint?* Illóque urgente: *Accipe & da pauperibus: tu* (ait) *meliùs potes tua diſtribuere. Noli contriſtari fili, quod facio, pro te & me facio. Si enim hæc accepero, & ego offendam Deum, & ad te Legio revertetur.*

3 Confirmatur, quia Giezi & perfidus fuit infamando Eliſæum, & injuſtus accipiendo per dolum, quod ſibi non datum fuit, conſequenter obnoxium reſtitutioni, & Simoniacus, ſaltem præſumptus ita citò petendo & quaſi extorquendo temporale, & propter ſpeciem Simoniæ omnino vitandam, ut à fortiori conſtat ex facto Hilarionis. Nam licèt ſpeculativè loquendo, intentio accipiendi gratuitò eſſe potuerit, ut gratuitò oblatum fuerat, tamen ex circumſtantia perſonæ accipientis præſumitur venditio, multóque magìs ex ſpecie hujus.

Additur exemplum de Balaam & 4
Jeroboam. Sed de neutro convincitur: nam prior fuit Ariolus, & ut talis conductus ad maledicendum populo Iſrael: *effundi* autem *mercede iniquitatis* competit cuique ad iniqua perpetrandra conducto, ut Judæ, *qui poſſedit agrum de mercede iniquitatis.* Quoad alterum, quamvis ex conſcientia erronea ad Simoniam ſufficiat vendere Sacerdotium Idololatricum: tamen locus 3. Paral. 13. non cogit, quòd Jeroboam id vendiderit. Cùm enim dicitur: *qui volebat, implebat manum ſuam,* particula *ſuam* non refertur ad Regem, ſed Sacerdotem, ut ſumitur ex 2. Paral. 13. *Quicunque venerit, & initiaverit manum ſuam in tauro &c. fit Sacerdos eorum, qui non ſunt Dii.*

Tertiò. Simonia per legem Mo- 5
ſa-

ſaicam ſatis prohibita fuit. Nam imprimis conſignatio tot Decimarum & oblationum fuit virtualis prohibitio vendendi miniſteria; & ideò reprehenduntur filii Heli. Rurſus inculcatur. quòd munera excæcent & dehoneſtent, uti & avaritia Sacerdotum &c. Ex. 32. Mich. 3. Ezech. 22. Matth. 15. & Daniel clarâ voce munera Regis Balthaſaris reſpuit; nec tamen perperam conſenſit exaltationi ſuæ ob expoſitum ſomnium. Nam aliud eſt recipere quid in commutationem; aliud elevari quaſi per potentiam Regiam, ad dignitatem propter conceptam exiſtimationem perſonæ ex ſapientia & reſponſis, ut in Joſepho contigit, Sícque Daniel vel reſiſtere nequiit voluntati Regis, vel intellexit, ex Dei Providentia ita agi ſecum pro ſolatio populi.

Similiter non obſtat, Samueli oblatum fuiſſe ſtaterem, quia nec accepit quid, ſed ad cœnam invitavit hoſpitem; nec quod hic obtulit, dignum fuit Prophetâ, ſed ſolùm ſe habere potuit per modum oblationis ſacræ, aut ſtipendii, ſeu eleemoſynæ. Quòdſi mos offerendi indicatur ex illis verbis: *Quid dabimus homini Dei?* fortè alius non erat, quàm reſpectu Ariolorum; & ideò uxor Jeroboam fuit reprehenſa à Propheta. 6

CAPUT VI.

An in Lege naturæ habuerit locum Simonia?

1 Primò. Quantùm ad Jus, nec locus ſepulturæ fuit invendibilis Abrahamo, nec Primogenitura Jacobo. Nam ſicut Jus Patronatûs, Calix, & ſimilia, quibus ſpirituale annexum eſt conſequenter tantùm, vendi poſſunt, ita etiam ſepultura, multóque magis ager totus. Idem eſt de Primogenitura annexum habente Sacerdotium juxta antiquam traditionem; quod immeritò negat Oleaſter propter Abelem. Nam non conſtat, an ſimplex tantùm oblatio facta ab eo ſit, an Sacrificium: & adhuc poterat eſſe Sacerdos, licèt non ſumus, ut ante Ordinem Levi fuerant. Ex. 19. & 24. licèt Moyſes fuerit ſummus.

Ratio autem licitæ venditionis fuit quia prærogativas Civiles habuit Primogenitura, quibus conſequenter tantùm annectebatur Sacerdotium; nec aliter defendi poteſt Jacob, quia aliàs petiiſſet rem ſimpliciter alteri illicitam hîc & nunc. Nec enim Eſau ſciebat promiſſionem factam fratri, & eâ ſtante, ſolùm competebat jus ad rem, non in re; ergo locus non fuerat redemptioni vexationis. Seclusâ autem materiâ Simoniæ, Jacob ſciens jus ſuum poterat pretium vile tantùm offerre, non dando gratis pulmentum, quia Eſau non erat in vera neceſſitate, ſed intemperantiſſima cupiditate. 2

Se-

Secundò. Quantùm ad factum, 3 nihil cogit ad accuſandum Eſau de Simonia, multóque minùs ad accuſandum Joſephum Patriarcham. Nam prior Hebr. 12. rectè arguitur Irreligioſitatis, & ut *profanus*, ut qui *abiit parvi pendens*, quod amiſerat, & propter gulam pro nihilo habens rem tanti momenti: ex quo tamen ſolùm ſequitur, potuiſſe eſſe venditionem Simoniacam. Joſeph autem à Rege electus eſt non propter acceptam gratiam Propheticam, ſed ob ſapientiam & virtutem perſonæ; debuítque acquieſcere voluntati Divinæ ſcitæ. Nihil etiam vendidit, implorando opem alterius contra miſeriam & injuriam; nec diffidentiæ erga Deum argui poteſt, utendo mediis moraliter occurrentibus ad miſeriam ſuam ſublevandam.

CAPUT VII.

Sitne aliqua Simonia Jure ſolo humano prohibita?

1 Primò. Poteſt dari Simonia ſolo Jure humano prohibita. Ita communis contra Durandum. Duobus enim modis dici poteſt de dicto Jure eſſe, uno in radice, & vi inſtitutionis, ut vendere Aquam benedictam cariùs, vendere Beneficium & ſimilia. Quæ inſtitutionis ſunt humanæ, Simonia tamen contra Jus naturale eſt, ut ſumptio indigna Sacramenti, licèt Jure poſitivo inſtituti. Alter modus eſt, cùm actio fit Simoniaca immediatè & formaliter per prohibitionem humanam, quâ ſeclusâ, non eſſet Simoniaca. Conſtat autem ſic poſſe prohiberi actionem, licèt jure naturæ non ſit Simoniaca. Nam Simonia tria requirit, ſpirituale, pretium, & venditionem: at ſtat prohibitio, ubi ſpirituale non eſt, ſed ſpirituali annexum; nec pretium, ſed temporale annexum; nec venditio, ſed largitio alia, ut in Trid. ſ. 24. c. 18. de Ref.

Confirmatur, quia omnino falſum eſt, quod vult Durandus, prohibita Jure humano, ſolùm eſſe contra Obedientiam, nam Lgislator poteſt quid prohibere intuitu certæ Virtutis, & conſtituere, ut medium neceſſarium, quod de ſe non eſt: itémque quod habet affinitatem vel ſpeciem cum vitio ſub ratione ejusdem inhoneſtatis prohibere poteſt, ut major ſit receſſus à vitio; ut nunc eſt inceſtus in tertio gradu, qui ex natura rei non eſt. Denique violato jejunio ſufficeret confiteri malitiam inobedientiæ; idémque eſt de qualibet transgreſſione præcepti humani: conſequens eſt contra praxin totius Eccleſiæ. 2

Secundò. Falſum eſt, actionem ſic prohibitam ſolùm diciSimoniam, propter participationem pœnæ cum Simonia contraria Juri naturæ. Nam talis æquiparatio non ſufficit ad diſtinctionem practicam peccatorum: at 3

at vi prohibitionis Eccleſiaſticæ actio habet malitiam diverſæ ſpeciei ab aliis peccatis, & ideò diſtinctè confitenda eſt. Licèt autem Lex non mutet naturas rerum in eſſe phyſico, mutat tamen in eſſe morali, ut in ratione medii virtutis, valoris rerum, neceſſitatis loci, temporis &c. Unde quæ de gravitate Simoniæ dicta ſunt, etiam in præſenti tenent: quia diverſitas cauſæ efficientis legem nihil variat, ſi in materia non ſit mutatio. Denique proprium eſt legis Gratiæ, per dictam prohibitionem tueri ſancta; nam exemplum eſt prohibitionis in lege Antiqua, nec tamen par neceſſitas ob tantam, quæ nunc eſt, ſanctitatem & multitudinem ſpiritualium.

CAPUT VIII.

An detur Simonia in materia merè naturali?

1 Primò. Spiritualia Intellectualia nec ſunt, nec eſſe poſſunt materia Simoniæ. Suppono, ſpiritualia dona naturæ intelligi non poſſe, niſi ut ſunt vel intellectûs, vel voluntatis; ſúntque vel merè corporalia, quantùm ad terminum, ut cantus, pictura &c. vel propriè ſpiritualia, ſeu per ſe ordinata & proximè ad inſtruendam mentem, vel dirigendam voluntatem. Vendi autem talia bona ſecundùm ſe non poſſunt, nec communicari alteri, ſed ſolùm opera eorum, ſive ut ſingula, ſive quaſi in fonte, & tunc vel per modum locationis vel ſervitutis & ſimpliciter, ita ut venditor teneatur ad nutum alterius uti arte.

2 His poſitis, conſtat quòd talis materia non habeat Deum pro objecto, ſive *quod*, ſive *cui*, ut colendum, ut patet in omni arte & ſcientia naturali, etiam Metaphyſicâ: at Simonia eſt vitium contra Religionem vel cultum Dei, ut ſupponendum eſt, aliàs niſi in uſu vocis conveniamus, diſputatio firma & univoca eſſe nequit. Unde ſiquis per maleficium deſtruat alterius memoriam, ſcientiam &c. erit quidem injuſtus, non tamen irreligioſus, niſi per accidens, ratione maleficii.

Secundò. Vendere dicta bona eo modo, quo poſſunt quoad factum, malum non eſt, per ſe loquendo; & ſi eſt, non tamen Simoniacum. Nam dicta venditio non eſt contra Religionem (niſi per accidens ob votum docendi gratis) nec contra charitatem, dempto caſu neceſſitatatis, nec contra juſtitiam, quia talia juſto pretio æſtimari poſſunt, ut uſu conſtat, & communi hominum æſtimatione, à qua pretia rerum accipiuntur: & ideò pluris ſit equus, quàm ſervus, quia utilior reputatur ad uſus humanos. 3

Tertiò. Vendere veritatem talis doctrinæ, Simonia non eſt, ſed injuſtitia. Nam dicta veritas nec eſt ſuperna- 4

pernaturalis, nec res ſacra, nec per ſe inſtituta ad cultum Dei. Quòd verò ſit Donum Spiritûs ſancti, ut Authoris naturæ, non refert; aliàs nihil vendi poſſet. Secùs eſt de ſcientia per accidens infuſa, & gratia gratis data &c. juxta dicta ſuprà. Propriè autem venditur veritas, quando *ultra condignum* pretium docendi petitur quid pro ipſa; quod injuſtum eſt.

5 Vel enim venditur, ut eſt in mente docentis, vel ut eſt in ſigno, vel ut naſcitur in diſcente? Si primum, ergo quia nihil datur alteri, etiam nihil venditur. Si ſecundum, ergo non diſtinguitur ab ipſa doctrina, & qui tenetur docere, tenetur veritatem docere; ergo idem venditur bis, quia in priore obligatione venditâ includitur poſterior. Si tertium, ergo vel vendit rem non ſuam, vel bis auxilium, quod ad diſcendum præſtitit. Dixi ſuprà, *ſi ultra condignum* &c. quia aliàs vel ſolùm eſt bona intentio expreſsè ſe obligandi ad ſolidè docendum, vel ignorantia intervenit aptandi intentionem; quod non ſufficit ad mortale.

6 Quartò. Non peccat augens ſuæ doctrinæ pretium, ſive ob ejus nobilitatem, ſive ob peritiam perſonæ; eſto labor corporalis ſit minor vel nullus. Nam in omni Univerſitate datur plus pro ſcientia nobiliore &c. & plus Doctori famoſiori, cùm juxta Ambroſ. *Primus diſcendi ardor nobilitas ſit Magiſtri;* nec valor ſemper penſetur ex labore, ſed ex actione ſecundùm ſe, & aliis circumſtantiis, ut patet, ſi doctrina vel ars per accidens infuſa ſit, vel manus miraculo reſtituta. Opus enim eſt ejusdem rationis & æſtimationis; præterquam quòd præteritus labor, expenſæ in ſtudendo &c. penſentur.

Porrò conventio ſpectanda eſt 7 conducti ad docendum pro ſtipendio. Vel enim eſt de gratis docendo omnes, vel pauperes tantùm? Si primum, ergo cùm ſtipendium ſupponatur ſufficiens, petendo quid à diſcipulis, idem bis peteretur. Si ſecundum, peti poteſt à divitibus c. 1. de Magiſt. multóque magis recipi, quod ſponte offertur. Quòd ſi de conventione non conſtat, ſtandum eſt conſuetudine, ut rectè ibi Abb. Si verò exceditur, injuſtitia erit, non tamen Simonia.

Quintò. Vendere vacationem à 8 legendo nec Simoniacum eſt, nec per ſe injuſtum. Non primum, quia non docens in feſto, non propterea hoc meliùs colit: nec refert alios intendere cultum, ſicut nec cùm vinum venditur pro Miſſa. Non ſecundum, quia poſſum vendere privationem operis, ſeu obligationem non operandi, quod citra injuriam alterius facere poſſem. Secùs eſt, ſi privatio ſit debita ex lege, ſicut ſi Magiſtratus ex officio dare debet licentiam docendi, injuſtè vendit, & cum obligatione reſtituendi, ſi perſona eſt idonea, nec ratio boni publici eſt, cur impediatur.

Quòd ſi

9 Quòd ſi venditio fit idoneo ad docendum, turpe lucrum eſt, non injuria reſpectu ementis, ut patet tit. de Magiſtr. per tot. Imò eſt contra jus naturale, ſeu juſtitiam debitam Communitati ratione officii; & ideò probabile eſt deberi illi reſtitutionem, ut vult Angel. Sufficienter tamen fit dando pretium acceptum pauperibus.

10 Sextò. Naturalia bona moralia, quæ inter homines tantùm verſantur, non ſunt materia Simoniæ; nec per ſe injuſtum eſt talium bonorum opera vendere. Poſterius (nam de priore patet ex dictis) ſumitur ab exemplis, ut doctrinæ prudentialis, vel Moralis practicæ; & de Civili tradunt omnes. Idem eſt de exhortatione Judicum (ut factum eſt à Tullio) aut militum, aut cùm moderator hortatur puerum ad honeſta: ergo non tantùm pro talibus ſtipendium laboris peti poteſt, ſed & pretium, æſtimando dignitatē actionis, induſtriam, & alias circumſtantias perſonæ; quia ut actio fit per corpus, habet æſtimationem humanam.

11 Idem eſt de operibus miſericordiæ, juſtitiæ &c. niſi vel charitas obliget ad ſerviendum gratis, vel juſtitia ex officio; hoc enim ſecum fert ſtipendium, ut in Doctore conducto. Idem eſt, ſi pro actione mutuandi utut piâ petitur quid ultra ſortem, aut ſi agitur contra legem prohibentem, ut de Judicibus & teſtibus cavetur per multa capita 1, q. 1. & c. *Jubemus* cum ſequentibus & c. *Non licet*, 11. q. 3. & c. *Non ſanè* 14. q. 5. & Auth. Ut Judic. ſine quoq. ſuffrag. Cæterùm ut obligatio agendi, ita & non lædendi, non ſe inebriandi &c. pretio æſtimabilis eſt, tanquam privatio libertatis in materia merè naturali.

Septimò. Probabile eſt, in materia 12
naturalis Religionis poſſe dari materiam naturalis Simoniæ, licèt ſpecie diſtinctam ab ea, quæ nunc fit. Nam in pura natura datur poteſtas creandi ut Principatus ita Sacerdotes, & conſtituendi totum Ordinem rerum ſacrarum æquè ac Politicarum; ergo non per conſcientiam erroneam, ut in Sacerdotio Idololatrico, ſed in cultoribus veri Dei Simoniaca fit venditio Sacerdotii. Debet enim hoc intrinſecè tractari, ut res ſacra: ergo æſtimatione majore, quàm vendibilia, aliàs etiam cultus Dei vileſcit, & omnia in illo venalia fiunt, ut Sacrificium &c.

Nec obſtare debet Juriſconſultus 13
Ethnicus l. *Siquis*. 11. ff. de Pollicit. Nam politicè tantùm rem Religionis tractabant, referendo omnia ad utilitatem temporalem Reipublicæ. Vendi autem Magiſtratus Politicos non habet malitiam tam intrinſecam, quin ſeparari poſſit per Providentiam Principis. Qui tamen à fortiori per legē conſtituere poteſt dictam materiam, ut Simoniacam eſto alterius ordinis à præſenti; quia in definitione Simoniæ accipitur Spiritus ſanctus, ut Author ſupernaturalium.

CAPUT IX.

An Gratia Sanctificans, Dona & actus ejus poſſint eſſe materia Simoniæ?

1 Primò. Gratia unionis Hypoſtaticæ non eſt materia Simoniæ. Judas enim vendidit Chriſtum ratione humanæ naturæ, ſicut Sacerdos venditur propter humanam utilitatem, non propter Sacerdotium: Simonia autem pendet intrinſecè ex cognitione & voluntate rei ſpiritualis. Dein illa Irreligioſitas eſt altioris ordinis, & contra Deum ipſum, ergo non eſt proprium Sacrilegium; & ideò per analogiam tantùm ſermo fit c. *Eos qui.* c. *Qui ſtudet,* 1. q. 1. Denique Simonia eſt *ſtudioſa voluntas*, non ſimplex affectus tantùm, ut Angelum vendendi; ergo materia ejus eſt, quæ ſub externum actum vendendi cadere poſſit: at impoſſibile eſt ſtante cognitione Perſonæ Divinæ, velle illam vendere; nec ſtudioſa voluntas circa impoſſibile eſt.

Secundò. Gratia ſanctificans, aliáque ejus dona ſunt materia Simoniæ. Nam ſufficit vendi poſſe in concreto, ut Sacerdos, Calix conſecratus, Propheta, Baptizatus &c. cariùs vendi poteſt Hæretico, Gentili &c. ſicut etiam figura artificioſa in artefacto, imago parietis cum domo &c. venditur. Rurſus non ſolùm venditur res, quam quis poſſidet, & in alium transfert, ut fieri nequit circa Gratiam &c. in abſtracto, ſed quando de novo fit; ut ſi pictor nôſſet facere faciem pulchram, aut cùm figuras pingit in domo aliena. Similiter ergo cum actione venditur Gratia, & actio æſtimatur ratione termini, ut actio pingendi. 2

CAPUT X.

An Sacramenta ſint propria materia Simoniæ?

1 Primò. Vendere Evchariſtiam eſt propria Simonia, & in ſuo genere ſumma. Licèt enim Evchariſtia, quatenus eſt ipſe Chriſtus, materia ſit gravioris Irreligioſitatis, ut de peccato Judæ notatum eſt; tamen ſimul ſit venditio Sacramenti ſenſibilis, & ad uſus humanos accomodati. Unde vel venditio ſit pro ſumptione Sacramentali; & ſic eſt Simoniaca. c. *Nullus Epiſcopus.* 100. 1. q. 1. vel ad uſus Judæi, Magi &c. & additur alia ſpecies horribilis. Materia tamen remota licitè venditur, quia ordinatio ad Sacrificium non-

nondum efficit rem ſacram, nec teneor eam gratis dare.

2 *Secundò.* Idem eſt de cæteris *Sacramentis.* Nam licèt conſiſtant in actionibus vel paſſionibus circa res materiales; tamen ut ſunt *Sacramenta*, dona ſunt ſupernaturalia, gratis data à Chriſto, & propter Gratiam &c. c. *Cùm in Eccleſia* de Simon. c. 2. & 4. cum multis ſequentibus 1. q. 1. Regulariter autem additur malitia ſcandali, & injuſtitiæ, cùm quid exigitur, ubi ex officio miniſtrandum eſt c. *Baptizandis* 99. 1. q. 1. c. *Relatum* 10. q. 3.

3 Tertiò. In Matrimonio, ut pacta alia, ita etiam emptio licitè intervenire poteſt. Conſtat de dote, nam etiam in erectione Eccleſiæ poſcitur ad ſuſtinenda onera. Rurſus fit commutatio materialis, ut corporis pro corpore, conditionis pro conditione; ut ſi nobilis ignobilem divitem ducat, ſi ſenex juvenem, deformis pulchram: ergo rectè compenſatur defectus, uti & periculum, quod alter ſuſcipit. Nec enim ratio *Sacramenti* abſtulit rationem contractûs, & officium naturæ; & ideò conſenſus puellæ parentum &c. licitè procurari poteſt per pecuniam, nam hæc immediatè ordinatur ad contractum & officium Naturæ.

CAPUT XI.

An materiæ Sacramentorum ſecundùm ſe ſpectatæ vendi poſſint.

1 Regula certa eſt, materiam proximam, ut ablutionem, unctionem, prolationem verborum &c. eſſe invendibilem. Ita S. Thom. q. 100. a. 2. ubi omnes Summiſtæ, & communiter Canoniſtæ in c. *Cùm in Eccleſia* de Simon. ubi negatur conſuetudinem poſſe prævalere. Et ſumitur ex omnibus textibus, qui de re præſenti agunt cau. 1. q. 1. Nam aliàs poſſet omnis talis venditio colorari, quia aliter vendi nequit Sacramentum; & quia actiones ſunt exigui valoris ſpectatæ ſecundùm ſe, ſemper reſpectus erit ad ſanctitatem.

2 Confirmatur: quia tota actio eſt actus poteſtatis & miniſterii ſpiritualis; éſtque elevata, ut ſit ſignum & cauſa Gratiæ: ergo ex principio & fine eſt ſpiritualis; ut verò eſt materialis, nullius eſt utilitatis humanæ, ſed ſeclusâ dictâ inſtitutione actio foret vana & ſuperſtitioſa. Unde clara eſt differentia inter hanc & matrimonii materiam, nam dos non habet rationem pretii, ſed ſubſidii ad onera ferenda: pretium autem non tam datur pro corpore, quàm pro conditione æſtimabili, ut Nobilitate, vel pro compenſando nocumento. Rurſus contractus (quem

ut erat, Chriſtus reliquit) habet ſuum proximum finem, & utilitatem moralem, & ſecundùm hoc procedit à poteſtate Naturæ. At Actio Sacramentalis nec finem nec uſum habet niſi ſupernaturalem, nec eſt niſi à poteſtate ſupernaturali.

CAPUT XII.

An in caſu neceſſitatis Sacramentum poſſit emi, cùm alter non vult dare niſi pro pretio?

1 Primò Poteſt dari pecunia in dicto caſu citra emptionem. Vel enim formalis emptio eſſet neceſſaria, vel interpretativa? Non primum, quia pendet ex libera intentione operantis. Non ſecundum, quia utor jure meo, dando pecuniam intentione aliâ, ut ſatiandi avaritiam vel odium, & tollendi impedimentum: tollere autem vexationem injuſtam, non eſt tollere immediatè negationem Sacramenti Baptiſmi, ſed affectum pravum, ex quo illa ſequitur. Rurſus quisque habet jus acquiſitum ex Chriſti donatione ad neceſſaria ſalutis, & ne injuſtè opprimatur, arg c. *Dilectus.* de Simon. & maximè ne damnari cogatur.

2 Confirm. quia licèt alter directè petat pretium, non cogor dare juxta ejus intentionem, ſed in eleemoſynam, vel eo modo, quo licitè poſſum; ut Rudibus ſufficit, fitque uſu omnium piorum ſic redimentium vexationem, quæ fit Reliquiis, ſacræ Hoſtiæ &c. eſto ipſémet habere velim. Similiter juxta omnes licitè datur pecunia, ut alter abſtineat à peccato Simoniæ, quia ſic ille à malitia, Eccleſia à vexatione redimitur. Idem ergo eſt in caſu odii, ob quod denegatur baptiſmus, quia non peto, ut baptizet pro pretio, ſed induco in minus malum, ſi aliter non vult. Peto enim, ut ceſſet odiſſe: & ita recepto pretio poſſet adhuc gratis baptizare. Denique ſi juſtis minis uti licet, ergo etiam beneficentiâ.

Secundò. Idem eſt in caſu Adulti petentis baptiſmum. Nam major obligatio eſt ſubveniendi ſibi quàm proximo: & licèt neceſſitas infantis ſit major, tamen inclinatio ad ſe eſt major, præter neceſſitatem tantam, quanta ſufficit, ut ei ſuccurri debeat etiam cum periculo vitæ. Hæc tamen extendi non poſſunt ad caſus ordinarios, quia nec eſt vexatio propria, nec deſunt modi alii, ut vitetur: aliunde ratio haberi debet Sacramenti, quia per ampliorem licentiam daretur occaſio irreverentiæ & Simoniæ. 3

Tertiò. Idem eſt in caſu pariformis neceſſitatis. Exemplum eſt, ſi dari nequit niſi Extrema Unctio, 4

vel

vel Euchariſtia tantùm. Imò idem extendi poteſt ad neceſſitatem Viatici: quia vel Euchariſtia nondum eſt conſecrata; & eo ipſo licet dare ſtipendium Miſſæ; vel ſi conſecrata eſt, tam habeo jus ad illum Panem, quàm ad materialem in extrema neceſſitate, vim vi etiam repellendo.

5 Quartò. Nullo caſu licita eſt emptio Sacramenti. Nam quod cenſet Soto, non eſſe intrinſecè malam, contra omnes Theologos & Juriſtas eſt: nec Petrus arguit Simonem niſi de emptione, de quo hominis peccato certiſſimi ſumus, non tamen de tacita voluntate faciendi quæſtum, eſto probabiliter aſſertâ. Rurſus & Juribus & ratione perinde unus ac alter contractus damnatur, ut ex definitione Simoniæ conſtat: imò jura cum Taraſio ajunt, tentari ſic emptionem Spiritûs Sancti. Quomodo ergo præſumitur Chriſtum pro aliquo caſu dediſſe jus emendi? aut quæ ratio ac neceſſitas confugiendi ad has anguſtias?

6 Denique ut rectè agnoſcit Soto pecuniam dari non poſſe, ſi petitur in irriſionem Sacramenti aut Religionis: ita ejuſdem aſſertio, quòd juratò affirmare liceat, dari illam in pretium, eſt improbabilis & horrenda. Nam profeſſio talis eſt injurioſa rebus Divinis, & Sacramentis, nec ſeparabilis eſt injuria, eſto impius exactor juramenti formaliter illam non intendat, ſed tantùm conſortium in peccato, aut in odium perſonæ. Secùs eſſet locus verbis æquivocis, accomodando illa ad mentem jurantis, non alterius: quod tamen non ſtat, ſi extorquetur Juramentum de dando pecuniam cum intentione emptionis Sacramenti.

CAPUT XIII.

An omnes actus Ordinis ſint materia Simoniæ?

1 Primò. Per venditionem actuum Ordinis Simonia fit contra Jus naturale; & intrinſecè talis, ſaltem loquendo regulariter. Ita Doctores ſine controverſia. Nam actus nec æſtimationem, nec utilitatem habent, niſi in ordine ad finem ſpiritualem: materialitas autem eorum non magis obſtat, quàm in Sacramentis. Nec refert, quòd aliqui ſint ex inſtitutione ſolius Eccleſiæ; nam adhuc ſunt actus verè ſacri, & moraliter ſpirituales, & ideò pertinentes ad Miniſtros ſacros, non profanos. Et Chriſtus ut dedit poteſtatem inſtituendi, ita Epiſcopis & Sacerdotibus committendo præcipuos actus, conſequenter illos quaſi idoneos fecit ad actus inferiores; ſicque omnes aliquo modo ſunt ex Jure Divino.

Confirmatur inductione ; nam alii ſimpliciter irriti ſunt ſine certo Ordine; ali illiciti tantum, ſiquidem fiant quaſi ex officio , & intrinſecâ poteſtate : quamvis modo magis privato fieri poſſint, vel ſine Ordine, vel ſine tali. Omnes autem tales actus ex natura rei invendibiles ſunt, ſive proprii ſint certi Ordinis , ſive non. Sic orare pro toto populo & nomine ejus, eſt peculiare munus Sacerdotis. Hebr. 5. & 8.

Secundò. Idem eſt de actibus
3 Minorum Ordinum. Nam exorcizare eſt Gratia gratis data ; & officium Acolythi , ut fit ſolenniter , eſt ſacrum Miniſterium & valde conjunctum cum Sacrificio ; ſicque etiam cùm à Laico ſuppletur , venale eſſe nequit. Idem eſt de functione Lectoris in Horis, & Oſtiarii miniſtrantis ſolenniter , quamvis officium Cuſtodis , Cantoris , &c. ut fit à Laico , non ſit ſacrumquid , ſed tam materiale , ut ſecluſâ prohibitione Eccleſiæ non ſit materia Simoniæ. Denique Tonſura , licèt actum non habeat , ſpecialiter ſanctificat perſonam , & ideò Jure Divino invendibilis eſt , c. *Cùm contingat.* de Ætate & qual. & Ord. ubi latè dicitur *Ordo*.

CAPUT XIV.

An omnia Sacramentalia tam in actione , quàm in termino ſint materia Simoniæ?

Primò. Sacramentalia omnia , ut
1 in fieri ſunt , materia ſunt Simoniæ. Nam dictâ voce ſignificantur cæremoniæ ab Eccleſia inſtitutæ ad ornatum Sacramentorum; & latiùs ſumptâ voce ſignificatur quælibet cæremonia ſeu benedictio , ſive tranſiens ſit ſeu *Invocativa*; ſive permanens & *Conſtitutiva* ſeu relinquens rem permanenter ſacram ac ſeparatam ab uſu profano. Conſtat autem , omnem talem actum eſſe actum Ordinis, & ex ſupernaturali poteſtate , & propter finem ſupernaturalem , ſaltem ex impetratione Eccleſiæ, cujus nomine ille fit, ut in benedictione ſponſorum.

Secundò. Etiam Sacramentale 2
permanens, ſeu res ſpecialiter conſecrata per Eccleſiam & ut talis, materia eſt Simoniæ. Nam res eſt verè Sacra ; ergo temeratur , ſi ut talis venditur. Quidquid enim ſit illud eſſe ſacrum (*Phyſicum* vel morale) eſt ex ſupernaturali inſtitutione & poteſtate , & proximè ordinatur ad finem ſupernaturalem. Denique ſi terminus formalis eſt appretiabilis , ergo & actio correlativa , ſeu benedictio ipſa : ſicut ſi artefactum ut tale æſtimatur pretio, idem erit de actione artificis ; & è converſo ſi actio non æſtimatur, nec artefactum ut tale.

Ter-

3 Tertiò. Loquendo ex ſolo jure naturæ, Sacramentale permanens poteſt vendi ratione materiæ ſecundùm ſe ſpectatæ, & nullâ habitâ ratione Conſecrationis. Nam res aliquas tales vendi poſſe indubitatum eſt, ut tenet S. Thom. Dur. Palud. Richard. Navar. Sylv. Antonin. Cajet. Redoan, & conſtat uſu vendendi & emendi Agnos cereos, ut Romæ contingit à doctis & timoratis: nec Greg. XIII. Conſt. 2. plus prohibuit, quàm pictionem dictæ ceræ, & venditionem ſic pictæ. Res enim ratione ſuæ ſubſtantiæ & naturalis conditionis eſt æſtimabilis, nec propter Conſecrationem amittit valorem: éſtque accidentarium, quòd non poſſit converti ad uſum communem, propter reverentiam rei ſacræ.

4 At ſi de aliquibus ita eſt, idem erit indiſtinctè etiam in aliis omnibus. Vel enim cum Cajet. diſtinguendum eſt, an materiale ſit præcipuum, vel cum Valentia, an illud ſit magni valoris? Non primum, quia ſpirituale ſemper eſt præcipuum; ideò enim ſeparat rem ab uſu profano. Et unde diſcerem? non ex valore materiæ; aliàs in calice aureo materia eſſet præcipuum, & non in ſtanneo. Non ex qualitate materiæ, aliàs Chriſma erit præcipuum, non aqua benedicta. Et dato toto, quòd non ſtet abſoluta venditio, ſeu ſignum vendendi principale; ſtat venditionem eſſe reſtrictam ad minùs principale.

Non ſecundum, quia obſtat exemplum in Agnis cereis. Dein aqua ipſa aliquando juſtè venditur, ut pro aſſe. Rurſum centum Agni habent æſtimationem; ergo ſi totum, etiam pars vendi poteſt. l. *Quæ de tota.* ff. de rei vendicat. Imò non tantùm materia, ſed etiam artificium æſtimari poteſt, ut in dictis Agnis Pontifex materiam gratis dat, conſequenter volens etiam dari gratis: ergo qui ultra æſtimationem operis petit aliquid, Simoniam committit. Licèt ergo reſtrictio utendi faciat minorem valorem, non tamen omnino tollit; quia attenduntur expenſæ, vel communis æſtimatio rei ſic confectæ, ut patet uſu Eccleſiarum inter ſe vendendi Calices ſacros, veſtes ſacras. 5

6 Dices, prohiberi venditionem Eccleſiæ c. *Siquis objecerit.* 1. q. 3. Idem eſt de Sepultura ſacra, Balſamo &c. & univerſim in Sacramentis etiam materia ſit invendibilis. ℟. Canonem non agere de Eccleſia, ſed de Corporalis Eccleſiæ Epiſcopo, ponderando, quòd Gubernatio corporalium utique egeat ſubſidiis corporalibus, ut hæc in Beneficio annectantur ſpiritualibus, utique conſequenter. At in præſenti ſermo eſt de Corporalibus, quæ præſupponuntur ad ſpirituale, & ideò vendi poſſunt, ſpirituali non vendito. Quod ſecùs eſt in materia Sacramenti, quia hæc non antecedit, ſed concomitatur, & quaſi intrinſecè permiſta eſt cum ſpirituali, cùm ipſa materia-

lis actio contineat intrinſecum cultum Dei, impetrationem & valorem ſpiritualem: in re autem permanente materia ſemper manet ſecundùm ſe temporalis. Si ergo in Beneficio temporale vendi nequit, quia ſpirituale quod præſupponitur, virtute venderetur; multò minùs vendi poteſt temporale, intimè in ſuo fieri & eſſe permiſtum ſpirituali.

7 Conſtat autem vendi poſſe terram pro cæmeterio, ſicut fundus pro templo c. *Aurum* 12. q. 2. c. *Comperimus* 14. q. 6. Eadémque ratione poteſt quis vendere proprium ſepulchrum, pro ſe ſuíſque emptum & ædificatum, reſpectu habito ad expenſas fundi & ſtructuræ. Secùs eſt, ſi locus ſacer ſit communis pro Fidelibus. c. *Abolendæ.* de Sepult. c. *Quæſta eſt.* c. *In Eccleſiaſtico.* 13. q. 2. c. *Audivimus.* c. *Cùm in Eccleſia.* c. *Ea quæ.* de Simon. Nam prohibitio eſt abſoluta de venditione terræ, aliàs non vitaret abuſum, ſi ſolùm de reſpectu Conſecrationis ſermo foret. Idémque eſt de Patrono Capellæ; quia verba d. c. *In Eccleſiaſtico* generaliſſima ſunt. Venditio ergo erit Simoniaca, quia conſtat prohiberi eam intuitu Religionis. Imò in Clericis erit Simonia contra Jus Divinum, quia non ſunt domini terræ; ergo ſolùm quod ſpirituale eſt, vendere cenſentur.

8 Similiter quantùm ad Chriſma, poſſet ſe Epiſcopus indemnem ſervare, à ſingulis petendo quid pro rata: tamen quia aliunde ſupponitur ei proviſum eſſe, rectè prohibetur venditio ut irreligioſa. c. *Placuit.* 105. & c. *Dictum.* 105. 1. q. 1. Imò quantitas, quæ in ipſa Unctione expenditur, Jure Divino invendibilis eſt, juxta dicta de proxima materia Sacramenti. Idémque eſt de ſacris Reliquiis c. ult. de Reliq. & Ven. Sanct. nam materiale ſecundùm ſe non eſt æſtimabile pretio, ergo ſi propter relationem ad Sanctum ſit, æſtimatio eſt Simoniaca. Secùs eſt de ornatu extrinſeco ex auro &c. dummodo non vendatur cariùs ob contentum; aut Roſarium propter contactum Reliquiarum &c. Idémque eſt de Evangelio, Scriptura &c.

Sic etiam juxta dicta à fortiori 9 conſtat, prohiberi pretium pro loco honoratiore, ut in templo potiùs, quàm extrà, vel propiùs ad Altare. Nam fundamentum æſtimationis eſt ſanctitas major loci, quidquid ſit de intentione ementis, honorem humanum ſpectantis, ut etiam non refert in emptione Beneficii. Tamen ſi intervenit authoritas Prælati, poterit locus eſſe venditioni oneris accidentarii, ſeu obligationis non ſepeliendi ibi alium, aut locum ſervandi perſonæ certæ.

Quartò. Profana negotiatio cir- 10 ca res ſacras, cùm ſit ratione materiæ, per ſe prohibita eſt, quamvis nullo jure expreſſo. Nam repugnat ſanctitati talium rerum, eíſque injurioſa eſt: ergo quia hæc eſt ratio præcipua Simoniæ, hujus labes contrahitur. Sic non licèt eas locare, ſicut

ſicut non licet vendere ſepulturam in loco ſancto; quia fit locatio rei ad talem uſum, & aliàs poſſet Parochus exigere aliquid à Celebrante in ſua Parochia. Idem eſt de locatione Calicis, quia virtute venditur uſus ſacer; nec attendi poteſt attritio, ut in ſacris veſtibus: quamvis etiam in his unus altérve uſus non ſit conſiderabilis, & conſequenter titulus fictus. Unde idem eſt de Sacriſta, ſi pro pretio det pretioſiora ad uſum, niſi fortè pro labore extraordinario extrahendi, aut pro expenſis in lavando exigat aliquid.

Denique idē eſt de negotiatione emendi Calicem, & ſimilia, ut alibi cariùs vendantur. Nam licèt apertè Simoniaca non ſit, tamen quatenus res ſunt ſacræ, & eo modo profanantur, datâ etiam occaſione committendi Simonias; non poteſt omnino excuſari. Accedit ſacrilegium alterius rationis, ut in furto Chriſmatis vel olei ſacri: ſi enim pretium eſt ſolius materiæ, Simonia non eſt, at Sacrilegium ob profanationem; quia ſatis eſt, injuſtè vendi rem materialiter, licèt non vendatur ut ſacra.

CAPUT XV.

An Divina Officia ſint materia Simoniæ, ubi de aliis operibus Virtutis.

1. Primò. Officia Divina, ut fiunt ex Inſtitutione Eccleſiæ, & per Miniſtros ejus, ſunt propria materia Simoniæ contra Jus Divinum. Ita c. *Ad noſtram.* c. *Cùm in Eccleſia.* c. *Non ſatis.* c. *Ad Apoſtolicam.* c. *Suam.* & c. penult. de Simon. Nam quando prohibitio fit ſpecialis, non eſt merè Poſitiva, ergo virtute generalis eſt: nec enim Simonia dicitur, quia prohibetur, ſed è converſo. Rurſus Oratio, ut fit nomine Eccleſiæ in Exequiis, Proceſſionibus &c. eſt ex poteſtate quaſi delegatâ ſpirituali, & ex genere ſuo requirit Fidem & Gratiam Spiritûs ſancti, & intrinſecè continet cultum Dei ſupernaturalem, & inde valorem habet, ordinatúrque ad ſatisfaciendum, impetrandum &c. ergo omnibus modis & titulis fit intrinſecè invendibilis.

2. Secundò. Diſtinguere oportet titulos, quibus quid accipitur. Nam intereſt inter Stipendium & Pretium; Oblationem piam, & exactionem; acceptionem & exactionem Oblationis; inter Miniſtrum ex officio, & alios adventitios; inter actiones funerandi merè corporales, ut foſſionem terræ &c. & ſpirituales, ut Orationes, Proceſſum Clericorum, Lectiones ſacras &c. & denique inter honorem merè humanum, ut ornando tumulum &c & ſpiritualem, ut eſt Proceſſio Religioſorum &c. pro hac enim ſolùm peti poteſt eleemoſyna &c. &c.

3 Tertiò. Idem eſt de orationibus privatis & actibus virtutis, quibus ſpirituale beneficium confertur; ſecùs verò, ſi corporaliter juvent, ut actus Miſericordiæ Corporalis. Nam poſteriores utique vendi poſſunt, aliàs nulla opera humana vendibilia forent, nec etiam bona corporalia, & temporalia. At jejunium, opera Pœnitentiæ, Miſericordiæ ſpiritualia &c. ex fine intrinſeco & in ſe ſpiritualia ſunt; ergo ſimpliciter invendibilia: & ita Pauperi pro oratione ſolùm dari poteſt eleemoſyna vel ſtipendium, præſertim ſi oratio diuturna ſit, ut patet applicando dicta de oratione publica. Idem enim eſt de aliis Proceſſionibus, imò de delatione Reliquiarum, throni pro Sanctiſſimo &c. nam totum purè fit ob devotionem, ſícque ſpirituale quid eſt.

CAPUT XVI.

An Actus ſpirituales ſoli operanti utiles ut ſic, poſſint eſſe materia Simoniæ?

1 Primò. Simonia non eſt dare vel promittere quid, ſolùm ad tollendum obſtaculum Converſionis &c. Ita veriſſimè Abbas, & Communis. Nam ſecluſo pacto, non eſt umbra Simoniæ, ſed opus magnæ miſericordiæ, auferre tale impedimentum; dummodo abſit periculum fictæ converſionis, importunitas nimia, & vis moralis. Aliud enim eſt dare quid cum pacto expreſſo vel tacito, ita ut qui recipit, ſe obliget vi accepti; aliud dare ſimpliciter in eleemoſynam, in ſignum amicitiæ, aut ut alter bene affectus reddatur, ſícque inducatur ad bonum, ſive præcepti ſit, ſive conſilii.

2 Secundò. Dare quid de præſenti, petendo ut alter ſpirituale quid faciat in bonum animæ ſuæ, ſanctum eſt, ſi donatio abſolutè fit, ita ut alter, licèt ſtatim rem acquirat, non ſtatim maneat ſimpliciter obligatus ad petitum bonum. Nam abeſt propria conditio, cùm donatio ex tunc valeat; & modus qui additur, non eſt modus inducens obligationē, ſi non impleatur: ergo actio non eſt mala ſed bona ex fine. Eſtque inſolentiſſimum, omnia facta damnare, quæ quandam pacti imaginem habent, & tamen ſine ſcrupulo fiunt à piis fidelibus, doctis & indoctis.

Sic mater dat munuſcula filio, ut confiteatur &c. non intendens apponere propriam conditionem, ſed modum, ſeu potiùs explicans intentionem ſuam. Imò licitum eſt obligare ſub disjunctione vel ad Religionem, vel ad reſtitutionem accepti, ut eſt caſus practicus, cùm pauper alitur in ſtudiis ob dictum finem: & in c. 2. de Condit. appoſ. ſimiliter approbatur manumiſſio ſub ſimili conditione, & non aliàs. 3

Con-

Conditio enim gratuita eſt, ſi relinquitur optio Promiſſario, eíque puræ benevolentiæ & liberale quid: ſecùs verò eſt, ſi inducit abſolutam & determinatam obligationem ad aliquid difficile, licèt utile.

4 Tertiò. Promittere quid ſub conditione expreſſa Religionis, licitū eſt, quando ex parte Promiſſarii nulla oritur obligatio ad ingreſſum ejus. Nam licet dare cum intentione alterū inducendi ad opus pium; ergo etiam licet exprimere intentionem: ergo & obligare ſe ad eam implendam. Sic juxta Communiorem valet legatum annuum, ſi Titius fiat Religioſus, facitque d. c. 2. Solùm enim reſtringitur donatio, & non fit amplior, ut ſi damnato ad mortem datur optio baptiſmi; ſi ſervus affligitur (intra limites juſti) ut vexatio det intellectum. c. *Qui ſincerâ*. d. 45. nam dominus utitur jure ſuo. Sic Canditato promittitur ſuſceptio, ſi ſe idoneum reddat, & infideli Matrimonium, ſi convertatur.

5 Quartò. Dare vel promittere, ut alter determinatè obligatus maneat ad Fidem &c, licitum non eſt, nec labe caret Simoniæ. Ita præcipui Doctores Theologiæ, Canonum & legum, S. Thom. Abb. Bart. cum multis ſequacibus, & ideò durum eſt in re gravi ab iis recedere. Idem traditur in c. *Quàm pio*. 1. q. 2. & pacta generaliter reprobantur in ſpiritualibus c. ult. de Pactis, c. *Quæſitum*. de Rer. permut. Et aliàs ſimiliter liberalis dici poſſet donatio conditionata, ſi recipias Baptiſmum, ſi Petrum quem puto digniorem, eligas ad Beneficium, ſi patiaris te ordinari à promiſſore Beneficii. Nec eſt idem de promiſſionibus Parentum, ut de pinguiore hæreditate; nec enim vera pacta ſunt, juxta dicta ſuprà.

Dices. Promiſſio ſub conditione, quæ in favorem ſolius recipientis cedit, non cenſetur oneroſa, ſed merè gratuita: quia liberaliter fit, quod fit gratiâ alterius, & non gratiâ ſui; nec emit, niſi qui recipit aliquid à vendente; nec vendit, qui nihil dat alteri, ſed ſibi tantùm operatur. R. ſufficere obligationem eſſe reciprocam, ut pactum ſit oneroſum. Nec refert materialiter nihil recipi, quia ſatis eſt emi alterius voluntatem, ejúsque effectum; ſeu ut faciat, quod emens vult v. g. baptizari tertium; aliàs receptio Sacramenti, dato pretio recipienti, non eſſet materia Simoniæ. 6

Nec dicas, obligationem poſſe emi ſine Simonia, nam illa hîc non ſeparatur ab actu quoad emptionem, ut quæ ad aliud non tendit, quàm ut fiat actus; nec obligatio æſtimabilis eſt aliâ ratione, nec etiam inducit alia incommoda, vel onera temporalia & accidentaria, ob quæ æſtimari poſſit. Et aliàs poſſet dicta obligatio emi etiam in meam utilitatem ſpiritualem, ut 7

in caſu d. c. *Quàm pio*: ſicque aperitur janua ad omnem Simoniam; ergo prætextus inanis & frivolus eſt.

CAPUT XVII.

An ingreſſus Religionis ad Habitum vel Profeſſionem ſit materia Simoniæ?

1 Primò. Religio non poteſt emere perſonam. Ita c. *Quàm pio* 1. q. 2. Nam pecuniâ emere propriam utilitatem ſpiritualem, planè Simoniacum eſt: & qui ſic vendit, vel locat ſe ad ſpirituale Miniſterium, vendit Miniſterium ipſum. Titulus autem compenſandi damna, quæ alteri Monaſterio proveniunt, per accidens eſt; & tenet, ſi damnum eſt merè temporale, nec ullo modo ex connexione ad ſpirituale.

2 Secundò. Ex natura rei Simoniacum eſt vendere ingreſſum ad Habitum vel Profeſſionem. Nam res eſt ſpiritualis, & ex parte principii, qui eſt Spiritus Sanctus, & ex parte finis proximi & per ſe, qui eſt cultus Dei, & ſpiritualis profectus ingredientis. Ubi autem unum eſt propter alterum, ibi eſt unum tantùm: ergo perinde eſt recipi ad Habitum, ac recipi ad Profeſſionem, nec ille niſi ab hac æſtimationem habet, computatûrque ut via ad terminum; ergo ut iſta, ita ille ordinatur ad ſalutem ſpiritualem. Denique venditio fit, ſiquid datur cum pacto reciproco, juxta dicta cap. ſup. nec illi, qui quoad baptiſmum contrarii ſunt, audent opinionem extendere ad præſens, quamvis revera ratio eadem ſit.

Tertiò. Neque ex natura rei, neque ex Jure poſitivo illicitum eſt, recipere quid pro ſuſtentatione perſonæ, ſuppoſitâ verâ indigentiâ Monaſterii. Conſtat ex dictis de Matrimonio, nam etiam in præſenti fit contractus humanus, habens onera temporalia annexa, nempe alendi perſonam; & ita ſub hac ratione eſt quid pretio æſtimabile, ſeu caſtiùs loquendo, indigens temporali ſubſidio. Sic pro Ordine nihil datur, & tamen conferri nequit niſi habenti ſufficientia ad ſtatum. Trid. ſ. 21. c. 2. de Reform. 3

Quartò. Simonia eſt exigere temporale titulo ſuſtentationis, ſi Monaſterium dives eſt. Nam reditus Eccleſiaſtici debent expendi gratis in his, ad quæ per Eccleſiam deſtinantur: at Eccleſia vult, ut reditus Monaſterii conſumantur in perſona alenda; nec tantùm ratione injuſtitiæ, quæ in oppoſito eſt, id vult, ſed intuitu Religionis, ne ſacer ſtatus vendi videatur. Sic ſi Epiſcopus nollet ordinare habentem Beneficium, niſi ad titulum Patrimonii, utique eſſet Simoniacus, 4

nec

nec conſuetudo ſiqua eſt, probari poteſt; quia eſt vera corruptela.

5 Dices. Simpliciter reprobari pacta c. *Nullus.* 1. q. 2. c. *Non ſatis.* c. *De Regularibus:* c. *Veniens.* c. *Quoniam.* c. *Audivimus.* de Simon. & X. 1. eod. ibi: *omniq́ue pacto ceſſante.* R. Jura ſolùm prohibere, ne quid recipiatur pro Beneficio ſpirituali, non verò attento onere alendi, quod Religio ex propriis ferre nequit. Secùs enim vanus eſt prætextus paupertatis, vel titulus coloratus, ſi plus, quàm pro una perſona ſufficiat, exigatur. Nec d. X. 1. novam prohibitionem fert, ſed innovat antiquam 1. q. 1. ubi ſolùm, quæ intrinſecè mala ſunt, damnantur; nec etiam S. Thomas, Navar. Soto &c. pactum excludunt de ſuſtentatione.

6 Nam expenſas ejus petere, eſt plus quàm pactum explicitum; quid enim fit aliud in petenda dote Matrimonii? Nec qui dat, ſponte dat, ſed ex neceſſitate, quia aliàs non recipitur: & ſi non ſtatim dat, debet cavere per inſtrumentum. Et quid eſt, quod juxta cit. Doctores non prohibet Eccleſia circa ingreſſum Religionis? an datio purè ſpontanea, an exactio dotis? Non primum, quia nemo ſomniavit de prohibitione illius. Si ſecundum, ergo pactio fit. Solùm ergo prohibetur exactio rerum non neceſſariarum, ut ſunt paſtus, prandia &c. in quibus ſaltem modus petendi ſervandus eſſet, qui præſcribitur d. c. *Ad Apoſtolicam.*

Si autem hæc propter conſuetudinem recipiuntur, exceſſus non erit contra jus Divinum, & ex conſuetudine tolerari poteſt; præſertim quia aliquo modo reducitur ad neceſſaria, juxta dicta tom. 5. Et Trident. ſ. 25. c. 16, de Regul. permittit ſuſtentationem pro Novitiatu: & c. 3. de Reform. vetans plures recipi, quàm ali poſſint *ex conſuetis eleemoſynis.*, ſub his comprehendit dotem. Nec enim veriſimile eſt, Eccleſiam præcluſum velle aditum virginibus; & Prælati videndo & tacendo habent conſuetudinem pro rationabili, imò per ſe neceſſariam moraliter, & quæ non deroget Juri, ſed id interpretetur. 7

CAPUT XVIII.

An Functiones Superaturalis Doctrinæ ſint materia Simoniæ?

1 Primò. Docere Theologiam ſive Poſitivam ſive Scholaſticam, Speculativam vel Moralem, non eſt materia Simoniæ. Nam ſolùm Magiſtri labor venditur, non aſſenſus diſcentis; éſtque naturalis, & naturali modo cooperans, ad quod ſufficit peritia naturalis ſine charitate. Nec labor per ſe ordinatur ad ſalutem audientis, ſed tantùm ad manuducendum intellectum ad quandam intelligentiam, ſine qua poteſt eſſe

ſalus, & cum qua ſtat perditio. Denique per ſe non movet ad ſupernaturalem affectum diſcipuli, ſed tantùm dirigit diſcurſum, ut naturaliter ab eo fieri poteſt, & per induſtriam hominis juvari: ergo nec vi principii, nec vi termini actio eſt ſupernaturalis.

2 Dices: Theologicam ſcientiam certiorem eſſe quàm naturalem; nec Hæreticum tam firmum in ea poſſe eſſe, quàm eſt Catholicus: quia qui in Principiis nutat, etiam in Concluſione formidet neceſſe eſt; nec concluſio certa eſſe poteſt ex objecto, niſi fundetur in Principiis Fide Catholicâ creditis. R. certitudinem majorem dictæ ſcientiæ non eſſe ex vi diſcursûs tantùm, ſed etiam ex voluntate captivante intellectum in obſequium Fidei. Hic autem modus aſſentiendi nec ad docendam, nec ad diſcendam Theologiam neceſſarius eſt, quia docens inſtruit tantùm, non movet.

3 Rurſus Actus Theologicus ſolùm eſt certus certitudine naturali, quia licèt ſupponat Fidem, non procedit ab ea, ut ſupernaturali, ſed ſolùm ut ab aſſenſu abſolutè certo, vel (& in idem redit) ut modificato per principium naturale, & ſequendo debiliorem partem. Sic qui habet donum Linguarum, poteſt has pro pretio docere, utpote operans virtute naturæ tantùm, quia donum non concurrit aliter, niſi ut peritia naturaliter acquiſita.

Secundò, Vendere Licentiam docendi vel Gradus Theologiæ, aut munus eam docendi, Simoniacum non eſt, per ſe loquendo. Nam vendere ſuffragium in oppoſitione ad Cathedram, injuſtum eſt quidem, nemo tamen dixit, eſſe Simoniacum. Idemque eſt de Rege vel Patrono vendente, licèt turpe lucrum ſit, juxta Communem in c. 2. de Magiſtr. Quòdſi Licentia datur per poteſtatem Eccleſiaſticam, abuſus hujus rectè dicitur Simoniacus, non verò uſus illius; ſicut cùm pro pretio diſpenſatur Clericus ad officiũ Medici, diſpenſatus accipere pretium poteſt pro opere officii. 4

Similiter Gradus Theologiæ non eſt magis ſpiritualis, quàm doctrina ipſa; & Jura cùm prohibent exactiones pro recipiendis perſonis ad munera c. *Cùm in Eccleſia*, cum ſimilibus de Simon. tacent de Gradibus. Nec exceſſus taxæ juſtificari poſſet titulo ſuſtentationis; nec Gradus eſt principium actûs docendi, & ideò non mutat naturam ejus. Nec refert, quòd proveniat ab inſtitutione Pontificiâ, nam hæc extenditur etiam ad temporalia, cùm conferunt ad ſpiritualia. Sic Beneficio annecti poteſt officium OEconomi, Theſaurarii, dando reditus & ut ſtipendium operis ſpiritualis, & ut pretium oneris temporalis. 5

Tertiò. Conſilium Theologicum, ſi ſiſtit in pura inſtructione intellectûs, vendi poteſt. Nam talis inſtructio non eſt minùs naturalis, 6

quàm

quàm ſit in materia ſpeculativa, & æquè parta labore humano, ac directè ordinata ad informandum intellectum. Nec mutat naturam operis, quòd alter rem ordinet ad pacandam Conſcientiam; idem enim reſponſum dari poſſet nunc ex Philoſophia Morali, nunc ex Jure Canonico vel Civili: idémque erit, eſto alter ſolùm reſcire velit opinionem meam de contractu, v. g. an ſit, nécne Uſurarius; vel ut ſit inſtructior ad audiendas confeſſiones, ad publicè docendum: ergo ſi pro publica doctrina poteſt peti compenſatio laboris (ſive tunc, ſive antè impenſi pro tali caſu) etiam pro privata poteſt.

7 Quartò. Secùs eſt de Conſilio Spirituali. Nam hoc magis pendet ex donis ſpecialibus Spiritûs Sancti, ut cùm pertinet ad diſcretionem Spirituûm, ad judicandum de Vocatione, de modo orandi, meditandi, tentationes vincendi &c. Quamvis enim doctrina ad hæc juvet, tamen magis facit experientia; pertinéntque hæc ad Gratias gratis datas: & ideò nemo timoratus audet pro his retributionem petere.

8 Quintò. Actus concionandi vendi nequit. Ita omnes Theologi & Canoniſtæ. Nam verbum Prædicationis eſt verbū Dei prædicatum ab hujus Legato, juxta illud: *Euntes prædicate &c.* ergo Deus eſt principalis operator, & homo inſtrumentum tantùm operis; & ideò adulterans illud, ſacrilegus eſt. Dein quod maximè intenditur eſt, inflammare ad amorem Dei, ad Pœnitentiam &c. &c quod maximè opus eſt Spiritûs Sancti, quia *neque qui plantat neque qui rigat, eſt aliquid &c.* ergo actus pertinet ad Gratiam excitandam; totámque æſtimationem, quantùm ad proprium effectum, habet à Spiritu Sancto. Unde eodem contextu dicitur Matth. 10. *Euntes prædicate &c. Infirmos curate &c. gratis accepiſtis, gratis date*: at prædicatio immediatiùs tendit ad ſalutem, quàm gratia ſanitatum: ergo æquè ac iſta gratis impendi debet.

9 Sextò. Idem eſt de Catechiſmo, ſi fit modo perſuaſivo, ut eſt ordinarium; & à fortiori, ſi proponitur Infideli, perſuadendo credibilitatem Fidei. Tunc enim ſine dubio opus eſt Spiritûs Sancti; & quoad modum priorem eadem eſt ratio, quæ de Concione. Secùs verò ſi fit ſolùm ad memoriam juvandam & excitandam, in rigore non eſt materia Simoniæ. Quòd ſi in baptiſmo fit, conſtat, eſſe miniſterium Eccleſiaſticum.

CAPUT

CAPUT XIX.

An actus pertinentes ad Jurisdictionem Fori interni ſint materia Simoniæ?

Primò. Multis modis committi
1 poteſt Simonia in Sacramento Pœnitentiæ, de cujus valore ſpecialiter eſt Jurisdictio. De aliis Sacramentis conſtat eſſe materiam Simoniæ, cùm intrinſecè ſint uſus Ordinis, ſicut etiam in Pœnitentia, quamvis ſimul ſit uſus Jurisdictionis: conſtátque apud omnes, non magis hunc vendi poſſe, quàm ipſúmmet Sacramentum. Igitur Simonia eſt vendere vel emere Jurisdictionem Delegatam, ſive ex parte Confeſſoris fiat, ſive Pœnitentis. 2. Si pretium datur pro augenda vel minuendá Pœnitentia. 3. Pro denegatione Abſolutionis. 4. Pro Abſolutione. c. *Nemo.* de Simon. 5. Pro auditione Confeſſionis; nam eſt actus Clavium.

Dices. Abſolutio indigni nihil
2 eſt, ergo vendi poteſt. ℞. Sufficere uſum, ſeu potiùs abuſum poteſtatis, quâ quis quantùm eſt in ſe, abſolvit. Sin fictè abſolvat, adhuc alter quantùm in ſe eſt, emit Sacramentum; fitque cum illo Simonia Conventionalis, quidquid ſit de effectu. Quòdſi ambo colludunt, ſolùm ad rem palliandam, in re quidem nil ſpirituale venditur; at pactio eſt injurioſa ſacro muneri, quod ſic vileſcit palliando fraudem, & conſequenter malitia reducitur ad Simoniam, quamvis perfecta non ſit.

Secundò. Simonia ſit abſolvendo à Cenſura pro pretio. Nam eſt 3
actus valde ſpiritualis, & ex parte principii ſeu poteſtatis, & ex parte finis; nam ordinatur ad ſalutem animæ. c. *Nullus.* 124. 1. q 1. c. *Ad aures.* & c. *Ad Noſtram* de Simon. Ubi generalis prohibitio ſit reſpectu Miniſterii Eccleſiaſtici. Quòdſi ob vexationem injuſtam datur pretium, ex natura rei non ſit Simonia, cùm id detur ad tollendum pravum affectum: éſtque licitum, ſi urget neceſſitas v. g. Electionis. At ſeclusâ hac, ſpecies mali vitanda eſt, quia tunc ſolùm redimitur carentia Abſolutionis, & conſequenter emi videtur ipſa abſolutio.

Tertiò. Conceſſio Indulgentiarum materia eſt Simoniæ. Ita omnes pro comperto ſupponunt. Nam 4
contributio temporalis ſolùm exigitur, ut opus pietatis, ſive publicum, ſive eleemoſynæ communis; nec applicatur danti Indulgentias, ſed ab hoc imperatur ad dictas cauſas. Sic nec aliæ gratiæ ejus temporis vendi poſſunt, ut Diſpenſatio vel Comutatio Voti, poteſtas in reſervata &c: ſic imagines, grana, cruces &c. vendi nequeunt cariùs, quàm ratione mate-

materiæ & expenſarum ; ſempérque vitandum eſt ſcandalum, ſpecies turpis lucri &c.

5 Quartò. Idem eſt de omnibus licentiis vel quaſi diſpenſationibus, quas Parochi faciunt; ut quoad Jejunia, Feſta &c. Sive enim fiant per proprium actum Jurisdictionis, ſive per authenticam declarationem, conſtat comprehendi ſub Miniſterio Eccleſiaſtico, propter quod recipitur ſtipendium competens. Idem eſt de aſſiſtentia Parochi ad Matrimonium, vel licentiâ aſſiſtendi ; nam illam requirit ratio Sacramenti, non contractûs, ut in Teſtibus; ſícque eſt actus proprii Officii ſpiritualis, & conſequenter ſpiritualis eſt, ſaltem ut annexus Sacramento, ſuppoſito præcepto Eccleſiæ : ergo ſub generali regula comprehenditur, ne pretium accipiatur pro adminiſtratione Eccleſiaſtica. c. *Ad audientiam.* c. *Conſulere.* eodem.

CAPUT XX.

An Actus Eccleſiaſticæ Jurisdictionis Fori externi ſint materia Simoniæ?

1 Primò. Actus communicandi talem Jurisdictionem ex natura rei eſt materia Simoniæ. Nam vendere actum, quo res traditur, aliud non eſt, quàm vendere rem traditam, & è converſo res non venditur, niſi vendendo largitionem ejus; nec iſta pretio æſtimatur, niſi quia illa æſtimatur: ergo ſi unum æſtimatur aut venditur, etiam alterum. Dein vel pro pretio datur Jurisdictio ordinaria, vel delegata? Si primum, ergo venditur Dignitas, Beneficium &c. Si ſecundum, Jurisdictio proximè & in ſe commiſſa, eſt invendibilis, ut ſentiunt omnes in c. 1. 2. & 3. Ne Præl. Vic. &c. c. *Ad noſtram.* de Simon. c. *Licèt.* de Pœnis.

2 Confirmatur inductione ; nam pro pretio (ſecùs eſt de ſtipendio) Vicarius Epiſcopi, Parochiæ, Capellanus etiam ad nutum amovibilis &c. &c. conſtitui non poſſunt. Idem eſt de Jure eligendi ad Beneficia &c. ut eſt certum apud omnes; nam & ſpectat ſuo modo ad poteſtatem Jurisdictionis ſpiritualis, & tota ratio æſtimandi eſt Beneficium, ad quod ordinatur Electio, Inſtitutio, Collatio &c. ergo ſi dictum jus venditur, eſt propter actum, & hic propter effectum, qui ſpiritualis eſt. Conſtátque de ſingulis actibus ex c. *Matthæus* de Simon. c. *Transmiſſa.* de Elect. c. ult. de Transl. Epiſc.

Secundò. Omnes actus Jurisdictionis Voluntariæ, quatenus ad effectum ſpiritualem ordinantur, materia ſunt Simoniæ. Ita d. c. *Ad noſtram.* & c. *Conſulere.* c. *Nemo Presbyterorum.* de Simon. Trid. ſ. 24. c. 5. de Ref. & ſ. 25. c. 18. de Ref. conſtátque apud omnes de Diſpenſatione voti in lege Eccleſiaſtica, Irregulari- 3

laritate, Impedimento Matrimonii, relaxatione Juramenti. Sunt enim diactus ſpirituales & ex parte principii, & ex parte finis, tollendo vincula Conſcientiæ, ut in terra, ita & in cœlo; conſequenter intrinſecè ordinati ad ſalutem, Idémque eſt de litteris Dimiſſoriis Trid. ſ. 21. c. 1. de Ref. Privilegiis &c. Nam vel diſpenſationes ſunt, vel eas virtute continent, vel eandem rationem habent,

4 Tertiò. Quòd ſtylo Curiæ Romanæ quid exigatur à Dataria &c. nec Jure Divino, nec humano prohibitum eſt. Nam Pontifex exigere poteſt ſuſtentationem perſonæ, vel onerum ſtatûs, prout expedire judicat. Dein rectè fit in Diſpenſationibus potiùs, quàm aliis gratiis: quia ut odioſæ, fieri debent oneroſæ, & eo magis, quo difficiliores ſunt. Sæpe etiam applicatio fit ad opus pium, ſícque commutando, non diſpenſando. Rurſus in pœnam delicti idem fit, ut in Irregularitate, impedimento ex illicita copula.

5 Denique per ſe malum non eſt petere quid pro Officialibus, & eorum labore, etiam in concedendis Indulgentiis. Nec c. 1. de Simon. c. *Sicut Epiſcopum.* 1. q. 2. Trid. ſuprà extendi debent ad omnia, cùm odioſa ſint, & ſaltem conſuetudo prævaluerit, utique non Simoniaca, cùm à tot Pontificibus, non tantùm piis & timoratis, ſed etiam Sanctiſſimis & doctiſſimis tolerata & probata ſit. Ipſúmque Trident. ſ. 21. c. 5. de Refor. diſtinguit inter Diſpenſationes, *quæ gratioſè conceduntur*, & alias; utique quòd hæ onerari poſſint.

Quartò. Epiſcopi obligantur, ne quid exigant in Gratioſis. Ita Trid. ſ. 25. c. 18. de Refor. Nec enim per particulam *Gratis* ſolum pretium voluit excluſum, ſed onus quodlibet cedens in utilitatem diſpenſantis: quia de priore non erat opus admonitione, ſed quoad poſterius rectè proviſum eſt de redditibus. Unde etiam ceſſat ratio ſalarii pro Officialibus, aliàs onus virtute vertitur in rem Epiſcopi. Tamen in his multùm valet conſuetudo, cùm in particulari nihil diſpoſitum ſit à Jure, præterquam quòd & puniri poſſit culpa, & ubi Commutationi locus eſt, juſtè negetur Diſpenſatio; dummodo ſpecies mali ceſſet, applicando, quod petitur, cauſæ piæ &c. 6

Quintò. Actus Jurisdictionis Contentioſæ & involuntariæ ſunt materia Simoniæ. Patet de Viſitatione c. *Cùm venerabilis.* c. *Procuratores.* de Cenſ. c. 1. & 2. eod. in 6. Trid. ſ. 24. c. 3. de Reform. de actu Judicii, uſque ad prolationem ſententiæ. c. *Vendentes.* 1. q. 3. c. *Nemo.* c. *Ad aures.* c. *Ad audientiam.* de ſimon. c. *Cùm ab omni.* de vit. & honeſt. &c. Nam poteſtas, quæ in his exercetur, eſt ſupernaturalis, & gratis data: ergo etiam exercenda gratis vi ſuæ inſtitutionis. 7

Sextò. Probabilius eſt, actus Juriſdi- 8

riſdictionis formaliter Eccleſiaſticæ (ſecùs eſt de Politica annexa) ut proximè verſatur in materia Politica & humana, eſſe materiam Simoniæ, Ita Gl. c. 2. Ne Præl. vices &c. Abb. Aret. Joan. Andr. Cardin. dicentes, Simoniacè vendi licentiam v. g. ſtudendi Legibus. Non enim refert, materiam eſſe temporalem, ſed attendenda eſt, ut cadit ſub dictam Jurisdictionem, quia ſub hanc non cadit, niſi ut ordinata ad aliquem finem ſupernaturalem, & ad eum aliquo modo conferens: ergo actus & ex parte finis & principii eſt ſupernaturalis. Adde judicium de crimine Clerici ſemper eſſe accomodandum decentiæ ſtatûs.

CAPUT XXI.

An labor corporalis in opere ſpirituali, & obligatio ad hoc ſit materia Simoniæ?

1 Primò. Labor, qui ſolùm ſe tenet ex parte ſubjecti ſeu operantis, non facit ad æſtimationem operis. Nam idem opus fodiendi terram uni difficile, alteri facile eſt; nec merx per ſe loquendo, plus valet, quia mercator cariùs emit; nec etiam apud Deum facilitas minuit meritum vel ſatisfactionem, cæteris paribus. At labor intrinſecus operi ſecundùm ſe ſpectato quaſi ex objecto, utique auget æſtimationem operis, ut patet ex communi æſtimatione, & modo loquendi.

2 Nam attenditur operis diuturnitas, moleſtia, defatigatio, licèt non ſint adæquata ratio æſtimationis; & qui locat operam intendit vendere laborem. Satiſque eſt, quod petitur, eſſe utile alteri & hic ſit cauſa laboris. Imò ſatis eſt, quòd labor ſit dignus æſtimatione, & quòd nolim illum præſtare ſine pretio, ſicque paciſcar, ſive inde proveniat alteri utilitas, ſive non; éſtque hoc in omni opere æſtimabili verum.

Secundò. Labor intrinſecus operi ſpirituali, eſt materia Simoniæ. 3
S. Thom. Cajet. Sot. Durand. Palud. Gabr. Abul. Victor. Hoſt. Innoc. Abbas, Zabar. Anan. Jo. Andr. Nam in profanis labor & opus non æſtimantur diſtinctis pretiis, ſed totum illud eſt unum opus talibus conditionibus affectum, quod omnibus penſatis tali pretio dignum habetur; ſicque labor non per ſe & ſeparatim æſtimatur. Igitur ubi ſubſtantia ipſa eſt invendibilis, etiam conditio ejus &c. Sicque pugnantia ſunt, ſpirituale opus vendi non poſſe, at laborem ejus; cùm iſte non vendatur niſi cum opere, ſeu ratione operis, nec hoc ratione laboris, ſi in ſe invendibile eſt.

Confirmatur ex c. *Si quis objecerit.* 4
1 q. 3. Nam corporale, quod conſequenter vel intimè conjungitur

 cum

cum ſpirituali, eoipſo eſt invendibile, & aliàs omne Miniſterium ſacrum vendi poſſet, quia nullum fit ſine actione corporali. Vel ergo petitur quid pro labore intrinſeco Miſſæ v. g. vel pro accidentario ſenis, tardi &c. &c. Si primum, venditur ipſum Miniſterium. Si ſecundum, pro illo nihil debeo; ergo pro intrinſeco cogor ſolvere.

5 Tertiò. Labor intrinſecus non tantùm eum comprehendit, ſine quo ſimpliciter fieri non poteſt opus ſpirituale, vel ex quo hoc quaſi intrinſecè componitur, ſed quidquid per ſe neceſſarium eſt ad tale Miniſterium, prout moraliter exerceri poteſt, ſive antecedat, ſive ſequatur. Nam aliàs peti poſſet pretium pro Miſſa cantata ut tali, pro itinere ad Eccleſiam toties repetito, pro fervore in concionando, ſtudio antecedente &c. Idémque eſt de ſtudio Judicis, lectione Actorum Viſitationis &c. quæ omnia aliena ſunt ab uſu Eccleſiæ, cùm labor nec æſtimationem, nec utilitatem habeat, niſi ratione Miniſterii ſacri, non verò ſeparatam.

6 Confirmatur: quia ut labor ſit accidentarius, non debet eſſe per ſe & moraliter ex vi Miniſterii, quod petitur, ſed aliunde: at ſtudium pro Concione per ſe neceſſarium eſt, ſicque totum, quod fit, cenſeri debet ſpirituale. Idem à fortiori eſt de labore, qui in ea fit; quod enim unus alio plùs fatigetur, non mutat naturam actionis, cùm ſit ex parte ſubjecti tantùm. Idem eſt de Miſſa cantata: aliàs Diaconus pretium petere poſſet, cùm tamen totum Officium ſit ſpirituale; ſecùs ac eſt de Cantoribus conductitiis, quia revera non exercent actionem ſpiritualem, nec in rigore recitant Officium Divinum vi ſui Miniſterii, ut Clerici cantantes in Choro: eſto mediâ nocte ſurgere, & multùm vigilare teneantur.

Quartò. Pro labore vel onere 7 propriè accidentario actioni ſpirituali poteſt peti pretium. Ita omnes. Exempla ſunt, ſi integra leuca conficienda ſit ad Miſſam, aut determinata ſemper hora ſit, aut nimia retardatio &c. Et uſu conſtat, quòd Sacerdotes locent operam ad Sacramenta miniſtranda; locatio autem æquivalet venditioni. Inſt. de locat. l. 2. ff. eod. Sic pro mutuo nihil accipi poteſt, at pro obligatione mutuandi.

Quintò. Pro obligatione ad ſpi- 8 ritualia, ut talia ſunt, non poteſt accipi pretium, ſecùs prout includunt aliqua corporalia onera, quæ per accidens ſunt ad ſpiritualia per ſe ſpectata. Hæc videtur eſſe mens omnium in hac materia, ut Abb. Innoc. Cajet. Nam ſi obligatio ſolùm attenta in ordine ad ſpirituale, venditur; ergo ſpirituale appretiatur, vel ut res vendita, vel ut ratio venditionis. Nec refert obligationem diſtingui ab actu; quia huic eſt

eſt annexa, & ut præcisè eum reſpicit, ab eodem æſtimationem recipit: ſecùs eſt de onere manendi in tali loco, privandi ſe commodis aliis &c. Anniverſaria autem rectiùs excuſantur titulo ſtipendii, quàm locationis, quia in re perpetua conſiderandum eſt, quod per ſe eſt, non quod per accidens.

CAPUT XXII.

An omiſſio ſpiritualium actuûm ſit materia Simoniæ?

1 Primò. Non eſt Simonia dare pecuniam, ut alter abſtineat ab actu ſpirituali, quem injuſtè vel ſacrilegè facturus eſſet. Ita omnes. Nam nec per ſe malum eſt, nec prohibitum. c. *Nemo.* de Simon. c. *Sunt quidam.* 125. 1. q. 1. Nec intentio ſolùm impediendi peccatum, Simoniaca eſt aut per ſe mala, imò bona, ſicut ſi precibus vel minis idem intenditur. Unde nec abſtinere à peccato pro pretio, Simonia eſt (quidquid ſit de injuſtitia vel turpi lucro) quia non venditur uſus doni ſpiritualis, ſed libertatis tantùm.

2 Secundò. In uſu negativo ſpiritualis Jurisdictionis per ſolam omiſſionem poteſt Simonia committi, ſi illa cenſetur moraliter provenire à Jurisdictione, & habere morales effectus illi proportionatos. Ita veriſſimè cum S. Thoma Theologi, & Juriſtæ cum Abb. in d. c. *Nemo*, unde optimè ſumitur aſſertio. Nam nomine actûs etiam omiſſio venit in uſu Jurisdictionis, ut conſtat de uſu ligandi in utroque Foro, quâ fit virtualis condemnatio.

Nec refert, quòd omiſſio nihil ſit, quia ſicut eſſe poteſt verè offenſiva Dei, tanquam vera & realis privatio actûs liberi debiti ineſſe; ita etiam eſſe poteſt vera & realis privatio uſûs debiti Jurisdictionis, cum vi morali ad plures effectus morales: quod ſufficit, ut dicatur actus ejus. Dein talis omiſſio non habet æſtimationem, niſi ut procedit à Jurisdictione: ergo cum illa etiam hæc venditur. Denique conſtat fieri injuriam & irreverentiam Eccleſiaſtici Judicii, quod virtute ſit venale venditâ condemnatoriâ. 3

Tertiò. Omiſſio actûs Spiritualis, ſi non ſit actus Jurisdictionis, non eſt materia Simoniæ, niſi intuitu alicujus boni ſpiritualis æſtimetur pretio. Exemplum eſt in actibus, qui à mera poteſtate Ordinis ſunt, aliiſque actibus Virtutis, ſive debiti ſint, ſive non. Nam omiſſio talis nec eſt actus Ordinis, nec virtutis, ſed purus uſus vel potiùs abuſus liberi arbitrii, aut Gratiæ ſpiritualis: quòd autem actus debitus ſit, non reddit omiſſionem magis ſpiritualem, ſed pejorem. 4

 Dixi,

5 Dixi, *ſi non ſit actus Juridictionis*: an enim ſit, ſumendum eſt ex effectu, ſi aliquis ſequitur. Ut ſi Parochus omittit Miſſam, ad quam ex officio tenetur, actio eſt injurioſa, non verò quaſi imperata vel elicita à Jurisdictione. Similiter ſi omittit audire Confeſſiones, ut dormiat, ludat, venetur, vendit tantùm negationem actûs Jurisdictionis, non autem uſum hujus. Secùs eſt, ſi Judex ob pecuniam tacet, ſicque tacitè condonat delictum, vel ſi dilationem permittit in damnum alterius, vel ſi negat licentiam ex juſtitia debitam, ne ſic ligatus alter jus vel remedium quærat. Et univerſim quoties negatio à Jurisdictio e vim accipit ligandi ſubditum, ne actum, quem legitimè poſtulat, exercere poſſit, moralis erit uſus Jurisdictionis, ut ſi Parochus neget licentiam alteri confitendi, aut ſi Parochianum reum celet authoritativè; ut non ſcribendo inter non Communicantes, ſicque ſubtrahendo eum Cenſuræ.

6 Secùs eſt, ſi aliàs celet, quem ex officio tenetur denuntiare; quia quòd agat contra Juſtitiam legalem, nihil facit ex poteſtate ſpirituali. Nec obſtat d. c. *Nemo* damnans pretium pro celatione, quia in priore parte verbum non fit de Simonia: & in poſteriore plus non refert particula *Simoniacum eſt utrumque*, quàm quod immediatè præceſſit, ſcilicet *dare* vel *negare* reconciliationem pro pretio: de quibus duobus caſibus utique alia ratio eſt, quàm de contentis in priori parte, nec illi pro uno reputari poſſunt. Novum autem non eſt, ut miſceantur, quæ ſolùm per analogiam ad eundem titulum referuntur. Denique jam oſtenſum eſt, quomodo celatio non quidem formaliter, ſed virtute contineatur ſub dictis duobus membris.

Quartò. Examinatores per Simoniam dant vel negant approbationem pro pretio. Nam licèt propriam & rigoroſam Jurisdictionem non habeant, participant aliquo modo poteſtatem Epiſcopi in Miniſterio Eccleſiaſtico. Et omiſſio approbandi eſt authoritativa, cùm vim habeat declarandi examinatum, ut indignum Ordine; ſicque procedat à munere Eccleſiaſtico. 7

Quintò. Licèt omiſſio non ſit actus Jurisdictionis, tamen ſi pro pretio fit intuitu rei ſpiritualis, Simoniaca eſt. Non enim Simonia ſolùm eſt in pretio, cùm pro hoc datur ſpirituale, ſed etiam cùm ſpirituale eſt ratio appretiandi, ut ſi Calix propter Conſecrationem cariùs venditur. Exemplum eſt, ſiquis ſe non opponat, ut certior ſit electio alterius (arg. d. c. Si *Matthæus*) ſi appretiet lucrum ſpirituale ceſſans ex omiſſione Miſſæ. Jam enim quantùm ex parte Dei eſt, accepit lucrum, ſi bene facit jacturam ejus, v. g. relinquendo 8

do otium ſpirituale propter juvandum proximum in temporalibus, quia compenſabitur; ergo gratis jacturam pati debet.

CAPUT XXIII.

An quod ſpirituale non eſt niſi quia annexum ſpirituali, materia ſit Simoniæ?

1 Primò. Triplex annexio eſt rei temporalis cum ſpirituali. Nam alia antecedenter, alia concomitanter, alia conſequenter annexa ſunt ſpiritualibus. Antecedenter quidem, cùm materia temporalis antecedit ſpiritualitatem, ut in Calice, vaſis ſacris &c. Concomitanter, cùm temporale intimè conjungitur ſpirituali, & quaſi eſſentiale huic eſt: nulla enim functio ſpiritualis fit niſi per actionem materialem. Conſequenter denique annexum eſt, cùm præſupponitur ſpirituale. Sermo autem eſt de per ſe connexis ſpirituali, ſaltem communi Jure; ſi enim ſolùm per accidens conjungitur, ſive antecedat, ſive comitetur, ſive ſequatur, ſimpliciter temporale eſt, & ut tale æſtimari poteſt pretio.

Secundò. Regulæ de ſic per ſe connexis ſpirituali concludi poſſunt ex hucuſque diſputatis. Nam annexum ſpirituali quatenus tale, ſeu ratione annexionis, quam habet cum ſpirituali, vendi nequit, juxta omnes. 2do. Annexum concomitanter vendi nequit ullo modo, ut actio materialis in Sacramento, labor intrinſecus &c. 3tio. Annexum antecedenter per ſe ſpectatum vendi poteſt, etiam ſuppoſitâ annexione, non tamen ratione illius. 4to. Annexum conſequenter vendi non poteſt c. *Siquis objecerit.* 1. *q.* 3. 2

CAPUT XXIV.

An Beneficia Eccleſiaſtica ſint materia Simoniæ Jure Divino, vel Eccleſiaſtico?

1 Primò. Beneficium deſcribi poteſt, quòd ſit *Jus perpetuum miniſtrandi in Eccleſia, & pro Miniſterio recipiendi fructus annuos ex Eccleſiaſticis bonis,* Quantùm ad vocem, quod olim dicebatur *Epiſcopatus. Abbatia, Eccleſia.* c. 1. 13. q. 1. c. 1. d. 21 & c. *Videntes.* 12. q. 1. per accommodationem in Conc. Mogunt. c. 1. de Eccl. ædif. dici cœpit *Beneficium,* ſignificando Titulum ſeu Jus Eccleſiaſticum ordinatum ad præſtanda ſpiritualia, cum jure recipiendi eo titulo fructus annuos ex Bonis

nis Eccleſiaſticis. Sicque Beneficium eſt quid compoſitum ex utroque Jure, & unum quid ex Officio & Præbendâ.

2 Secundò. Diſtinctio Beneficiorum non ſumitur ex ratione Præbendæ, ſed ex titulo ſpirituali. Nam materiale eſt, an fructus ſint ex Decimis, an ex prædiis &c. Vi tituli autem aliud Beneficium eſt ſimplex, aliud Curatum, aliud habens Juriſdictionem Forenſem &c. Et Titulus ſemper eſſe debet ſpiritualis, c. *Dilecto* de Præbend. & ideò conferri non poteſt Beneficium niſi Clerico. c. *Clerici.* 1. q. 2. c. *Quam ſit grave*, de Decim. c. *Cauſam*, *quæ.* de Præſcript. Præbenda autem ut notat Innoc. c. *Majoribus.* de Præb. eſt nomen juris, quia non ſignificat ſolam Temporalitatem, ſed ut annexam Titulo ſpirituali, & ideò etiam ipſa dicitur ſpiritualis d. c. *Dilecto*, l. *Quæ Religioſis.* ff. de Rei Vend.

3 Tertiò. Beneficium, quantùm ad Titulum, Jure Divino eſt invendibile. Non enim refert, quòd ſit ex inſtitutione Humana, ut patet in Sacramentalibus. Dein vel eſt Juriſdictio Eccleſiaſtica, vel Cura Animarum, vel Adminiſtratio Spiritualis aut functio: poteſtas autem ad hæc manat ab ipſo Chriſto; nec inſtitutio quoad Titulum aliud eſt, quàm communicatio poteſtatis à Chriſto datæ, cùm hujus participatio per Beneficium confeatur. Si autem abeſt dictus Titulus; ergo Beneficium non eſt, ſed merum jus temporale ad bona Eccleſiaſtica.

Quartò. De facto vendi nequeunt Beneficia, etiam reſpectu habito ad temporale emolumentum. 4
Ita omnes Theologi & Juriſtæ ex c. ult. de Pact. c. *Super eo.* de transact. c. *Querelam.* c. *Tua nos.* cum ſimilibus de Simonia. c. un. Ut Benef. Eccl. & c. *Siquis objecerit* cum aliis. 1. q. 3. Negat verò communis Canoniſtarum, Felini, Decii, Julii Clari, Nav. &c. eſſe de Jure Divino. Quia Jura ſunt diſtincta, & in re ſeparabilia. Licèt autem non ſeparentur in traditione, ſatis ſeparantur per intentionem, ut in Calice, ſiquidem plus non petitur, quàm materiale valeat.

Quintò. Præbenda niſi ſeparata à 5
Titulo, invendibilis eſt Jure Divino, Ita Theologi, Abb. & Covar. Sumitur ex d. c. *Siquis*, quia non agit de connexis concomitanter, ſed expreſſè de Beneficiis; nec ex præſumptione tantùm Juris, ſed juxta veritatem, dicens *penitus deſipere* ſentientes contrarium. Adducit etiam exemplum de corpore, quod ſine anima non vivit: ergo agit de temporali, quod non niſi per ſpirituale comparari poteſt; ſicque tenet, quòd unum vendens *neutrum invenditum derelinquat.*

Nam fundamentum proximum 6
juris ad temporale eſt functio ſpiritualis, ratione cujus debetur ſtipendium: ergo id jus immediatè eſt ſpiri-

ſpirituale, & per hoc tranſit ad temporale, tanquam acceſſorium & conſequens ex priore, quod ſemper reſpicitur ut comparandũ titulo ſpirituali; & ut ſic ſpiritualequid eſt, d. c. *Dilecto*. Eſt autem impoſſibile, vendere relationem ex fundamento reſultantem, & non fundamentum ipſum, aut ſimilitudinem imaginis meæ, & non artefactum. Rurſus Beneficiatus non habet jus ad reditus, niſi ut habet jus miniſtrandi, ſicque & non aliter conſequendi proprium & formale jus ad illos: ergo vendere jus radicale ad hoc, eſt vendere miniſterium, ut multa Jura clamant 1, q. 3. & c. *Ex diligenti.* de Simon. Ibi. *Cùm hæc Divinis & humanis legibus contraire noſcantur.*

7 Sextò. Pontifex poteſt ſeparare Præbendam à titulo ſpirituali. Ita fatentur omnes; & patet, cùm fructus ſic ſeparati dantur Laico, extincto ſimpliciter onere ſpirituali, aut cùm penſio imponitur, ſic ſeparando à priori titulo ſpirituali. Non enim petitur ex bonis Beneficiarii, ſed Eccleſiæ; & ille tantùm eſt adminiſtrator. Neque hîc eſt umbra venditionis, cùm Papa non agat ut Dominus, ſed ut ſupremus Diſpenſator bonorum Eccleſiæ.

8 Similiter ergo poteſt Papa, cùm dat Beneficium oneratum, æſtimare valorem Penſionis, & illum ſimul recipere, utique mediante ſeparatione virtuali. Ad ſic enim dicendum cogit uſus dandi Clericatum Cameræ & ſimilia, quæ indubitatò Beneficia ſunt. Ratio autem eſt ex dicta ſeparatione, quia Beneficium & Penſio non miſcentur, ſed ſimul fiunt per concomitantiam duorum contractuum; ut ſi nolo mutuare, niſi alter de præſenti vendat triticum, quia vendere rem non eſt æſtimabile ſpeciali pretio, magis quàm mutuum; ſicque licitum eſt id petere, S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 4. Igitur propriè non venduntur dicta officia, ſed Penſio ſeparata ſimul & imponitur, & redimitur.

Septimò. Pontifex nullâ factâ ſeparatione formali vel virtuali, non 9
poteſt exigere pecuniam dando Beneficium; conſequenter abſolutè loquendo, Beneficium vendere nequit. Conſtat totum ex dictis, & ita conciliantur opiniones in ſpeciem oppoſitæ. Exemplum eſt in permutatione; nam Pontifex concedit, ut Penſione ſuper pinguius Beneficium impoſitâ, exceſſus temporalis compenſetur, illius tantùm ratione habitâ, ut quotidie fit: ergo poteſt concedere, ut certâ ſummâ æquivalente à principio datâ redimatur Penſio, utrumque ſimul concedendo & redemptionem & commutationem. Tunc autem fit virtualis ſeparatio rei temporalis à titulo ſpirituali.

Octavò. Epiſcopus non tantùm 10
vendere non poteſt Beneficium, ſed nec aliis modis vel titulis explicatis, pecuniam exigere etiam intuitu incommodi temporalis, loquen-

do per ſe. Non enim poteſt disjungere fructus à Titulo, c. un. Ut Benef. Eccl. c. *Prohibemus.* de Cenſibus. c. ult. 1. q. 3. c. *Majoribus.* c. *Vacante.* c. *Niſi* de Præb. ergo vendit Præbendam, ut annexam ſpirituali. Aliquando autem Penſionem imponere poteſt, ut tenet Gigas, Innoc. Imol. Felin. Anchar. Oldrad. Decius, Anton. Gambara, ut in caſu c. *Conſtitutus* de Relig. Dom. in caſu litis c. *Veniens.* c. *De cætero* de Tranſact. & fortè propter ſenium renuntiantis, qui diu ſerviit.

11 Nonò. Multò minùs perſona privata poſſidens Beneficium, poteſtatem habet ſeparandi fructus, etiam ſtando in Jure Divino tantùm. Nam ſemper deeſt poteſtas, ſicut & jus in fructus niſi mediante miniſterio: ergo hoc ceſſante, etiam illud ceſſat; ergo conductor, quocum contrahit Beneficiarius, ſolùm vice hujus colligit fructus, nec iſtos emit, niſi in ordine ad ſtatum, quem habent poſtquam ſunt percepti, & ſub dominio illius. Vel ergo contrahitur de toto valore Vitalitii cum tertio, cum animo cedendi Beneficium, vel cum Succeſſore? Si primum, injuria fit Parti deceptæ, vel Eccleſiæ, vel Succeſſori patienti vim. Si ſecundum, Simonia eſt vendendo fructus poſtea obtinendos mediante Miniſterio, cùm aliter transferri non potuerint.

Dices. Saltem æſtimabile eſt in- 12 commodum, quod patitur cedens Beneficio. R. fortè ita eſſe de Jure Divino, at non de Eccleſiaſtico. Nam aliàs infinitæ forent fraudes & Simoniæ, ſi remedium non eſſet poſtulandum à Prælato. Imò idem probabilius eſt etiam de Jure Divino, quia ſicut onus ceſſat, ita etiam commodum ceſſare debet. Secùs autem eſt de Parocho reſpectu Vicarii: nam ille ſemper retinet titulum, ergo ſemper ſe indemnem ſervare poteſt. Sylv. Ugolin.

CAPUT XXV.

An Præſtimonia ſint materia Simoniæ?

1 Primò. Præſtimonia, eoquòd ſolis Clericis conferri poſſint, non ſunt materia Simoniæ ex eo præciſo titulo. Quamvis enim Vitalitia ſeu Perſonalia non ſint, ſed perpetua, & priore extincto alteri Clerico conferri debeant; tamen non dantur fructus ratione Tonſuræ, ſed ob ſtudium, ita ut Tonſura ſolùm ſit conditio requiſita à Jure ex parte ſubjecti: hoc autem per ſe non ſufficit ad materiam Simoniæ; ſicut ſiquis legat certas portiones pro alendis pauperibus Clericis in ſtudio, bona nondum propriè annexa ſunt ſpiritualibus, tanquam titulo conſequendi temporale.

Secun-

2 Secundò. Præſtimonia poſt Motum Pii V. habent titulum ſpiritualem, & conſequenter ſunt materia Simoniæ. Nam juxta omnes obligant ad officium Canonicum, nec ullus audet ea vendere, utut tanta ſit cupiditas ſimilium, præſertim ob ſimplicitatem: aliunde autem non conferuntur, niſi à Prælato Eccleſiaſtico, & cum ſolennitate, quâ cætera Beneficia.

CAPUT XXVI.

An Penſiones Eccleſiaſticæ ſint materia Simoniæ?

1 Primò. Penſiones non Clericales vendi poſſunt ſine ulla umbra Simoniæ, loquendo de Jure Divino. Nam dantur Laicis aut indifferenter ſine conditione Clericatûs, vel propter rationem humanam & corporalem, ut Sacriſtæ pro pulſandis campanis, aut Curatori Infirmorum: ergo non ſunt annexæ titulo ſpirituali. Nec refert, quòd detrahantur ex bonis Eccleſiaſticis, ut patet in tertia Decimarum conceſſa Regi, quæ quotidie venditur. Idemque eſt de eleemoſyna, quam Pontifex facit ex iiſdem bonis.

2 Secundò. Penſiones Clericales, quæ ſimpliciter dantur ad ſuſtentationem ſine reſpectu ad Beneficium, vel ſpirituale Miniſterium, vendi poſſunt, ſtando in Jure antiquo. Ita communior contra Nav. Nam Clericatus tantùm eſt conditio vel diſpoſitio ex parte ſubjecti; & ita non ſufficit ad annexionem ad ſpirituale, juxta dicta cap. ſup. Secùs eſſet, ſi alicubi emolumentum aliquod per ſe eſſet annexum Tonſuræ, ſicut Privilegium Fori annexum eſt ſtatui Clericali: tunc enim rectè ſequeretur invendibilitas.

3 Dixi: *ſtando in Jure antiquo.* Nam ſuppoſito Motu Pii V. ubi receptus eſt, obligatio eſt ad officium *B.* Virginis, conſequenter pro titulo poſtulatur Miniſterium ſacrum. Igitur ſicut Penſio talis vendi non poteſt, ita nec transferri poteſt pro pretio, etiam datâ licentiâ transferendi; quamvis poſſit tunc, cùm Penſio diviſibilis ſit, pars retineri, & pars transferri, tamen ſimul cum onere per ſe conſequente Penſionem Clericalem. Poſſent etiam transferri omnes fructus retento onere, quia fructus tantùm transferuntur, non Penſio, quæ extinguitur morte transferentis.

4 Tertiò. Penſio propria, ſeu ſuper Beneficium impoſita, vendi nequit, ſi pro Miniſterio ſit Vicariatûs Generalis, Suffraganeatûs, Concionis &c. Conſtat ex dictis. Poſſunt tamen redimi fructus pro vita Epiſcopi dantis Penſionem, quia fit locatio Vitalitia fructuûm. *Dixi: Penſio propria*: nam ſi perſonalis tan-

tùm eſt, Epiſcopo, non Epiſcopatui impoſita, utique & exigi poteſt & promitti, tanquam ſuſtentatio debita c. 1. cum ſimilibus, Ne Præl. vic. &c. Similter poteſt (intra latitudinem congrui) minui Penſio, niſi ſtipendium jam ſit taxatum: tunc enim Simonia eſt, ſaltem quia prohibita; & à fortiori, ſi Epiſcopus quid accipit, aut alius dat pro conſequendo Vicariatu.

5 Obiter colligitur, injuſtum quidem eſſe, non tamen Simoniacum, ſi quis certa ſtipendia habens Miſſarum, uni potiùs dat pro pretio, quàm alteri Sacerdoti. Paciſci enim licet, ut parvo ſtipendio quis contentus ſit: ergo ſi exceſſus fit, quia ſine jure, ut in Legato &c. injuria fit, non Simonia, quia pactio ſolùm fit de ſtipendio vel eleemoſyna: ergo nec ex natura rei Simonia fit, nec ex Jure Poſitivo, cùm hoc non agat de his privatis ſtipendiis.

Quartò. *Si Penſio* datur pro Beneficio, de jure antiquo vendi poteſt; ſecùs de novo, propter dictum motum Pii V. Nam ſive Beneficio renuntiet Poſſeſſor pacificus, ſive ſenex Parochus, ſive Collitigator &c. Penſio purè datur in ſuſtentationem, & non cum onere ſeu titulo ſpirituali: nec merita præcedentia, titulus dubius, commodum ſperatum faciunt Penſionem annexam ſpiritualibus. Quòd ſi Penſio datur in titulum *Beneficii*; ergo verum *Beneficium* eſt, uti dictum eſt de Præſtimoniis, non Penſio, de qua loquimur. 6

CAPUT XXVII.

An Commendæ, Coadjutoriæ, vel Hoſpitalia ſint materia Simoniæ?

1 Primò. Commenda Clericalis, ſive ſpiritualis, eſt materia Simoniæ. Suppono Commendam (dictam à commendando vel committendo) variis modis fieri; ut in favorem Eccleſiæ, ſive ad tempus c. *Nemo*, c. *Cùm ex eo*, de Elect. in 6. c. pen. & ult. 21. q. 1. Trid. ſ. 24. c. 18. de Refor. ſive perpetuò c. *Dudum*, de Elect. c. *Quis plures*, 21. q. 1. Rurſus fit in favorem Commendarii per modum diſpenſationis, & in ordine ad titulum poſtea obtinendum, vel in ſuſtentationem tantùm, ut Cardinalium, vel cum onere ſpirituali Regiminis, vel ob functiones Laicas, ut Militiam.

Igitur ſi Commenda ſpiritualis eſt, ſive ad tempus detur, ſive in perpetuum, habet temporale conſequenter annexum ſpirituali: & ſi eſt ad tempus, Delegatam; ſi perpetua, Ordinariam Jurisdictionem habet vel quaſi Ordinariam, ſícque vel *Beneficium* eſt, vel ei æquiparatur: ergo invendibilis eſt, 2

ſive

ſive poſteriore modo ſe habeat, ut per ſe conſtat, ſive priore c. 1. & 2. Ne Præl. Vic. c. *Non ſatis.* c. *Ad noſtram* de Simon. Nec refert, quòd puero detur, quia eoipſo eſt quaſi præſentatus, imò plus; quia vi Proviſionis expletâ ætate &c. obtinet Titulum, ſicque ſaltem habet jus ad rem, ſeu ad Eccleſiam obtinendam cum proprietate.

3 Adde, quòd vi Commendæ, & per ſe loquendo, ad eundem pertineret ad miniſtratio, quæ nunc propter ejus impotentiam eſt penes Vicarium miniſtrantem loco ejus: ergo cauſa percipiendi reditus eſt ſpiritualis. Imò vix poteſt gratis concedi talis Commenda, nedum vendi, cùm ſit valde exorbitans à Jure, ut patet ex d. c. *Cùm ex eo*, & aliàs, ut dixit Sylv. ſolùm ad *comedendam* data videatur.

4 Secundò, Idem eſt de Coadjutoriis. Vel enim Coadjutor eſt temporalis, vel cum jure ſuccedendi, & cum Congrua? Si primum, ergo ſervit loco proprietarii per Jurisdictionem Delegatam. Si ſecundum, ergo Coadjutoria æquiparatur Commendæ pueri; & maximè æſtimatur propter jus ſucceſſionis, quod conſtat eſſe ſpirituale. Denique annexa eſt obligatio ad Horas Canonicas, uti & jus ſerviendi loco Proprietarii.

5 Tertiò. Secùs eſt de Commenda Militari. Nam datur pro ſervitio temporali; & Profeſſio ſolùm ſe habet ut conditio ex parte eleemoſynarii, ſicut ſi Pontifex jubet dare eleemoſynam Religioſis. Obligatio] autem ad certas preces eſt ex Regula, non ab Eccleſia, quæ nec obligat ad privatas preces, nec dat ſtipendium ad eas. Sicque quod datur, non eſt per modum ſtipendii earum, ſed militiæ, & propter merita præterita, ut aliis Militibus. Nec labor horum ſpiritualis eſt, ſed in ſe temporalis, quia eſto ſub voto eſſet Militia, & non Obedientia tantùm, materia propter relationem extinſecam non ſit ſpiritualis. Denique jus præſentandi Clericum ad Ordines nec omni Cõmendæ annexum eſt, nec ulli niſi antecedenter tantùm, ut Jus Patronatûs.

Unde ſi Commenda emendo favorem per pecuniam procuretur, nec Simoniacum eſt ex naturali, nec ex Jure poſitivo, quod eo intuitu latum ſit: ubi enim extat? Tamen illa directè & formaliter vendi nequit, quia nec à Magiſtro, utpote Diſpenſatore tantùm, & non ſupremo. nec à Commendario, qui Uſufructuarius tantùm eſt. Dari autem poteſt cum juſto onere, ut eundi in Africam &c. quia ad tales fines inſtituta eſt, nec hoc eſt vendere &c. Denique ubi cauſa juſta eſt, ut neceſſitas vel utilitas publica, cum authoritate Pontificis (ſive ſpecialiter, ſive generaliter data ſit) vendi poterit. 6

7 Quartò. Hoſpitale Religioſum ſeu Eccleſiaſticum (ſcilicet authoritate Epiſcopi erectum, & ſub ejus curâ exiſtens c. *Ad aures.* de Rel. Dom.) eſt materia Simoniæ, ſi Rectoria ſpiritualis ſit; ſecùs ſi non ſit ſpiritualis, loquendo de Jure Divino. Prior pars patet ex dictis, uti & poſterior, quia ſolicitudo & cura Infirmorum eſt temporalis: ergo de Jure Divino officium ad eam pertinens vendi poteſt. At de Eccleſiaſtico etiam Temporalia Officia Eccleſiaſtica vendi prohibentur. c. *Salvator.* 1. q. 3. ubi nomine *Procuratoris* intelligi dicitur *quemlibet Eccleſiaſticarum rerum Adminiſtratorem* &c. *Præpoſitum*, *Oeconomum*, *Vicedominum.*

CAPUT XXVIII.

An Jus Patronatûs ſit materia Simoniæ? ubi de jure ſepeliendi & ſimilibus.

1 Primò. Jus Patronatûs rectè inſtitutum eſt in ſignificationem gratitudinis, & quaſi remunerationis reſpectu ejus, qui Eccleſiam fundavit, conſtruxit, vel dotavit. Nam habet ſe ceu Pater, qui Eccleſiam quaſi genuit, vel dotavit: ergo ſi Patrono Civili rectè competit jus aliquod in Libertum & bona ejus, etiam Patrono Eccleſiaſtico piè indultum jus ſuum eſt, quod gratitudo poſcit, idque triplex, *Honorificum*, *utile*, *oneroſum.* c. *Præterea.* 2. de Jure Patron. c. *Filiis.* c. *Quicunque.* c. *Nobis*, cum aliis 16. q. 7.

2 Nam debentur ei ſua obſequia, & ſtallus; & ejusdem eſt defendere modo præſcripto, quod dedit; ſicut viciſſim eſt Eccleſiæ, eidem potiùs cùm eget, quàm aliis ſuccurrere. Hæc tamen jura transferri nequeunt ad extraneos, juxta Jura citata, ſed ad conſanguineos tantùm, qui vinculo naturali unum quid computantur cum Patrono, quia debitum gratitudinis eſt quaſi perſonale. Solùm ergo Jus præſentandi quaſi ex abundantia gratitudinis, ut juſtiſſimè ſecundùm modum à Jure expreſſum competit & à tempore, cujus initium non extat; ita extenſum eſt, ut etiam ad extraneos devolvi poſſit.

Secundò. Certum eſt, Jus præſentandi vendi non poſſe. Conſtat 3 ex d. c. *Præterea.* c. *Quia Clericis.* eod. c. *Salvator.* 1. q. 3. ubi voces *Advocati*, *Patroni*, *Vicedomini*, *Defenſoris*, &c. reputantur ſynonymæ, quia non refert, unde (ut à defenſione &c.) ſumptæ ſint, ſed quid ſignificent. Imò idem eſt de Jure Divino, ut tenet Ant. de Butr. Barbat. cum Theologis. Nam dictum Jus eſt ſpirituale quoad originem & terminum, itémque actus ejus, quo quis fit proximè capax Beneficii c. *Signifi-*

gnificâſti. c. *Suggeſtum.* c. *Illud.* cum ſimilibus, de Jure Patronat. quia proxima capacitas & moralis potentia ſpecificatur ab objecto & actu, ſicut jus eligendi, Juriſdictionis &c.

4 Nec refert dictum jus eſſe in Laico, nam fortè olim idem erat de Electione, juxta ea, quæ referuntur d. 73. Nec ſubjectum mutat naturam actûs vel paſſionis, ut conſtat in Charactere Baptiſmi; ſempérque Patronus agit per poteſtatem ſupernaturalem, à Deo ut primo Authore ſupernaturalium conceſſam. Nec etiam refert, quòd dictum Jus annexum ſpirituali dicatur; nam totum ejus eſſe eſt reſpectivum ad Beneficium, & ita etiam Calix, Vaſa ſacra &c. à S. Thoma dicuntur annexa ſacrificio, licèt in ſe ſpiritualia ſint.

5 Confirmatur: quia tota æſtimatio Juris Patronatûs eſt ratione Beneficii, nec illud ab annexione cum hoc ſeparari poteſt: ergo ſicut Præſentatio vendi nequit, ita nec dictum jus, & è converſo; præſertim quia aliàs facilè præſentarentur indigni. c. *Præterea.* 1. de Tranſact. Nec refert, plures eſſe Patronos, quia adhuc vendi nequit vox, eſto unius, & accidentaria, ut definitur de Suffragio Electorũ. c. *Matthæus.* de Simon. idem autem eſt de Præſentatione.

6 Tertiò. Licèt Jus Patronatûs vendi non poſſit, tranſire tamen poteſt cum re vendita, dummodo hæc non cariùs vendatur. Ita c. *Ex litteris.* c. *Cùm ſæculum.* de Jure Patr. Sicut enim Calix vendi poteſt, non venditâ Conſecratione, ita in præſenti; dummodo translatio fiat modo & caſibus in Jure expreſſis, cùm plus non poſſit Laicus in his, quàm Jure conceſſum ſit: præſertim quia ordinaria conditio eſt Jurium ſpiritualium, ut authoritate privatâ non transferantur, ſed cum dignitate Eccleſiaſtica, vel per Prælatum.

Tribus igitur modis translatio fit, 7
ut 1. Jure hæreditario, etiam ad extraneum; nam Jura non diſtinguunt d. c. *Cùm ſæculum.* Clem. 2. eod. & c. *Conſiderandum.* c. *Si plures.* 16. q. 7. 2dò. Donatione, c. *Cura.* c. *Illud.* de Jure Patr. c. un. eod. in 6. ubi reſpectu Laici petitur conſenſus Epiſcopi, non verò reſpectu loci Religioſi, ita ut ſpeciale hujus privilegium ſit juxta Juriſtas. 3. Ut tranſeat cum re; ut eſt clarum, ſi ut jus reale inhæret fundo, in quo eſt Eccleſia, quia ſe habet ut acceſſorium ad principale, ſiquidem non appretietur d. c. *Cùm ſæculum.* & c. *Ex litteris.* 2. eod. Formáque optima eſt negativa, d. c. *Cùm ſæculum*, quamvis ex ſolis verbis: *Vendo villam cum dicto Jure*, non præſumatur Simonia, cùm ſenſus ſit, non reſervari dictum Jus.

Quartò. Si dictum Jus eſt perſo- 8
nale, ſeu Hæreditate vel Donatione translatum, non tranſit ſive cum una parte, ſive cum univerſitate venditâ. Non primum, quia nulla eſt cōnexio, nec etiam ratio translationis Juris Patronatûs. Non ſecundum, quia nec

nec Jura annectunt, ut reſpectu Hæredum, nec eſt eadem ratio emptoris, ut qui non repræſentat Defunctum, nec cum eo unitur ratione ſanguinis aut ſpecialis dilectionis, nec venditio cadit in dictum Jus, nec præſumitur donatio concomitanter annexa. Aliunde autem ſola connexio parere poteſt dictam translationem, ſicut in Phyſicis una res non movetur motâ aliâ, niſi propter unionem; nec in donatione, Legatis &c. comprehenſa virtute intelliguntur, niſi quæ connexa ſunt cum expreſsè donatis &c.

9 Quintò. Si bona annexa ſunt Juri Patronatûs, vendi poſſunt, loquendo ordinariè de dicta annexione. Nam ordinariè cedunt poſſeſſori, quamvis cum onere ſuccurrendi Eccleſiæ indigenti: ergo retinent æſtimationem ſuam temporalem, nec ſunt omnino acceſſoria ad dictum Jus; ſed potiùs ipſum onus eſt acceſſorium utilitati ſecundùm ſe ſpectatæ, & ratio Acceſſorii ſolùm eſt ex voluntate privata. Secùs erit, ſi fructus omnes cedere debent in uſus Eccleſiæ: quia tunc æſtimationem non habent niſi ob Jus Patronatûs.

Ex dictis ſequitur 1. quòd unus hæres non poſſit alteri cedere dictum Jus per Contractum oneroſum, v. g. compenſando portionem majorem. 2. In caſu litigioſo non poteſt Patronus petere, ut præſentatus ſibi vindicet dictum Jus, quamvis conditionem apponere poſſit, ut niſi intra tempus præſcriptum proſequatur Præſentationem, liceat ſibi alium ſubſtituere, vel aliter providere, quia non refert, ex conditione intrinſeca reſultare indirectè commodum Patroni. Denique de Jure ſepulturæ & ſtalli dictum eſt ſuprà: poſterius enim propter obligationem accidentariam vendi poteſt, quamvis fortè non ſine ſpecie turpis lucri & avaritiæ. 10

CAPUT XXIX.

An Temporalia Officia & eorum actus ſint materia Simoniæ?

1 Primò. Stando in Jure Divino, dicta Officia non ſunt materia Simoniæ. Ita Theologi & Summiſtæ omnes cum communi Juriſtarum. Nam illa nec in ſe habent quid ſpiritualitatis, nec actum, nec materiam, nec finem proximum ſpiritualem: ordo autem ad finem remotum non ſufficit; ſícque magna eſt differentia intèr dicta Officia & Functiones ſpirituales.

Dices: ergo etiam actio dicta Officia diſtribuendi vendi poteſt. 2
℟. Eſſe actum poteſtatis ſpiritualis, & ideo ſolùm ejus terminum, ut in facto eſſe conſideratur, vendi poſſe. Nam quando res non eſt ſub privato dominio, vel ſi eſt, ſub conditione

ne tamen, ut neceſſariò alteri conferri debeat, venditur per poteſtatem Juriſdictionis, vel Adminiſtrationis competentis ex poteſtate circa bona communia, ut vaſa vel res Eccleſiæ. Hæc enim pro ſuo valore, quem ex ſe habent, vendi poſſunt, at non actus vendendi illa.

3 Secundò. De Jure Eccleſiaſtico certum eſt dicta Officia vendi Simoniacè. Ita c. *Siquis.* 1. q. 1. c. *Salvator.* 1. q. 3. c. *Conſulere* de Simon. Legi autem derogatum eſſe per conſuetudinem, non conſtat, eſſétque corruptela & contra bonum commune, & bonos mores Eccleſiæ. Nec enim Epiſcopi domini ſunt, nec Diſpenſatores Supremi, ut diſponant niſi juxta modum conceſſum, vel ſaltem non prohibitum; ſecùs Pontifex.

4 Nec dicas, ob defectum materiæ non incurri veram Simoniam. Vel enim deeſſet poteſtas, vel voluntas prohibendi dictam emptionem intuitu Religionis & immunitatis à contractu profano? Non primum, ut patet ex dictis ſuprà contra Durand. quia ſufficit, materiam eſſe valde conjunctam ſpiritualibus; & ita etiam venditio Calicis conſecrati prohiberi poſſet, ſicut quod pacto affine eſt, reprobatur ut Simoniacū. Non ſecundum, quia in dicto c. *Siquis* eodem tenore & hæc & Ordinum venditio prohibetur, & in aliis Juribus citatis exprimitur Simonia. Quòd verò etiam mentio fiat avaritiæ, non refert, quia aliàs ex nullo Jure colligi poterit vera Simonia, ut 1. q. 1. & 3. & tit. de Simon. Abſurdúmque eſt, omnia impropriè interpretari velle, præſertim cùm Trid. ſ. 24. c. 14. de Ref. condiſtinguat Simoniam ab avaritia, & hæc rectè dicatur *Execrabilis*, cùm tendit uſque ad emptionem Spiritûs ſancti.

Tertiò. Comprehendit dicta prohibitio quamlibet adminiſtrationem rei Eccleſiaſticæ, cuicunque perſonæ committatur Laico vel Clerico. 5
Nam Clericatus non facit rem ſpiritualem, nec Laicum ſubjectum mutat naturam officii de ſe & de Jure competentis Clerico tantùm. c. *Judicatum* cum aliis d. 89. nec etiam conſuetudo tolerata vel neceſſaria, aut privilegium facit ad mutandam dictam prohibitionem, utpote univerſalem d. c. *Salvator.* & c. *Ad noſtram.* de Simon. Comprehenditur ergo officium Præpoſiti, Oeconomi, Vicedomini, Majoris Domûs: quæ voces ferè ſynonymæ ſunt c. *Volumus.* c. *Diaconus.* c. *Quia.* d. 89. & Trid. ſ. 24. c. 16. de Ref. l. *Jubemus.* Cod. de Sacr. Eccl. Diſtinguenda autem ſunt officia à locatione redituûm: nam per hanc illa non venduntur.

Idem eſt de Defenſore, Advocato, vel Syndico d. c. *Siquis.* & c. 6
un. de Syndic. Idem de Judice temporali in his, quæ ſubſunt temporali Juriſdictioni Eccleſiæ d. c. *Salvator,*

vator, ubi additur *Caſtaldus* (Oeconomus apud Calep.) *Manſionarius*, cui cura eſt Manſionum ſeu Domuûm Eccleſiæ. Idem eſt de Sacriſta vel Cuſtode ; nam ſubduntur correctioni Eccleſiaſticæ d. c. *Siquis.* & c. un. de Offic. Sacriſt. Idem denique de Primicerio juxta dictam regulam, quòd ſufficiat quodlibet Miniſterium Eccleſiaſticum pertinens ad Diſciplinam vel Oeconomiam Eccleſiæ.

7 Dices : ergo idem erit de qualibet re Eccleſiæ juxta d. c. *Salvator.* ibi ; *vendere Eccleſiaſticam rem*, nam donum Dei eſt res *Eccleſiæ oblata.* ℞. Nec de juſta adminiſtratione, nec de rapina bonorum agi in textu (num enim fur Simoniacus eſt ?) ſed de venditione bonorum in ordine ad Officium, quatenus cum hoc vendi videntur. Officia enim dari debent juxta idoneitatem tantùm, ſicque gratis : aliàs occaſio aperitur vexandi Eccleſiam & bona ejus. Unde etiam actiones dictorum Officiorum vendi poſſunt ut de Jure Divino, ita de Eccleſiaſtico ; quod nullibi eas prohibet, nec eſt eadem ratio prohibendi, quæ circa Officia, ut dictum eſt ; cùm ex inſtitutione Eccleſiæ ſint, & per ejus poteſtatem dentur.

CAPUT XXX.

An pretium Simoniacum debeat eſſe temporale, & an commutatio Spiritualium ſit Simoniaca?

1 Primò. Pretium debet eſſe quid temporale, loquendo de Jure Divino. Ita c. *Ad Quæſtiones* de rer. permut. & ſumitur ex Act. 8. ſub pecunia comprehendendo, quidquid pretio æſtimatur. Conſiſtit enim ratio Simoniæ in improportione inter ſpirituale & temporale, ut notant Chryſ. Hier. S. Thom. & Patres ac Expoſitores alii ad illud : *Gratis date.* Nam ſubditur. *Nolite poſſidere aurum* &c. ergo ſolùm excluditur temporale.

2 Secundò. Commutare verè ſpirituale pro ſpirituali non eſt Simonia de Jure Divino. Ita S. Thom. Dur. Major, Victor, Covar. Nam ubi non eſt pretium, nec venditio eſt (niſi metaphorica *Emite abſque argento*) nec etiam injuria eſt dare *Gratiam pro gratia*, Jo. 1. nec derogatio excellentiæ ejus, magis quàm cùm præmium ſpirituale datur pro merito ſpirituali. Conſtátque ex uſu Eccleſiæ in Sacrificiis, audiendis Confeſſionibus, Orationibus &c. nam homo Dominus eſt & operum ſuorum, & materiæ, cui annectitur ſpirituale, vel ſaltem liber Diſpenſator ; nec completa ratio Simoniæ eſt

eſt carentia dominii, ſed tractatio ſpiritualium ad inſtar eorum, quæ cadunt ſub dominium temporale; ſicque ceſſant, quæ objici ſolent ob dictam particulam *gratis*, & carentiam dominii.

3 Dices: Obligatio ad ſpirituale futurum propter ſpirituale de præſenti datum, eſt pretio æſtimabilis, ut in mutuando, & ſi unum pro alio ſpirituali dari poteſt, ergo & Calix pro Beneficio. R. Obligationem reputari quid unum cum ſpirituali, niſi ſit temporaliter oneroſa, vel aliàs incommoda graviter. Dein oportet eſſe proportionem in permutando, ut antecedenter annexum cum ſimiliter annexo: at temporale Calicis per ſe primò cadit ſub pactum, & in Beneficio ſpirituale: ſicque temporale pro ſpirituali datur. Similiter exceſſus in temporali compenſari nequit per ſpirituale, ut pretioſum Roſarium per vile, ſed plurium Indulgentiarum.

CAPUT XXXI.

An in permutatione ſpiritualium, ut Beneficiorum &c. Simonia ſit contra Jus Eccleſiaſticum?

1 Primò. Poteſt dicta Permutatio eſſe Simoniaca contra Jus Eccleſiæ. Ita omnes agendo de Beneficiis, ſi abſque Prælato permutentur; conſtàtque ex c. ult. de Pact. c. *Præterea* 2. de Transact. c. *Tua nos*. de Simon. c. *Quæſitum*. c. *Cùm olim*. de Permut. c. *Majoribus*. de Præbend. Aliud enim eſt uſurpatio Jurisdictionis, quæ Prælato tantùm competit in Collationibus &c. aliud obtentio Beneficii ex pacto latente Prælatum. Prius eſt ſacrilegum Jure Divino, poſterius de Eccleſiaſtico tantùm: ſufficítque, temporale eſſe añexum, & ex malitia magis attendi ſolere quàm principale, ut ſaltem propter ſpeciem mali prohibeatur pactio, ſicut etiam inter purè ſpiritualia prohiberi poſſet propter irreverentiam negotiationis.

2 Porrò violatio dictæ prohibitionis nec contra Obedientiam tantùm &c. ſed Religionem, ut ex materia conſtat, à qua ſumitur ſpecies (at Irreligioſitas non eſt, niſi ob pactum juxta Jura citata) nec Simonia aliud eſt, quàm Sacrilegium commiſſum per iniquam negotiationem circa ſpiritualia, ut ſaltem quantùm ad praxin Confeſſionis, pœnarum &c. loquuntur Jura, Reſcripta Pontificum, & Doctores, à quibus uſus vocum in propria arte ſumendus eſt.

3 Secundò: Simoniaca eſt Commutatio etiam aliarum actionum pertinentium ad Beneficia, ut Electionis,

ctionis pro Electione, Confirmationis pro Collatione &c. Nam Jura citata cum aliis ſimilibus univerſim prohibent Pacta in conſequenter annexis ſpirituali, ut in Vicaria &c. d. c. *Quæſitum.* Dein Præſentatio, Electio &c. &c. ſunt quid verè annexum Beneficio, & inde totam æſtimationem habent: ergo virtute fit Pactum de ipſo Beneficio. Sic renuntiare Expectativæ, ſi alter cedat Præſentationem, utique Simoniacum eſt, nec propter impotentiam transferendi Expectativam, ſed propter pactum.

4 Dices: Permutare eſt paciſci: cur ergo d. c. *Quæſitum* dicitur, *præſertim pactione præmiſſa?* ℞. Fortè ſignificari, quòd malitia permutandi in eo ſit, quòd actio fiat ſine authoritate Epiſcopi, & in vi pacti tantùm. Vel indicatur, utramque permutationem, ſive pactio prævia ſit, ſive non, eſſe malam; priorem tamẽ clariorem & deteriorem, quia plures obligationes includit. Et diſtinctio ſumitur ex l. *Ex placito.* Cod. de rer. permut. ubi dicitur, ex placito permutandi, re non ſecutâ, non competere actionem &c.

5 Tertiò. Permutare ſpirituale pro ſpirituali extra materiam Beneficiorum, non eſt ſpecialiter prohibitum Jure poſitivo. Nam Jura prohibendo commutationem, aut generatim agunt de prohibita Jure Divino, aut in particulari de Beneficiis & juribus annexis. Dein vel permutatio extra Beneficia fit inter purè ſpiritualia, vel antecedenter annexa ſpirituali? De priori nullibi agunt Jura, conſtátque ex dictis cap. ſup. uſum eſſe communem ſic permutandi. Poſteriorem non prohibent, ſed probant c. *Ad Quæſtiones.* eod quamvis quoad Eccleſias neceſſaria ſit authoritas Prælati, cùm non ſubſint liberæ poteſtati permutantium.

CAPUT XXXII.

An Authoritas Prælati neceſſaria ſit ad permutationem Beneficiorum?

1 Primò. Eſt neceſſaria. Nam permutatio in Beneficiis nec omnino prohiberi debuit, nec etiam relinqui privato arbitrio cujusque: & eatenus ſimilis eſt Translationi. c. *Quærenti.* de rer. permut. quamvis juxta omnes ab hac diſtinguatur, ut patet ex propriis utriusque titulis, utì & cauſis. Nam hæc nec contractum ſeu conſenſum poſcit, nec etiam comodum Translati; quamvis nec prior fieri poſſit ſine reſpectu ad bonum vel indemnitatem Eccleſiæ.

Secun-

2 Secundò, Permutare volentibus licet & tractatus prævius & concluſio ejus, & etiam ſubſequens obligatio non revocandi conſenſum, donec res Superiori præſentata ſit. Nam de tractatu fit mentio c. *Cùm univerſorum*, eod. quin vel ibi vel alibi prohibeatur: imò hoc idē eſſet, ac ipſam Permutationem prohibere. Et hac conceſſâ tanquam fine, intelliguntur etiam conceſſa media, præſertim tam intrinſeca & neceſſaria, ut ſunt concluſio tractatûs & obligatio; aliàs fruſtra eſſet acceſſus ad Superiorem, ſi pro libitu pars reſilire poſſet, & docet praxis, facítque c. un. eod. in 6. & Clem. un. eod. Redimus enim ad translationem puram, ſi ante Superiorem aditum ſpes non ſit concordiæ inter Partes, vanúsque & otioſus redditur dictus acceſſus.

3 Nec propterea dicta obligatio Partium eſt permutatio aut Pactio ſimpliciter, quia conditionalis tantùm eſt, & ſubjecta Juri Superioris. Nec etiam obſtat c. *Quæſitum* de rer. permut. nam agit de caſu, quo tacebatur renuntiatio facta in favorem tertii, ergo privatim facta erat, & non coram *Epiſcopo*. Quo nomine ibidem (utique ſumpto ab eo, quod eſt regulare) non excluditur Capitulum ſede vacante, aut alius Juriſdictionem Epiſcopalem obtinens, ſed comprehenduntur, quæ ejuſdem rationis ſunt. Idémque nomen formaliter ſumitur ratione Juriſdictionis quoad officium & curam, non quoad dignitatem, niſi cùm quid ſpecialiter delegatur, ut ſæpe fit in Trident.

Dices: Patronus & Collator (ſi 4 diverſus ab Epiſcopo eſt) non privantur Jure ſuo: ergo cùm is in Proviſione Eccleſiæ agat ut Epiſcopus c. *Omnes Baſilicæ* 19. q. 7. ejuſdem erit dare authoritatem Permutationi. Quia fruſtra per plura fit, quod fieri poteſt per pauciora, nec onera multiplicanda ſunt: præterquam quòd d. c. un. reſtringi videatur ad Beneficia Collativa. R. rationem quidem ſatis probabilem eſſe, recedi tamen à communi ſententia non poſſe, niſi praxis præſcripſerit. Aliud ergo eſt, approbare Pactum, aliud exequi: prius proprium eſt Epiſcopi (quamvis etiam alterum regulariter adjunctum ſit d. c. un.) præſertim quia ferè ſemper includitur Translatio, pertinens ad curam Diœceſis, c. *Mutationes*. 7. q. 1.

Tertiò. Licèt Beneficia ſint ejuſ- 5 dem Eccleſiæ, & ejuſdem etiam oneris & muneris; tamen Canonici non poſſunt inter ſe permutare unam pro alia Præbenda, ut vult Innoc. d. c. *Quæſitum*. Nam ubi Jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere poſſumus. Dein vel permutatio fit quoad titulos, vel Præbendas ut annexas ſuis titulis, vel ſolùm quoad fructus ſeu uſumfructum perſonalem poſſeſſionum Canonicalium? Si tertium, idem fieri poteſt etiam in diverſis

Eccleſiis: nam quiſque eſt dominus ad locandum, fructus vendendos &c. Non primum, quia nemo privare ſe poteſt titulo, nec novum acquirere ſine Prælato juxta Jura notoria de Renunt. de Inſtit. &c. 1. de R. J. in 6. Non ſecundum, quia nec fructus percipiuntur, niſi mediante titulo, nec alii quàm annexi eidem.

CAPUT XXXI.

An Beneficium permutari cum Penſione poſſit abſque Simonia?

1 Primò. Pura Penſio ſpiritualis permutari poteſt cum Beneficio, loquendo de authoritate Pontificis. De Penſione erecta in titulum Beneficii quæſtio non eſt; nam eſt verum Beneficium, ut de Præſtimoniis dictum eſt, ſicque authoritate Epiſcopi permutari poteſt. Quoad Penſionem autem puram, *Paul.* Rom. negat fieri poſſe dictam permutationem, quia illa per Renuntiationem fieret nihil, hæc verò fieri debet inter res ejuſdem ſpeciei, & per reciprocam Renuntiationem, & Collationem.

2 Sed contrà, quia poſſunt duo conſentire, ſi *Papa* velit, nec aliter cedere juri ſuo; ſicque uterque conſenſus eſt ſubjectus Pontifici, & conjunctio utriusque non eſt contra Jus Divinum: materia autem tota eſt ſpiritualis: ergo Papa conſentire poteſt; ſolùm ergo de nomine contenditur, an dicenda ſit, nécne Permutatio. Unde nec *Penſio* extinguitur, cùm Renuntiatio ſit conditionata; nec fit alia numero, cùm individuetur à Beneficio, non à perſona; & prorogatur tantùm. Denique etiam res diverſæ ſpeciei permutantur, ut tradunt Decius, Pinell. &c. &c.

Secundò. Licèt contra Jus Divinum ſit, permutare *Penſionem* temporalem cum Beneficio, *Pontifex* tamen eundem effectum facere poteſt citra Commutationem. Nam cùm in manibus ejus relinquatur *Beneficium*, petendo ut provideat de ſuſtentatione, poteſt in hanc ille deputare *Penſionem* alterius, quin Partes tunc permutent. Unde tunc non ſtat formula, *Non aliter*, *nec alio modo*, quia includeret pactum; niſi dicas, quòd intentio ſolùm ſit ſervandi ſe indemnem, & providendi neceſſitati. Sed prior modus tutior eſt, quia *Pontifex* ex officio poteſt nolle, ut alter habeat omnes reditus, & quos demit, conſtituere in *Penſionem* novam, vetere extinctâ. 3

4 Tertiò. Authoritate Epiſcopi non poteſt permutari *Penſio* pro Beneficio. Nam & translatio *Penſionis* fieret, & reſignatio in favorem tertii: & licèt ſit facultas transfe-

tio-

rendi, intelligenda eſt de tranſlatione pura, niſi fortè per conſuetudinem defendatur tanquam Reſignatio facta ex cauſa permutationis. Et eſto, hæc eſſet favorabilis, non propterea nomine *Beneficii* comprehendi poteſt *Penſio*, quia ſignificatio ampla non extenditur ultra proprietatem: at *Penſioni* nec definitio competit *Beneficii*, nec proprietas; & c. *Quæſitum* de Rer. permut. agit de *Permutatione*, quæ utilis Eccleſiæ ſit: ergo de *Permutatione Beneficii*, non *Penſionis*.

Ex genere tamen ſuo permutatio odioſa eſt, nec valde antiqua: continet enim diſpenſationem Juris prohibentis *Pacta*. Nec obſtat Gl. c. un. eod. in 6. dicens eſſe favorabilem; nam loquitur reſpectu *Expectativæ*, quæ non impedit Jus permutantis proprium; quod vult textus. Denique dicta applicari poſſunt ad Commendam vel Officium temporale: nam nec per *Papam* dari poſſunt pro *Beneficio* per Commutationem, quamvis citra hanc ſuccurrere poſſit. 5

CAPUT XXXIV.

An Permutatio Beneficiorum inæqualium fieri poſſit ſine Simonia?

1 *Primò*. Permutatio inter quælibet *Beneficia*, Curatum, ſimplex &c. licita eſt, per ſe loquendo. Nam nec Jus diſtinguit, nec ratio cogit diſtinguere, quaſi unum potiùs quàm aliud permutare magis intrinſecè malum, aut Eccleſiæ nocivum ſit. Et quidquid ſit de motivo remoto, ut dando dignius pro pinguiore, intentio eſt permutandi ſpirituale pro ſpirituali; nec malum præſumitur, niſi probetur. Semper autem ſtandum eſt in vi permutationis, & puræ quidẽ; aliàs ob temporale, quod miſcetur, ſecùs erit, vel ob pluralitatem *Beneficiorum*. &c.

2 *Secundò*, *Permutare* pingue *Beneficium* pro tenui cum pecunia, quocunque modo & intentione fiat ſine authoritate Superioris, *Simonia* eſt contra Jus Divinum; idémque eſt, ſi fiat in manibus cujuſcunque Superioris infra Pontificem. Conſtat prior pars ex dictis ſuprà, quòd *Beneficium* ſit materia *Simoniæ* Jure Divino. *Poſterior* quoad Jus *Poſitivum* conſtat ex c. *Quàm pio*. 1. q. 2. c. *Mennini*. 16. q. 7. c. *Cùm pridem*. & c. ult. de *Pact*. c. *Cùm olim*. c. *Cùm univerſorum*. de Rer. permut. Nam nec Epiſcopus quid poteſt niſi circa *Permutationẽ* puram. c. *Quæſitum*. eod. eámque, ut quaſi translationem, nec diſpenſare poteſt in tot prohibitionibus.

Tertiò. *Probabile* eſt, authoritate 3

tate Papæ poſſe dictam rem fieri, non quidem per diſpenſationem in Jure Divino, aut propriam Permutationem, ſed per mutationem ex parte materiæ, & quaſi novum Jus in ea inſtituendo. Ita Juriſtæ, cùm volunt vendi poſſe Beneficium. Poteſt enim Papa vel fructus ejus ſeparare, vel exigere ſuſtentationem tertii ab habente pinguius. Tamen Jure ordinario ob ſpeciem malam non fit.

4 Quartò. Poteſt Pontifex concedere Permutationem cum onere Penſionis ſuper pinguius Beneficium, secùs Epiſcopus. Prior pars conſtat uſu quotidiano, ſive Penſio imponatur ſpiritualis ſive temporalis ob ſuſtentationem. Poſterior conſtat ex ſtylo Curiæ, & ex tit. Ut Benef. ſine dimin. & c. *Niſi*. de Præbend. Si enim Epiſcopus non poteſt imponere Penſionem ſuper Beneficium, minùs ſuper Perſonam.

5 Nec obſtat c. *Ad quæſtiones* de Rer. permut. Nam agit de permutatione Eccleſiarum, non Beneficiorum, & ideò monet, ne miſceantur contractus, ſed Eccleſia cum Eccleſia, poſſeſſio cum poſſeſſione permutentur, in hac compenſando exceſſum; Bona enim erant unita Monaſterio, non ut Beneficia, ſed ut poſſeſſio propria, ut univerſim reputantur juxta Juriſtas, ſi ſit unio perpetua, Clem. un. de Reſcript. & Clem. un. de ſeq. poſſ. Permixtio autem contractuûm vitanda eſt, quia alia bona non ſunt annexa titulo ſpirituali, ſecùs alia, ut Jus Decimarum.

Quintò. Penſio imponi poteſt etiam ſuper dignius Beneficium, & minùs pingue, ſi juſta cauſa movet, ut ob merita dimittentis, egeſtatem, laborem majorem. Secùs autem fieret compenſatio præcisè pro ſpirituali, & fortè diſtributio injuſta; nam major dignitas ex ſe poſcit plures reditus, ut cum decore ſuſtineatur. Ex dictis colligitur, conditiones Permutationis licitæ eſſe. 1. ut res ſint permutabiles & transferibiles. 2. Ut adſit authoritas Superioris competentis. 3. Ut non imponatur onus vel Penſio ſine voluntate Papæ. 4. Ut non fiat pactio, niſi in ordine ad conſenſum Prælati. 6

CAPUT XXXV.

An Renuntiatio Beneficii in favorem tertii contineat Simoniam?

1 Primò. Non eſt Simonia contra Jus Divinum, ſi dicta Renuntiatio fit purè & abſolutè, & in manibus Prælati. Ita ut clarum ſupponunt Soto, Covar. Anton. Nam *gratis* datur; nec Chriſtus dixit: Date omnibus, nec ut huic potiùs detur: ergo quantùm in me eſt, dono, quamvis ſpoliari nolim, niſi in gratiam hujus. Aliunde quia quis

per

per ſe non poteſt conferre Beneficium, c. *Niſi.* de Renunt. in manibus Superioris renuntiat.

2 Secundò. Renuntiatio ſub conditione ſuſpenſiva non poteſt fieri, niſi in manibus Papæ. Nam quòd reſervata ſit, ſumitur ex perpetua traditione & praxi Eccleſiæ (ut in voto Caſtitatis) quam præter plurimos Doctores refert etiam Covar. Dein Beneficium conferri nequit, niſi vacet, c. un. de rer. permut. in 6. & Clem. un. eod. at actus conditionatus non operatur, niſi ſecutâ conditione. Et favor tertii meritò ſuſpectus eſt, nec præſumitur liberalis. c. *Super hoc.* de Renunt. ergo juſta eſt prohibitio.

3 Tertiò. Secluſo pacto cum Epiſcopo, dicta Renuntiatio non eſt Simoniaca, quamvis uſurpetur Jurisdictio in diſpenſando Beneficio contra Jus. Nam omnia pacta prohibita in hac materia, ſunt Simoniaca: pacto autem ſecluſo non fit in præſenti commutatio, quia nec realis nec mentalis eſt, nec expreſſa nec tacita, & limitata voluntas donandi nec obligat Epiſcopum, nec eſt onus pretio æſtimabile, magis quam reſpectu Papæ, ſed id ſolùm reſultat ex natura & modo dictæ donationis, quâ ſecluſâ nil poteſt Epiſcopus, & quâ datâ poteſt pro rata uti poteſtate.

4 Quartò. Epiſcopus non poteſt acceptare dictam Renuntiationem, nec etiam conditionem habere pro non adjecta. Diſponeret enim circa Beneficiũ nondum vacans; & Papa etiam habendo conditionem pro non adjecta, privaret non Reum jure ſuo: ergo multò minùs Epiſcopus illam pro tali habere poteſt, cùm nullo jure conſtet de hoc, nec pœna antè inferri poſſit, niſi ſervato ordine Juris: ergo refutatâ ceſſione, puniat Reum, ut putat expedire.

Quintò. Si non eſt rigoroſa conditio, ſed modus tantùm, Ceſſio acceptari poteſt ab Epiſcopo, loquendo per ſe. Nam ceſſio, utpote abſoluta tenet, & ideò Epiſcopus Beneficium dare poteſt, cui vult digno: ergo & tertio. Modus verò vel ponitur cum animo obligandi, vel tantùm ut inductivus? Si primum, ſtultè ponitur, ut obligando Legatarium ad impoſſibile. Si ſecundum, nec jus nec conſuetudo vetat preces, ſpem, intentionem internam, dum̃odo abſit particula: *non aliter &c.* Ita communior & verior. 5

Quantùm ad Conſt. 58. Pii V. verba ejus non diriguntur ad cedentem, *Caveant Epiſcopi &c.* nec agunt de intentione merè interna: *Ne promiſſio inter eos, aut intentio qualiſcunque intercedat*, utique manifeſtando. Licet autem deſiderare, quod alter licitè facere poteſt, quamvis non ſemper petere: nec eſt, unde lex præſumat malitiam intentionis ſic occultæ. Denique irrita eſt Collatio, ſi fiat Collatori aut Cedentis Conſanguineis, Affinibus, 6

vel familiaribus, aut quolibet modo contra contenta Conſtitutionis.

7 Sextò. Admittere nequit Epiſcopus Renuntiationes reciprocas, ut *in favorem tui, & tu in favorem mei nepotis &c.* Non enim niſi permutatio illi committitur, prohibito omni alio pacto: creſcit autem difficultas approbandi tot pacta, licèt fiant ſine colligatione ad invicem; quanquam quia non exceditur ratio Permutationis, nec extat prohibitio, probabile ſit tenere. Quòdſi fingitur Beneficium, & titulo permutationis fit ceſſio ab ignorante vel ſciente Beneficiato, nulla eſt ſive propter ſubſtantialem errorem cedentis, ſive propter mendacium pernicioſum Eccleſiæ, conſequenter & errorem ſubſtantialem ex parte Prælati.

8 Septimò. Si fit ceſſio cum onere Penſionis, Regreſsûs &c. coram Epiſcopo, eſt Simonia juxta omnes, & de Jure Divino, loquendo per ſe. Nam Epiſcopus regulariter non poteſt dividere Beneficium: ergo onus facto, non jure imponitur, & eſt pretio æſtimabile. Secùs eſt de Pontifice, dumodo nihil illum celetur, ut cautio Laica de danda vel anticipanda Penſione Imo nec Commiſſarius Papæ, cùm Penſionem imponit, probare poteſt tale pactum. Quomodo autem Epiſcopus imponere poſſit Penſionem, ſuprà tactum eſt.

Octavò. Cedens non poteſt petere expenſas Litis pro Beneficio. 9
Nam illæ nec per ſe, nec per accidens conjunguntur præſenti Collationi, cùm factæ fuerint in utilitatem Litigantis, quin Ceſſionarius earum cauſa fuerit: ergo nullo jure petuntur, ſed ſolùm ratione Beneficii ceſſi. Sic expenſæ Litis pro domo, poſſeſſione &c. non augent valorem hujus; nec qui ſine Lite, tamen multo labore Beneficium obtinuit, indemnitatem à Ceſſionario petere poteſt. c. *Super hoc.* de Renunt. Igitur nec Pontifex illum cogere poteſt ad expenſas, ſed ſolùm ſi eâ occaſione Cedens fit egens: ergo multò minùs Epiſcopus, ubi deeſt titulus exigendi temporale.

CAPUT XXXVI.

Quando temporale donum cenſeatur habere rationem pretii rei Spiritualis?

1 Primò. Ceſſat habitudo pretii, loquendo de jure naturæ, ſi temporale datur gratis. Ita c. *Quàm pio.* c. *Sicut.* c. *Epiſcopus.* 1. q. 2. c. *Etſi quæſtiones.* c. *Dilectus* 2. c. *Tua nos.* de Simon. Ratio eſt clara, quia donare non eſt vendere.

Secundò. Idem eſt, ſi temporale 2
datur

datur ex obligatione quidem, ſed in ſuſtentationem, ut cibus ex Juſtitia debitus operanti. Patet ex Matth. 10. Rom. 15. & 1. Cor. 9. & 1. Timoth. 5. c. *Charitatem*, 12. q. 2. c. *Cùm ſecundùm*, de Præb. Non enim fit compenſatio rei ad rem, ſed obligatio naſcitur ex natura ad perſonam, quæ indiget ſuſtentatione; ergo debitâ ab eo, in cujus utilitatem illa occupatur. Et huc pertinent Oblationes piæ, & Canones &c. exigentes quid pro certis muneribus.

3 Tertiò. Habitudo dicti pretii aliud non eſt, quàm quòd detur temporale pro ſpirituali, & in commutationem ejus. Ita jura accipiunt particulam *pro*, & explicant notionem Simoniæ. c. *Gratia*, c. *Gratiam*. c. *Placuit* 102. cum aliis. 1. q. 1. & alibi paſſim. Idémque eſt in commutationibus omnibus & in Legibus, niſi ex circumſtantiis diſtrahatur acceptio dictæ particulæ; nec aliter intelligi poteſt Emptio Venditio.

4 Quartò. Quantùm ad forum internum, neceſſe non eſt, ut quis in actu ſignato quaſi, velit dare pretium. Nam duobus modis intentio eſt Simoniaca; uno formaliter, ſi directè datur temporale pro ſpirituali, ſeu ut loco illius & propter æſtimationem ejus hoc obtineatur: altero, virtualiter & ſecundùm moralem imputationem, per ſolam voluntatem dandi temporale proximè & immediatè ad obtinendum ſpirituale, ſine interventu alterius motivi veri & honeſti. Ita d. c. *Tua*, quia ad malitiam ſufficit voluntas operis, cui illa adjungitur. Sic qui novum ſtipendium petit, utique Simoniacus eſt; idémque eſt, quoties deeſt omnis titulus ſtipendii, laboris accidentarii, honeſtæ amicitiæ, urbanitatis, pietatis. &c.

Quintò. In Foro externo factum 5 ſecundùm ſe judicandum eſt ex Lege, Pactione, causâ Nam ſi Lex prohibet largitionem, ſaltem præſumpta Simonia eſt, ſuppoſitâ materiâ &c. Idem eſt, de Pactione quamvis hæc propter vexationem, ſecuritatem ſtipendii &c. licere poſſit. Quòd ſi cauſa honeſta dandi & accipiendi ſubeſſe poteſt, ex ſolo facto non niſi temerè colligitur Simonia. c. 2. de R. J. c. ult. de Præſumpt. l. *Meritò*. ff. pro ſocio. Quisque enim jus habet ad bonam opinionem, quamdiu alia non cogunt: ſicut è converſo ſecùs eſt, quia factum loquitur, niſi aliunde probetur bona fides.

Sextò. In facto dubio, ſeu capaci utriuſque intentionis, utendum eſt præſumptione. Nam 6 aliàs cooperor tertio, aut rem teneo Simoniacè. Vel ergo intervenit titulus obligationis, aut donationis tantùm? Si primum, clara eſt præſumptio ex dictis: nec enim ſufficit ſola conditio negativa, *Non eſſem facturus* &c. ut patet in Celebrante pro ſtipendio.

Si ſecundum, Præſumptio aliquando eſt contraria, aliquando favorabilis, aliquando neutra d. c. *Etſi quæſtiones.* Contraria quidem, ſi intervenit pactio, taxatio dati. d. c. *Dilectus.* vel exactio. *X.* 1. eod. c. *De Eulogiis.* d. 18. His autem ſeclusis, conſiderandæ ſunt circumſtantiæ.

7 Nam quantitas nimis magna non prodigitur. c. *Super hoc*, de Renunt. & nimis parva pro nihilo reputatur ad movendum animum. Sin mediocris & dubia eſt; ergo reſpectivè ad perſonam determinari debet. d. c. *Etſi quæſtiones*: an perſona ſit dives, nobilis, liberalis, timorata, conſanguinea &c. c. 1. de Donat. c. *Requiſiſti.* de Teſtam. Reſpici etiam debet ſpirituale, quia quò dignius id eſt, eò minùs creditur commutatum. 2. Spectatur materia, quia numerata pecunia ſpeciem malam habet; secùs cibus & potus in quantitate parva. c. *Statutum*, §. *Inſuper.* de Reſcript. in 6. & res mediæ qualitatis penſandæ ſunt exiſtimatione earum. 3. Spectatur tempus ſeu occaſio, ut an fiat ſubventio indigentiæ, an temporale detur immediatè poſt acceptum ſpirituale, & in continenti c. *Emendari.* 104. 1. q. 1. & d. c. *Sicut Epiſcopus.* multóque magis ſi præceſſit, obſtat præſumptioni liberalitatis, quia inducit neceſſitatem. Js. 33. Ex. 33. Eccli. 20. Tamen quia ſolum non ſufficit, cum aliis circumſtantiis expendi debet.

CAPUT XXXVII.

An Pretium Simoniæ ſufficienter dividatur in munus à manu, linguâ, & obſequio?

1 Primò. Diviſio ſufficiens eſt. Ita Communis Theologorum ex c. *Ordinationes.* c De *Ordinationibus.* c. *Sunt nonnulli.* 114. 1. q. 1. c. *Salvator.* 1. q. 3. Nam bona, quæ alter alteri communicat, vel ſunt externa & fortunæ, vel opera, quæ per membra corporis exhibentur, vel favores, interceſſiones &c. quæ verbis fiunt. Hucque referuntur tum mala dictis bonis oppoſita, tum obligationes, promiſſiones &c. quatenus jus ad rem pertinet ad bonum ejuſdem ordinis; nec obligatio variat pretium, ſed modum ſolutionis, quaſi differendo illam. Denique ſcientia, ſanitas &c. non communicantur, niſi per actiones & opera hominis.

2 Secundò. Dare Beneficium Conſanguineo &c. Simonia non eſt. Vel enim de Jure Divino, vel de humano? Non primum, quia nihil recipitur vel expectatur à Conſangui-

guineo; & aliàs nihil ei ut tali donari poſſet, nec etiam pro ipſo orari ſine Simonia: aliud ergo eſt, dare propter Conſanguinitatem, aliud pro temporali. Non ſecundum, quia in c. un. Ut Eccl. Benef. &c. ſolùm notatur acceptio perſonarum; quamlibet autem malam proviſionem dicere Simoniacam, vanum eſt & confundere vitia. Sic etiam c. *Si quis.* 115. 1. q. 1. cumulantur omnes modi illicitæ proviſionis: num ergo Simoniacus eſt, qui ſciens ſe indignum, ex amore ſui recipit Beneficium? Ad c. *Nemo.* de Simon. dictum eſt ſuprà de particula: *Simoniacum eſt utrumque.*

3 Adde per ſe peccatum non eſſe favere Conſanguineo: tamen vitandum eſt & ſcandalum aliorum, ſi ſemper vel frequentiùs ita fit, & proprium, quia affectus excæcat, & facilè judicatur dignior, qui non eſt, per ignorantiam culpabilem.

4 Tertiò. Dare Beneficium propter metum, non eſt Simonia, per ſe loquendo. Vel enim eſſet de Jure Divino, vel humano? Non primum, quia aliud eſt propter aliquid, aliud pro aliquo operari: operari autem ex metu, non eſt operari pro pretio, ut patet in ſervandis præceptis ex metu. Sic dare propter præhabitam amicitiam, non eſt dare pro pretio: ergo nec dare pro habenda, cùm ejusdem rationis ſint fovere ſeu conſervare, & generare illam. Non enim fit pactio, aut intentio ejus ſed effectûs ſeu benevolentiæ & amoris ex natura rei ſequentis ex beneficio: & ideò idem intendi poteſt per munera & obſequia. Non ſecundum, quia jus, utut nullum modum Simoniacum prætermittat, & tacet de hoc, & non irritat punítve factum, ſed patrocinatur metum paſſis, ut in c. *Ad audientiam.* c. *Ad aures.* c. *Abbas.* de his, quæ vi &c.

Dices: ergo poterit dari comminanti mortem, nî des. 2. Idem eſt, ſi petat Princeps, & timeas, ne excidas ſpe pinguioris Epiſcopatûs. 3. Idem de Debitore, ut habeat, unde ſolvat. 4. Idem de filio Judicis, à quo timetur Reo. Ad 1. ℞. ſecluſo pacto intelligi poſſe intentionem benevolentiæ, non pretii; ut ſi ego incipio rogando, ut alter flectatur dono. Et licèt ille petat, moraliter nihil dat, quia non pati injuriam, eſt bonum, ſed non ab illo collatum, nec reſpectu ejus æſtimabile pretio. Et ubi actio reciproca tantùm eſt, aut omiſſio ejus per ſe debita, nec æſtimabilis pretio, & exactio præſentanea eſt; obligatio non æſtimatur, ut quid diſtinctum ab actu, ut patet in Mutuo. 5

Ad 2. ℞. rem pendere ex intentione. Si enim pactum fit, ergo non ex metu, ſed ob lucri promiſſionem datur Beneficium. Idémque eſt, ſi hoc petatur, nam petitur indebitum: & hæc eſt differentia inter lucrum ceſſans, & metum injuſtè incuſſum, quia tunc intentio non eſt de obtinendo lucro, ſed immediatè de offenſa tantùm vitanda. 6

Ad 3. ℟. ſecluſo pacto idem eſſe, ut patet, ſi tertius quidam ſit debitor: at Epiſcopus non debet eſſe deterioris conditionis. Ad 4. ℟. ſecluſo pacto, vitari poſſe etiam Simoniam Mentalem: illud autem clarè Simoniacum eſt, ſicut ſi fit cum creditore, ne petat debitum, aut etiam cum debitore, ut ſolvat, quia ſpirituale tractari puriùs debet, quàm mutuum.

CAPUT XXXVIII.

Quid per munus à manu intelligatur?

1 Primò. Comprehenditur pecunia dictâ voce, ſive numerata ſive promiſſa, etiam in parva quantitate. Ita § 1. & §. *Item pretium.* Inſt. de Empt. Vend. & Act. 8. & c. *Placuit.* 102. 1. q. 1. c. *Siquis præbendas.* 1. q. 3. c. 2. c. *Nobis.* c. *De hoc.* c. *Cùm eſſent.* c. *Tua.* c. *Ex tuæ.* de Simon. Nec ad rem eſt c. *Etſi quæſtiones.* eod. nam agit de dono, non de pretio: & c. *Judices.* 1. q. 1. quod dicitur de Eſau, & puero Saulis, ſupponunt omnes, materiam eſſe ſufficientem.

2 Secundò. Idem eſt de re qualibet pretio æſtimabili. Ita c. *Totum.* 6. 1. q. 1. c. pen. 14. q. 3. d. c. *Etſi.* d. c. *Tua.* & c. *In tantum.* eod. Quid autem tunc pretium ſit, de voce eſt: imò de conſenſu Partium ſiquid ſubſtituitur pecuniæ, contractus eandem vim habet. l. *Pretii.* Cod. de Reſcin. Vend. Idem ergo eſt de remiſſione debiti factâ vel promiſſâ: non enim gratuitò fit, ſed contractu oneroſo l. 2. ff. de Calumn. l. *Si mulier.* ff. de condict. cau. dat. c. *Veniens.* 10. de Teſtib. c. *Cùm ſecundùm.* de Præb. c. *Per tuas.* de Simon. c. *Talia.* 8. q. 3.

Tertiò. Idem eſt de Mutuo. Nam 3
eſt temporale commodum, & movet; ut l. *Quisquis.* Cod. *Si* cert. pet. ubi mutuans reputatur *Emptor Legum.* Differentia ergò eſt, quia ad juſtitiam Mutui ſufficit nil peti pretio dignum: at ſpirituale eo magis conculcatur, quo vilius eſt temporale; & ita ut notum Doctores ſupponunt potiùs, quàm diſputent, quòd non ſemper teneat argumentum ex Mutuo c. 1. de Uſur. Idémque eſt de dilatione ſolutionis debitæ vel anticipatione, nam eſt virtuale mutuum. Secùs eſt, ſi petatur res pro nunc clarè debita, ita ut fiat vis vel clara injuſtitia.

Quartò. Idem eſt de Penſione 4
ſolvenda Collateri, Renuntianti, Curiali &c. Patet ex c. un. Ut Benef. Licèt enim ibi liceat conſervatio ad tempus, ut tenet Communis, & Clem. 2. eod. & c. *Si propter.* de Reſcript. in 6. tamen quia ad eam legitimandam nil facit pactio, præſumi-

ſumitur iniqua. Sic cùm nuntianti Vacaturam promittitur, licèt eſſe videatur pro temporali obſequio: tamen quia via paratur ad Beneficium, pro hoc dari cenſetur, tanquam munus à manu, juxta æſtimationem Juris, ſicut quoties datur ſpirituale pro ſpirituali contra prohibitionem Juris.

CAPUT XXXIX.

Quid comprehendatur ſub munere ab obſequio?

1 Primò. Dare Beneficium propter obſequia temporalia jam facta, in eorum compenſationem & quaſi ſolutionem debiti ex juſtitia ad mercedem condignam tribuendam, Simonia eſt; ſecùs eſt, moveri tantùm ad dandum gratis, & ultra omne debitum. Nam prius perinde eſt, ac dare pro remiſſione debiti, quia quod reſultat ex obſequiis, reſolvitur in debitum pecuniarium, ut ſi Vicario non detur ſalarium per aliquot annos. Nec refert, an obſequium honeſtum ſit, an turpe. Ratio poſterioris eſt, quia Epiſcopus nec formaliter, nec virtute quid recipit, aut ſperat: & ita ſine ſcrupulo Simoniæ fieri poteſt, ſuppoſitâ mercede condignâ.

2 Vel ergo ſine pacto tacito ſervitur Principi, vel ex officio & per ſervitium neceſſarium? Si primum, ergo quod fit, gratuitum eſt utrinque. Si ſecundum, ergo ex ſervitio voluntariè acceptato naſcitur intrinſecè obligatio Juſtitiæ ad dandam mercedem; ergo ſaltem minima in ratione juſti dari debet: aliàs non video, quomodo excuſari à Simonia poſſint, qui ab his ſerviri & miniſtrari volunt ſolâ vel ferè ſolâ ſpe retributionis ſpiritualis cum commodo temporali ei annexo.

3 Secundò. Dare Beneficium cum onere obſequii temporalis non annexi, Simonia eſt propter pretium ſaltem promiſſum. Ita c. *Cùm eſſent.* de Simon. Exemplum eſt, ſi detur cum onere docendi Epiſcopum Theologiam &c. Secùs erit, ſi detur cum ſpe talis gratitudinis, quia hæc non tollit, quin Beneficium gratis detur. S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 2. agens de Mutuo.

4 Tertiò. Secùs eſt de obſequio temporali, quod Beneficio annexum eſt. Conſtat ex uſu Eccleſiæ, & ex Trid. ſ. 25. c. 5. de Ref. & ſ. 23. c. 18. & ex c. 1. & 4. de Magiſt. & in officiis Sacriſtæ, Theſaurarii &c. Nam reditus etiam ad temporalia Officia ſunt neceſſarii Eccleſiæ: ergo ad ea etiam Præbenda deputari poteſt, ſtante compatibilitate miniſterii, & proportione redituûm. Nec enim obſequium oneroſum habet rationem

nem ſtipendii: ergo ſi annectitur Juri præſentandi, eligendi &c. venditur ſpirituale, ſicut ſi Penſio imponitur Titulo ſterili. Poteſt autem fieri dicta annexio, Beneficio vacante, & ab Epiſcopo in Caſibus Jure vel Conſuetudine conceſſis, non tamen regulariter in ſuum commodum. c. un. Ut Eccl. Benef. c. *Conſtitutus.* de Relig. Dom.

5 Quartò. Obligari ad obſequium ſpirituale non annexum per ſe Beneficio, Simoniacum eſt de Jure Eccleſiaſtico. Ut ſi Collator petat miniſtrari ſibi in ſpiritualibus, aut Patronus tot Miſſas (quod in ordinatione fit, conſuetudine añexum eſt, vel à Paſtoribus Eccleſiæ impoſitum) vel ſi Electores ſic ſe juvent in hujus, dein illius electione; ſi Vicario dentur 50. donec Beneficium competens habeat, nam Epiſcopus lucratur, quod detrahit ſalario ſervientis ex officio; aut ſi Vicarius Beneficium Curatum adminiſtret per alium ſine ſalario, tacitè promittens Beneficium. Nam vel reſolvitur in temporale lucrum contra Jus Divinum, vel ſaltem eſt contra Eccleſiaſticum, c. *De hoc.* de Simon. nam commutare ſpiritualia non eſt contra Jus naturæ, loquendo per ſe.

Quintò. Obligari ad obſequium ſpirituale annexum Beneficio, non eſt Simoniacum. Ita c. *Significatum.* de Præb. nam tranſit res cum onere: quod explicare non nocet, ſed prodeſſe poteſt ad tollendam ignorantiam vel tergiverſationem. Eſtque hæc inſtitutio & natura Beneficiorum, orta ex illo: *Dignus eſt operarius* &c. Imò idem, quod de Inſtitutione, etiam de additione oneris eſt, ſuppoſitâ poteſtate, ut patet ex 10. q. 1. & Trid. ſ. 24. c. 10. de Reform. 6

Sextò. Sine dubio licet dare quid Eccleſiæ cum onere obſequii ſpiritualis, etiam obligando ex Juſtitia. Conſtat ita ex uſu, ut controverti non poſſit. Vel enim eſſet Simonia contra Jus Divinum, vel Eccleſiaſticum? Non primum, quia ſpirituale non emitur, ſed temporale datur ad uſum ſpiritualem, ut aurum pro Calice, fundus pro Eccleſia, vinea pro alendis Clericis &c. Caſtiùs tamen dicitur, per Prælatos temporalia annecti ſpiritualibus, quàm è converſo. Non ſecundum, ut patet ex c. *Olim.* de Reſt. Spol. c. *Verùm.* de Cond. appoſ. c. ult. de Teſtam. c. *Ex parte.* 3. de V. S. Clem. *Dudum.* de Sepult. 7

CAPUT

CAPUT XL.

Quid comprehendatur ſub munere à lingua?

1 Primò. Preces factæ Prælato ſine promiſſione alia vel pacto, non habent rationem pretii. Vel enim de Jure Divino, vel Eccleſiaſtico? Non primum, quia dare vel facere propter preces non eſt vendere; ſic enim dantur Indulgentiæ, Privilegium, Mutuum; & Precarium diſtinguitur ab Empto, & qui preces offert, nil donat, & qui ſic accipit, manet obligatus obligatione antidorali, ſecùs ac emens. Non ſecundum, nam diſtinguuntur precari & emere. c. *Pueri* 120. 1. q. 1. quamvis illud periculo non vacet propter obligationem, quæ ex recepto reſultat. Adde preces approbari c. *Tua.* de Simon. c. *Latorem.* c. *Filium.* 121. & ſeq. 1. q. 1. & uſu quotidiano.

2 Confirmatur, quia facta communia & tolerata non debent damnari ſine cogente ratione: at docti & timorati petunt Beneficia Curata, nec Concurſus aliud eſt, quàm tacita petitio, quin argui poſſit præſumptionis. Quia ſto judicio alieno; nec ſi meo, reputo me digniorem omnibus etiam præſentibus poſitivè, ſed quia neſcio exceſſum: & ſi eſſem præſumptuoſus, adhuc illatio valde frigida eſt, me eſſe Simoniacum. Idémque eſt, licèt pro alio intercedam, eóque indigno, aut ſi apud potentem, familiarem Epiſcopi; eſto, peccatum ſit alterius rationis, & aliquando Simonia præſumpta, ſi non apparet motivum conferendi Beneficium.

Secundò. Si Collator dando Beneficium, intendit obligare alium ad 3
preces pro ſe fundendas; recipit tunc propriè munus à lingua & Simoniacũ: idémque eſt, quoties preces vel interceſſiones præcedunt ſub pacto vel promiſſione Beneficii, ſi fiant. Patet ex juribus ſuprà cit. quæ ponunt hoc munus; nam alio ſenſu intelligi non poſſunt. Dein munus debet eſſe reſpectu Simoniacè dantis ſpirituale, ut in munere à manu & obſequio: preces autem ſic munus ſunt, non cùm Collatori, ſed cùm pro ipſo fiunt, utique ex pacto; aliàs erunt gratuitò oblatæ.

Exempla ſunt, ſi Epiſcopus promittat Beneficium, ſi Rex petat, 4
nundinando ſic ejus gratiam; vel ſi viciſſim petat laudes apud eum, vel fictionem, quâ vir illuſtris eum dicat ſuum conſanguineum. Idémque eſt de aliis adulationibus &c. quæ vi pacti ſequuntur, quia ſunt quid pretio æſtimabile, ſicut obſequia alia. Imò in re non diſtinguuntur genere, ſed quia ſervilia non ſunt, ut vendi vel locari ſoleant, ſed etiam à Nobilibus &c. fiunt, diſtinctè ponuntur

tur propter magis occultam rationem pretii. De ſpirituali munere à linguâ dictum eſt ſatis, comprehendendo illud ſub obſequio.

CAPUT XLI.

An Simonia convenienter & ſufficienter dividatur in Mentalem, Conventionalem & Realem.

1 Primò. Conveniens & ſufficiens eſt dicta diviſio. Nam à Canoniſtis maximè datur ad Jura explicanda, præſertim pœnalia: & Emptio Venditio tria poſcit; rem venditam, pretium, & contractum. Unde mentalis Simonia non accipitur pro mero propoſito interno; quod in omni genere vitii eſſe poteſt, ut eſt fornicatio mentalis &c. & ita explicatio vitio externo, quale de ſe eſt Simonia, nihil habet ſpeciale præter ea, quæ communia ſunt omni vitio mentali. Jura autem non puniunt, quod per ſe occultum eſt.

2 *S*imonia ergo Mentalis conſiſtit in datione vel receptione aliqua, quæ de ſe indifferens eſt, & solùm per intentionem fit Simoniaca, ſicut in tactu de ſe indifferenti intelligitur fornicatio mentalis. Patet ex c. *Tua*, de Simon. ubi exemplum ponitur dictæ Simoniæ, & ideò illa nunc eſt in uno tantùm, nunc in utroque, quamvis per accidens, ſeclusâ inductione mutuâ. Conventionalis Simonia eſt, quando fit pactio, nondum tamen conſummata in re. Nam tunc additur Realis; & ita hæ quaſi ſpecies ſolùm diſtinguuntur, ut peccata cordis, oris, ac operis, & ut includens & incluſum, magis & minùs completum.

Secundò. Quamvis de nomine ſit, quando Simonia dicatur conſummata, rectè tamen defenditur, illam magis conſummari per dationem rei ſpiritualis tantùm, quàm pretii tantùm. Ita Redoan. contra Nav. Sumitur exemplo Venditionis l. 2. ff. de Contr. Empt. & §. 1. Inſt. de Empt. Vend. Materia enim propria eſt res venalis, & quod per ſe intenditur, eſt translatio illius: pretiũ autem ſolùm eſt inſtrumentum. Dein pecunia & promiſſio ejus pro eodem reputantur: ideò etiam Jura Simoniam maximè explicant per traditionem rei ſpiritualis. Hæc de voce: de effectu pœnali autem Simoniæ Realis dicetur infrà. 3

CAPUT

CAPUT XLII.

De Simonia Ficta.

1 Primò. Certum eſt, non committi veram Simoniam, cùm promiſſio dandi ſpirituale ficta eſt. Ita Cajet. Tol. Pet. Nav. Deeſt enim intentio, ut cùm fingitur Matrimonium, Profeſſio &c. ergo non fit vera conventio externa, quia non poteſt eſſe vera ex una parte tantùm; eſto alter tunc committat Simoniam Mentalem, fundatam in falſa exiſtimatione de mente alterius; non tamen Conventionalem niſi putatam. Diſtinctio autem Navarri inter Conventionem & Largitionem rei ſpiritualis pro temporali, nulla eſt, quia convertuntur membra, vel potiùs ſe habent ut definitum & definitio.

2 Idémque eſt, ſi fictio utrinque ſit. Solùm enim erit Simonia vel ex conſcientia erronea, vel per modum ſcandali, quatenus uterque putat ſe inducere alterum ad veram Simoniam, quæ tamen in re nec eſt Conventialis, nec Realis. Sed objicit Navarrus, ipſam promiſſionem eſſe quid pretio æſtimabile, & ſufficere laudes fictas ad Simoniam vel dari aurichalcum pro auro.

3 Secundò. Si fingiturpromiſſio rei temporalis, non fit vera Simonia. Ratio eſt eadem, quia deeſt vera conventio; nec deceptor dat promiſſionem ut pretium, vel partem ejus: aliàs juxta Navar. per ſolam dationem rei ſpiritualis compleretur Simonia. Sufficit enim ſolviſſe partem pretii: at preces, laudes, &c. non ſunt pretium, niſi directè ita offerantur: ergo multò minùs promiſſio ficta. Solùm enim via eſt ad decipiendum, & diverſo modo, quàm per aurichalcum fiat, quia in hoc non deeſt intentio ſolvendi aliquid ſaltem pretii, utut vile ſit.

CAPUT XLIII.

De Simonia Confidentiali.

1 Primò. Hæc Simonia fit circa Renuntiationem Beneficii; & ſpecialiter punitur à Pio IV. & V. & Sixto V. Fit autem, cùm cedens confidit, Beneficium idem ſibi vel alteri renuntiatum iri: éſtque Confidentia vel *Regreſsûs*, propter jus quaſi regrediendi, vel *Ingreſsûs*, quando collatum, ſed non poſſeſſum renuntiatur cum Confidentia ingrediendi poſſeſſionem ſuo tempore. Proviſor verò peccat, cùm eligit,

præſentat &c. confidendo renuntiatum iri Beneficium, vel fructus vel partem eorum ſolutum iri.

2 Secundò. Materia dictæ Simoniæ ſunt Beneficia tantùm, non Penſiones. Nam de illis tantùm agunt Bullæ; & odia non extenduntur ad ſenſum improprium, Penſio autem Beneficium non eſt: nec etiam regulariter renuntiabilis, nec confertur inſtitutione Canonica: aliunde Bullæ intendunt, ut Reſignatio ſit vera, integra, perpetua, ſicque occludatur janua infinitis fraudibus: ergo nec ad Penſiones extenſio fit, nec ad alias Confidentias Simoniacas, ut in Permutatione reciproca, triangulari &c. cùm illa in communi modo loquendi Jurium & Juriſtarum non veniat nomine *Renuntiationis*, aut *Ceſſionis*. Secùs autem eſt de Collatore, *ſi contulerit Beneficium quovis modo* (ergo & causâ permutationis) *vacans eâ conditione* &c.

Tertiò. Ad pœnas dictæ Confidentiæ incurrendas ſufficit, Benefi- 3
cium ab uno datum, & ab altero acceptum eſſe cum dicta Confidentia, licèt Simonia utrinque completa non ſit. Ita dictæ Bullæ. Igitur Epiſcopus, Prælatus, Superior interdicitur ab ingreſſu Eccleſiæ; & in inferiores fertur Excommunicatio ipſo facto, & reſervata. Dein Reſignatio & Collatio eſt nulla, junctâ inhabilitate ad idem Beneficium, & omnia inde ſecuta. Rurſus privatur reus omnibus Beneficiis & Penſionibus antè obtentis (ſcilicet poſt ſententiam declaratoriam criminis) junctâ inhabilitate ad quævis alia obtinenda. Denique Beneficium, circa quod Confidentia commiſſa eſt, manet affectum S. Sedi, nec per alium conferri poteſt; & malè percepta cedunt Cameræ Apoſtolicæ.

CAPUT XLIV.

An ad Simoniam mentalem ſufficiat, principaliter intendere temporale medio ſpirituali?

Affirmant Hoſt. Abb. Felin. Nav.
1 Covar. S. Thom. Major. Bonav. Alens. Altiſ. Adr. Anton. Card. Durand. & Summiſtæ frequentes, ſufficere ad dictam Simoniam, ſi ſecluſo pacto, receptio rei temporalis ſe habet ut finis principalis dandi. Debet enim ex parte objecti intelligi quædam habitudo medii inter dationem rei temporalis, & acquiſitionem rei ſpiritualis, & è converſo: habetur autem, ait Durand. reſpectus ad temporale, *quando ſine his non eſſet aliàs collaturus.*

Facit

Facit c, *Tua nos* c. *Non ſatis.* de Simon. c. *Quàm pio.* 1. q. 2. cum ſimilibus.

2 Primò. Conſtituitur dicta Simonia per voluntatem dandi temporale, ut pretium rei ſpiritualis, & tanquam ex contractu oneroſo & inducente obligationem cum opere ſubſecuto, accipiendi ſcilicet eodem animo rem ſpiritualem pro temporali, ſive hoc intendatur ut finis principalis operantis, ſive non. Ita Victor. Valent. Soto. Licèt enim obligatio perſonalis pendeat à pacto; tamen interdum cogitari vel æſtimari poteſt tanquam orta ex reipſa: unde conſequenter intenditur acceptio rei ſpiritualis, tanquam ſibi debita ratione rei temporalis, quaſi compenſando unam cum altera. Dein licèt non ſignificetur exteriùs pactio, tamen unus de alio ſuſpicari poteſt, quòd unus det ita compenſando. Quo ſuppoſito, intentio juxta omnes eſt Simoniaca, utpote ejuſdem ſpeciei cum pacto externo, conſequenter idem habens objectum, nempe commutationem rei temporalis cum ſpirituali, ſeu dationem hujus pro pretio.

3 Secundò. Non refert, an temporale ſit principalis finis, vel ſecundarius, ſi non ſe habet ut pretium. Patet in militante propter ſtipendium, Celebrante in ſtatu peccati ob ſtipendium, Concionatore aucupante gloriam, laudes, promotionem; mutuante, ex miſericordia vel vendente triticũ egenti Non ergo confundi debet ratio finis principalis cum ratione pretii, quia hoc ſi honeſtè appetitur, non habet rationem finis, ſed inſtrumenti & medii, non verò rationem boni propter ſe amabilis.

Finis autem principalis vel eſt 4
ſimpliciter talis & in omni genere, vel ut proximus tantùm, ſive reſpectu operis tantùm, ſive reſpectu operantis. Et iſte vel ſe habet totaliter, ut ſcientia reſpectu totius ſtudii; vel partialiter & ex æquo, ut delectatio & ſuſtentatio in comedendo, in eleemoſyna ſubventio pauperis & ſatisfactio pro peccatis; vel partialiter & non ex æquo, quia nec talis res ſola eſt finis, nec una æquè ac alia intenditur per tale medium, ſed una principaliùs reſpectivè, abſolutè tamen & ſimpliciter neutra, ſed aggregatum utriuſque.

Porrò ratio pretii conſiſtit in hoc, 5
quòd temporale detur pro ſpirituali in commutationem ejus cum habitudine rei ad rem, quam Juſtitia Commutativa reſpicit. Conſequenter autem involvit, ut per pretium ſolvatur obligatio orta ex re accepta, vel ex opere præſtito, reſpiciendo ad valorem vel æſtimationem ejus; aut è converſo, ut dato illo oriatur obligatio in alio dandi ſpirituale ſub proportionali habitudine rei ſufficienter æſtimatæ & recompenſatæ. Et hæc deſcriptio conſtare poteſt & ex ipſa verborum declaratione, & ex uſu communi Jurium, quæ de pretio lo-

loquuntur ; omniúmque ementium & vendentium, & ex latiùs dictis ſuprà c. 16.

6 Tertiò. Quamvis temporale ſit principaliter intentum per miniſterium ſpirituale, ut finis operantis ; ſi tamen non intenditur, ut pretium, ſed ſub alia ratione ſtipendii vera & poſſibili, non eſt Simonia, etiamſi aliquod aliud peccatum eſſe poſſit in tali intentione. Colligitur ex dictis, eſtque certiſſimum, quod dixit Nav. finem præcisè ſine quo non, non ſufficere ; aliàs omnes Beneficiati eſſent Simoniaci. Idémque eſt de fine principali operantis : nam diſtinctio cauſæ principalis & impulſivæ nil facit ad præſens, quia ſi movet in ratione pretii, miniſterium eſt Simoniacum ; eſto cauſa ſit impulſiva : ſi autem principalis eſt, ut in ſtipendio, ceſſat ratio Simoniæ eo ipſo, quòd abſit ratio pretii.

7 Igitur Doctores contrarii intelligendi ſunt vel de quolibet Sacrilegio, quod fortè annexum eſt fini principali, vel de fine operis, qui intenditur quaſi proportionatus & commenſuratus operi, & tanquam fructus proprius operis ſpiritualis, quaſi ex illo natus ; nam id intendere eſt virtute intendere pretium. Finis autem quilibet etiam principalis operantis non convertitur cum pretio ; nec etiam ſemper eſt malus, aut excludit intrinſecum & objectivum finem operis ſpiritualis, ut laudem Dei in Oratione, eſto alius plùs moveat.

Quartò. Simonia Mentalis committitur etiam circa prohibita Lege tantùm Eccleſiaſticâ. 8
Licèt enim Lex Eccleſiæ directè non cadat in actum internum ; tamen prohibendo externum, mutat objectum voluntatis internæ, ratione cujus ipſa eſt mala, ut velle furari in Eccleſia Sacrilegium eſt mentale. Oppoſita autem ſententia Canoniſtarum vel intelligitur de punitione, vel quando Eccleſia ſolùm prohibet pactionem externam, ut eſt renuntiare ſub conditione in favorem Tertii &c. nam deſiderium, ut Beneficium detur tertio, non opponitur præcepto.

CAPUT

CAPUT XLV.

An intentio remunerandi dono ſpirituali antidoralem obligationem, ortam ex temporali, faciat Simoniam mentalem; & an liceat dictam obligationem in pactum deducere?

1 Primò. Dare donum, quodcunque ſit, cum ſpe gratitudinis, & intuitu remunerationis per ſpirituale donum ex pura gratitudine obtinendum, & ex hac intentione conceptâ externum obſequium vel munus imperare, ſine ulla alia obligatione exteriore; nec Simoniacum eſt, nec illicitum, per ſe loquendo. Ita communis omnium tam in materia de Uſura, quàm in præſenti. Nam antidoralis obligatio non eſt voluntaria, ſed neceſſaria recipienti Beneficium, & ideò naturalis vocatur à Juriſtis, & Theologis. Sic obligatio pietatis in filio naſcitur vi originis, nec pater intendendo generare gratum, addit obligationem novam & poſitivam.

2 Secundò. Idem eſt, ſi detur ſpirituale præcisè ad ſatisfaciendum obligationi antidorali. Sicut enim eadem ratio eſt de emente & vendente ſpirituale, ita etiam de volente officium gratitudinis & ſolvente. Dein ſicut vi Beneficii per ſe naſcitur dicta obligatio, ita etiam extinguitur naturaliter ſine voluntate diſtincta ab acceptione remunerationis. Nec in hoc inordinatio eſt, per ſe loquendo, ut patet ex uſu piorum in remuneranda eleemoſyna; & gratitudo reſpicit affectum potiùs, quàm datum: ſícque ſine vilipendio poteſt dari quid majus & ſanctius. Deordinatio autem erit ex acceptione perſonarum, turpitudine obſequii &c.

Tertiò. Si donum præcedit receptionem Beneficii; nec intrinſecè malum eſt, nec per ſe Simoniacum, petere animum gratum à recipiente donum, & poſtulare recognitionem ſuæ obligationis naturalis: cavendum tamen eſt propter periculum & ſpeciem pactionis, maximè quando ſpiritualia habent annexam utilitatem temporalem. S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 3. Conſtat exemplo Pauperum & Religioſorum etiam, promittentium gratitudinem non addendo, ſed recognoſcendo tantùm ſuam obligationem; quamvis ſi plus velint, non peccent. Ratio eſt, quia malum non eſt, petere quod alter ex ſe tenetur. Tamen quia in Beneficiis utilitas temporalis maximè quæritur, ſícque facilè miſcetur alia intentio; caven- 3

cavendum eſt periculum ſcandali, ſuſpicionis, imò etiam præſumptionis pacti, quæ in foro externo generatur ex dicta petitione, &c.

4 Quartò: Non licet in pactum deducere antidoralem obligationem cum ſpeciali promiſſione illam implendi, vel non dandi temporale niſi ſub conditione & modo implendi dictam obligationem. Sermo eſt de vero pacto, quod novam pariat obligationem ultra naturalem, quam poſitivam vocare poſſumus ex voluntate contrahentium. Eo ipſo autem oritur obligatio Civilis etiam in foro externo (ſi per modum Legibus præſcriptum de ea conſtet) vel in interno. Vel ſaltem ratione honoris & famæ inter homines, magis premit obligatio verbi, quàm ſolius gratitudinis: ergo Simonia eſt non palliata, ſed manifeſta; eſto ex benevolentia tantùm petatur quid ante præſtitum Beneficium, addendo conditionem &c.

5 Contrarium enim aperit januam latiſſimam Uſuris & Simoniis; quomodo enim expreſſiùs fieri poteſt pactio quàm dicendo: *Faciam, ſi feceris &c.* Et per additum *liberaliter &c.* propoſitio falſificat ſeipſam, ut ſi dicatur: *dabo Beneficium liberaliter, ſi & tu liberaliter dederis 100. aureos.* Nec enim gratitudo obligat pro ſemper, nec ad omnia, quæ alter ſibi reputat utilia. Nec refert, generatim & indifferenter tantùm exigi dictam obligationem; quia ſi hæc præcedere debet, res non datur ſine promiſſione per ſe onerosa: & quia ſub disjunctione æquè offertur temporale ac ſpirituale, quælibet pactio deturpat in beneficiis. Denique ex circumſtantiis ſatis determinatur promiſſio ad tale genus bonorum: ergo non licet eam exigere.

Quintò. Poſt donum purè & ſine conditione receptum, non eſt 6
Simonia dare ſpirituale, non ſolùm intentione explendi obligationem antidoralem, ſed & verbis explicando dictam intentionem, imò etiam poſtulando, ut alter obligationem remittat, quando prudenter exiſtimatur beneficium ſufficiens pro ratione obligationis & perſonæ. Sequitur ex principio generaliter recepto, quòd exprimere ea quæ inſunt, non facit Simoniam, ſi nulla additur obligatio, quæ de jure non ineſt. Gl. Abb. Felin. in c. *Ad audientiam,* 2. de Reſcript. ex c. *Ex inſinuatione* de Simon. c. *Olim* 1. de Reſt. ſpol. c. *Significatum* de Præben.

Hinc etiam ſecluſa palliatione 7
poſt Beneficium purè præſtitum, licet petere ut aliud donum liberale, ita etiam promiſſionem gratuitam. Imò ut debita peti poteſt, ſi hîc

hîc & nunc ob circumſtantias ſpecialis neceſſitatis judicetur obligare gratitudo. Quia tamen id ordinarium non eſt, petitio alteri onerosa & propter materiam periculoſa eſt: quamvis ſi officium petitur ut liberale & gratuitum, non appareat malitia intrinſeca, loquendo per ſe.

CAPUT XLVI.

An ſit Simonia Conventionalis, deducere in pactum ſtipendium ſuſtentationis pro ſpirituali functione non debita ex officio?

1 Primò. Eſt de Fide, licitè dari & recipi dictum ſtipendium. Ita Matth. 10. Luc. 10. & 1. Cor. 9. Conſtátque ex uſu Eccleſiæ, ipſáque inſtitutione Beneficiorum & Decimarum, & ex 1. q. 1. 2. & 3. per tot. & 12. q. 2. & 16. q. 1. per tot. Nec tunc pretium intervenit, quia Chriſtus utrumque conjunxit: *Gratis date*, & *Cibum ſumitè*; & quod datur, non eſt ratione rei, ſed perſonæ, quæ ſuſtentatione eget; ſícque etiam, qui ſtipendium dat, gratis dat, ſeu citra comparationem rei ad rem, quamvis obligatus ex Juſtitia, ut conſtat de Decimis.

2 Secundò. Exigere Stipendium ſuſtentationis etiam præmiſſo pacto, non eſt Simonia. Ita nunc communis Cajet. Sot. Vict. Nav. Redoan. Nam vel obſtat Jus Divinum, vel humanum? Non primum quia pactio ut ſupponitur, formaliter cadit ſub ſtipendium: ergo ceſſat ratio pretii. Dein ſolùm exprimitur, quod ex natura rei ineſt, quia ex naturali juſtitia debetur ſuſtentatio. Non ſecundum, quia conſuetudo interpres optima declarat, abeſſe prohibitionem. Solùm enim prohibentur Commutationes, non ſtipendia: & horum taxatio neceſſaria eſt; aliàs nec poſſet nec deberet quid recipi. Unde ſi nec Lex, nec conſuetudo taxat, eò fortiùs probatur neceſſitas Conventionis, & c. *Dilectus.* 2. de Simon. agit de taxatione, ubi abeſt titulus juſtus.

Tertiò. Tenet dicta regula etiam 3
in divite Sacerdote. Nam Jure Divino poteſt vivere de Altari, nec tenetur aliter miniſtrare magis quàm dives miles: nec hoc eſt turpe lucrum; aliàs omnes Canonici damnandi eſſent. Idem eſt de Jure Eccleſiaſtico ut patet ex c. ult. 1. q. 2. & uſu. Alia autem jura agunt vel de exactione improba & contra Juſtitiam, vel de hoc, quod decet; ſignificando culpam gravem, quæ eſ-

ſe poteſt, cùm Clericus magis utitur reditibus ad congregandum, quàm ad ſubveniendum pauperibus.

4 Quartò. In dicto pacto non eſt ſpecies mali, niſi propter verba inordinata, vel modum inordinatum. Non enim dicendum eſt *Pro Miſſa*, ſed *ad ſuſtentationem*, éſtque abſtinendum contentione &c. Poteſt ergo taxari ſtipendium & quoad ſummam, & quoad minimam quantitatem reſpectu dantium, ut fit in Decimis, Procurationibus, Congruâ Vicarii, Titulo pro Ordinibus, & in omni taxatatione juſta. *Reſpectu* inquam, *dantium*; nam recipientibus prohibere, eſſet prohibere, ne gratis miniſtrent. Quanquam prohibitio alicubi poſſit eſſe conveniens, imò & uſitata.

CAPUT XLVII.

An exigere ſtipendium pro Miniſterio debito ex officio, ſit vera Simonia Conventionalis?

1 Primò. Temporalia, quæ Jure Eccleſiaſtico conceſſa ſunt miniſtrantibus ex officio, juſtè & abſque Simonia exigi poſſunt. Nam Eccleſia habet jus taxandi ſtipendium competens, nec hujus judicium pertinet ad ſubditos, quibus miniſtratur, ut patet in Decimis. Ultra quas ſtatuitur ſtipendium duobus modis; uno, Oblationes ſpontaneas acceptando, & in jus convertendo; altero abſolutè exigendo, ut Cathedraticum, 10. q. 3. per tot. Synodaticum. c. *Conquerente.* de off. Ordin. Procurationes c. *Cùm Apoſtolus.* c. *Cùm Venerabilis.* c. *Procurationes.* de Cenſ. & c. 1. §. 1. & pen. eod. in 6. c. *Relatum* cum aliis 10. q. 3.

2 Si ergo quantùm ad Oblationes, exceditur in modo, non erit Simonia, niſi ratione ſcandali vel præſumptionis, ſed uſurpatio Juriſdictionis. Quoad alia, ſtandum nunc eſt conſuetudine, ut d. c. *Conquerente* notant Innoc. Abb. & alii. Licèt autem intentio dictorum Jurium ſit vitare exceſſum; ſupponunt tamen, quòd juſtè exigi quid poſſit ob dictos titulos, conſequenter etiam à divite Epiſcopo, ut ſine cauſa ſcrupulos injicit Soto. Nam Jus non diſtinguit, ubi tamen debuiſſet diſtinguere; & Trid. ſ. 24. c. 3. de Ref. non ignoravit divites; & aliàs quomodo dives recipit Oblationes, reditus prædiorum Eccleſiæ &c. Rectè autem attenduntur expenſæ extraordinariæ, ne mora fiat officii; & ut Jus ob egeſtatem poſitum non mutatur, ita aggravatur obligatio Epiſcopi ad pia opera, quò plus percipit ultra ſuſtentationem.

Secundò. Quando jure communi prohibentur exactiones pro Miniſterio per ſe debito, grave peccatum 3

tum

tum eſt, ſtipendium pro ea petere, quamdiu Juri derogatum non eſt. Ita c. *Cùm in Eccleſia.* c. *Sicut pro certo.* c. *In tantum.* de Simon. c. *Quidquid.* 101. cum ſeqq. 1. q. 1. c. *Ex multis.* cum aliis. 1. q. 3. Et de injuſtitia quidem conſtat, itémque de Simonia ſaltem præſumptâ etiam ex natura rei, cùm ſit titulus coloratus, ut de muneribus dictum eſt, quia ipſo exercitio profitetur quis contrarium intentioni dandi gratis; certiúſque hoc eſt ſuppoſitis Legibus prohibentibus exactionem.

4 Tertiò. Quamvis inferior Papâ ut Epiſcopus, ſeclusâ conſuetudine non poſſit ſtatutum condere contra Jus commune, tamen ex juſta cauſa poteſt ſtatuere, ut liceat exactio &c. Prior pars patet ex c. *Cùm majoribus* de Conſtit. c. *Jacobus.* de Simon. Poſterius ſumitur ex d. c. *Conquerente.* c. *Suam.* eod. c. *Cùm Apoſtolus.* §. *Prohibemus.* de Cenſib. Trid. ſ. 24. c. 14. de Reform. Sic Parocho indigenti ſuccurri per Prælatum poteſt, cùm ipſe non habeat jus exigendi quid eo titulo, utpote privatus. Epiſcopus autem, ſi cauſa manifeſta ſit, etiam ſibi providere poteſt juxta jura cit. In dubio autem Superiorem adire debet.

Quartò. Ubi nec approbatur, nec prohibetur Jure communi, exactio hujuſmodi illicita eſt & injuſta, & Simonia ſaltem præſumpta, niſi fiat ex juſta cauſa per publicam authoritatem probata. Ita dicta Jura, nam prohibent exactionem tanquam per ſe improbam; éſtque clara injuſtitia, ſuppoſitâ Congruâ. Nec refert agi de opere pio, quia medium, quidquid ſit de fine, adhuc injuſtum eſt: quo enim Jure cogitur ſubditus, ut ſuis ſumptibus faciat opus pium? Imò in commodum Prælati id fit, ut vitet onus, ad quod fortè de ſuo teneretur. 5

CAPUT XLVIII.

An Exactiones Temporalium pro ſpiritualibus poſſint conſuetudine honeſtari?

1 Primò. Non omnis conſuetudo talis reprobanda eſt. Conſtat ex Trid. ſ. 24. c. 14. de Ref. Nam materia conſuetudinis non ſemper eſt intrinſecè mala, ſed poteſt ſubeſſe titulus debiti; nec conſuetudo durat ſine authoritate Prælatorum: de his autem ſemper rectè præſumendum eſt, niſi contrarium conſtet arg. c. *Mos antiquus.* cum aliis d. 63. Dein vel conſuetudo eſt in uſus pios, vel in utilitatem Miniſtri? Si primum, faciliùs præſumitur pia. Si ſecundum, titulus initii eſſe poteſt indigentia, labor extraordinarius, vel quaſi diſtributio pro aſſiſtentia ſeu præſentia.

Secundò. Conſuetudo talis ſæpe 2

iniqua eſſe poteſt & ſuſpecta de Simonia, ſaltem in foro externo, niſi ex circumſtantiis & adjunctis purgetur. Ita Trid. ſuprà, & c. *Non ſatis.* c. *Cùm in Eccleſia.* c. *In tantum.* c. *Sicut.* de Simon. Non enim ſermo eſt de Oblationibus, quæ in Jus tranſeunt, ſed de his, quæ cœperunt ab exactione: & hanc ut per ſe improbam damnant citata Jura; eſto ſit ad uſus pios, ut in ſpecie notatur c. *Ex multis.* c. *Audivimus.* eod. & d. c. *In tantum.*

3 Tertiò. Conſuetudo eoipſo tenet, quòd nec intrinſecè mala ſit, nec ſpeciem præferat mali; ſecùs ſi alterutro ex capite vitietur. Nam eoipſo oppoſita eſt cit. Juribus, & prævalere nequit, quia ſimpliciter & abſolutè reprobatur tam in præteritum, quàm in futurum, ita ut ſaltem ratione ſcandali, mali exempli, & cujùsdam Irreligioſitatis, habeat intrinſecam deformitatem, ob quam abſolutè conſtituatur in ratione Simoniæ ita prohibitæ, ut nunquam honeſtari poſſit, quamdiu retinet dictam ſpeciem mali. Ita Trid. ſuprà: *Ingreſſus eos, qui Simoniacæ labis, aut ſordidæ avaritiæ ſpeciem habent, fieri non permittant* &c. *Reliquas* (conſuetudines) *ut pravas, & ſcandaloſas rejiciant, & aboleant.*

4 Quia ergo hæc eſt adæquata cauſa reprobandi conſuetudinem, eámque arguendi corruptelæ; conſtat illam tenere poſſe, ſi utraque dicta cauſa abſit. Ad hoc autem tria neceſſaria ſunt; titulus indigentiæ Miniſtrorum, authoritas in imponendo onere, & debitus modus in exigendo. Nam ſine dicto titulo exactio etiam in principio injuſta fuit: ſi autem ſpectatâ materiâ & occaſione muneris, & cæteris circumſtantiis locorum, perſonarum probabiliter potuit intervenire, præſumitur juxta rectam rationem, & communes regulas. Faciliùs præſumitur authoritas, ſi de oppoſito non conſtat. Modum denique negandi ſpiritualia, niſi præſtito temporali aut cautione ejus, rectè deteſtantur Canones propter apertam ſpeciem mali. Semper ergo in his, quæ reprobantur, reperietur defectus alicujus ex dictis conditionibus.

Quartò. In præſenti ferè æquiparantur conſuetudo & Statutum. 5
Nam illa non admittitur ut derogans Juri, ſed ſolùm ut diverſa, & præter Jus. Statutum autem eſſe etiam poteſt in materia juſta, & à ſuſpicione Simoniæ aliena. Tamen conſuetudo poteſt eſſe indicium oneris realis, & in eadem, ubi neceſſe eſt, præſumitur authoritas Papæ; quod de Statuto ſecùs eſt.

CAPUT XLIX.

An Simonia ſaltem prohibita eſſe poſſit per largitionem gratuitam?

1 Primò. Poteſt Lex Canonica dictam largitionem vel receptionem prohibere intuitu ſpiritualis Miniſterii, conſtituendo actum contrarium in vera ſpecie Simoniæ. Nam ſi ita fit, quando materia vel pretium de Jure naturæ ad Simoniam non ſufficit; etiam fieri poteſt, ubi largitio non eſt onerosa, aut contractus ſtipendii tantùm, & de ſe licitus. Deinde non deeſt ſpecies permutationis l. *Sed etſi.* §. *Conſuluit.* ff. de pet. Hæred. igitur definitio Simoniæ intelligi debet, quòd ſit Emptio Venditio ſpiritualium vel vera, vel reputata per Legem. Nam ſuppoſitâ prohibitione, eadem erit malitia Permutationis oneroſæ, & gratuitæ ſeu antidoralis.

2 Secundò. Non omnis prohibitio dictæ largitionis vel receptionis facit actionem Simoniacam, ſed illa tantùm, quæ fit intuitu Religionis, & aliquo modo ſpectat ad voluntarias commutationes rerum ſacrarum, ut tales ſunt, cum temporalibus, conſequenter cum vilipendio & injuria illarum. Exemplum eſt c. *Sicut Epiſcopum.* 1. q. 2. c. 1. de Simon. junct. Trid. ſ. 21. c. 1. de Reform. & ſ. 24. c. 18. de Ref. Secùs eſt de prohibitione, quæ fit c. 1. de Cenſ. in 6. c. *Statutum.* §. *Inſuper.* de Reſcr. in 6. ubi non intenditur cultus Religionis, ſed integritas judicii. Quia ergo Simonia hîc non eſt de Jure naturæ, oportet, ut in Lege ſatis expreſſa ſit; aliàs benigniùs eam interpretamur propter gravitatem & pœnas Simoniæ.

CAPUT L.

An pactio, & traditio rei temporalis excuſetur per redemptionem vexationis?

1 Primò. Poſt Jus ſpirituale jam acquiſitum ſeu obtentum, Simonia non eſt redimere vexationem, quæ pro Jure tollendo injuſtè infertur, vel probabiliter timetur. Ita cum S. Thom. Theologi, & Innoc. Abbas &c. Non enim datur temporale pro ſpirituali, ſed ſolùm pro vitanda injuria; nec etiam recipitur ſpirituale, quia jam habitum. Similiter dari poteſt temporale, ne fiat privatio Beneficii, aut juſta accuſatio,

tio, quia vexatio tantùm redimitur, nihilque ſpirituale. c. *Dilectus.* de Simon.

2 Confirmatur: quia ut adeatur Superior, nec Jure naturæ neceſſarium eſt, nec Eccleſiaſtico. Non primum, quia privata defenſio nec eſt Simoniaca, nec injuſta, nec etiam ſcandaloſa, per ſe loquendo. Sicque juxta omnes licita eſt defenſio libertatis &c. ut ſiquis violenter detinetur, ne opponatur pro Beneficio; ſi Præſentatio impugnatur injuſtè, aut Inſtitutio, Confirmatio &c. eadem enim ratio eſt de quocunque Jure acquiſito, in quo quis vexatur. Non ſecundum, quia c. *Matthæus.* eod. intelligitur de Jure obtinendo, ut ſequitur ex enumeratione partium. Electio enim erat infirma & irritabilis; conſequenter vexatio juſta: oportet ergo, ut Jus ſit certum, aliàs emitur conſervatio Beneficii, ſeu Juris ſpiritualis.

3 Unde ut omnes notant in d. c. *Dilectus.* obligatio eſt reſtituendi, quod vexator accepit. Nec refert addi, *ſi contra promiſſionem veniſſe conſtiterit.* Nam ſolùm reſpondetur, ad interrogata; aliàs ſervatâ promiſſione examinari oportebat vexationem, an juſta fuerit, nécne: petitio autem in hoc non fundabatur, quamvis obiter ſupponatur injuſtitia. Et quidquid de hoc ſit, reſponſio in utroque caſu tenet, ut per ſe conſtat, & conſequenter etiam ſupponitur pactum potuiſſe licere. Adde, quòd cùm non conſtiterit, an novæ lites eſſent juſtæ nécne, per dictam conditionem virtute remittatur res ad examen onerum, quia lis juſta non fuiſſet contraria promiſſioni: unde ſequitur, non fuiſſe transactionem; aliàs eoipſo injuſta fuiſſet lis ſuper transactis.

Secundò. Jure nondum acquiſito, non licet redemptio vexationis, quæ impedit jus acquirendum, ſed Simoniaca eſt. Ita Theologi & Summiſtæ omnes, & Juriſtæ in cit. Juribus. Conſtátque, ſi vexatio eſt juſta, quia nec nomen meretur vexationis, nec dat titulum, ut à fortiori conſtat ex dictis de Jure jam acquiſito. Solùm enim per pecuniam paratur planior via ad ſpirituale, ne denuntietur Irregularitas, defectus ætatis &c. aut ſi teſtes corrumpantur, ſicque removeatur impedimentum Ordinis, Beneficii &c. 4

Tertiò. De Jure naturæ illicita non eſt redemptio vexationis injuſtæ in jure nondum acquiſito. Patet ex dictis ſuprà de Sacramentis; nec enim emptio fit rei ſpiritualis, ſed ceſſationis ab affectu injurioſo, in quo ſiſtitur, quidquid ſit de fine remoto; aliàs nec emi poſſet ſcientia, Gradus Doctoris, aliæque habilitates remotæ. Ita communis Recentiorum apud Sot. Ugolin. &c. &c. 5

Quar-

6 Quartò. Idem eſt loquendo de Jure poſitivo extra materiam Beneficialem. Ita communis. Nam d. c. *Matthæus* loquitur de Electoribus; & aliud Jus, quod dictam redemptionem prohibeat, non extat. Dein caſus ſunt, in quibus ferè omnes conveniunt, ut cùm quis alterum denuntiare vult Irregularem, Judæum &c. cùm non ſit &c. cùm per vim detinet, ne opponatur &c. ſemperque res reduci poteſt ad jus acquiſitum, ut libertatis, famæ. Et ita univerſim dicendum eſt etiam in Beneficialibus, quando qui vexat, ſolùm me impedire poteſt, non autem juvare; aut ſi vexet, non ut Collator, Patronus &c. ſed modo communi aliis, ut infamando.

7 Quintò. Secùs eſt in Beneficialibus, quantùm ad eos, quorum concurſus per ſe neceſſarius eſt in conferendo ſpirituali. Ita communis Interpretum ex d. c. *Matthæus* (quanquam per ſe non convincat) c. *Sicut*. c. *De hoc*. eod. Facítque maximè ſtylus Curiæ, & communis uſus ac ſenſus Eccleſiæ dictam redemptionem damnantis ùt Simoniacam, quantùm ad Electionem ſeu Præſentationem, Nominationem, Poſtulationem, cùm non ſit jus anterius, quod redimatur. Idémque eſt de Confirmatione, Inſtitutione. Collatione, loquendo de Jure Canonico.

8 Sextò. Si ſolùm agitur de Poſſeſſione Beneficii jam collati, licita eſt redemptio injuſtæ vexationis. Non enim emitur Poſſeſſio, ut annexa rei ſpirituali, ſed poſt ſpirituale jam acquiſitum, redimitur ſecundùm ſe, & ut quid corporale, ac immediatè & per ſe debitum: ſicut ſi Beneficiato injuſtè negarentur fructus, factum tantùm ſeu executio Juris redimitur, non ipſum Jus. Nec obſtat c. *Decimas*, 2. 16. q. 7. nam prohibitio vel fit populo, ne quid extorqueat pro Decimis; vel Clericis, ne ſpe lucri anſam dent ſæpius vexandi: ſtat tamen, quòd Epiſcopus ſe poſſit interponere redimendo vel componendo, ut viſum fuerit.

Septimò. Excipitur à Regula Canonis Electio Pontificis, utique 9
ſuppoſitâ vexatione injuſtâ. Nam hac ſeclusâ, medium nec convenit, nec aptum eſt, ſed plenum periculis, & expoſitum ſcandalis; & ideò injuſtum, per ſe loquendo. Suppoſitâ autem vexatione injuſtâ, conveniunt omnes, quòd liceat dare pecuniam, ne eligatur indignus, quia ſolùm vitatur peccatum. Idémque eſt de Electione minùs digni, quia non emitur Pontificatus, nec per ſe via ad illum paratur, ſed relinquitur libertas Electionis. Si autem plures ſunt æquè digni, manifeſta Simonia fit, dando pecuniam directè in favorem talis perſonæ, cùm utique aliud ſit petere Electionem digni vel dignioris, aliud Electionem Petri: quia illud

illud non determinat Electorem ampliùs, quàm ſecundùm rectam rationem determinatus eſſe debeat.

10 Idem ergo eſt, ſi unus tantùm ſit dignior, quin de eo agatur materialiter ſub ratione Petri, ſed formaliter tantùm. Hæc enim conditio veriſſima eſt, & neceſſaria ad vitandam Simoniam, & palliationem aut ſuſpicionem ejus, cùm aliàs non fiat præcisè remotio peccati, ſed directa inductio, & quaſi determinatio eligentis ad talem perſonam. Vel ergo evidens eſt vel non, talem ſolum eſſe digniorem? Si ſecundum, non licet perſuadere muneribus. Si primum, ceſſat neceſſitas Eccleſiæ ad talem determinationem: ergo ob ſcandalum non licet.

Octavò. Non poteſt dicta exce- 11
ptio pariformiter applicari ad Electiones Inferiorum Pontifice. Nam in hoc requiritur eminentia charitatis, prudentia, & moderationis animi, ut utiliter præſit; errorque Electionis inemendabilis eſt per hominem: ergo illa ſolùm regulari poteſt terminis poſitis ex natura rei: vel Jure ſpeciali; in aliis ſequendo, quod communi bono magis expedit. At pro aliis per ſe valent generales Canones, & patet recurſus ad Superiorem: quamvis tanta aliquando difficultas eſſe poſſit recursûs, ut in conſcientia liceat redemptio, ſi ſolùm agitur de vitanda Electione indigni.

CAPUT. LI.

An liceat in ſpiritualibus Tranſactio ſeu Pactio oneroſa ad terminandam litem?

1 Tria neceſſaria eſſe ſuppono ad Transactionem 1. Jus incertum, ſaltem probabili exiſtimatione utriuſque Partis; aliàs erit redemptio vexationis. 2. Ut utrinque cum onere ſit; aliàs donatio eſt vel compoſitio amicabilis, ſive in totum ſive in parte. 3. Ut ſit in ordine ad litem componendam, ſive intentata ſit, ſive intentari poſſit, controverſiâ jam motâ. Ita l. *Eleganter* §. *Siquis. ff.* de condict. indeb. l. 1. ff. de Tranſact. l. 2. Cod. eod. Uſus enim vocis ſupponendus eſt ex Juribus, & Interpretibus.

Primò. Transactio, in qua jus 2
ſpirituale remittitur pro aliquo temporali, Simoniaca eſt. Conſtat ex c. *Præterea* 1. & 2. eod. c. *Cùm pridem.* de Pact. c. 2. de Arbitr. c. ult. de Rer. permut. Nam eo ipſo fit permutatio rei temporalis ad acquirendum, vel firmandum ſpirituale: ergo ut redemptio vexationis in jure dubio, ita dicta pactio univerſim damnanda eſt in ſpiritualibus,

libus, niſi ceſſet horum annexio, & de puro temporali illa ſit.

3 Secundò. Tranſactio in materia ſpirituali non Beneficiali, ſi ſit per largitionem aut ceſſionem alterius Juris ſpiritualis proportionati, Simoniaca non eſt; fierique poteſt abſque authoritate Prælati, loquendo per ſe quantùm ex vi tranſactionis. Exempla ſunt in lite Jurisdictionis, in Reliquiis dividendis vel permutandis: patétque, Bona, Decimas &c. controverſas ſic dividi poſſe. Nam talis Permutatio nec de Jure naturæ illicita eſt, nec de Eccleſiaſtico; facítque c. *Conſtitutus.* de Relig. dom. c. *Ad quæſtiones.* de Rer. permut. c. *Cùm Venerabilis.* de Cens. c. *Ex multiplici.* de Decim.

4 Poteſt tamen authoritas Superioris neceſſaria eſſe, etiam ſeclusâ lite; ut quia ratio rei ipſius ſpiritualis ita poſcit; vel quia privatus dare nequit jus certum in ſpiritualibus; vel quia agitur de alienatione perpetua, non temporali, de qua ſecùs eſt c. *De cætero.* de Transact. Sic etiam in Decimis ſpecialiter petitur confirmatio Pontificis. c. *Veniens.* eod. c. *Venerabilis.* de Conf. util. &c. c. *Decimas.* 16. q. 7.

5 Tertiò. Transactio in materia Beneficiali non licet de Jure poſitivo ex conſenſu ſolùm litigantium, vel aliorum arbitrio privato. Patet ex c. 2. c. *Super eo.* eod. & d. c. *Conſtitutus*, ubi indiſtinctè prohibetur pactio in dicta materia. Vel enim litigatur ſuper uno Beneficio, vel ſuper pluribus, vel ita ut utraque Pars ſimul invicem ſit Actor & Reus? Si primum, nec diviſio eſſe poteſt, nec penſio imponi privato conſenſu. Si ſecundum, obſtat diviſioni conventio oneroſa, & renuntiatio juris dubii in alterum ſine Prælato. Si tertium, idem eſt, quia ſolus Prælatus jus certum facere poteſt.

6 Quartò. Epiſcopus in dicta lite imponere poteſt Penſionem, confirmando alterum in Beneficio. Ita d. c. *De cætero.* & c. *Niſi.* de Præben. c. 1. de Cohus. deteg. ſicque uſus declaravit. Regula enim: *Ut Beneficia ſine diminut.* patitur exceptiones, quæ vel ex Jure, vel conſuetudine ſufficienter colliguntur: & d. c. *Veniens*, quod alii allegant, non facit ad cauſam. Unde tunc, ut in Permutatione, licet tractatus prævius in ordine ad Epiſcopum, ſi quidem agitur de Penſione Clericali: nam eo ipſo datur ſpirituale pro ſpirituali, nec dictus tractatus ullibi prohibetur, ſed ſolùm pactio abſoluta. Imò licèt Penſio temporalis reprobetur d. c. *Cùm pridem*, tamen Prælatus ex officio providere poteſt d. c. *Niſi*; ubi tamen minùs datur Arbitro quàm Epiſcopo.

7 Dices: Ceſſatio litis, ſeu bonum pacis eſt quid ſpirituale: ergo pro hoc datur temporale. 2. Reprobatur Arbitrium c. 2. de Arbit. 3. Similiter obſtat c. ult. de Rer.

Rer. permut. Ad 1. R. eſſe etiam quid temporale propter utilitatem temporalem, quam affert, d. c. *Niſi.* éſtque per accidens, quòd ad id perveniatur per renuntiationem. Attenditur etiam tum juſtitia tum æquitas propter jus ſaltem dubium Beneficii ad alimenta. Ad 2. R. non omnino reprobari propter præſtationem temporalem, ut patet ex fine textûs, ſed propter ſpeciem Simoniæ, & ſpolium iniquiſſimum. Ad 3. R. agi de venditione Juris Decimarum.

8 Quintò. Compromitti nequit niſi in Clericum, loquendo de propria transactione. Nam & materia & perſonæ ſunt Eccleſiaſticæ: ſi autem compoſitio ſit amicabilis; ergo ſicut proprio, ſic etiam alieno arbitrio cedi poteſt purè, quantùm eſt ex præſenti capite. Rurſus Arbiter eſſe poteſt etiam non Judex, ut conſtat ex d. c. 2. & quamvis Judex ſit, poteſt uti ſolâ poteſtate Arbitratoris d. c. *Niſi.* & d. c. *De Cætero*: ergo materiale eſt eſſe Judicem, nec Jus eſt, quod id poſcat. Debet autem adjudicare Beneficium ei, qui magis probat verum titulum; aliàs ſpoliatio apertè iniqua foret cum magna ſpecie Simoniæ, propter pecuniam in impoſita Penſione, quæ juxta Jura cit. ſolùm perſonæ, non Beneficio imponi poteſt.

CAPUT LII.

An vitium Simoniæ cadere poſſit in Pontificem, vel ejus Curiam?

1 Primò. Pontifex in omni materia, in qua Simonia fit contra Jus Divinum, peccabit eodem genere peccati, ſi illam vendat pro pretio. Nam ſubditur Juri Divino, & actio eſt intrinſecè mala, ut vendere Sacramenta, Reliquias, doctrinam Fidei &c. renuntiare Dignitatem pro Regno &c. Sed & exempla conſiderando, & modos vitandi peccatum, Redoan. & Jul. Clarus prudenter dicunt, vix aut nullo modo cadere in Pontificem poſſe ſuſpicionem Simoniæ. Non enim niſi in depravatiſſimam voluntatem cadit velle frangere legem, ſolùm ut frangat illam: & ideò is modus peccandi dicitur moraliter impoſſibilis.

Secundò Pontifex facilè vitare poteſt Simoniam, faciendo contractus Jure tantùm Eccleſiaſtico prohibitos circa ſpiritualia. Miſsâ enim poteſtate diſpenſandi, Princeps non obligatur legibus, quarum materia non eſt uniformis, ſed ex peculiari ratione pertinet ad Inferiores ut tales: at dicti contractus ſemper includunt conditionem, niſi fiant in manibus Pontificis, qui uti velit 2

Pro-

Providentiâ Paſtorali, ut in Simonia Confidentiali &c. Rurſus Pontifex non habet certa ſtipendia pro ſuis muneribus, niſi quæ ipſe determinat: ergo exigere illa, vel acceptare largitionem gratuitam prohibetur ſolis Epiſcopis. Trid. ſ. 21. c. 1. de Reform. A fortiori autem Papa non comprehenditur lege pœnali, cùm non ſubjaceat poteſtati coactivæ ullius.

3 Tertiò. In Curiam Pontificis ut talem formaliter, & Officiales ejus cadit dictum vitium. Nam Leges niſi conſuetudine derogatæ ſint, vel tacitè diſpenſatæ, utique obligant Curiam, ut maximè quoad Simoniam Confidentialem. De venditione autem Officiorum temporalium dicitur licere eam Curiæ; tamen ſignum diſpenſationis ſufficiens non eſt, quòd Papa ſciat quædam & toleret. Quia vel non denuntiatur Reus, vel non expedit exequi omnes pœnas, vel intervenit negligentia, per quam factum non approbatur. Oportet ergo talem eſſe patientiam, quæ communi prudentum judicio ſufficiat, ut lex cenſeatur abrogata; nam aliàs de lege conſtat, at non de abrogatione legis.

CAPUT LIII.

An & quomodo Prælati Inferiores, & eorum Officiales, Familiares &c. Simoniam committant?

1 Primò. Omnes Status dicto peccato ſubjacent. Ita X. 2. de Simon. Nam homines ſunt, qui vinci poſſunt avaritiâ, ambitione &c. & conſequenter peccare contra Jus Divinum & humanum, cùm Legibus planè ſubjaceant, etiam quoad vim coactivam, ubi Lex non excipit. Idem patet diſtinguendo tria vel quatuor munera principalia Epiſcopi, ut ſunt 1. Sacramenta. 2. Pontificalia, præcicipuè quoad dandos Ordines. 3. Jus dicere. 4. Adminiſtrare Juriſdictionem voluntariam, diſpenſando, Beneficia conferendo. Officiales autem & Familiares ad hæc danda concurrunt: ſicque venditioni locus eſt.

Secundò. Quoad Ordines conſtat vetari receptionem rei temporalis etiam quovis prætextu. Ita c. 1. eod. & c. *Nullus Abbas.* c. *Sicut Epiſcopum.* 1. q. 2. Trid. ſ. 21. c. 1. de Reform. Unde etiam Notarius, ſi ob ſtipendium gratis ſervire tenetur, Simoniacus eſt accipiendo quid pro Teſtimonio, quia prohibitio fit intuitu Religionis: ergo licèt aliàs ſolùm præſumpta eſſet Simonia, tamen vera eſt, ſuppoſitâ dictâ prohibitione, ut ſæpe in aliis dicendum eſt. Quia autem non tenetur ſervire ſine ſtipendio, ſi Epiſcopus 2

Epiſcopus non dat, poteſt recipi ab eo, cui ſervitur: nam Epiſcopum damnare ſuppoſitâ conſuetudine, nimis rigoroſum eſt, & contra communem ſententiam, imò contra permiſſionem Tridentini.

3 Tertiò. Quoad exercitium Jurisdictionis nihil ſpecialiter diſponitur, quantùm ad cooperantes Judici vel Prælato. Certum autem eſt Advocatum vendere poſſe patrocinium de Jure naturæ, & Eccleſiaſtico. c. *Non ſanè.* 14. q. 5. ſervátque uſus totius Eccleſiæ. Officium enim Advocati ſolùm eſt illuminare, aperiendo factum vel Jus; & Procuratoris eſt ſollicitare negotium, qui labor merè temporalis eſt.

4 Teſtis ſi corrumpitur, Simoniacus eſt: nam quoad effectum corrumpitur Judex, hujúſque ſententia emitur, ſicut dando pecuniam interceſſori apud eundem. Quòdſi Teſtis nolit teſtari niſi receptâ pecuniâ, hæc licitè datur; ſícque aliud exemplum eſt licitè redimendi vexationem. At receptio pecuniæ erit Simoniaca, ſi quidem directè fit propter promovendam cauſam ſpiritualem: ſecùs enim eſt, ſiquid detur titulo ſtipendii, laboris, incommodi illati. Quoad alios Miniſtros ſolùm cavendum eſt, ne quid extorqueant contra Statuta, Conſuetudines; aut operam cariùs vendant propter ſpirituale, quo de agitur.

5 Quartò. Quoad Familiares &c. Epiſcopi, Simonia eſt illorum favorem emere pro conſequendo Beneficio. Ita communis Theologorum & Juriſtarum: éſtque Simonia clariſſima juxta omnes, ſi promittitur pecunia ſub conditione, ſi preces effectum habeant. Nam evidenter emuntur preces, ut effectum habentes, ergo ratione hujus, & principaliter: ergo etiam ſufficit, ſi emuntur ut ſufficientes ad effectum; quia jam habent ſimilem, licèt non eandem connexionem cum illo. De Jure naturæ etiam, perinde eſt ſive emam Beneficium immediatè à Collatore, ſive mediatè, cùm interceſſor quodammodo det, & ut vera cauſa moralis, nec preces æſtimentur, niſi ratione Beneficii. Idem ſumitur ex c. *Statuimus* 21. q. 1. c. *Præſentium* 1. q. 5. quia perinde eſt habere Patronos faventes, ac ipſum Epiſcopum; & per ipſos omnia fiunt venalia.

Quintò. Secùs eſt de alio Mediatore, qui non intercedit. Nam ſi purè informat, idem erit, quod de Advocato, loquendo ſpeculativè: practicè autem facilè exceduntur termini puræ informationis, per laudes, exaggerationes &c. & intentio eſſe deberet non inducendi per ſe, ſed tollendi tantùm ignorantiam, ut objectum per ſe moveat, quod juſtum eſt. Aliud etiam eſt, ſi ſolùm via aperitur, ut ipſe petat, quidquid ſit de turpi lucro exactoris, vexantis. Similiter aliud eſt, ſi quid detur pro labore eundi & redeundi ad Collatorem, vel ob compenſationem damni, vel lucri ceſſantis; ſi quidē eo colore non plus juſto exigatur, aliàs non vitatur Simonia. 6

CAPUT

CAPUT LIV.

An omnes homines cujuscunque conditionis etiam infimæ, Simoniam committere poſſint?

1 Affirmativa eſt per ſe clara, ut 1. in Clericis, ſive recipiendo Ordinem, ſive miniſtrando actum ejus, aut Jurisdictionis. 2. In Religioſo, ſive ſpectetur ut homo; ſive ut Clericus procurando officia ſpiritualia vel Eccleſiaſtica; ſive ut Religioſus. 3. In Laico etiam infideli, ut baptizando, recipiendo ſpiritualia, cariùs vendendo res ſacras. Huc ſpectat officium Patrini (nam ſpirituale eſt) & cooperatio ad alienum peccatum, ſive conſentiendo, ſive non reſiſtendo, cùm poteſt & debet, arg. c. *Matthæus* & c. *Sicut tuis.* de Simon.

2 Idem eſt de Capitulo quà tali, Regulari vel Eccleſiaſtico. X. 1. eod. Singuli enim per modum unius concurrunt; ſícque ex multis fit voluntas una moraliter: ergo cùm inter ſe uniti per commune conſilium, & conſueto modo congregati contractum faciunt, Simonia à Capitulo quà tali committitur. Licèt autem tunc aliqui ſint innocentes coram Deo, tamen Corporis delictum participant quoad pœnam, propter conjunctionẽ cum Corpore.

CAPUT LV.

Pro quibus Simoniis nullæ pœnæ impoſitæ ſint?

1 Primò. Ante Paulum II. nullæ pœnæ uuiverſim latæ ſunt ipſo facto contra Simoniacos. Patet ex Decreto causâ 1. per tot. & extrà tit. de Simon. quia pœna non incurritur, niſi ſatis expreſſa ſit, præſertim lata ipſo Jure, quæ ſola pertinet ad forum internum. Nec obſtat Gratian. diſt. 32. §. *Verùm*, quòd Simoniacus publicus ſit ſuſpenſus; nam eſt pœna generalis quorundam peccatorum, nec propria Suſpenſio, aut Irregularitas &c. nec etiam ipſo facto incurritur juxta dicta D. 31. de Cenſur. ſ. 4.

2 Secundò. In X. 2. de Simon. pro nulla Simonia imponitur pœna ipſo facto ex parte materiæ, niſi in Ordine, Beneficio, & ingreſſu Religionis. Eſt vera & ſecura ſententia, & communis Cajet. Ang. Sylv. Redoan. Graffis, Nav. Armil. Ugolin. Felin. Nam quòd per particulam: *Quas ipſo facto eos incurrere volumus*, intelligantur omnes pœnæ antiquæ, & incredibile eſt & contra omnes Authores; aliàs Simoniaci in Ordine eſſent Depoſiti ipſo facto, & in Beneficio Simoniaci omnibus Præbendis privati ipſo facto: ergo ſaltem conſuetudo impedivit effectum, ſive interpretando, ſive derogando quoad pœnas ferendas de Jure antiquo.

3 Confirmatur: quia immediatè ante dictam particulam dicitur: *Et eorum quemlibet tam manifeſtum* (de quo ſolo Gratianus d. §. *Verùm*) *quàm occultum*: ergo ſtat ampliatio ſuprà relatæ particulæ cum proprietate omni verborum, quin neceſſaria ſit extenſio ad pœnas ferendas. Eadémque ampliatio tollit reſtrictionem Conſtitutionis Martini V. ad peccantes Romæ. Unde particula: *quomodolibet Simoniam committentes*, quam Soto urget, ex ſubjecta materia limitari debet, quia primaria intentio fuit punire Simoniam in Ordine & Beneficio, & ad eandem referuntur particulæ: *Hujusmodi labis*, & *Simoniam hujusmodi*: nec obligatio revelandi intellecta unquam fuit extra dictam materiam. Idémque Pontifex in X. *Etſi Dominici* de Pœn. & remiſſ. ſolùm in dicta materia allegat reſervationem, uti & Sixtus IV. in X. *Etſi Dominici*, eod.

4 Tertiò. Pro ſola Simonia Conventionali non ſunt poſitæ pœnæ ipſo facto. Nam pœna non incurritur niſi actu, qui punitur, conſummato juxta verba legis, ut conſtat in Irregularitate Homicidii: & quamvis delictum attentatum puniri poſſit, c. 1. de Off. Ord. non tamen pœnâ ordinariâ (niſi ubi Lex exprimit) ſed arbitrariâ juxta qualitatem & circumſtantias delicti. At Jura, quæ Simoniam puniunt, non ſignificant ſolùm Conventionem, ſed dationem & receptionem, ut conſtat ex d. X. 2. quæ præcipua eſt inter Jura pœnalia quoad præſens. Quoad mentalem Simoniam conſtat, ſi pura ſit, ne capacem quidem eſſe pœnæ Eccleſiaſticæ: ſi autem accedit actus externus, ſaltem de facto non punitur, c. ult. de Simon. quidquid ſit de poſſibili.

5 Quartò. Non ſufficit, quòd temporale detur, niſi etiam ſpirituale datum vel receptum ſit. Sumitur ex Juribus citatis, quin controverſia nunc ſit. Quoad temporale verò juxta Nav. & omnes ſufficit ſolutam eſſe etiam minimam partem pretii. Sic ſi pactio ſit ſolvendi 100. pro omnibus Ordinibus, illíſque ſolutis incipit Ordinatio, ſtatim in primo Gradu utrinque conſummatur Simonia, ut certum eſt. Denique ſpirituale ſatis vilipenditur, ſive pro parvo pretio detur, ſive pro magno.

6 Quintò. Etiam Simoniæ Jure ſolùm Eccleſiaſtico prohibitæ comprehenduntur in pœnis Jure latis, niſi ex verbis Legis aliud conſtet. Regulam tradit Gl. communiter recepta c. *Ex parte*. 1. de Offic. Deleg. & Nav. allegans ſtylum Pœnitentiariæ, idémque declarat exemplis evidentiſſimis. Sumitur ex d. X. 2. principio: *Cùm deteſtabile ſcelus Simoniacæ pravitatis tam Divinorum quàm Sacrorum Canonum authoritas abhorreat*: ſubditur autem, pœnas *quomodolibet* latas incurri, & ab omnibus, qui quomodolibet dando vel recipiendo, Simoniam commiſerint: ergo

ergo nec verba legis nec conſuetudo nec ſtylus Curiæ, nec Doctores diſtinguunt, an Simonia ſit contra Jus Divinum, an contra Eccleſiaſticum; ſicut nec in Sacrilegio diſtinguimus in pœnis. Statur enim proprietate non ſpeculativâ, ſed juxta uſum Jurium; & ita Durand. licèt neget Simoniam, quæ contra Canones eſt, veram eſſe, tamen pœnam non excludit.

CAPUT LVI.

De Cenſuris vel Canonicis Impedimentis, quæ propter Simoniam incurruntur ipſo Jure.

1 Primò. Per Simoniam in Ordine, Beneficio, & Ingreſſu Religionis incurritur Excommunicatio reſervata Papæ. Conſtat ex X. 2. de Simon. ibi: *qui quomodolibet dando vel recipiendo Simoniam commiſerint, aut quòd illa fiat, Mediatores extiterint, ſeu procuraverint.* Unde comprehenditur etiam Tonſura, tum propter particulam *Quomodolibet*, tum quia in Jure venit nomine Ordinationis: tum quia etiam aliæ pœnæ ad eam extenduntur, nam ſatis eſt, quòd hominem conſtituat in Ordine Clericorum.

2 Secundò. Conventus Religioſus conſentiens in dictam Simoniam, incurrit Suſpenſionem ſimpliciter. Ita X. 1. eod. Nam nullum eſt verbum, quo pœna limitetur ad actum recipiendi ad Religionem: ergo intelligitur Suſpenſio totalis, cujus Capitulum quà tale capax eſt, ſcilicet ab omni Officio, quod Juriſdictionem vel Eccleſiaſticam Adminiſtrationem requirat.

Tertiò. Ordinatus Simoniam committendo ſuſpenditur. Ita d. X. 1. Secùs ergo eſt, ubi ex parte ejus abeſt culpa: nam contra Regulam interpretandi Jura pœnalia, extenditur ad Simoniam Ordinantis, quaſi ob hanc luere debeat Ordinatus: hunc enim Pontifex directè intendit plectere, uti & Pius V. & Sixtus V. quorum iſte in perpetuum ei tollit ſpem Diſpenſationis. Conſt. *Sanctum*; quæ quoad Simoniam revocata non eſt. Et ibidem Ordinans Simoniacè ſuſpenditur *ab executione omnium munerum Pontificalium, & à Collatione quorumcunque Ordinum, atque adeò ipſius Tonſuræ*, præter pœnam *Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ.* 3

Quartò. Suſpenſio hæc Ordinati & Ordinantis ſolùm eſt ab executione Ordinum, non à Beneficio. Nam ſi propter particulam, *quas ipſo facto incurrere volumus*, amplior extenſio pœnæ eſſet; ergo idem dicendũ foret de Depoſitione, & Infamiâ 4

miâ etiam. Et ad quid ſubditur in d. X. 2. reſtrictio: *A ſuorum ſint Ordinum executione ſuſpenſi?* nam aut contradictoriè hæc priori particulæ opponitur, aut cum magna obſcuritate verborum. Dein Sixtus V. in dicta Conſtit. contra hîc ſuſpenſos Miniſtrantes addit Irregularitatem, & privationem Beneficiorum, ſi ſint ſæculares; ſin Regulares, privationem Vocis activæ & paſſivæ. Similiter improbabile eſt Simoniacum in Beneficio eſſe ſuſpenſum ab Ordine.

5 Quintò. Per dictam Simoniam non incurritur Irregularitas. Non enim hæc incurritur niſi in caſibus Jure expreſſis, ut per infamiam, per violationem Cenſuræ, ut in dicto Motu Sixti V. Nec rectè objicit Navarrus ab Excommunicato recipi Ordinem; nam priùs quis ordinatur, quàm excommunicetur, quia pœna ſupponit culpam. Dein licèt ſimul & eodem momento incurri poſſit & Excommunicatio & Irregularitas, tamen ſolùm ita fit, quando delictum aliquod utrâque ſimul pœnâ punitur; quod in præſenti non eſt.

6 Sextò. Similiter nec Infamia, nec Depoſitio incurritur per dictam Simoniam. Nullus enim Doctorum auſus eſt dicere, quòd dictæ pœnæ vi dictæ X. 2. incurrantur ipſo facto, ſaltem quia per epiikiam excipiendæ ſunt. Sic Infamia per ſolam Judicis condemnationem incurritur, c. *Sanè.* 15. q. 1. c. ult. 1. q. 3. & ex ſententia omnium. Idémque eſt de Depoſitione, c. 2. de Confeſſ. c. *De hoc.* & c. *Per tuas.* 1. de Simon. c. *Erga Simoniacos.* 110. 1. q. 1. Quando autem ferendæ ſint dictæ pœnæ, videri poteſt Abbas c. *Inquiſitionis.* de Accuſ.

Septimò. Simonia non cenſetur 7
conſummata in ordine ad dictas pœnas per ſolutionem pretii tantùm. Conſtat ex d. X. 2. nam quomodo ſuſpenditur ab Ordine, qui hunc non habet? Idem ſumitur ex dicto Motu Sixti V. & ſimiliter intelligendum eſt c. ult. de Simon. Solùm dubitatur, an ſufficiat ſpirituale collatum fuiſſe Simoniacè, propter factam promiſſionem pretii, ſolutione hujus nondum ſecutâ? Et affirmativa quidem, quantùm ad Suſpenſionem, & Excommunicationem, tenet de rigore Juris.

Nam d. X. 2. ſolùm dicit: *Qui* 8
Simoniacè ordinati fuerint: at hoc ſtat ſuppoſitâ promiſſione pretii, licèt ſeclusâ ſolutione, ut conſtat ex c. *Nobis.* c. *Ex diligenti.* c. pen. eod. & d. c. 2. Et jura intendunt punire etiam Simoniam incompletam, quamvis revera quoad ſubſtantiam ſatis completa ſit: eſto Civili modo non compleatur venditio; quod parum refert, ſi datio ſpiritualium gratuita non eſt. Nec etiam refert, promiſſionem eſſe irritam, nam adhuc ſtat ratio contractûs oneroſi, & malitia Simoniæ, ut videre eſt in aliis obligationibus, ut procurandi negotium Epiſcopi, non petendi alimen-

menta &c. &c. Denique intelligi nequit, quando negatio ſufficiat ad complendam Simoniam, aut famulatus unius diei, & non ſufficiat promiſſio ipſa negativa vel affirmativa?

9 Octavò. Probabilius eſt, Excommunicationem non incurri ante ſolutum pretium. Nam ut refert Caſadoro, Gomez, Rota, de ſtylo Curiæ tota dicta X. 2. intelligitur de Simonia utrinque Reali, ita ut particula *dando vel recipiendo* referatur ad pretium. Poſſunt enim verba ſic accipi in proprietate, & ſenſus eſt mitior: ergo hoc potiùs ſtatur, quàm rigidiore. Idémque erit de Suſpenſione vi d. X. 2. quamvis ſecùs ſit de pœna d. c. pen. latâ.

10 Confirmatur: quia ſine fundamento eſt, dictas Cenſuras retrotrahi factâ ſolutione ad diem criminis, ut vult Navarrus. Nam ſi d. X. 2. non punit niſi Simoniam utrinque Realem, ut ſupponitur de ſtylo Curiæ; ergo Cenſura antè non incurritur, magis quàm Irregularitas Homicidii, niſi hoc ſecuto. Dein retrotractio non cadit propriè & verè in Cenſuram, nec in effectus eſſentialiter eam ſupponentes; & ita omnes fatentur, ſuppoſito dicto ſtylo, Ordinatum nec Excommunicatum nec ſuſpenſum eſſe ante ſolutum pretium: ergo validè abſolvit, & abſolutio ſemel valida irritari nequit, nec ſententia juſtè & validè lata. Similiter Irregularitas ſupponit veram Cenſuram, per cujus violationem incurratur &c.

CAPUT LVII.

An Actio ſacra vel Collatio Beneficii Simoniacè facta valeat?

1 Primò. Functiones ſacræ, licèt Simoniacè factæ, valent niſi vel per Eccleſiam irritabiles ſint, & lata ſit lex irritans illam; vel talem habeant effectum, qui per pravam diſpoſitionem, ſeu obicem operantis impediri poſſit. Nam nec Simonia, nec peccata alia mortalia per ſe & vi ſuâ irritant dictas actiones, ſi alioquin adſint omnia, quæ de eorum ſubſtantia ſunt; nec etiam irritabilitas ſufficit ſine lege irritante.

2 Exempla ſunt in Ordinatione, & Sacramentis omnibus, etiam Pœnitentiæ, ſi non ſit obex, vel defectus Juriſdictionis. 2. In omnibus functionibus Ordinum, & Sacramentalibus, ut Conſecratione Eccleſiæ. Nam c. *Eccleſia.* 1. q. 4. cùm ait, Eccleſiam potiùs *execratam* quàm conſecratam eſſe, intelligitur quantùm eſt ex parte conſecrantis, qui quantùm in ſe eſt, polluit locum. 3. In Profeſſione Religioſa c. *De Regularibus,* c. *Quoniam,* c. *Veniens.* de Regular. Quod enim vult Navar. à ſic Profeſſo non acquiri jus ſuſtentationis, vocíſque activæ &

& paſſivæ, duriſſimum eſt; nec talia imponenda ſunt ſine expreſſis & inevitabilibus verbis Legis: & quomodo talis cogitur etiam propter delictum occultum abire &c?

3 *S*ecundò, Acquiſitio rerum vel bonorum ſpiritualium facta Simoniacè, ex natura rei valida eſt, & ſuum habet effectum, niſi per jus Eccleſiaſticum irrita facta ſit. Nam Simoniaca voluntas, etiam voluntas eſt, & conſenſus utrinque voluntarius eſt; nec res acquiſita per ſe & quaſi ab intrinſeco eſt obnoxia reſtitutioni, niſi quando per eam acquiſitionem non comparatur jus in re, quin obſtet turpitudo alia in acquirendo. Exempla ſunt in rebus ſacris permanentibus, ut Granis Benedictis, Calice, Reliquiis &c. Idem eſt in acquiſitione Juris Patronatûs, Penſionis etiam Clericalis, Vicariæ temporalis, Officii Eccleſiaſtici temporalis. Nam Eccleſia non punit Simoniacos niſi in Ordine, Beneficio, & ingreſſu Religionis.

4 Dices: Chriſtus non dedit poteſtatem dandi vel recipiendi ſpirituale, niſi per donationem gratuitam. ℞. Per particulam *Gratis* non prohiberi ſubſtantiam dandi, ſed modum præſcribi, qui accidentalis eſt, & additur propter rei ſanctitatem, ſeclusâ irritatione ſuperadditâ. At hæc nec fit verbis expreſſis, quæ in Jure naturali locum non habent, nec ſumi poteſt ex materia legis, quia ſubſtantia rei conſiſtit in largitione & receptione voluntaria, ut in Mutuo, venditione Legati facti pauperi, Baptiſmo, Ordine &c. Et aliàs Simoniacus Mentalis teneretur reſtituere Beneficium contra c. ult. de Simon. uti & Grana benedicta: at cui?

Tertiò. Acquiſitio Eccleſiaſtici Beneficii Simoniaca, eſt irrita Jure Eccleſiaſtico, nullúmque Jus verúmque titulum confert acquirenti. Ita Theologi omnes, & Juriſtæ communiter. Sumitur ex c. *Matthæus.* c. *Nobis.* c. *Sicut tuis.* c. ult. de Simon. & maximè ex X. 2. eod. Unde non refert, an Simonia occulta ſit an manifeſta: an facta à Proviſo, an per Interventorem, ſiquidem ille non contradixit, nec dolus intervenit: itémque an contra Jus Divinum, an Eccleſiaſticum. c. *Cùm univerſorum.* & c. *Cùm olim.* de Rerum permut. Nec enim ſpoliatio ibi fit propter intruſionem; & licèt non ſignificetur privatio ipſo facto, ſubintrat d. X. 2. aggravans in omnibus Beneficiis Jura antiqua. 5

Navar. & Ugolin. volunt, non Irritationem ſed Irritabiliitatem tantùm explicari in Jure. Sed contrà: quia de Irritatione patet ex tribus effectibus, quos omnes admittunt. Ut 1. quòd Proviſus ſtatim ac ſcit vitium, tenetur cedere, d. c. *Sicut.* & c. *Quicunque.* 1. q. 5. at non ex ratione alia, niſi quia rem non ſuam retinére nequit, invito domino: quæ 6

quæ eſt demonſtratio moralis nullitatis. Improbabile enim eſt, quòd hæc cœperit à die ſcientiæ, quia & difficiliùs fit ablatio rei verè habitæ, quàm acquiſitio impediatur, & non eſt Jus ſic declarans nullitatem; & ſcientia non eſt culpa, nec hanc auget, ſed oſtendit vitium, non facit.

7 Rurſus idem Proviſus tenetur reſtituere fructus omnes, non tantùm à die ſciti vitii, ſed Beneficii obtenti: priores quidem fructus, ut poſſeſſor bonæ fidei; ut malæ poſteriores: ergo quoad illos, reddit extantes tantùm, non quos conſumpſit; nec etiam Diſtributiones, ut ſuppoſitâ bonâ fide, per ſe conſentaneum eſt Juſtitiæ & rationi. Evidens ergo eſt nullitas proviſionis, aliàs ex Beneficio verè ſuo etiam fructus feciſſet verè ſuos, nec his per ſententiam privari poſſet; nec eſt jus ſpeciale, quod ſic diſponat. Poſſeſſor autem bonæ fidei non obligatur titulo acceptionis, ſed rei acceptæ tantùm: ergo quod non extat, ita ut quis ſit inde ditior factus, non eſt obnoxium reſtitutioni.

8 Denique idem fit inhabilis ad idem Beneficium denuo obtinendum ſine diſpenſatione, c. pen. de Elect. ergo à fortiori inhabilis fuit ad obtinendum in principio; nam cur repellitur, cùm ceſſat vitium, & non quando id eſt? Idémque ſatis ſignificatur particulâ *penitus reprobanda* in d. c. *Nobis.* Nec obſtat Reſignatio in d. c. pen. nam ſæpiſſime ſignificat executionem & factum tantùm. Falſum ergo eſt, rem non eſſe expreſſam, cùm effectus eam loquantur, nec d. X. 2. diſtinguat inter ſcientem & ignorantem, ſed abſolutè velit, ut *cuiquam jus nullatenus acquiratur.*

Quartò. Simonia non obſtat Proviſo innocenti. Ita d. c. *Sicut.* fundans deciſionem in ejus innocentia, ſive pecunia data ſit ex odio, ſive ex amore indiſcreto; ſolùm enim de odio ſermo fit, tanquam ab exemplo claro. Quòd ſi ad amicum indemnem ſervandum pecunia poſtmodum ſolvitur, clarum eſt vitari Simoniam; ſecùs ſi ſolutio fit ex approbatione tacita vel expreſſa facti. Quamvis autem Simoniaca ſit quoad vitium, non tamen quoad cauſalitatem ejus, quod præceſſit. c. *Cùm quis.* de S. E. in 6. & ideo nec amiſſio Beneficii fit ipſo facto (quidquid ſit de ferenda ob præſumptionem conſensûs præcedentis) quia ex d. c. *Sicut* non ſumitur, dictam approbationem imputari debere ad culpam & pœnam ſimul; vel certè non ad eandem pœnam in caſu tam diverſo, ut rectè Tancred. relatus ibi à Gloſſa. 9

Quintò. Comprehenditur dictâ pœnâ Beneficium omne & ſolum. Ita d. X. 2. ibi: *Quibuslibet Beneficiis*, infimis, ſummis, conſequenter à quocunque dentur, & 10

per quamcunque actionem per ſe ordinatam ad Collationem, ut eſt Præſentatio, Nominatio &c. Excluduntur autem juxta Navar. Salced. Ugol. Leſſ. Cajet. Sylv. Soto &c. Officia, quæ ſolùm ſunt Commiſſiones pendentes ex arbitrio Delegantis, ut Vicaria Epiſcopi, Parochi, ſi temporalis ſit (nam perpetua Beneficium eſt juxta omnes) cùm ſimplicia non ſoleant dici Officia, ſed quæ per Canonicam Electionem vel Collationem dantur, ut Abbatis, Prioris &c. ſicque intelligitur d. X.

11 Sextò. Non comprehenditur dictâ pœnâ Simonia merè Conventionalis, quamdiu in ea ſiſtitur. Ita ſuprà ſuppoſuimus ex ſtylo Curiæ, qui pro Lege eſt. Poſt ſolutum ergo pretium obligatio eſt in conſcientia, ut & Beneficium & fructus dimittantur; eadémque obligatio tenet quoad fructus à die Collationis, pariformiter ut in bonis Hæretici. Simoniacus enim à dicta die non habet quidem proprietatem, ſed tamen poſſeſſionem & uſum Beneficii; & ideò juxta Navar. Leſſ. Henriq. non tenetur dimittere fructus antè perceptos, & Beneficia antè obtenta, niſi per ſententiam cogatur, ſicque fiat retrotractio ad dictam diem.

Ugolin. vult, fictionem Juris in utroque Foro operari, ſicut Præſcriptionem. Sed hoc ei probandum erat; ex ſolo enim ſtylo non ſumitur, nec ex aliqua lege ſcripta, nec ex d. X. quæ non meminit retrotractionis, nec ante ſolutionem operatur effectum ſuum. Quòd verò Proviſus infidelis ſic fiat melioris conditionis, per accidens eſt, cùm leges non poſſint omnia providere; nec res accepta poſſit pretio compenſari, aut hoc dari debeat pauperibus. Idem autem fit in promiſſione ficta, quamvis certum ſit, Collationem tenere. 12

CAPUT LVIII.

An Simoniacus in Ordine vel Beneficio privetur ipſo facto Beneficiis antè obtentis?

1 Primò. Ad dictam privationem nemo tenetur ante ſententiam Declaratoriam. Nam pœna, quæ privat legitimè poſſeſſis, non intelligitur cum tanto rigore, ut patet in Hæreſi, c. *Cùm ſecundum*, de Hæret. in 6. Imò nec ipſo facto regulariter lata eſt dicta pœna, cùm juxta receptiſſimam omnium Theologorum & Juriſtarum, nunquam ſic lata cenſeatur ſine particula: *Ipſo facto*, aut alia æquivalenti: nullum autem eſt Jus in præſenti cum dicta clauſula, dempto quod habetur de Simonia Con-

Confidentiali, & in Trident. ſ. 24 c. 18. de Reform.

2 Confirmatur. Quia allegari nequit X. 2. de Simon. ut ſæpe notatum eſt propter Depoſitionem &c. & in Jure antiquo nullibi formaliter fertur dicta privatio, ſed ſolùm virtute in Depoſitione. Nec etiam probat c. *Tanta.* eod. quia falſum eſt, propter Simoniam in Beneficio incurri Suſpenſionem ab Ordine & Officio: item falſum eſt, quòd Suſpenſio perpetua includat dictam privationem magis quàm Irregularitas. *Et* in c. *Inquiſitionis* de Accuſ. confunditur Suſpenſio Ordinis cum dicta privatione, quæ ad ſummum intelligi poſſet poſt ſententiam, ut in caſu homicidæ, de quo ibi (non enim privatur ipſo facto Beneficiis c. *Clericis.* Ne Cler. vel Mon.) ſatiſque eſt intelligi dictam pœnam de Beneficio Simoniacè accepto. Nam uſus evidenter habet, ut nemo dubitet, Beneficia priora rectè retineri, vel reſignari ut ſua donec ſententia feratur.

3 Secundò. Idem eſt ſervatâ proportione, de actionibus ordinatis ad Collationem. Nullibi enim fertur pœna ipſo jure, ut quod legitimè præceſſit v. g. Electio, ſit nullum propter ſequentem Confirmationem Simoniacam; nec prius pendet à poſteriori. c. *Si Confirmationem* de Elect. in 6. quamvis è converſo, quia fundamentum fuit, & quia inducitur eoipſo inhabilitas ad novum Beneficium. Similiter Simoniacus in uno, non tenetur fructus alterius Beneficii legitimè obtenti reſtituere, quia dicta Simonia non inducit Suſpenſionem in Beneficiis. Imò nec ſententia Declaratoria id operatur, quia eſſet extenſio à diverſis, contra omnem rationem pœnæ, loquendo per ſe, & ex ſolo titulo, quòd fructus percepti ſint poſt Simoniam.

Tertiò. Inducitur inhabilitas ad Beneficium Simoniacè obtentum, non tamen perinde ad alia, loquendo ſaltem de conſuetudine. Prior pars patet ex c. pen. de Elect. Contra alteram ſentit Ugolin. quia Pius V. conſtit. 5. ait. *Illis ſit ipſo Jure privatus, & perpetuò ſit inhabilis ad ea & quæcunque alia Beneficia Eccleſiaſtica obtinenda.* Ergo ſaltem poſt Declaratoriam; imò antè, quia hæc pœna non requirit actionem hominis. Hæc de rigore Juris. Nam cùm neget Navar. dictam pœnam eſſe uſu receptam, idque valde veriſimile ſit, cùm per conſuetudinem derogari poſſit uni parti legis, non alteri, præſertim ſi una eſt de Jure antiquo, altera noviter addita: poterit quis tutâ conſcientiâ ſequi dictam opinionem, ubi non clarè conſtiterit Conſtitutionem dictam in rigore receptam eſſe. 4

CAPUT LIX.

An pretium Simoniacè obtentum, de Jure naturali reſtituendum ſit?

1 Primò. Conſtat reſtitui debere, quod anticipatò acceptum eſt, Sicut enim, quod nondum acceptum eſt, obligatio eſt ſaltem Religionis, ne recipiatur, ita anticipatò datum debet reſtitui: quia nec Beneficium dari poteſt, nec pretium retineri, quia datum conditione onerosâ, quâ non impletâ redit ad dominum. Nec etiam ſe iſte plenè abdicavit dominio, nec Eccleſia punit Simoniam merè Conventionalem; nec pœna l. 1. 2. 3. & l. *ſi ob turpem.* ff. de Cond. ob turp. cauſ. & l. 2. Cod. eod. obligat ipſo facto.

2 Secundò. Simoniacus, quoties injuſtè agit vendendo ſpirituale, tenetur reſtituere pretium Jure naturali. Nam ſeclusâ lege poſitivâ; obligatio reſtitutionis ſolùm oritur ex Juſtitia Commutativa: ergo ſupponit injuſtitiam contrariam, ut in accipiendo, ita in retinendo, quia eadem utriuſque ratio eſt: at qui non poteſt juſtè retinere, tenetur reſtituere.

3 Tertiò. Injuſtitia eſt petere quid pro Miniſterio, ad quod præſtandum obligatio Juſtitiæ eſt, ut in Parocho, Epiſcopo. Nam miles, famulus &c. habens juſtum ſtipendium, injuſtè exigit novum. Nec Epiſcopus eſt Dominus Beneficii vel Officii Eccleſiaſtici; ergo vendit rem non ſuam, ſicut OEconomus habens poteſtatem conferendi gratis officia domûs, aut Hæres in diſtribuendis Legatis, Dotibus &c. merus diſpenſator eſt. Idem eſt de Electore; nam ex officio tenetur ad Electionem juſtam.

4 Quartò. Idem eſt, licèt functio ſpiritualis non ſit debita ex Juſtitia, ſi quidem ut talis venditur. Sola enim Spiritualitas non facit rem pretio humano æſtimabilem, nec ſpirituale cadit ſub dominium humanum, nec Deus conceſſit niſi diſpenſationem gratuitam tantùm, addito cæteris onere ſtipendii ex natura rei, vel lege Eccleſiæ taxati: ergo Fideles ex inſtitutione Chriſti habent jus, ne graventur, ſicut pauperes reſpectu Eleemoſynarii Principis. Sic utique injuſtus eſt Parochus, petens exceſſivum ſtipendium.

5 Solùm ergo differentia eſt inter Miniſtrum ex officio, & alium, quòd ille ad exercitium obligetur, & hic quoad ſpecificationem tantùm actûs, ut ſi facit, gratis faciat: ſicut ſi Reſpublica conſtitueret Judices Arbitros, vel Tabelliones cum competente ſalario, præſcribendo quid & quantum exigere poſſint. Quòdſi locus ſit ſtipendio, ex errore intentionis circa pretium, non oritur obligatio reſtituen-

tuen-

tuendi, ſed mutandi tantùm intentionem, quia in re non fit inæqualitas, nec qui dedit, rationabiliter invitus eſt.

6 Dices: ergo etiam Reliquias, ſi meæ ſunt, teneor dare pro nihilo? R. ita eſſe. Nam ſpiritualitas non auget valorem juxta æſtimationem omnium prudentum (à qua maximè pendet valor rerum) nec per ſe eſt ſub dominio hominis, ſed ſolùm ratione materiæ, cui veluti affixa eſt. Tamen rarum eſt, temporale adjectum nullius eſſe valoris; ſicque ratione illius regulariter quid peti poteſt citra injuſtitiam.

7 Quintò, Reſtitutio fieri debet ei, qui dedit pretium, non aliis, loquendo de obligatione naturali. Nec enim Eccleſia, nec pauper habet jus ad pretium dictum: nec obligatio eſt eis reſtituendi, niſi vel ratione legis ſic applicantis in pœnam (ut c. *Cùm ſit* de Judæis circa lucrum ex officiis publicis, utut juſtum) vel in locum veri domini, cui reſtitui nequit; quod eſt per accidens, & ex interpretativa voluntate domini: nam cui facta eſt inæqualitas, reſtitutio per ſe & ex præcepto Juſtitiæ fieri debet, c. ult. 14. q. 5. non alteri, niſi quatenus perſonam ejus gerit: quia indignitas ejus non facit, ut puniatur à privato. Denique d. c. ult. cùm eleemoſynas fieri vult, agit de turpiter acceptis à Judice, non tamen injuſtè, aliàs eadem de illo, quæ de Simoniaco, ratio eſt.

Dices: Emptor tranſtulit abſolutè dominium, utpote causâ ſecutâ. 8
2. Si ſpirituale reddi non debet, ergo nec temporale, aliàs contractus claudicat injuſtè. 3 Spirituale datum non eſt niſi ob cauſam. conſequenter nec voluntariè, nec validè, arg. c. *Etſi neceſſe.* de Donat. inter. vir. &c. & l. 1. Cod. de Cond. ob cau. dat. 4. Saltem ſecùs eſt de rebus ſacris permanentibus, quia magis eſſe poſſunt ſub dominio habentis.

Ad 1. R. Emptorem noluiſſe donare, ſed dare, quantum Juſtitia poſcit, nec plus quàm poſcit, à ſe abdicare: ergo voluntas non fuit efficax, quia causâ non ſecutâ. Hæc enim non eſt res, quæ recipitur, merè materialiter ſumpta, ſed ut tali pecuniâ æſtimabilis, & ut ſufficiens ad juſtificandam exactionem. Et hæc eſt vera cauſa, cur Uſurarius non fiat dominus rei Uſurariæ. 9

Ad 2. R. Vendentem ſpirituale eſſe injuſtum, non ementem. Nam ille agit contra abſolutam voluntatem Chriſti: hic contra eandem quidem, ſed quoad modum tantùm. Nec refertur commodum ex iniquitate, ſed ex Domini liberali voluntate res ad ſtatum, in quo debuit, reducitur, non obſtante priore culpâ venditionis. Contractus ergo tenuit quoad dationem, non quoad extorſionem, ut in Dote diſtribuenda. 10

Ad 3. R. Cauſam non eſſe propriè conditionem, ſed motivum tantùm, 11

ut

ut fatendum eſt, ſi promiſſio tantùm præceſſit, non datio. Dein conditio habetur pro non adjecta, quia per ſe injuſta (ſecùs ac cùm cauſa honeſta eſt, vel ſaltem non injuſta) & ſine voluntate Domini, & ſine poteſtate Miniſtri, ut in dicto exemplo diſtribuentis Dotem. Licèt autem emens agat turpiter, tamen quoad modum tantùm, quia conſecutio gratuita (ſi poſſet) eſt juſta cauſa recipiendi : ergo licèt actus non teneat in ratione Emptionis Venditionis, tenet in ratione dationis, & receptionis; nam Chriſtus ratam habet dationem quoad ſubſtantiam, relinquens venditionem invalidam, tanquam ex natura ſua injuſtam.

12 Ad 4. R. materiam antecedenter annexam juſto pretio vendi poſſe. Si ergo illa quaſi nihilum eſt, reſtitutio pretii pro nihilo dati rectè petitur: ſin ſpirituale propter effectus temporales, ut honoris, ſalutis &c. æſtimatur, per ſacrilegium injuſtitia non fit. Denique aut ſcivit quis invendibilitatem, aut non? Si primum, venditio tenet quoad materiale, non ſpirituale; quia utile per inutile non vitiatur, ſicut mutuum tenet, rejectâ venditione mutuandi. Si ſecundum, probabile eſt, contractum utpote involuntariè factum reſcindendum eſſe utrinque.

13 Sextò. Aliquando Simonia committi poteſt ſine injuſtitia contra Commutativam; & tunc ex natura rei non oritur obligatio reſtituendi. Patet in Beneficiario, ſi ſolùm petat valorem rei temporalis, quâ ſe privat, ſive dominus dicatur, ſive uſuarius. Sibi autem imputet alter inutilitatem Ceſſionis, cùm cedens ſe ſervat indemnem; nam cauſa prætii eſt dicta privatio, & alter vel ſcivit vel ſcire debuit dictam inutilitatem. Idem eſt de vendente officium ſuum Eccleſiaſticum, Jus patronatûs, Imaginem miraculoſam, æſtimando lucrum temporale. Secùs enim eſt de privatione fructûs ſpiritualis, ſicut virtualis injuſtitia eſt, pro furto Reliquiarum &c. accipere compenſationem temporalem, 14
nam fit virtualis venditio.

Septimò. Simonia mentalis, ſi pretium ſine injuſtitia accipitur, non obligat ad reſtitutionem. Nam neque de jure naturæ, ut conſtat, neque de Eccleſiaſtico, cùm ab hoc illa non puniatur. c. *Tua nos.* c. *Sicut tuis,* de Simon. Sicque c. ult. eod. rectè definitur, juxta caſum textûs ſolam pœnitentiam ſufficere, cùm ſolùm acceptum ſit temporale quoad æſtimationem alimentorum, adeóque ſolùm opus fuerit mutatione intentionis, ut ſæpe in ſimilibus. Secùs eſt, ſi injuſtitia eſt in actione externa, quæ procedit ex intentione injuſta; nam evidens tunc paritas eſt Simoniæ cum injuſtitia Uſuræ. c. *Conſuluit,* de Uſur. ubi definitio fit pro Foro interno, *in animarum judicio.*

CAPUT

CAPUT LX.

An pretium Simoniacè acceptum in conſcientia reſtituendum ſit ex Jure Eccleſiaſtico?

1 Primò. Pretium receptum pro Beneficio, Præſentatione, Electione &c. in foro Conſcientiæ reſtituendum eſt ante omnem ſententiam. Ita Communis, ſolo Ugolino refragante. Sumitur ex c. *De hoc*, de Simon. Nam loquitur de onere conſcientiæ, & de receptione non injuſta. *Si qua receperunt &c.* ergo non agit de datis ex bonis Eccleſiæ, quia non de promiſſis agit, ſed de *datis* ante obtentam Eccleſiam: ergo præſumptiviè propriis: & ubi Jus non diſtinguit; cur nos? & ſine fundamento textûs, & contra præſumptionem? Quia verò agitur de materia Beneficiali, extenſio ad Ordinem aliáve fieri non debet.

2 Secundò. Fieri dicta reſtitutio debet Eccleſiæ, quæ injuriam paſſa eſt. Ita d. c. *De hoc.* Non enim ei, qui dedit, reſtitui debet, ut qui pretio integrè ſe abdicavit, causâ ſecutâ; & Lex potuit etiam invitum ſpoliare. Rurſus nec pauperibus, nec Cameræ Apoſtolicæ (ſeclusâ compoſitione cum Pontifice) quia Epiſcopus cogere poteſt, ut detur Eccleſiæ, quam Jus determinavit. Tolerari tamen poteſt conſuetudo dandi pauperibus, ſi ſint ejuſdem Eccleſiæ, quia ad eos quodammodo pertinent ea bona.

Tertiò. Pretium receptum pro Ingreſſu Religionis, non eſt in conſcientia reſtituendum ante ſententiam, quâ Simoniacè receptus excludatur à Monaſterio. Vel enim ille recipit pretium, vel hoc? ſi primum, ejuſdem erit (Jus enim nil diſponit) de eo agere, quod vult; poſt Profeſſionem autem Monaſterium ſubintrat, non titulo Reſtitutionis, ſed jure conſecutionis, quia bona ſequuntur perſonam. Si ſecundum, juxta c. *Veniens*, eod. præcipitur fieri reſtitutio Monacho; & ut hic abeat ad aliud Monaſterium. Præcipitur, inquam, non utique ſupponendo bonam fidem Monachi; aliàs ut decepto reſtitutio ei deberetur de Jure naturæ. 3

Oportet autem, ut Monachus per ſententiam excludatur; nam in X. 1. eod. diſpenſatur in retentione perſonæ: at retenta eſt incapax, cui reſtituatur. Quòdſi ultrò abire velit, & in ſe exequi Canonem, utique eidem, quod dedit, reſtituendum eſt: nam eſt quaſi alimentum perſonæ, & onus alendi ceſſat; ſicque prior contractus fuit nullus quoad temporalem conventionem: ergo jure naturæ repetitur datum. 4

Quartò. Pretium receptum in aliis materiis non eſt reſtitutioni obnoxium ipſo facto ante ſententiam. Nam præter citata Jura nullum eſt, quod cogat, quia nec. c. ult. eod. quaſi per argumentum à contrario ſenſu, nec c. *Audivimus*, §. *Quòdſi* eod. Non prius, quia ſolùm explicat, quid in mentali Simonia ſit, ſupponens in reali eſſe poſſe obligationem: ſed quando ſit, non definit. Non poſterius, quia loquitur de ſententia, ut patet ex particula: *Exacta duplicata reſtituat*; nec in omni materia punit Epiſcopum extorquentem, ſed in ibi expreſſa præcipiens duplum applicari in utilitatem Eccleſiæ læſæ; ergo in aliis materiis arbitrio Judicis pœna applicari poterit Eccleſiæ vel pauperibus.

CAPUT LXI.

De Diſpenſatione circa Simoniam.

1 Primò. Quantùm ad culpam, Inferiores Pontifice diſpenſare nequeu t. Nam nec generali commiſſione expreſsâ id datum eſt, nec tacitâ vel interpretativâ, cùm hæc non oriatur niſi ex neceſſitate, & hæc nunquam ſit. Unde nec Pontifex moraliter loquendo, utitur hac poteſtate, quia nec neceſſaria eſt, nec Eccleſiis utilis. Altiori enim genere Providentiæ uti poteſt Pontifex, non dando unũ pro alio, ſed unũ auferendo,& alterum d ndo in ſuſtentationem perſonæ: expedítque hanc poteſtatem providendi delegari, non tamen ut ſpiritualia fia t venalia.

2 Secundò. Quantùm ad Cenſuras, conſtat ex dictis ſuprà eſſe reſervatas Pontifici. Q amvis autem quoad eas ſtandum ſit generalibus regulis quoad Jubilæa & Privilegia; tamen quia ob motum Sixti V. confirmatum à Clemente VIII. Suſpenſio contra Simoniam in Ordine eſt pura pœna, ſicque vi null'us Indulti generalis tolli poteſt: nam pura pœna tolli nequit, niſi à quo poſita eſt, juxta dicta D. 29. de Cenſur. ſ. 2. Denique circa Regulares jam condemnatos ſolus Pontifex diſpenſat, dempto caſu ignorantiæ vel neceſſitatis. c. *De Regularibus*. c. *Quoniam*. de Simon.

Tertiò. Collatio Simoniaca per 3
Diſpenſationem non firmatur. Non enim per antecedentem, quia nimis iniqua eſt, quàm ut timeri poſſit. Non per ſubſequentem, quia non firmatur tractu temporis, quod ab initio non ſubſiſtit; opus ergo eſt novâ collatione. Inhabilitas autem ad idem recipiendum tolli poteſt per Epiſcopum, ſi Beneficium ſit ſimplex, & *ignoranter* (quantùm ad Simoniam) receptum; ſecùs autem ſi ſit Beneficium majus. Secùs, inquam, *pro illa*

illa vice, c. pen. de Elect. ergo ſi Beneficium alteri datum vacet denuo, locum habet diſpenſatio Epiſcopi; utique niſi obſtet Conſtit. *Pii* V. ob latam inhabilitatem perpetuam, quæ conſequenter à ſolo, à quo lata eſt, tolli poterit. Ubi autem Conſtitutio Pii recepta non eſt, utilis eſt dicta diſpenſatio, ne inhabilitas objici poſſit.

4 Quantùm ad Conſuetudinem, dictum eſt c. 48. quomodo excuſet culpam. Ut autem valeat ad abrogandam pœnam; ſtandum eſt regulis generalibus quoad conditiones per ſe neceſſarias ad valorem Conſuetudinis. Denique quantùm ad uſum, oportet ut conſtet, pœnam eſſe uſu receptam: conſtare autem poterit vel ex communi ſenſu Doctorum, vel ex praxi Prælatorum, & prudentum Confeſſorum, & maximè ex uſu Curiæ Romanæ.

TRACTATUS I.

De Natura Religionis.

LIBER I.

De Objecto Religionis.

CAPUT. I.

1. Etymologia vocis Religio. 1
2. Quot modis dicatur Religio ad Deum 2
3. Quomodo Deus comprehendatur ſub objecto Religionis 2
4. Sitne Deus ſolus objectum cui 3
5. Sitne proprium objectum Quod 3
6. Sub qua ratione objiciatur Religioni. 4
7. Quæ ſit materia proxima Religionis circa quam 4
8. Corollaria de materia Divini Cultûs. 6
9. Quomodo ratio debiti pertineat ad formale objectum Religionis. 6

LIBER II.

De Actibus Religionis in genere,

CAPUT I.

1. De internis actibus elicitis 7
2. An Religio habeat actus externos. 9
3. An Cultus externus ſit actus elicitus vel imperatus 9
4. Habeátne Religio actus proprios ſpecie differentes. 10

LIBER III.

De Habitu Religionis.

CAPUT I.

1. An Religio ſit Habitus proprius naturæ creatæ. 11
2. Quomodo diſtinguatur à Fide, Spe, & Charitate. 13
3. An ſit virtus Theologica &c. &c. 14
4. An diſtinguatur à vera & propria Juſtitia. 15
5. An diſtinguatur â virtute circa homines. 17
6 An ab Obedientia erga Deum. 19
7. An ſit diſtincta à Pœnitentia. 20
8. An ſit una virtus ſecundùm ſpeciem. 21.
9. Quem perfectionis gradum habeat 22.

TRACTATUS II.

De Præceptis affirmativis pertinentibus ad Dei cultum, maximè externum.

LIBER I.

De Divino cultu, maximè per Oblationes &c.

CAPUT I.

1. An ſit præceptum naturale colendi Deum ſpiritu & corpore. 24
2. Quomodo Deus colendus de Lege naturæ. 26
3. An Sacrificium ſit de Lege naturali &c. 27
4. De Ritu ſimplicium oblationum. 28
5. An Oblationes ex præcepto debeantur. 29
6. Quæ perſonæ eas facere debeant vel poſſint. 31
7. Quibus perſonis, & de quibus Oblationes faciendæ. 32
8. De Præcepto ſolvendi Primitias. 33.
9. De Præcepto Decimarum. &c. 34
10. An ſit Juris Divini, &c. 36
11. V. determinatio Decimarũ convenienter facta ſit. 36
12. Quid poſſit conſuetudo circa obligationem &c. 38
13. De tempore neceſſario ad præſcribendum. 39
14. Quid Pontifex in Decimis concedendis &c. 40
15. An valeat privilegium Laici de non ſolvendo &c. 41
16. An d. præceptum obliget omnes & ſolos Fideles. 43
17. An Clerici omnes obligentur 44
18. An aliqui eximantur &c. 47
19. Exponuntur dubia circa Privilegia &c. 47
20. Quomodo amittatur Privilegium non ſolvendi, &c. 49
21. An Decimæ ſolvendæ ſint Eccleſiæ Parochiali. 50
22. De Conſuetudine ſolvendi in aliena Parochia. 51
23. De privilegio ſolvendi extra propriam Parochiam. 52
24. An in Eccleſia Baptiſmali ſolvendæ ſint. 53
25. An deberi vel ſolvi Laicis poſſint Decimæ. 54
26. An in Feudum dari. &c. 55
27. An Laici præſcribere poſſint perceptionem Decimarum. 56
28. Ad quas perſonas pertineant Decimæ. 57
29. Corollaria. 59
30. An Clerici præſcribere poſſint jus Decimarum. 60
31. Ex quibus rebus Decimæ perſonales ſolvendæ. 61
32. An aliqua propria lucra ſint exempta. 61
33. An perſonales debeantur integræ. 62
34. Ex quibus bonis prædiales ſolvendæ ſint. 63
35. An ſolvendæ integræ. 64
36. Quomodo debitæ ſint Decimæ. 66
37. Quando & ubi ſolvendæ. 68

38. Quomodo non ſolutæ recuperari poſſint. 69

LIBER II.

De Diebus Feſtis.

CAPUT. I.

1. An Præceptum Sabbati convenienter poſitum ſit inter præcepta primæ tabulæ. 72
2. V. Obſervatio Feſtorum convenienter inſtituta ſit. 74
3. De diebus, quos Eccleſia ex obligatione ſervat. 75
4. De obſervatione diei Dominicæ &c. 75
5. De Feſtis pertinentibus ad vitam & mortem Chriſti, & communibus B. Virgini. 76
6. De Feſto Paſchatis. 77
7. De Feſtis aliis pertinentibus ad Chriſti Gloriam. 81
8. De Feſtis B. Virginis. 82.
9. De Feſtis aliorum Sanctorum. 82
10. De comparatione & numero Feſtorum. 84
11. De Feſtis propriis Diœceſium &c. 85
12. V. poteſtas Laica præcipere poſſit Feſta. 86
13. V. Peregrini obligentur ad Feſta Patriæ. 87
14. V. ad Feſta loci, in quo verſantur. 88
15 De Præcepto audiendi Miſſam die Feſto. 90
16. An aliæ actiones ſacræ tunc præceptæ ſint. 91
17. Sola corporalia opera prohibita eſſe &c. 93
18. V. per peccatum quodcunque violentur Feſta. 93
19. V. Omne opus mercenarium ſit ſervile &c. 94
20. Quid ſit de ratione operis ſervilis prohibiti. 95
21. De operibus naturalibus, Pietatis & Religionis. 96
22. V. opera liberalia prohibeantur. 97
23. V. Dentur opera, nec ſervilia nec liberalia. 98
24. V. Actio ſcribendi ſit aliquando ſervilis. 98
25. V. Tranſcribere ſit opus ſervile. 99.
26. V. Actio pingendi ſit ſervilis. 100.
27. V. Iter agere, ſaltare &c. &c. 101
28 De Venatione, Piſcatione, Militia. 102
29. De operibus non ſervilibus prohibitis. 104
30. De actibus Forenſibus prohibitis vel irritis. 105
31. Quanta ſit obligatio prohibitionis. &c. &c. 107
32. De cauſis, quæ excuſare poſſunt. 108
33. De Diſpenſatione in hoc præcepto 109

LIBER III.

De Reverentia debita locis Religioſis.

CAPUT. I.

1. V. Ex affirmativo vel negativo præcepto debeatur loco ſacro reverentia aliqua. 110.
2. De actibus in loco ſacro prohibitis, qui eum polluunt. 112
3. V. Omne opus profanum, ſit contra Sanctitatem Templi. 114
4. De actibus Forenſibus prohibitis in Templo. 115
5. De furtis prohibitis in Templo. 117
6. De aliis actionibus prohibitis &c. &c. 117
7. V. aliqua Jure naturæ ſint mala ob circumſtantiam loci ſacri. 119
8. De Immunitate Eccleſiarum. 121
9. Quæ Eccleſiæ gaudeant Immunitate. 122
10. Quæ perſonæ eâ gaudeant. 124
11. In quibus cauſis valeat Immunitas. 125
12. De effectibus Immunitatis. 127
13. De crimine & pœna Judicis Aſylum violantis. 128

TRACTATUS III.

De Vitiis Religioni contrariis, &c.

LIBER I.

De Irreligioſitate & ſpeciebus ejus.

CAPUT. I.

1. Quid ſit Irreligioſitas &c. 130
2. De Tentatione Dei. 131
3. De Tentatione Dei interpretativa. 132
4. De Blaſphemia quid ſit. 134
5. Quotuplex ſit. 134
6. Qualis & quanta ſit malitia ejus. 135
7. De Pœnis Blaſphemiæ. 137

LIBER. II.

De Superſtitione.

CAPUT. I.

1. Quomodo ſit circa verum Deum & quid ſit. 138
2. Quot modis & quàm graviter peccetur per ſuperſtitioſum cultum veri Dei. 140

3. De Idololatria quid ſit. 141
4. Quomodo tribui poſſit Idolo, & quotuplex ſit. 142
5. De Origine Idololatriæ. 144
6. Quàm gravis ſit culpa, & quæ pœna ejus. 145
7. De Superſtitione Divinativa quid ſit. 147
8. Qualis & quanta ſit malitia Divinationis expreſsè poſtulatæ à dæmone 148
9. De Superſtitioſa Divinatione per pactum implicitum. 150
10. Difficultates circa ſpecies Divinationum. 152
11. De prohibitione judicandi occulta ex Aſtris. 153
12. V. Uſus ſortium ſemper ſit ſuperſtitioſus & prohibitus. 156
13. Quomodo Divinatio per ſomnia ſit ſuperſtitioſa. 159
14. V. in operibus Magiæ ſit pactum cum Dæmone. 161
15. Qui ſint modi & ſpecies ſuperſtitionis Magicæ. 162
16. V. Omnia opera Magiæ ſint præſtigioſa. 165
17. Quibus mediis uti liceat ad tollenda maleficia. 167
18. V. Sit intrinſecè malum, uti maleficio contra maleficium. 169
19. De pœnis quas incurrant Magi, Malefici & Divini. 170

LIBER. III.

De Sacrilegio.

CAPUT. I.

1. Quid & quotuplex ſit. 171
2. De multiplici Sacrilegio contra perſonam ſacram. 171
3. De Sacrilegio per violationem Caſtitatis. 172
4. De Sacrilegiis contra locum & res ſacras. 173
5. Qualis ſit diviſio Sacrilegii in tres ſpecies. 174
6. Dubia de quibuſdam rebus ſacris. 174
7. De Sacrilegii gravitate & pœnis. 175

LIBER. IV.

De Simonia.

CAPUT. I.

1. Quid ſit Simonia. 176
2. V. Aliqua Simonia Jure Divino prohibita ſit. 177
3. Qualis, & quanta ſit malitia Simoniæ 178
4. V. Malitia contra Juſtitiam in ea ſit. 179
5. V. Vitium proprium ſit Legis Gratiæ. 180

6. V.

6. V. In Lege naturæ habuerit locum. 181
7. V. Aliqua Simonia ſolo Jure humano prohibita ſit. 182
8. V. Detur Simonia in materia merè naturali. 183
9. V. Gratia ſanctificans poſſit eſſe materia ejus. 186
10. V. Sacramenta ſint propria materia ejus. 186
11. V. Materia Sacramentorum vendi poſſit. 187
12. V. In caſu neceſſitatis emi poſſit Sacramentum. 188
13. V. Omnes actus Ordinis ſint materia Simoniæ. 189
14. V. Omnia ſacramentalia ſint materia ejus. 190
15. V. Divina Officia &c. &c. 193
16. V. Actus ſpirituales ſoli operanti utiles &c. 194
17. V. Ingreſſus Religionis ad Habitum vel Profeſſionem. 196
18. V. Functiones ſupernaturalis Doctrinæ. 197
19. V. Actus Jurisdictionis Fori interni. 200
20. V. Actus Jurisdictionis Eccleſiaſticæ Fori externi. 201
21. V. Labor corporalis in opere ſpirituali. 203
22. V. Omiſſio ſpiritualium actuûm. 205
23. V. Corporale annexum ſpirituali. 207
24. V. Beneficia ſint materia Jure Divino vel Eccleſiaſtico. 207
25. V. Præſtimonia ſint materia Simoniæ. 210
26. V. Penſiones Eccleſiaſticæ. 211
27. V. Commendæ, Coadjutoriæ, Hoſpitalia. 212
28. V. Jus Patronatûs. 214
29. V. Officia temporalia & eorum actus. 216
30. V. Pretium Simoniacum debeat eſſe temporale. 218
31. V. In permutatione ſpiritualium Simonia ſit. 219
32. V. Authoritas Prælati neceſſaria ſit ad permutationem Beneficiorum. 220
33. V. Beneficium Penſione permutari poſſit. 222
34. V. Permutatio inæqualium Beneficiorum fieri poſſit. 223
35. V. Renuntiatio Beneficii in favorem tertii. 224
36. Quando temporale donum habeat rationem pretii rei ſpiritualis 226
37. V. Pretium rectè dividatur in munus à manu. &c. 228
38. Quid intelligatur per munus à manu. 230
39. Quid per munus ab obſequio. 231
40. Quid per munus à lingua. 233
41. V. Simonia rectè dividatur in Mentalem, Conventionalem & Realem. 234
42. De Simonia ficta. 235
43. De Simonia Confidentiali. 235
44. V. ad Mentalem ſufficiat intendere temporale &c. 236
45. V. Intentio dono ſpirituali remunerandi temporale. 239
46. V. Simonia ſit Conventionalis deducere in pactum ſtipendium pro ſpirituali non debito. 241

M

47. V.

47. V. Exigere ſtipendium pro miniſterio debito. 242
48. V. Conſuetudine honeſtari poſſint exactiones temporalium pro ſpiritualibus. 243
49. V. Simonia ſaltem prohibita eſſe poſſit per largitionē gratuitam. 245.
50. V. Redemptio vexationis excuſet pactionem &c. 245
51. V. Tranſactio liceat in ſpiritualibus. 248
52. V. Simonia cadere poſſit in Pontificem vel ejus Curiam. 250
53. Quomodo Prælati inferiores &c. Simoniam committant. 251
54. V. Omnes homines Simoniam committere poſſint. 253
55. Pro quibus Simoniis nullæ pœnæ impoſitæ ſint. 253
56. De Cenſuris quæ per Simoniam incurruntur 255
57. V. Actio ſacra &c. Simoniacè facta valeat. 157
58. V. Simoniacus in Ordine vel Beneficio privetur Beneficiis antè obtentis. 260
59. V. Pretium Simoniacum de Jure naturæ reſtituendum ſit. 262
60. V. Ex Jure Eccleſiaſtico, & Civi. 265
61. De Diſpenſatione circa Simoniam. 266

TOMUS SECUNDUS
DE RELIGIONE
TRACTATUS IV.
De Oratione.
LIBER I.
De Oratione in Communi.
CAPUT I.
Quid nomine Orationis intelligendum ſit?

1 PRimò juxta Scripturam pertinet vox *Oratio* ad preces, derivando illam à verbo orandi; & ſimpliciter dicta habitudinem involvit ad Deum. Juxta Scripturam, inquam; nam Rhetoribus oratio eſt omnis ſermo, velut *oris ratio*, ut notat Hieron. Quia verò preces præcipuè fiunt ad Deum, eatenus Oratio eſt actus Religionis: nam cùm ad Sanctos fit, actus alterius virtutis eſt. Porro Wicleff. abutitur voce, cùm Orationem diſtinguit in mentalem, vocalem, & vitalem; per hanc intelligendo quodlibet pium opus, quaſi orare ſemper, ſit ſemper bene operari.

Sed Chriſtus Luc. 18. agit de 2
propria Oratione, cùm ait, *Oportet ſemper orare*: nam ideo ſubdit exemplum viduæ fatigantis Judicem per clamorem ſuum. Nihilque obſtat particula *ſemper* aut *ſine intermiſſione* (1 Theſſ. 5.) quia ſicut in Scriptura dicitur *Impoſſibile*, quod difficillimè vel rarò fit, non tamen nunquam; ita *ſemper* fieri dicitur, quod frequenter, ſeu omni tempore congruo faciendum eſt, ad eum modum, quo de ſtudioſo dicitur, *ſemper ſtudet*, aut de puero intempe-

rante, *ſemper comedit.* Nec enim vidua continuò clamabat, nec etiam opus bonum continuatur à dormiente; ſed ſicut ab illo, ita ab Oratione ex neceſſitate ceſſatur, quia lex orandi obligat ſemper, ſed non pro ſemper.

3 Igitur Oratio ex verbis Chriſti deſcribi poteſt, quòd ſit *Clamor ad Deum.* Senſúſque particulæ *nunquàm deficere*, planus eſt, animum non eſſe deſpondendum, ut exemplo viduæ demonſtratur; ſícque ineptè ad locum Lucæ applicatur, quod Wicleff prætendit de Oratione *Vitali.* Eſto autem, ut Gloſſa vult, Auguſtinus dixerit (in eo enim non reperitur) quòd non deſinat orare, qui non deſinit bene operari; non ſequitur, benè operari eſſe orare, ſed quòd æquivaleat, ſi hoc propter illud deſinit.

Secundò. Oratio ſpecificè ſumpta, deſcribitur eſſe *Petitio decentium à Deo.* Duobus enim modis Oratio ſumitur; uno, pro qualibet aſcenſione mentis in Deum: altero, ut ex Damaſceno deſcripta eſt. 4
Priorique modo intelligendum videtur, cùm Chriſtus dicitur *pernoctâſſe in Oratione*, quia veriſimile non eſt, illum ſemper hæſiſſe in petitione. Dices, petitionem & Orationem eſſe voces Synonymas. R. in ſimilibus ſatis eſſe, uti voce clariore & magis uſitatâ pro genere. Dein petitio alia ſit, ex poteſtate obligando, ut imperiũ; alia verò ſolùm inducendo alterum, ut merè voluntariè abſque obligatione per petentem impoſitâ faciat, quod petitur; eſto fors aliunde obligatio ſit, ut ex præcepto.

CAPUT. II.

An omnis Oratio bona ſit, vel in bonam & malam diſtinguenda ſit?

1 Primò. Impertinens eſt diſtinctio Orationis in bonam & malam. Nam definitio Damaſceni optima eſt, & eam tenet S. Thomas, imò etiam Patres communiter, quantùm ad rem ipſam. Nec enim definitur Oratio in communi, ſed ut eſt actus Religionis: eatenus autem eſſentialiter eſt ad Deum, & de re decenti, aliàs non petitur à Deo, ut tali, ſed acſi eſſet homo vel Dæmon valens cooperari ad malum.

Secundò. In definitione poni non debet particula, *decenter.* Nam ſatis ſubintelligitur, modum orandi debere eſſe conformẽ & rei petitæ, & ei à quo petitur. Dein modus ſolùm requiritur ex parte operantis, non ex parte actûs, qui ſaltem quoad ſubſtantiam bonus eſt, ſi ſit de 2

re

re decenti. Nec propterea Dæmoni competit Oratio, ut definitur: quia licèt ille quid deſideret, tamen nec vult, nec ſperat à Deo recipere. Denique ſermo eſt de petitione, ut eſt actus moralis & humanus, qualis non eſt Oratio vocalis, facta ſine omni attentione, etiam virtuali.

CAPUT III.

An Oratio ſit actus Intellectûs vel Voluntatis?

1 Primò. Utraque facultas concurrit ad Orationem. Nam neceſſaria eſt memoria vel conſideratio Dei, cùm peti nil poſſit niſi ab eo, quem quis præſentem habet per cognitionem; nec etiam petitur niſi quod deſideratur, aliàs petitio ficta eſt, *Deſiderium pauperum exaudivit.* Quòd ſi ſermo ſit de Oratione in communi ſumptâ, conſtat eam nunc intellectu nunc voluntate fieri; quia ſufficit quælibet aſcenſio mentis in Deum. Solùm ergo de Oratione, ut petitio eſt, quæritur, cujus facultatis actus ſit; nam alii intellectui, alii voluntati eam tribuunt.

2 Ne quæſtio de voce ſit, ut in ſimilibus materiis contingit, res ipſa priùs declaranda eſt, nec fingendo actus ſuperfluos, nec per ſe neceſſarios excludendo. Neceſſe enim eſt cognoſcere indigentiam rei, & quòd Deus eam conferre poſſit ac etiam velit, ſi petatur; conſequenter quòd conveniat eam peti. Quia petitio non eſt conveniens niſi ut utilis: at talis non eſt, niſi Deus & poſſit & velit dare, quod petitur, ſaltem probabilem ſpem habendo de hoc. Rurſus ex parte voluntatis neceſſarium eſt deſiderium rei, quæ petitur, & voluntas petendi.

3 Nam petitio eſt actio humana, ergo voluntaria; ergo per actum præcedentem, non per ſe ipſam intrinſecè, utpote actus per ſe diſtinctus à dicta voluntate. Nec enim deſiderium abſolutum & efficax eo ipſo petitio eſt, ſed hæc ab illo diſtinguitur, ſaltem ut electio ab intentione finis, ut actus imperatus ab imperante. Eſtque ſignum, quia ſi petitio non cenſetur medium ſimpliciter neceſſarium ad obtinendam rem, non ſequitur vi deſiderii abſolutè, ſed adhibetur mediator, qui roget, imperet &c.

4 Secundò. Oratio, ut petitio eſt, eſſe poteſt actus intellectûs. Patet in petitione ad hominem; quia ſemper eam præcedit voluntas petendi, nec hæc eſt actus reflexus (fingi enim nequit, quem alium actum voluntatis imperet) ergo dire-

ctus: ergo pro objecto habens actum alterius potentiæ, utique locutionem externam. Hæc autem rectè dicitur actus rationis, non utique merè internus, ſed prodiens in externum. Atqui idem eſt in Oratione vocali, imò & mentali quoad conceptus non ultimatos, ſeu vocum. Sicut enim cuique liberum eſt loqui exteriùs, ita & uti locutione internâ, ut Anna 1. Reg. 1. & etiam ſine motu labiorum pſ. 26. *Tibi dixit cor meum.*

CAPUT IV.

Poſſitne homo in hac vita petere à Deo ſine conceptibus vocum?

1 Primò. Poteſt d. petitio fieri per ſolam voluntatem. Ita S. Thom. de petitione Angelica p. 1. q. 107. a, 3. Idem autem in homine nec impoſſibile, nec miraculoſum, nec valde extraordinarium eſt. Vel enim locutio eſt aſſertiva, vel motiva, ut imperando, petendo? prior impertinens eſt ad præſens: poſterior tota eſſe poteſt voluntatis, ordinantis deſiderium ſuum ad DEUM, ut hic illud videns, etiam compleat, dando quod deſideratur. Nam & Ordinatio ad DEUM fit per voluntatem, & id quod immediatè ordinatur ſeu manifeſtatur, eſt deſiderium rei; quia non de hac, ſed de illo immediatè quis loquitur: ergo fingi nequit actus intellectûs ultra voluntatem quaſi reflexam, quâ deſiderium ordinetur ad DEUM.

2 Nec enim per cognitionem deſiderii loquitur quis DEO, ſed ſibi: & ideo illa dicitur *Verbum mentis*, quamdiu ſiſtitur & non ordinatur ad alterum. Quòd ſi quis id deſiderium cum recognitione ſuæ indigentiæ & dependentiæ à DEO, repræſentet in conſpectu Divino, ut DEUS inde moveatur ad id implendum; ergo jam id ordinat ad DEUM, & huic per eam voluntatem loquitur: ergo in eadem propriè & formaliter conſummatur ſpiritualis hæc petitio. Alia autem ſe habent vel præſuppoſitivè, vel concomitanter, vel per accidens, ùt cognitio reflexa ad id quod agitur: nam etiam in locutione humanâ cognoſcit quis ſe loqui, utique ſupponendo locutionem jam factam, tanquam objectum.

CAPUT

CAPUT V.

Nonnullis difficultatibus occurritur.

1 Difficultas contra priùs dicta fit 1. in Laude DEI, nam hæc peragitur à Beatis per actum intellectûs tantùm. 2. Idem eſt de actione gratiarum. 3. Idem de Obſecratione. 4. Idem de mentali Confeſſione delictorum. Ad 1mum R. d. laudem fieri vel loquendo cum altero, vel ſecum, vel cum DEO. Si primum, etiam in Angelo fit per ſolam voluntatem: aut ſi fit per ſolam impreſſionem ſpecierum, hæc impertinens eſt ad Deum & impoſſibilis. Si 2dum, aliud non eſt quàm cognitio rei, de qua eſt locutio; ut fatendum eſt de omni perfecta locutione mentali, quæ conceptibus rerum fit, non verborum. Si 3tium, præter recognitionem Divinæ Perfectionis ſolùm ſuperaddit ordinationem ſeu oblationem d. recognitionis per modum Cultûs.

2 Ad 2dum R. aliud eſſe habere, aliud agere, aliud referre gratias. Primum ſolùm dicit recognitionem Beneficii, quæ interna eſſe poteſt. Alterum ſupperaddit manifeſtationem dictæ recognitionis. Ultimum pertinet ad gratitudinem per obſequia aliáve officia conteſtandam. Vel ergò dicta recognitio manifeſtatur tertio, vel ipſi DEO? Si 1mum, eſt laus tantùm DEI. Si 2dum; ergo opus eſt voluntate repræſentandi & offerendi dictam cognitionem in Cultum & aliqualem recompenſationem.

Ad 3tium R. Obſecrationem aut 3
ſiſtere in allegandis titulis ad excitandam in ſe fiduciam, deſiderium, petitionem &c. aut progredi ad locutionem cum DEO? Si 1mum, nondum eſt Obſecratio, ut à ſimili conſtat, cùm quis præmeditatur titulos impetrandi quid à Rege. Si 2dum, ergo conſumatur in ratione Obſecrationis per oblationem recognitionis Beneficiorum; ſicut dictum eſt de gratiarum actione. Eadémque ratione ad 4tum diſtinguitur inter puram recognitionem peccatorum, & eam quæ DEO fit per locutionem; nam hæc ſuperaddit ordinationem, quæ per voluntatem fit.

CAPUT VI.

Sitne conveniens, & per ſe honeſta Oratio ad Deum?

1 Primò, Oratio ad DEUM, ſi fit in debita materia & circumſtantiis, eſt actus per ſe conveniens, & homini valde utilis. Patet ex utroque Te-

Teſtamento; ùt exemplo, præcepto, & conſilio Chriſti; exemplo totius Eccleſiæ in Actis Apoſt. & Jac. 4. & 5. & in Pſalmis. & Iſa. 38. & in Ninivitis, Elia &c. &c. Eſt enim Oratio, una ex cauſis neceſſariis ad effectum, ſicut aliæ cauſæ phyſicæ vel morales, ùt meritoria, diſpoſitiva &c. non obſtante diſpoſitione Divinâ. Nam Deus operatur per cauſas ſecundas, quantùm commodè poteſt: & in operibus Gratiæ petit cooperationem hominis, ubi illa locum habet, ut eſt principium generale.

2 Secundò. Oratio non eſt actus indifferens, ſed per ſe honeſtus. Nam pertinet ad gloriam & cultum Dei, propter recognitionem Authoris omnium bonorum; éſtque maximum bonum noſtrum ac dignitas, propter occaſionem accedendi ad Deum, ibíque colloquendi. Aliud enim eſt materia Orationis, ſeu res deſiderata; aliud ratio, ſub qua Oratio circa ſuam materiã verſari debet. Licèt enim materia non ſit, niſi quod deceat peti à Deo; tamen totum hoc materiale eſt reſpectu Orationis Religioſæ. Atque ex his patet ad Wicleffum, qui ſolam Orationem vitalem probat, allegando illud: *Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.*

CAPUT VII

An Oratio ſit proprius & elicitus actus Religionis?

1 Primò. Oratio eſt actus proprius Religionis. Patet ex communi omnium ſenſu; nam omnes putant magnam partem Religionem eſſe poſitam in Oratione, neque unquam fuit congregatio humana Deum colens, quæ non haberet rationem propriam ei ſupplicandi. Aliud ergo eſt affectus petendi, aliud petitio ipſa: hæc enim, cùm ſit actus intellectûs, non habet rationem actûs moralis, niſi mediante affectu, à quo tanquam à forma habet eſſe morale & moralem honeſtatem, ſeu rationem actûs virtutis moralis. At affectus petendi, ut rectè fiat, debet eſſe ex motivo colendi Deum, mediante Oratione.

Nam per hanc recognoſcimus, 2
& quaſi proteſtamur noſtram ſubjectionem, indigentiam, dependentiam à Deo; & è converſo ejus Potentiam, Bonitatem, Providentiam; ſicque petitio ex intrinſeca ratione ſuâ eſt nota ſubjectionis ad Deum, ut Excellentem: ergo affectus orandi ex dicto motivo elicitus, evidenter eſt actus Religionis. Conſtat autem dictum motivum eſſe proprium Orationis; quia non oramus, ut vel novi quid manifeſtemus Deo, vel ut ipſe aliam voluntatem habeat, quàm habuerit ab æterno: ergo quod maximè intendere poſſumus & debemus, eſt Cultus Dei.

Secun-

3 Secundò. Cultus Dei, qui in orando intenditur, non eſt quid diſtinctum ab ipſa petitione. Nam qui diſtinctum volunt, tanquam objectum petitionum, ſcilicet æſtimationem de Deo &c. non diſtinguunt inter affectum petendi, & petitionem ipſam. Ille enim utique pro objecto habet cultum Dei, non iſta, cùm intrinſecè ſit cultus, nec aliter eſſe poſſit objectum proprium & intrinſecum affectûs Religioſi. At æſtimatio de Deo, ut fit in aliis, per accidens eſt, ut patet in oratione mentali: in orante autem præſupponitur, cùm oratio ſit nota & proteſtatio ejus. Denique augmentum ejusdem, nec eſt proprius finis orantis (nam in Chriſtum non cadebat) nec propriè finis eſt petitionis, ut eſt actus intellectûs, ſed alterius voluntatis diſtinctæ ab affectu petendi.

4 Confirmatur: quia aliud eſt loqui de fine intrinſeco, aliud de extrinſeco dicti affectûs. Nam non ſufficit intendi contritionem v. g. ſed in ipſa oratione apprehendi quid debet, ratione cujus illa poſcatur ùt medium obtinendi: hoc autem aliud non eſt niſi cultus Dei, cùm petitio ad hominem fiat ad immutandum ejus animum, non verò ad Deum. Nec refert, quòd aliæ virtutes moveant ad orandum: nam una virtus poteſt egere actu alterius non tantùm materiali, ſed etiam quoad honeſtatem formalem. Tunc autem virtus movens non poteſt eſſe eliciens, ſed imperans tantùm; ùt Pœnitentia imperat contritionem, ſed non elicit: ſimiliter ergo in præſenti virtutes aliæ egent oratione, non materialiter, ſed formaliter, ut eſt cultus Dei; alìàs nihil in ea aptum eſſet ad impetrandum. Sícque verum non eſt univerſim, quòd ejusdem virtutis ſit, intendere finem, & medium *applicare*, ſi hoc elicitivè intelligitur.

Tertiò. Qui ſine formali intentione cultûs orat; nec exercet actum Religionis, nec orat, ut exaudiri mereatur. Nam ut actus conſtituatur in ſpecie virtutis, debet formaliter tendere in objectum ejus, quatenus talem honeſtatem habet; alìàs actus non eſt voluntarius, ut honeſtus, ſed materialiter tantùm, quod non ſufficit, quia voluntas objecti materialis poteſt eſſe mala: ergo qui nil cogitat de cultu Dei, non poteſt formaliter velle petitionem ſub ratione cultûs. Igitur ſi prorſus abeſt dicta cogitatio, actus vel erit malus, omittendo per culpam debitum modum orandi; vel non humanus propter indeliberationem quoad dictam circumſtantiam, quamvis in ſubſtantia bonus ſit vel malus pro ratione finis, quo fit. 5

Vix tamen fit, ut qùis ex vera Fide oret, & non ſatis cogitet de Divino cultu; quia neceſſe non eſt, ut diſtinctè ſub his generalibus conceptibus cogitet, aut diſtinctè ſciat, petitionem eſſe notam cultûs. Nam ſim- 6

Simplices optimè orant, & eò reverentiùs, quò magis movet affectus: quia cognoſcunt ſe indigere Deo, & quòd orando ſe velint ei ſubmittere; id quod ſine dubio facit, quisquis ex vera Fide orat.

CAPUT VIII.

An Oratio ſit actus ſupernaturalis, & pertinens ad Virtutem per ſe infuſam?

1 Primò. Cenſendum de Fide eſt, quòd ad orandum ſicut oportet, neceſſarium ſit auxilium ſupernaturale. Sumitur ex Joannis 15. *Sine me nihil* &c 2. Corinth. 3. *Non ſumus ſufficientes.* Rom 8. *Ipſe Spiritus poſtulat* &c. & Arauſ. II. tacitè alludens ad Luc. 10. damnat dicentem: *Miſericordiam non conferri petentibus, quærentibus, pulſantibus*; definítque per infuſionem Spiritus S. in nobis fieri, ut hæc *omnia*, *ſicut oportet*, *agere valeamus.*

2 Secundò. Oratio, ſi ſit ſicut oportet, eſt actus ſupernaturalis. Sequitur ex poſito principio. Ideo enim actum Fidei, Spei, &c. colligimus eſſe ſupernaturalem, quia fieri nequit ſicut oportet ſine auxilio ſupernaturali. Sic 1. Cor. 12. *nemo po eſt dicere, Dominus JESUS* (utique non materialiter, ſed confitendo Dominum JESUM Fide Divinâ) *niſi in Spiritu ſancto*: ergo ſimiliter Oratio, ſeu petitio fieri nequit niſi in eodem Spiritu Nititur enim Fide Divinâ, & Spe certâ ex Dei promiſſione; ſícque virtute eſt Confeſſio Chriſti, & ſuo modo participat firmitatem Spei: ſi autem hæc non habet; ergo nec conditiones neceſſarias, ut ſit ſicut oportet. Idem eſt de affectu orandi, ſi eſt ſicut oportet: nam voluntas ſuis viribus efficaciter intellectum movere nequit, ut ſupra ſe elevetur; & ideo voluntas credendi eſt ſupernaturalis, juxta Arauſ. can. 5.

Tertiò. Ex parte intellectûs non eſt neceſſarius ſpecialis habitus infuſus ad rectè orandum. Sufficit enim ordinariè habitus Fidei ad judicium de Potentia, Bonitate Dei &c. ad aliud verò de convenientia orandi habitus Prudentiæ infuſæ, aliquando autem in ſtatu perplexitatis donum Conſilii. Quantùm ad Orationem mentalem, quia plures habet actus intellectûs; iſti vel ſunt Fidei, vel ex hujus principiis per diſcurſum colliguntur, interveniente cognitione experimentali, vel quaſi Theologicâ. Quòd ſi meditatio ſit modo magis ſpirituali, influunt dona Scientiæ, Sapientiæ & Intellectûs. 3

Ad affectum petendi movetur voluntas à Prudentia infuſa, quæ judicat ex regulis Divinis, non humanis. Ipſúmque deſiderium, quod imperat 4

perat dictum affectum, ſupernaturale eſſe debet, quia ſupernaturalis affectus non poteſt habere initium per ſe movens ab actu naturali: *per ſe* inquam; nam homo ex bono affectu naturæ, ut ſanitatis, accedente & quaſi interſerente ſe Gratiâ, ſublevari poteſt ad affectum ſupernaturalem orandi: quia actus naturalis ſolùm tunc ſe habet ut objectum, quo Spiritus S. utitur tanquam inſtrumento ad excitandam animam. S. Thom. 2. 2. q 83. a. 16.

5 Quartò. Ad orandum ſicut oportet, neceſſaria non eſt Gratia ſanctificans. Vel enim ad impetrandum, vel ob ſupernaturalitatem actûs. Non 1mum, ut per ſe conſtat. Non 2dum, quia quòd actus fiat in ſtatu peccati, non ideo peccatur, ut eſt certiſſimum ex ſenſu & uſu totius Eccleſiæ: imò eſt medium potiſſimum ad mutandum dictum ſtatum. Nec DEO irreverentia fit, quia orans non fundatur in ſua dignitate, ſed Dei bonitate, etiam peccatorem vocantis ad alloquium: ſufficit ergo actualis motio Spiritus ſancti.

Quintò. Poteſt DEUS orari actu acquiſito ex genere ſuo, & naturaliter honeſto, ſeu *invocatione humanâ*, ut vocat Arauſ. II. can. 3 & 6. Conſtat uſu in Hæreticis & Paganis; nam talis invocatio eſſe poteſt ſine falſitate de Deo, & cum debita reverentia. Vix tamen fieri poteſt, niſi interveniente revelatione proximâ vel remotâ; quia hac ſecluſâ vix haberi poteſt cognitio Dei ſufficiens ad perſuadendam voluntatem orandi. Oporteret enim nôſſe, quòd Deus, quæ aguntur, ſciat, curet, provideat: & præterea quòd poſſit præter curſum naturæ donare, quod petitur. Suppoſitâ autem cognitione (eſto hauſtâ ex humana opinione vel traditione) conſtat de poſſibilitate dicti actûs: nec de hac reprehenduntur Semipelagiani, ſed quòd actum naturalem voluerint eſſe cauſam ſalutis. 6

CAPUT IX.

Quomodo ſolus DEUS à nobis orandus ſit?

1 Primò. Solus DEUS orari poteſt ut principalis Author boni poſtulati, quod per ſeipſum conferre poteſt. *Per ſeipſum*, inquam, quia propria virtute citra dependentiam ab alio in conferendo, & quin ab ulio impediri poſſit, conſequenter cum poteſtate & auferendi omnia impedimenta, & diſponendi omnia aliunde neceſſaria ut effectus fiat. Atque hæc eſt ratio adæquata & propria orandi Deum modo incommunicabili creaturæ, ita ut hanc ſic orando fiat execrabilis Idololatria.

Secundò. Non ſolùm in ordine ad dona gratiæ, ſed etiam naturæ, in- 2

incommunicabilis eſt dictus modus orandi, & ad ſolum DEUM dirigi poteſt. Nam eſt veriſſimus actus Latriæ & Religionis erga Deum. Difficultas eſt in intelligendo S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 4. qui dictam incommunicabilitatem fundat in eo, quòd omnis oratio ordinari debeat ad gratiam & gloriam conſequendam. Sed Sanctus agit de convenientiore modo orandi, quia oratio non impetrat infallibiliter, niſi ut nixa promiſſione Divinâ; hæc autem non eſt de bono inferiori abſolutè, ſed ut ordinatur ad Gratiam: ergo orans in vi dictæ promiſſionis, jam petit propter Gratiam & Gloriam.

3 Adde, nomine Gratiæ intelligi poſſe quodlibet Beneficium non debitum homini, ſed dandum per Providentiam Superiorem, quæ ſi neceſſe ſit, excedat communem curſum naturæ & cauſarum ſecundarum. Nam omnis oratio, quæ fit ad Deum modo illi proprio & ſingulari, poſtulat quantùm eſt ex ſe, ſimile Beneficium; quia ſi DEUS plus non poſſet dare, quàm ſecundùm communem curſum naturæ, petitio eſſet inutilis: ergo ſemper petitur, quod & quale ſolus Author totius naturæ dare poteſt.

Tertiò. Eccleſia rectè dirigit orationem ad unam Perſonam Trinitatis. Nam Perſonæ ſunt diſtinctæ, ſicque à nobis cognoſci poſſunt cum præciſione. Dein profitemur, quemlibet eſſe verum Deum: & ideo poſt ſingularum invocationem ſubditur, *ſancta Trinitas* &c. Denique ſicut Attributa appropriamus uni, non utique excludendo identitatem aliarum in iiſdem, ſed proprietates ejus indicando: ita oratio dirigitur ad Patrem, ut principium Divinitatis, ad Filium ob reſpectum ad Incarnationem, & ad Spiritum ſanctum, ut Donum datum &c. Nec hoc eſt mutare formam traditam à Chriſto, ut Hæretici calumniantur; nam dato, *Patrem* intelligi perſonaliter, Chriſtus non excludit perſonas alias. Intelligi etiam poteſt tota Deitas, quæ nos creavit, & per gratiam adoptat, ut Jo. 14. ſignificatur, etiam Filium orari orando Patrem; ſicut uterque concedit, quod petitur. *Quodcunque petieritis Patrem, hoc faciam* &c. 4

CAPUT X.

Quomodo creaturæ rationales à nobis orari poſſint.

1 Primò. De Fide eſt, Beatos cum Chriſto regnantes utiliter & ſanctè orari, ſi id fiat debitâ intentione & modo, ut ab Eccleſia & ejus membris rectâ Fide utentibus fit. Conſtat ex uſu Eccleſiæ, quæ eſt *columna*

na & firmamentum veritatis. 2. Tim. 3. *Inſolentiſſimum autem eſt*, ut ait Aug. Pſal. 118. contra univerſalem Eccleſiæ praxin diſputare. Idem conſtat ex Conc. Gangr. c. 20. Nicæn. II. act. 6. Trid. ſ. 25. Decreto de Invocatione Sanctorum; ubi definit, retinendum eſſe uſum Eccleſiæ à primævis Chriſtianæ Religionis temporibus receptum.

2 Ratio eſt, quia Oratio ex ſuo genere eſt actus honeſtus, & nec Deo nec Chriſto injurioſus: potéſtque nobis utilis eſſe multis modis. Nam exercere actum virtutis per ſe bonum & utile eſt. 2. Habemus Colloquium cum Sanctis. 3. Provocamur ad eorum amorem & imitationem. 4. Oratio fit efficacior ad impetrandum. Licèt autem cultus hic non eliciatur à Religione, tamen dicitur Religioſus, quia ad Deum refertur, & quia fit per actus ſpirituales & Religioſos, quamvis cum debita attentione citra Latriam.

3 Quòd autem non fiat Deo injuria, patet; quia ut aliter à Rege, aliter ab Interventore petitur, ita Eccleſia Deo dicit, *Miſerere*, Sanctis, *Orate* &c. Quamvis ſæpe iisdem verbis & Rex & Interceſſor rogetur, cùm cultus non tam ex verbis & ſignis, quàm ex intentione deſumi debeat. Nec refert, Deum promptiorem eſſe ad dandum, quàm Sanctos ad petendum; aliàs nec viventis Oratio peti poſſet, contra Jac. 5. Col. 4. & 1. Tim. 4. Hebr. 13. & Theſſ. 3. DEUS enim alia dat non rogatus, alia rogatus tantùm, alia rogatus à nobis & viventibus, alia rogatus à nobis & Beatis: ergo quia neſcimus ordinem Providentiæ, rectè petimus ſuffragia plurium, ut illum impleamus. Quod non obſtat promiſſioni, *ſiquid petieritis* &c. utique per vos vel alios, quia ſæpe deeſt aliqua conditio ad impetrandum infallibiliter; ſicque illa ſuppletur.

Quòd Sancti cognoſcant Orationem noſtram, patet inprimis à poſteriore; aliàs inutilis eſſet locutio Eccleſiæ ad illos. Idem patet de Angelis Tob. 12. Apoc. 8. at his parificantur illi Luc. 20. Apoc. 20. imò etiam quoad præſens Apoc. 5. nam Seniores erant ex hominibus. *Redemiſti nos.* Rurſus idem poſcit ſtatus Beatitudinis; nam ſatiat appetitum, ſi perfecta eſt: at Beatus meritò appetit ſcire, quæ ad ſe pertinent, ut actiones Viatorum, quorum curam & amorem particularem habet. Conſtátque inter Beatos & Viatores eſſe hæc officia benevolentiæ, cùm unum Corpus myſticum componant, ſicque communicatio fit membrorum, Epheſ. 2. & 4. Col. 1. Gal. 4. Hebr. 2. Rom. 12. & 1. Cor. 12. 4

Porrò efficacia dictæ Orationis in eo proximè eſt, quòd Sanctus oret pro me. Nam de hoc ſine dubio confidere poſſumus & debemus, ſi convenienter petimus, & nobis proſit. Quia quò majore ardent charitate & miſericordiâ, eò promptio- 5

res ſunt ad audiendum; & quò ſui ſecuriores, eò magis de nobis ſoliliciti. An verò eorum Oratio efficax ſit, nunc non refert, quia ſatis eſt, eſſe utilem. Imò propriè non orant pro altero, ſed noſtro nomine orant; & ideo oratio tam eſt efficax, quàm ſi à me fit: aliunde autem efficacior eſt propter merita Sancti.

6 Secundò. Per dictam Orationem non derogatur Mediatori Chriſto. Vel enim ſpectatur, ut Mediator merens & ſatisfaciens 1. Tim. 1. vel ut Advocatus & rogans. Jo. 14. *Ego rogabo Patrem* &c. Si 1mum, impertinens eſt; nam ipſe *dedit ſemétipſum redemptionem pro nobis.* Eccleſia autem quotidie allegat ejus merita, omnia petens per Chriſtum: nec etiam Sancti petunt aliter, quàm ut merita Chriſti nobis applicentur. *In illo die in nomine meo petetis.* Si 2dum, uſu Eccleſiæ potiùs reſpicitur dignitas Perſonæ, dicendo *Miſerere*; quamvis malum non ſit, orare Chriſtum, ut hominem, ſi convenienter oretur. Orat autem Chriſtus diverſo modo, quàm Sancti, quia per ſe *intrat ad Deum*, Hebr. 7. nixus ſuis meritis; at alii per ipſum.

7 Nec refert, allegari à nobis merita Sanctorum; nam idem factum eſt, Exod. 32. Dan. 3. & 2. Paral. 6. non utique ignorando Mediatorem unicum: ſicut nec DEUS illi derogat, parcens propter Juſtos, Gen. 18. & 4. Reg. 20. & ſæpe propter Moyſen. Utrumque ergo DEUS voluit, & ut Chriſtus ſit univerſale principium totius meriti, cui omnia alia merita innitantur, & ut juſti mereantur non ſibi tantùm, ſed de congruo etiam aliis. Eſtque differentia, quia Chriſtus ſolus meruit de toto rigore Juſtitiæ, & pro omnibus hominibus, & pro delendis omnibus culpis: at Sanctorum merita ſunt cauſæ particulares, per quas merita Chriſti nobis applicantur.

Tertiò. Non ſolùm Viatores, ſed 8
etiam Defuncti, ſuppoſitâ probabili fide ſanctæ mortis, rectè orantur. Nam de Viatoribus conſtat ex Scriptura, quin excludi debeat peccator Fidelis, quia oratio ejus ſupernaturalis, ſaltem utilis eſſe poteſt. Quamvis autem quoad Defunctos non Canonizatos requiratur authoritas Eccleſiæ in cultu publico; ſecùs eſt de privato, pro ratione tamen probabilitatis de ejus ſalute. Nam ne communicetur cum Damnato oportet ut probabilitas Salutis magna ſit. Denique animæ Purgatorii poſſunt per Angelum doceri de Oratione, ſive in earum ſolatium, ſive ob noſtrum bonum; & fortè cùm Beatæ erunt, juvabunt. Unde, qui fructum ſentit, non debet ab uſu eas orandi amoveri; quia licèt fortè decipiatur, Oratio in ſinum ejus convertetur: quamquam eis ſuffragando, magis oſtendatur devotio.

CAPUT

CAPUT XI.

An omnes Spiritus Beati, & Juſti orari poſſint?

1 Primò. Oratio non cadit in Perſonas Divinas, ut tales. Nam eſt actus inferioris, poſcítque voluntatem diſtinctam orantis à voluntate orati; & ideo Chriſtus ut homo, orare poteſt. Tribuitur autem Rom. 8. Oratio *S*piritui ſancto propter Spiritum orandi, quem infundit; uti etiam Exod. 32. per metaphoram dicitur, *Dimitte me* &c. ad oſtendendam vim Orationis Juſti.

2 Secundò. Et Angeli Sancti, & Animæ juſtæ orant pro nobis, ſive certæ ſint de effectu, ſive de oppoſito, ſive de neutro. Conſtat de eorum oratione ex dictis ſuprà, ob amorem erga nos, & reverentiam erga Deum omnibus modis colendum; valéntque utique ad impetrandum, ſi Viatores valent: & ideo hi per Defunctos obſecrant, Dan. 7. Gen. 25. & 26. & 3. Reg. 15. Nec eſt dubium, quin ſi in particulari orentur, pro nobis intercedant.

3 Vel ergo Sanctus præſcit effectum, vel oppoſitum, vel neutrum? Si 1mum, ergo eò libentiùs orat, exequendo medium ab æterno diſpoſitum; ut Chriſtus orat pro Petro, & Prædeſtinatis. Similiter B. Virgo infra Chriſtum, videt omnia in Verbo, quæ Deus in Eccleſia operatur, & ſancti alii, quæ ad ſtatum ſuum pertinent. Si 2dum, ergo per ſimplicem affectum exercet & Latriam & Charitatem erga proximum: potéſtque oratio habere aliquam utilitatem in ordine ad univerſalem Providentiam Dei, ejúſque juſtitiam magis oſtendendam. Si 3tium, citra repugnantiam ſtatûs poſſunt affectu ſimplici contraria peti, ut fortè Dan. 10. quia ſolùm allegantur merita contraria ex diverſis partibus.

Tertiò. Pium & probabile eſt, 4
animas purgatorii pro nobis orare. Ita Gabr. Bellarm. Med. Valentia. Nam vel repugnaret ex parte noſtra, vel ex parte materiæ, vel ob ſtatum pœnæ? Non 2dum, quia ſciunt indigentiam & pericula noſtra. Non 1mum, quia ſaltem generalis eſſe poteſt Oratio pro Eccleſia, pro ſuffragantibus ſibi, pro notis, ſi in via ſunt. Non 3tium, quia plectuntur, ut Filii à Patre cupiente eos citiſſimè ſalvos. Conſtátque de Patribus in Limbo. 2. Mach. ult. Gen. 15. refértque Gregor. & Petr. Damiani miracula ad eorum invocationem patrata: ſi ergo ſic honorantur, cur non & audiendo orantes? Certum autem eſt, quòd orent pro ſeipſis (utpote Juſtæ & in neceſſitate poſitæ) ut celerior ſit liberatio, vel levamen pœnæ ad faciliùs DEUM amandum & contemplandum.

5 Denique aliud eſt, orare Sanctum pro nobis; aliud, præſentare orationes noſtras, ut patet exemplo humano præſentantis ſeu narrantis preces alterius, licèt ſuas non addat. Similiter enim, cùm quis optat petere à Deo, ſed non audet accedere, vult causâ devotionis & humilitatis, præſentari preces per digniorem: & tunc licèt Sanctus non addat preces, præſentatio habet pondus ſuum. Creditur tamen ſemper eas adjungere; ſicut etiam non oratus à nobis, orat & impetrat.

6 Quartò. Sancti non orant pro Gloria ſua eſſentiali, ſed accidentali. Nam illam totam de præſenti habent, certiſſimi donum eſſe ſine pœnitentia; ſicut nec Chriſtus conſervationem petit unionis Hypoſtaticæ. Augmentum verò petere vel velle repugnat ſtatui; secùs quàm ſit de Gloria accidentali, ut Corporis, Claritatis in Eccleſia, juxta illud Chriſti: *Clarifica me &c.* Non enim repugnat ſtatui; quia ſemper habent, quidquid convenit de præſenti: ſemperque habitum iri certi ſunt, nec petunt niſi juxta beneplacitum Divinæ voluntatis.

CAPUT XII.

An Viatoribus omnibus conveniat orare?

1 Primò. Convenit omni claſſi Fidelium. Nam ſupernaturalis Oratio ſupponit Fidem, *Quomodo ergo invocabunt?* &c. Fideli autem Juſto, cùm adeò commendetur Oratio, convenit maximè, tanquam magis apto, eſto alter altero aptior ſit; ſufficit enim eſſe amicum Dei. Similiter in peccatore ex parte intellectûs ſufficit Fides, & ex parte voluntatis deſiderium bonum, quod eſſe poteſt ex Gratia auxiliante.

2 Secundò. Idem eſt de peccatore obſtinato; quidquid Medina diſtinguat inter hunc, & pœnitentiam agentes, addens illum peccare, *Quare tu enarras &c. Non eſt ſpecioſa laus &c.* Nam inprimis diviſio non eſt adæquata, cùm aliud ſit, eſſe obſtinatum; aliud, non pœnitere efficaciter, ut non auferendo occaſionem proximam; aliud, actu pœnitere: quomodo ergo, quotquot actu non pœnitent, damnantur peccati? Rurſus obſtinatio nunquam tanta eſt, quin ſine miraculo mutari poſſit per Divinam Gratiam: & ideo conſulitur Oratio, ut Deus auferat cor lapideum. Nec obſtinatio eſt Damnati, ſeu in omni actu; ergo ſtat haberi deſiderium pium, ut alia opera pia, præſertim injuncta in Confeſſione fiunt, quin iteranda ſint.

3 Tertiò. Peccator vi ſtatûs non obligatur præcepto poſitivo ad orandum, ſed ſolùm naturali, juxta neceſſitatem ſuam. Nam poſitivum nec

nec ſcriptum, nec traditum eſt: regulariter autem loquendo, poteſt ſe homo ſtatim diſponere ad contritionem; quamvis ex hac, ſi vera ſit, regulariter pullulet humilis Oratio veniæ. Quòdſi difficulas ſentitur, inſtante præcepto ſtatûs Gratiæ; ergo tunc urget obligatio orandi propter indigentiam auxilii ad ſtatum malum peſſendum.

4 Colligitur, orationem eſſe communem omni creaturæ rationali & ſoli, loquendo de capacitate naturæ. Nam quantùm ad ſtatum, nec Damnati orare poſſunt, ut per ſe conſtat; nec etiam Beati poſt diem Judicii, quia tunc ſola laus Dei ipſis convenit. Porro *Pulli corvorum* invocare dicuntur, propter naturalem inſtinctum & appetitum, qui nonniſi per Dei Providentiam expleri poteſt.

CAPUT XIII.

An orandum ſit pro aliquo in particulari?

1 Primò. Veritas Catholica eſt affirmativa. Nam Conſtantienſe Concilium ſeſſ. 8. inter errores Wiclephi ponit, quòd Orationes ſpeciales non magis proſint, quàm generales. Et oppoſitum patet exemplo Chriſti, Pauli, Tobiæ, Eccleſiæ &c. Luc. 22. & 23. Act. 12. Eph. 6. Col. 4. Tob. 8. & 2. Theſſ. 3. Nec enim eſt lex, ut quoties oro, orem pro omnibus, & non aliquando pro me vel alio ſolo: nec etiam materia ſemper eſt communis, ut cùm Chriſtus orat pro crucifixoribus, Apoſtolis, Prædeſtinatis. Idémque eſt, cùm oratur pro Regibus vel Fidelibus in communi: jam enim eſt objectum particulare reſpectu Viatorum ut ſic, nec pro omnibus ut ſic, oratur niſi rariſſimè.

2 Confirmatur, quia ſicut eleemoſynam non teneor dare omnibus potiùs, quàm huic, eſto ſine diminutione poſſem, cùm nec Deus omnibus ex æquo det: ita nec Oratio ſemper pro omnibus debetur, cùm ex utilitate non inferatur neceſſitas. Imò ſicut ſatisfactio minuitur per applicationem communem, ita & vis impetrativa. Nam difficilius eſt omnibus, quàm uni impetrare; & ad unum affectus eſt major, quàm ad omnes: ergo ſicut utilitas Orationis non unius modi eſt, ita nec charitas poſcit, ut illa ſemper fiat uno modo. Denique Chriſtus dando formulam communem omnibus, rectè utitur verbis communibus: & quamvis virtute tradat, quæ quiſque pro ſe vel ſuis petat, ſimul commendat Orationem communem, utpote nobiliorem ex genere, ſed minùs curari ſolitam.

3 Secundò. In gravi neceſſitate ſpirituali propriâ quiſque in particulari tenetur ſibi auxilium petere. Nam quiſque ordinatè ſe diligit amore Cha-

Charitatis: ergo rectè pro ratione ſuæ indigentiæ vel ſtatûs, orando procurat bonum ſuum. Idémque eſt de quolibet alio proximo, cujus neceſſitati ſic ſuccurrendum eſt; & quantùm ad utilitatem Orationis, quisque eſt capax boni, quod nondum habet, & à Deo exſpectat, juxta ſtatum ſuum vel indigentiam. Semper enim cum hac proportione applicanda eſt convenientia vel neceſſitas Orationis, cùm quis pro ſe vel aliis eam facit.

CAPUT XIV.

An orandum ſit pro Defunctis, ſeu extra viam exiſtentibus?

1 Quantùm ad Beatos (nam de aliis alibi dictum eſt) abſurdum non eſt orari pro eorum Gloria accidentali impetrandâ. Non enim omnis debita illis eſt, nec illi in ſtatu ſunt merendi eam: ſolúmque (quod Auguſtinus dixit) injuria Martyri fit orando pro eo, cùm in dubium revocatur Gloria ejus. Nec ſequitur etiam pro Deo orari poſſe; aliàs accedere ei poſſe utilitas vel gaudium ſignificaretur: & ideo petitio, *ſanctificetur &c.* reſpicit Deum, ut finem, vel ad ſummum ut objectum illius gloriæ. Sed quod de Sanctis dictum eſt, vulgò prædicandum non eſt. c. *Marthæ*, de Celebr. Miſſ. quia nos illorum, non illi noſtrâ Oratione egent.

CAPUT XV.

An pro omnibus Viatoribus orandum ſit?

1 Primò. Si per revelationem certò conſtat de Reprobatione Titii, non licet petere abſolutè ſalutem ejus, & intendere, ut in re conſequatur. Ita docet exemplum Chriſti petentis ſub conditione, *ſi poſſibile eſt &c.* Idémque eſt de Beatis petentibus; nam abſolutè petere, eſſet petere mutationem Decreti Divini Unde licèt affectus ſimplex ſit, ſi vim habet intentionis, & ordinatur ad effectum reipſa conſequendum, utique illicitus eſt; quia nec ſimplici affectu deſiderari poteſt mutatio dicti Decreti.

Secundò. Revelatione non obſtante, poteſt peti ſalus Reprobi ex affectu ſimplici, uti & auxilium, quo alter, ſi velit, ſalvetur. Nam charitas, quantùm eſt ex ſe, omnes complectitur, & omnium ſalutem exoptat, ſicut etiam Deus *vult omnes homines ſalvos fieri.* 1. Tim. 2. & cuique auxilium paratum habet, 2

bet. Nec per hoc fit oppoſitio reſpectu Decreti Divini, quia voluntas abſoluta & conditionata, licèt ſint de objectis oppoſitis, contrariæ non ſunt, conditione excludente contrarietatem.

3 Tertiò. Regulariter & de Lege nemo tenetur, ut id quod de ſe ſibi ita revelatur, accipiat ut Prophetiam ex Præſcientia, ſed præcisè ut Prophetiam Comminationis, ſeu periculi, aut in cauſis proximis, conſequenter conditionatam. Nam abſoluta Prophetia cum ſimiliter abſoluta obligatione credendi, non videtur conſentanea Divinæ Providentiæ, quia talis credulitas multùm repugnat ſtatui viæ: ergo non obſtante Revelatione, homo & poteſt & debet tendere ad oppoſitum. Imò licèt illa abſoluta ſit, adhuc homo in quolibet actu particulari conari tenetur ad non peccandum, ac bene operandum, minuendo peccata, & ad id petere auxilium.

4 Solùm ergo differentia eſt inter abſolutam & conditionatam Prophetiam, quòd in hac homo magis ſtimuletur per tantum ſui periculum ad pœnitendum, ut accidit in Ninivitis. Idémque eſt circa locum, 1. Jo. 5. *Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis.* Si enim intelligitur de peccato aliàs gravi, non de finali; difficultas tantùm ſignificatur, non impoſſibilitas, ut Oratio ſit efficax. Nec enim prohibetur Oratio pro tali, ſed ut deterreatur homo à tali ſtatu peccati, exaggeratur, non quamcunque Orationem, ſed valde ferventem, vel hominis multùm Deo grati neceſſariam eſſe pro hujusmodi convertendo.

Quartò. Poteſt & debet orari pro omnibus. Patet ex 1. Tim. 2. Nam Chriſtus pro omnibus mortuus eſt & oravit: omnésque ſunt in gravi neceſſitate, & capaces auxilii cuique parati. Diſtinctio tamen ſervatur inter unos & alios, orando pro aliis abſolutè, pro aliis conditionatè, ut ſalventur, ſiquidem vocationi non reſiſtunt. Sufficit autem, intentionem hanc virtute ſeu habitu adeſſe, ut ſemper eſt, quando oratur ex intentione Charitatis, & placendi Deo. 5

Quintò. In Oratione abſoluta non licet excludere aliquem materialiter, quaſi deſperando de ejus ſalute, loquendo per ſe, & ſecundùm curſum ordinarium. Nam nulla ſigna ſufficiunt ad judicandum, practicè & moraliter poſſe deſperari; ſicut nullus ex iis accipere poteſt juſtam licentiam deſperandi, aut non orandi pro ſe, ſed magis ob majus ſui periculum obligatur ad orandum; ſempérque credere debet, Gratiam & eſſe potentem ad liberandum, & non defuturam, quantùm eſt ex parte Dei: ergo quiſque, quantùm eſt ex parte noſtra, juvandus eſt, ſicut qui eſſe poteſt inter Prædeſtinatos. Dixi *materialiter*, nam ſi *formaliter* excluditur Reprobus, judicium Dei non uſurpatur, ſed ad illud remittitur exceptio. 6

CAPUT XVI.

De Oratione pro Inimicis.

1 Primò. Non eſt obligatio ad orandum pro Inimico, niſi ſuppoſitâ neceſſitate alterius, loquendo per ſe. Patet in eleemoſyna corporali, quia quamvis neceſſe ſit habere animum præparatum ad executionem præcepti, tamen affirmativum non obligat pro ſemper; ergo pro articulo neceſſitatis. Dixi; *per ſe*; nam eſſe poteſt neceſſitas dictæ Orationis ad vincendam tentationem odii: itémque ſi alter petat pro ſe orari, quia contrarium eſſet morale indicium odii, & dare illi ſcandalum ad continuandam inimicitiam.

2 Secundò. Inimicus poſitivè excludi non poteſt ab Oratione. Patet, ſi hæc ſit publica & communis, vel privata, ſed ex obligatione pro Communitate, aut ſaltem ex ſuppoſitione voluntariæ Orationis pro illa, ut toto Monaſterio; nam Petrum excipere grave peccatum eſt. Quòdſi directè reſtringitur Oratio ad Communitatem, ſub qua ille non comprehendatur, adhuc damnandum eſt, ſaltem ratione moralis periculi; quia affectus valde accedit ad odium, hócque indicat, ſi publicè fit. Nec talis Oratio multùm grata eſſe poteſt Deo; quia vel ex nulla Charitate eſt, vel ex valde imperfecta.

CAPUT XVII.

An orando liceat à Deo petere bona temporalia?

1 Primò. Poſſe peti quid determinatè, conſtat contra Wicleff & Illuminatos, qui ſolam petitionem, *fiat voluntas tua*, probabant, quaſi alia ſex fruſtraneæ ſint. Sic Chriſtus pro Fide Petri rogavit, & Converſione crucifigentiũ; idémque eſt uſus Sanctorum, ut paſſim videre in Scriptura, præſertim in Pſalmis, Epiſtolis Pauli; idémque fit in Orationibus Eccleſiæ. Igitur quantùm eſt ex hoc capite, utique licitè petuntur temporalia bona, dummodo in iis non conſtituatur ultimus finis: id enim eſſet contrariari dilectioni Dei ſuper omnia; præter peccatum contra Religionem, petendo ut Deus compleat deſiderium pravum. Idem tamen eſt de omni bono creato; quia nullum habere poteſt rationem finis ultimi.

2 Secundò. Quædam temporalia propter ſe, tanquam fines proximi licitè petuntur, dummodo ſecundùm rectam rationem, ſicut ex ſe ſunt amabilia. Nam juxta principium

um Auguſtini, id licitè petitur, quod licitè deſideratur: at recta ratio dictat, procurandam eſſe ſanitatem, ſcientiam &c. ergo petitio nec ratione materiæ, nec ob circumſtantiam aliquam eſt intrinſecè mala. Nec enim, ut referatur ad Beatitudinem, per ſe neceſſarium eſt, loquendo de relatione operantis, ut patet in eleemoſyna non cogitantis de Beatitudine, ſed de intrinſeca honeſtate, ſeu convenientia operis. Relatio autem operis eo ipſo includitur, quòd honeſtas ametur, juxta S. Thomam 1.2.q.1.a.6. dicentē: quisquis bonum amat, amat propter Beatitudinem.

3 Tertiò. Hujuſmodi bona, quæ ſic propter ſe peti poſſunt, etiam abſolutè & ſine ulla conditione rectè petuntur. Nam ita licitè petuntur, ſi ita licitè deſiderantur: judicat autem quis ſecundùm rectam rationem eſſe amabilia, licèt de alia convenientia & conditione non cogitet: quæ ergo eſt circumſtantia mala? Durum profectò eſt, quæ ita frequentia ſunt, damnare ſine majore fundamento.

4 Nec refert, quòd malè uti poſſimus dictis Bonis; nam idem eſt de ſpiritualibus, non quidem utendo ut principiis ad actus malos, ſed ſuperbiendo ex eis; & tamen juxta omnes abſolutè deſiderari poſſunt. Licèt autem periculum minus ſit, abuſus tamen gravior eſt, & eatenus magis timendus. Igitur vel eſt periculum morale abusûs, vel non? Si 1mum, ergo in utrisque cavendum. Si 2dum circumſtantia deeſt mala. Omnéſque fatentur, actum eſſe bonū de ſe: at relatio operantis neceſſaria non eſt; & altera operis ſeu interpretativa, non deeſt vi diſpoſitionis habitualis ad nolendum dicta bona, ſi nocitura ſint ſaluti.

Quartò. Si bona indifferentia, 5 ut divitiæ &c. non ſimpliciter nec cum exceſſu petuntur, ſed quatenus neceſſaria ſunt ad hujus vitæ commoditatem; eodem modo peti poſſunt, ut alia per ſe appetibilia. Exemplum eſt in Oratione Dominica (*Panem noſtrum*) & Prov. 30. & Gen. 28. & in variis Orationibus Eccleſiæ pro Pluvia, Serenitate &c. Nam ſicut id, quod proprer ſe petitur, ita etiam medium neceſſarium peti poteſt ſine adjecta conditione: quia per finem jam tollitur indifferentia, & abeſt periculum nocumenti. Denique limitatio, *niſi fortè noceat &c.* ſemper intelligirur in omni honeſto amore creaturæ, quatenus non amatur ſuper omnia, nec ut ultimus finis, nec ſine fine honeſto.

Quintò. Quando bona indiffe- 6 rentia, ut divitiæ, honores, Epiſcopatus &c. petuntur cum exceſſu; non ſunt abſolutè petenda, ſed cum moderata limitatione. Nam ſuperflua non poſſunt honeſtè peti propter ſe, ſed propter honeſtum finem: hoc autem vix fit, niſi cum limitatione accommodâ honeſto fini; quæ tamen non poteſt eſſe una in omnibus, ſed pro ratione ſtatûs,

vel finis convenientis homini juxta conditionem ſuam. Aliud enim eſt dicta bona velle, ſuppoſito ſtatu & fine, quem intendere vel conſervare neceſſe eſt: aliud velle illa ultra præſentem ſtatum, & finem neceſſarium.

7 Oportet ergo addere conditionem, *niſi noceant &c.* tum propter periculum intrinſecum, propter quod Chriſtus dixit, impoſſibile eſſe divitem ſalvari, ut etiam notatur 1. Tim. 6. tum quia difficillimum eſt exequi bonum finem, acquiſitis iis bonis. Tum quia hæc ſemper ſollicitant affectum, & de ſe inducunt varia deſideria. Unde ut rectè Med. Liberalitas, Magnificentia & ſimiles Virtutes, quantùm ad externum opus, non debent ſimpliciter peti; quamvis in ſe, & quoad ſubſtantiam per affectũ optimè exerceantur.

Sextò. Non eſt intrinſecè malum 8 dicta bona abſolutè petere. Nam bonum de ſe indifferens eſt, ſtátque intentio bene utendi; nec periculum ſemper eſt proximũ, nec in omnibus æquale, quin multi non temerè ſperent bonum uſum, ut mercaturæ, negotiationis &c. ſempérque, ut ſuppono, retinetur habitualis diſpoſitio non tenendi cum damno animæ; aliàs jam in iis ponitur ultimus finis: ergo ſi adſit intentio bene utendi, cum ſpe cavendi periculum, petitio non poteſt damnari peccati; eſto, non apponatur conditio. Tamen ſine periculo ſic non oratur, nec ſine indicio nimii affectûs ad temporalia, qui rarò ſine culpa eſt: & licèt addatur dicta conditio, Oratio tamen imperfecta eſt, Chriſto oppoſitum conſulente.

CAPUT XVIII.

An orando pro temporalibus bonis, petamus aliquam Gratiam, & propter Chriſtum?

1 Primò. Orando pro dictis bonis, petitur Gratia aliqua. Nam Patres inferunt, ſequi ex errore Pelagii negantis Gratiam, quòd non ſit orandum pro bonis operibus: quæ illatio non tenet, ſi etiam orandum eſt pro bonis naturæ. Nec ſufficit dicere, quòd ut gratiæ agendæ ſunt pro quocunque bono, ita etiam auxilium petendum ſit. Nam adhuc non tenet illatio immediata de neceſſitate Gratiæ: nec etiam conſtat, Pelagium negâſſe concurſum generalem cauſæ primæ; & certè illum ſolum non petimus, utpote ſatis de eo certi ex Lege generali: ergo petitur Gratia, petendo victoriam contra hoſtes, ſanitatem &c.

Confirmatur, quia non petitur 2 quid contra ordinariam Legem, nec etiam præter totam illam, ſed quod eſt ultra debitum huic particula-

culari naturæ. Nam licèt pluvia, ſcientia &c. per ſe pendeat ex cauſis naturalibus, vel objectis & principiis; tamen concurſus cauſarum efficientium, materialium &c. pendet ex variis motibus, qui per Angelos, vel Dei nutu fieri poſſunt: & ex iiſdem pendet ablatio impedimentorum, quæ ex concurſu omnium inferiorum cauſarum ſequerentur, ſecluſâ ſpeciali Providentiâ. Nec etiam abſolutè petitur actio extraordinaria, ſed ſolùm quatenus neceſſaria eſt; aliquando enim ſufficit, dæmoni non permitti poteſtatem. Similiter miraculum non petitur abſolutè, ſed ſi fuerit neceſſarium, & prout expedit petenti, vel bono communi Eccleſiæ, ut in locis piis quotidie petitur, & impetratur.

Secundò. Supponit dicta petitio 3
Fidem. Nam Pagani non poſſunt dicta bona petere, niſi ex fide humanâ habeant exiſtimationem de Deo, quòd ſe ſolo præter miraculum poſſit impedire concurſum cauſarum obſtantium, aut providere concurſum neceſſarium. Nos verò juxta uſum Eccleſiæ, omnia petimus per Chriſtum; nam omnia etiam temporalia, quæ nobis orantibus conferuntur, meruit, cùm non dentur, niſi in ordine ad finem ſupernaturalem, ſempérque quod honeſtâ ratione petitur, habeat incluſam conditionem, ſi proſit ad ſalutem, vel certè non obſit.

CAPUT XIX.

An Temporalia mala peti poſſint in Oratione?

1 Primò. Licitè nobis petimus mala, quæ per nos licitè inferuntur. Exemplum eſt in privatione divitiarum, delectationum &c. Per ſe enim conſtat, talia ſanctè effici: ergo rectè peto auxilium, non tantùm ut non quæram ea bona, ſed etiam ne quæram ad illa, utpote periculoſa. Et univerſim loquendo, mala temporalia reſpectu boni honeſti, & turpis oppoſiti, ſunt indifferentia: ergo ſimpliciter bona & honeſta ſunt, quoties propter finem honeſtum petuntur & cum debita cautela.

Secundò. Licitè nobis petimus 2
mala, quæ per nos inferri nequeunt. Non enim, quidquid licet deſiderare, etiam facere licet; nec quod facere non licet, illicitè deſideratur, ut per alios fiat, quatenus ſine peccato fieri poteſt. Sic Job deſideravit mortem, & Paulus diſſolvi; & Sancti morbos & infamiam, ut ſine alicujus culpa evenire poteſt, deſiderant. Tamen propter probationem hæc expete-

re, non conſulendum eſt omnibus, cùm etiam Paulus *terDominam rogârit &c.* nec nos fortiores eo ſimus, ſed magis de fragilitate noſtra in dubio timere debeamus: ſpiritus ergo prudenter & ſollicitè probandi ſunt.

3 Tertiò, Non eodem modo, nec eâdem libertate peti dicta mala poſſunt proximo, ſicut nobis. Nam ſi ipſe orans inferre ea vult, petendo vires ad vindicandum, *Oratio ejus fiet in peccatum.* Idem eſt, ſi ſiſtitur in malo, nam eſt odium. Quòd ſi intenditur vindicta, vel petitur propter ſe, quaſi ad ſatiandum appetitum noſtrum; vel ſub colore Juſtitiæ humanæ; vel Divinæ? ſi 1mum, perinde eſt ac petere, ut tantum mali alteri irrogetur, quantum nobis intulit. Si 2., ſolùm peti poteſt, ut expedit bono communi; & ita oſtenditur utilitas, ſub qua proximo imprecari malum licet, etiam permittendo interdum Damnationem, nunquam tamen intendendo. Si 3tium, de Viatore deſperare non licet, cùm Deus pœnitentiam præoptet peccatoris. Reſpectu Defuncti autem, licita eſt imprecatio ſub ratione Damnati: *Lætabitur Juſtus &c.* ſecùs autem conſtare debet, eum eſſe damnatum.

Quartò. Ut Charitati non repug- 4
net dicta petitio, ſemper agi debet de bono, quod ſecundùm rectam rationem præferatur malo proximi. Ut ſi deſideratur mors hominis pernicioſi Reipublicæ, hoſtis Eccleſiæ, ſubintelligi debet, ſi aliter malū commune vitari nequit. Idem eſt de innocente, ne malitia intellectum mutet, utique juxta ordinem Divinæ Præſcientiæ; vel ſi vehemens occaſio eſt timendi &c. Difficile autem eſt, ſi ſolùm agitur de majore profectu alterius; nam deberet evidenter conſtare de utilitate mali, & adhuc addi debet conditio. De propria autem diſpoſitione quisque meliùs judicat, & poteſt cedere juri ſuo, citra periculum odii in ſe vel invidiæ &c.

Denique Imprecationes Scriptu- 5
ræ quatuor modis intelligi poſſunt, ut. 1. ut ordinariè licent propter emendationem perſonæ, bonum commune &c. 2. Per modum prophetiæ. 3. Imprecando peccato, non peccatori. 4. Petendo ſic correctionem perſonæ,& deſtructionem Regni peccati. Deus enim in Lege Veteri per ſuos Prophetas terrere voluit rigore juſtitiæ: nunc autem ſecùs habet: *Neſcitis, cujus Spiritûs ſitis &c.*

CAPUT XX.

An bona ſpiritualia indiſtinctè & abſolutè in oratione peti poſſint?

1 Primò. Certiſſimum eſt dicta bona peti poſſe. Nam per illa intelligimus tum ipſam vitam æternam, tum omnia, quæ ad eam per ſe conferunt: hæc verò continentur in oratione Dominica, quæ juxta Aug. *omnes ſpecies orationis comprehendit*; & juxta Innoc. *per omne corpus Pſalterii ſparſa eſt.* Nam petimus, ut DEUS in nobis glorificetur, Beati ſiamus, & Dei voluntatem impleamus, utique per Gratiam, quæ ubique & ad omnia peti debet. Petimus etiam remiſſionem peccatorum (utique cum diſpoſitione neceſſariâ) victoriam contra tentationes, & defenſionem à malis omnibus.

2 Secundò. Neceſſe non eſt, conditionem dictæ petitioni apponi. Nam vel eſſet neceſſaria ex parte noſtrâ, vel rerum, vel Dei? Non 1mum, quia in dictis bonis conſiſtit felicitas noſtra. Non 2dum, nam injuria fit, dicendo, *ſi expediant*; êſtque evidens in ſimpliciter neceſſariis, remiſſionem mortalium, donum perſeverantiæ &c. peti poſſe abſolutè. Idêmque eſt de his, quæ pertinent ad ſubſtantiam perfectionis, quia periculum elationis excluditur, petendo totam (conſequenter humilem & ſolidam) ſanctitatem. Secùs eſt de aliis, ut contemplatione, probatione per tribulationes &c. juxta dicta ſup. cap. docétque uſus Timoratorum. Non 3tium, nam ſcimus, Deum velle ſic glorificari, & Spiritum ſanctum juvare ad ſic petendum.

CAPUT XXI.

Expediuntur nonnulla dubia circa modum abſolutè petendi ſpiritualia.

1 Difficultas eſt 1. quia ſi peto Gratiam efficacem, poſſum diſcordare à Decreto Dei. 2. Poſſet peti Gratia major, quàm ſit Virginis. 3. Gratia ſufficiens tam eſt certa, quàm ortus Solis. 4. David jam juſtificatus petit cor mundum; & Beati ea de quibus certi ſunt: num ergo etiam infantis baptizati beatitudo peti poteſt? 5. Denegatio Gratiæ efficacis nec in ſe mala eſt, nec ſemper inutilis nobis, nec contra voluntatem Dei: ergo peti poteſt. 6. Gratia peti poteſt etiam ad facilè poſſe,

ſe, ut in humanis auxilium, ut equus ad iter &c. At DEUS liberalior eſt homine, dátque abundanter: nec Studioſus, Artifex, Bellidux debet, cùm petit auxilium, perſuaſus eſſe, quòd egeat extraordinario; quomodo ergo Patres ex Oratione inferunt neceſſitatem Gratiæ ſimpliciter, cùm Pelagius non negârit neceſſariam ad melius eſſe?

2 Ad 1mum ℟. etiam Beatitudinem, Perſeverantiam &c. abſolutè peti, non habitâ ratione Decreti Divini; idem ergo eſt de Gratia efficaci: quia Deus ipſe vult, ne dictum Decretum pro regula noſtra habeamus. Voluntas enim, quâ nos ſalvos fieri vult, eſt primaria, & ex Deo antecedenter; ſecùs ac denegatio dictæ Gratiæ, ut conſequens præſcientiam noſtræ voluntatis. Dein eadem voluntas ſalvandi, & ſalutem omnibus modis curandi, eſt præceptiva, non verò dictum Decretum permiſſivum. Denique petitio ſemper ſupponit, fieri quod petimus, ſi per nos non ſteterit.

3 Ad 2dum ℟. appetitum mediorum accipere terminum & limitationem ex fine (juxta Ariſtot.) hunc verò, quantùm eſt ex ſe, non habere terminum. Cùm ergo Beatitudo ſit finis; alia omnia, quæ infra illam ſunt, petuntur cum menſura ad illam, ipſa verò citra menſuram. Nam DEUS nec terminum præfigit in cura ſalutis utut ampliſſimâ, nec regulari nos vult per Prædefinitionem &c. Deſcendere autem non licet ad particulares comparationes per modum intentionis (ſecùs eſt de affectu ſimplici) quia petitio eſt temeraria violandi Legem ordinariam: ſolúmque petimus, quæ juxta hanc competunt, niſi Spiritus ſanctus ſpecialiter moveat.

4 Ad 3tium ℟. dictam Gratiam eſſe paratam, ac mediante oratione dari, non quidem omnem, cùm nec neceſſarium, nec poſſibile ſit, ſed aliqua præcedat orationem, & à fortiori deſiderium rei excitans ad orandum. Porrò in Gratia efficaci non habetur ratio voluntatis Prædeſtinativæ, ſed Præcipientis curam ſalutis; quia ſicut iſtæ in Deo contrariæ non ſunt, ita nec nos agimus contra priorem, conformando nos poſteriori; eſto fortè diſconveniamus in objecto. Eo vel maximè, quia petendo efficacem, ſolùm petimus, ut gratia per nos non impediatur. Quomodo autem DEUS hoc diſponat, ad nos non pertinet; nec inde pendet modus orationis.

5 Ad 4tum ℟. non peti quod quis habet, ut nec unionem Hypoſtaticam à Chriſto: quod enim videt quis, quid ſperat? Igitut petitio eſt disjunctiva, ut vel detur Contritio nondum obtenta, vel perficiatur quoad ſuos effectus: & David non tam poſtulando loquitur, quàm recognoſcendo indignitatem ſuam, & inſufficientiam Contritionis. Bonum autem amiſſibile rectè petitur, quia virtute petitur Perſeverantia, ut in certificato de juſtitia, aut poſt exci-

excitantem petente Gratiam adjuvantem, eſto debitam. Quòdſi & effectus certus ſit, decet oratio, ut de Chriſto & Beatis dictum eſt, non utique dubiis de eventu, ſed quia ſic confitentur Dominium Dei, vel ejus Juſtitiam, ſuámque cum illius voluntate conformitatem, ut in pœnis Damnatorum.

6 Ad 5tum ℟. Non quidquid Deus vult, teneri aut poſſe hominem velle. Nam ille non tenetur dare gratiam efficacem: at iſte tenetur gratiam non abjicere, ac vitare quidquid cauſa vel occaſio eſſe poteſt peccati, præſertim certa & infallibilis, ſive per ſe ſive per accidens ſit; quidquid ſit de utilitate permiſſionis. Petitio enim conformari debet voluntati Divinæ, quæ eſt regula actionum noſtrarum, non ſemper objecti voliti.

Ad 6tum ℟. Non eſſe Patribus 7 imponendam tam duram ſententiam, ut qui maximè fundantur in verbis Chriſti: *ſine me nihil poteſtis* &c. utique in opere pietatis. In aliis enim non ſemper diſcernitur neceſſitas Orationis, ut eſt evidens ex argumento facto. Tamen licèt ea non conſtet ex natura operis, ut ſtudii &c. poteſt illa eſſe in individuo propter varias occaſiones, & conſequenter in Præſcientia DEI. Semper ergo petitur ſpecialis favor, ſive quia per ſe juvat; ſive quia neceſſarius eſſe poteſt, ſaltem in individuo.

CAPUT XXII.

An Oratio ſit Actus Meritorius & Satisfactorius?

1 Primò. Oratio per ſe meritoria eſt. Nam ad meritum ſolùm requiritur actus honeſtus, procedens ex Fide & Gratiâ aliquo modo, & habens promiſſionem mercedis: at hæc generaliter facta eſt pro operibus bonis. Neque hæc rationem meriti ſolùm habent denominativè à Charitate (quod ſine dubio falſum eſt) ſed in radice ejus, quatenus eſt fundamentum remotum merendi de condigno; quod non eſt niſi in actione Viatoris amici Dei.

2 Secundò. Ad meritum de congruo in oratione ſufficit motio Spiritûs ſancti. Nam inde actus habet tantam dignitatem, ut non obſtante indignitate Peccatoris, congruat, Deum conferre quid Beneficii. Sic autem ratio dicti meriti clarè diſtinguitur à vi impetrandi. Nam hæc non cadit, niſi in id quod petitur: id autem ſæpè non expedit; & tamen oratio convertitur in ſinum orantis, ut patet in eleemoſyna Peccatoris, ob quam huic datur diſpoſitio ad Pœnitentiam. A fortiori enim id fit per orationem, & eò am-

ampliùs, quò magis ea appropinquat humilitati, Pœnitentiæ, præſertim adjunctâ Meditatione.

3 Tertiò. De Fide eſt, Orationem de ſe eſſe Satisfactoriam. Conſtat ex Trid. ſ. 14. Can. 13. ſempérque intellexit Eccleſia, illam æquiparari aliis duobus generibus ſatisfaciendi, ultra vim propriam impetrandi. Nec enim promiſſio Dei de acceptanda ſatisfactione, eſt de hoc vel illo opere, ſed generalis, ſi actus ſit bonus, & ex Gratia, & pœnalis; quæ eſt velut proxima formalis ratio ſatisfaciendi: at applicatio pia mentis non fit ſine pugna & reſiſtentia corporis & ſenſuûm. Attentio enim de eſſentia eſt omnis actûs virtutis, quia nullus eſt ſine actuali voluntate; nec hæc ſine actuali cognitione; nec iſta ſine attentione.

CAPUT XXIII.

An Oratio ſit Impetratoria, & quid valeat impetrare?

1 Primò. Oratio peculiarem vim habet impetrandi. Nam imprimis ſufficientem habet, quatenus congruit Liberalitati Dei dare, quod petitur. Vis etiam ſimpliciter efficax eſt propter promiſſionem Dei, qui *ſeipſum negare non poteſt.* Tamen Promiſſio conditionata eſt, aliàs Oratio ſemper haberet effectum: at conditionalis nil ponit in eſſe, nec obligat, niſi conditione impletâ.

2 Secundò. Oratio debet eſſe de re honeſta. Si enim petitur turpe, etiam veniale, ſemper peccatum mortale eſt, quia facit Deum Authorem ejus; ut Perjurium in re levi mendax. Sin materia indifferens eſt & citra finem honeſtum, non poteſt quidem peccati mortalis damnari petitio, quamvis irreligioſa ſit, quia fundatur in deſiderio turpi, & practicè errat volendo cultum Dei. Non enim propter hunc, ſed ob concupiſcentiam, v. g. lucri ex ludo &c. petit, utique per medium improportionatum. Idémque eſt, licèt deſiderium ſit indifferens; nam indignè petitur complementum ejus; & ideo Sancti reprehendunt petentes temporalia propter ſe volita.

Tertiò. Non ſufficit peti honeſta, niſi etiam honeſtè petantur. 3
Ita Jacobi 4. *eò quòd malè petatis* &c. Vel ergo circumſtantia reddit actum moraliter malum, vel peccatum ſe habet tantùm concomitanter? Si 1mum, actus nec eſt Religioſus, nec habens promiſſionem impetrandi. Si 2dum, non deſtruitur meritum & vis actûs.

Quartò. Quod petitur, non de- 4
bet eſſe impeditivum majoris boni Ani-

Animæ; ſive aliàs noxium ſit hujus profectui, ſive occaſio lapsûs ſecutura ſit. Nam eſto quòd ex ſe ſit utile, tamen ſi defacto nociturum eſt, miſericorditer negatur. Igitur ſervatis conditionibus debitis, Oratio habet annexam Promiſſionem Divinam, ſive de re neceſſariâ ſit ſive de utili tantùm ad Salutem. Nam promiſſio eſt generalis, *Quidquid petieritis* &c. & reſtrictio repugnat Liberalitati Divinæ.

5 Nec etiam admitti debet medium, quod honeſtum quidem ſit, ſed nec conferat Saluti nec obſtet. Nam solùm non petitur in *Nomine Salvatoris*, juxta Aug. quod contra Salutem petitur; quia ſaltem impedit malum, ſicque jam eſt utile, & quantùm de ſe, diſponit ad majus bonum. Igitur *cùm videris* (ait Aug. Pſal. 65.) *non à te amotam deprecationem tuam, ſecurus eſto, quia non eſt amota à te miſericordia ejus*, juxta illud: *Benedictus Deus, qui non amovit Orationem meam, & miſericordiam ſuam a me.* Denique licèt Oratio non habeat omnes conditiones, poteſt eſſe congrua ad impetrandum, non vi Promiſſionis, ſed Bonitatis Divinæ.

CAPUT XXIV.

An Oratio ad impetrandum debeat procedere ex Fide?

1 Primò. Conſtat affirmativa ex Matth. 21. Jac. 1. Rom. 10. Sermo enim eſt de Oratione, non ut præcisè moraliter honeſta eſt, ſed ut eſt opus Pietatis, ſeu per ſe conferens ad ſalutem: at Promiſſio Divina per ſe primò ordinatur ad ſalutem: *Quærite primùm regnum Dei* &c. & Fides eſt fundamentum. Unde etiam obligatio per ſe eſt ſciendi & credendi dictam Promiſſionem, ut verba Chriſti poſcunt: tamen ſi ignorantia excuſat, ſufficere poterit Fides Omnipotentiæ, Miſericordiæ, ut Matth. 9. *Creditis, quia hoc poſſum* &c. implicitè enim credimus Attributum Fidelitatis.

2 Secundò. Per fiduciam ſine hæſitatione non petitur abſoluta certitudo, excludens formidinem, etiam ſpeculativam; ſed quia abeſſe debet hæſitatio intellectûs practici & quoad exercitium. Conſtat enim peti Fiduciam. Rom. 4. Hebr. 4. Matth. 9. Pſalm. 90. Dan. 3. & 13. Spes autem non poteſt eſſe major certitudine Fidei: nec iſta abſoluta eſt, ſed ſub conditione, ſi expediat &c. & ita Paulus, David, Ninivitæ &c. orârunt ex Fide, licèt priores nil impetrârint, & alii incerti fuerint de impetrando: ergo quamdiu non excluditur Fides & Spes Theologica, adhuc piè oratur. Stat tamen ſubſtantialis Fides, quin ſit perfecta.

fecta. 1. Cor. 3. Marc. 21. Matth. 17. ubi Apoſtoli non increpantur, ut Infideles, ſed ut *modicæ Fidei.*

3 Defectus enim eſt intellectûs practici & quoad exercitium, quòd veritas non applicetur voluntati, ut ſecundùm illam moveatur, nec excitatur actualis Fides, ſed attenditur ad rei difficultatem, indignitatem orantis; ſicque oritur fluctuatio orantis major, quàm debeat ſecundùm rectam rationem. Nam illa ſuperanda eſſet per debitam fiduciam; nec hæc niti debet ſolâ Promiſſione, ſed etiam Liberalitate, Miſericordia, Dei &c. & ita ſæpe excludi poteſt omnis actualis hæſitatio. Nam ideo datur, quod ita petitur, & non aliàs, ſive quia neceſſarium non eſt, ſive ob defectum conditionis neceſſariæ; ſicque magna fiducia ſignum eſt futuræ impetrationis.

Tertiò. Cavendum eſt, ne in Præſumptionem abeat Fiducia. Nam hæc debet eſſe humilis, Pſalm. 101. *Reſpexit in Orationem humilium.* Eccli. 35. *Oratio humiliantis ſe* &c. humilitas autem excludit nimiam exiſtimationem ſui, & ne principalis fiducia in meritis ponatur. Luc. 18. Nec propterea putandum eſt, nihil referre merita & diſpoſitionem, contra Tob. 4. Iſa. 58. Pſal. 33. & 1. Joan. 3. Nam petuntur munditia cordis, opera miſericordiæ &c. &c. & *Tunc invocabis* &c. quia ſic multiplicantur tituli, vel perſona fit gratior. Et ſancti ipſi citra læſionem humilitatis memorant merita, ut Iſa. 38. & Pſal. 118. non utique ſpem in ſe ponendo, ſed in Deo: quia qui illa dedit, dabit majora; quod aliquando facit ad vincendam puſillanimitatem. 4

CAPUT XXV.

An neceſſaria ſit Charitas ad impetrandum per Orationem?

1 *Primò.* Oratio Peccatoris, qui bonâ fide procedit neſciens ſtatum ſuum, efficax eſt, per ſe loquendo. Nec enim ſanctitas perſonæ eſt de ratione intrinſeca impetrationis: nec veriſimile eſt, Deum tunc plus velle, præſertim ſi homo quaſi impetu Fidei urgeatur ad orandum. Nam promiſſio eſt generalis. Matth. 7. quin verba, materia, aut ratio Juſtitiæ Divinæ ad limitandum cogant. Aliunde autem Miſericordia magis commendatur, Luc. 11. *ſi non dabit illi, eo quòd amicus ejus ſit, propter improbitatem tamen* &c.

Secundò. Idem eſt de Oratione ſcientis ſtatum ſuum, & petentis ab eo exire. Patet ex Luc. 11. & 18. unde Patres & Concilia Orationem ponunt, ut medium neceſſarium Peccatoris, & maximè utile. Additur verò particula *fortè.* Joan. 3. Act. 8. Dan. 4. vel propter incertitudinem diſpoſitionis & cooperationis 2

nis ad Gratiam; vel quia petitur temporale; vel quia agitur de eleemoſyna, quæ ſolùm de congruo meretur. Denique Oratio peccatoris dicitur non audiri, ut Jo. 9. utique faciendo miraculum in confirmationem mendacii, ut rectè cæcus probat innocentiam Chriſti; vel formaliter eam ſumendo, ut petitur malum.

3 Tertiò. Si peccator voluntariè & ſciens in ſtatu ſuo permanet, valde probabile eſt, raro audiri ejus orationem. Sumitur ex 1. Joan. 3. Pſal. 65. Iſa. 1. Jo. 9. Non tamen eſt ita deterrendus ut deſperatus; quia ſolùm differt pœnitentiam: éſtque probabile, ſi perſeveranter oret, tandem auditum iri, niſi multùm reſiſtat Gratiæ Dei: & ſæpe Deus etiam per miraculum audit, ut ex hiſtoriis conſtat.

CAPUT XXVI.

An Perſeverantia Orationis ſit neceſſaria ad impetrandum?

1 Primò. Conſtat de neceſſitate dictæ Perſeverantiæ. Ita Luc. 11. Et ratio iſtius Providentiæ eſt, quia ſæpe deeſt in principio debita diſpoſitio, vel quia res non expedit pro nunc, vel quia alia res potior eſt, vel ut non ſit experientia potiùs, quàm Fides, & ut Donum æſtimetur. Hinc autem potiùs creſcere debet fiducia, quia dilatio vel mutatio effectûs fit in bonum noſtrum; multiſque redditur in fine, quod in hac vita diſpenſatoriè negatum eſt, juxta Bern. longéque major exſpectatio eſſe debet in Deum, quàm hominem.

2 Secundò. A petitione ſpiritualium, fruſtrato deſiderio, non eſt facilè deſiſtendum. Licèt enim, cùm agitur de temporalibus, deſiſti poſſit, non ex diffidentia vel quaſi impatientia, ſed per humilem ſubmiſſionem ad Divinam voluntatem, credendo ita expedire; tamen petitio ſpiritualium ſemper per ſe utilis eſt; & ſæpe latet impetratio petiti, vel victoriæ contra tentationem. Dein nunquam homo debet eſſe negligens in cooperando; aliàs Oratio redditur inefficax ex parte ponentis impedimentum.

3 Dices. Ad perſeverantiam Gratiæ neceſſaria eſt perſeverantia Orationis: ergo requiritur conditio ad donum hoc jam habitum. ℞. donum perſeverantiæ, non effectum, fortè in multis anticipari, ſive vocetur confirmatio in Gratia ſive non; ergo ſemper peti debet. Fortè enim priùs obtinebitur, & brevis perſeverantia orandi ſæpe obtinet longam perſeverantiam in bono; nec eſt ulla ratio dubitandi de ejus obtentione. Faciliùs autem obtinetur perſeverantia orandi, utpote diſtincta à priore; nec tamen regulariter id fit ſine oratione.

CAPUT XXVII.

An orans ſolùm pro ſe infallibiliter impetret, vel etiam pro aliis?

1 Primò. Probabilius eſt, Promiſſionem eſſe univerſalem, quin cogat, quod Auguſtinus expendit. Jo. 16. *Dabit vobis.* Nam Jo 14. Promiſſio ſit abſoluta; & dando ſic aliis, etiam nobis datur. 2. Reg. 2. Act. 27. Deinde 1. Jo. 5. dicitur: *quodcunque petierimus ſecundùm voluntatem ejus &c. Qui ſcit fratrem ſuum peccare &c.* At conſtat de voluntate orandi pro invicem. Jac. 5. Nec obſtat. Mat. 10. *ſiquidem fuerit domus illa digna &c.* Nam etiam pro ſe petens, non ſemper eſt idoneus ad recipiendum, quia ſemper ſubintelligitur, ſi non ponatur obex.

2 Secundò. Oratio pro multis non eſt æquè efficax, ac pro uno. Ita ſupponit Eccleſia orando in particulari; aliàs præſtaret ſemper orare pro omnibus. Licèt enim hoc de ſe nobilius, & conſequenter magis meritorium ſit, non tamen efficacius eſt ad impetrandum; quia vis impetrandi non fundatur in ſola Miſericordia Dei &c. ſed ſuo modo in Oratione tanquam causâ impetrati, quam Deus reſpicit, attendendo valorem ejus moralem, cùm Oratio excellentior plus impetret. Dein Charitas verſando circa particularem perſonam, magis & immediatè illam attingit, quàm tendendo in confuſo; ordóque ejus poſcit, ut pro ſpecialiter indigente etiam oretur ſpecialiter. Vide Tom. 2. in 3. p. D. 79. ſ. 12. in fine. & Tom. 4. D. 48. ſ. 8.

CAPUT XXVIII

Súne Oratio ad ſalutem neceſſaria?

1 Primò. Conſtat, Orationem eſſe neceſſariam ad melius eſſe ſaltem, ſeu ita utilem, ut ſalus aliàs vix obtineatur, & magna cum difficultate. Hoc enim adminimū clamant tot loca Scripturæ, ut Jac. 4. *Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis:* ergo à fortiori, ſi non petatur. Quamvis enim Deus non privetur libertate dandi etiam non petita, ut paſſim ſit in temporalibus & ſupernaturalibus, quæ ſupererogationis ſunt; tamen juxta ordinem Providentiæ, utitur etiam cauſis ſecundis, quatenus convenit.

Secundò. Oratio eſt de neceſſitate medii ſimpliciter ad ſalutem. 2
Ita omnes, qui dicunt eſſe de præcepto. Et Patres dicunt, tollendo neceſſitatem Gratiæ tolli etiam Orationem ſeu neceſſitatem ejus. Nam juxta Aug. *Deus alia dat non*

oran-

orantibus, ſicut initium Fidei: alia non niſi orantibus præparavit, ſicut uſque in finem perſeverantiam. Idémque c. 43. de Nat. & Grat. ait: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo admonet & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis.* Sícque etiam impoſſibile imputatur, ut poſſibile per Orationem. Et ſequitur Trid. ſ. 6. c. 11. quia tam frequens hortatio Scripturæ, non utique utilitatem tantùm, ſed valde urgentem neceſſitatem orandi ſupponit; conſequenter obligationem juris naturalis, cùm Chriſtus non dederit præcepta poſitiva, niſi in materia Fidei & Sacramentorum; sícque idem indicet per particulam, *Oportet ſemper orare.*

3 Ratio ergo ipſa dictat, ut homo concurrat ut poteſt, ſaltem petendo & quærendo ſibi neceſſaria, ut Deo deferat hunc cultum, & in virtute proficiat. Sicut enim juxta dictum ordinem Providentiæ utendi cauſis ſecundis, quoad poteſt, in adulto neceſſarium eſt meritum ad Præmium, & diſpoſitio ad primam Gratiam; ita etiam Oratio ad auxilia neceſſaria Gratiæ. Unde fortè quæ ſimpliciter neceſſaria ſunt ad ſalutem, nunquam dantur niſi mediâ Oratione, quando homo jam præventus eſt, & poteſt ſe ſic juvare. Et ita dicta dicta neceſſitas, quamvis fundetur in natura rei, tamen completur per Dei Decretum non dandi neceſſaria, niſi oranti.

CAPUT XXIX.

Quale ſit Præceptum Orationis?

1 Primò. Præceptum orandi eſt Divinum Naturale, ſeu connaturale Fidei. Nam per præcepta homo ſufficienter ordinatur ad ſalutem: ergo media omnia, quæ ad hanc nobis neceſſaria ſunt, etiam præcepta ſunt, ut conſtat de actu Fidei, Spei &c. Unde ſicut neceſſitas Gratiæ non cœpit in Lege Gratiæ, ita nec neceſſitas Orationis, quia ratio Providentiæ Divinæ, & noſtræ indigentiæ, ſemper eadem eſt & fuit: & ideo Gen. 5. laudatur Enoch propter publicum Ritum orandi, & Eccli. 16. arguuntur negligentes in orando.

Secundò. Præceptum orandi, per ſe eſt præceptum Religionis. Nam verba Chriſti, *Petite &c.* juxta communem expoſitionem, continent præceptum ſpecificum Religionis: & aliàs omiſſio nunquam eſſet ſpeciale peccatum, ſed contra Caſtitatem, v. g. & Charitatem ſui, ſicut cùm quis mendicando conſulere non vult extremæ neceſſitati; ad cultum enim Dei ſufficeret adoratio, laus Dei. Licèt ergo obligatio non ſit niſi urgente neceſſitate, tamen Deus cogere tunc voluit ad confugiendum ad ſe tali modo. 2

3 Unde non obſtat, quòd obligatio non

non ſit niſi ex ſuppoſitione neceſſitatis: nam quando actus ex natura, vel inſtitutione Divinâ habet honeſtatem neceſſariam ad ſalutem; tunc non ſolùm Charitas, aliáque virtus generalis, ſed propria, ad quam pertinet dicta honeſtas, obligat; ut inductione conſtat in aliis mediis neceſſariis ad Juſtitiam, Fide, Spe, Pœnitentiâ, Sacramentis. Dein ipſa Religio poteſt dictam neceſſitatem imponere, ut quando pro ea pugnandum eſt: nam omiſſio orandi eſſet tunc contra Religionem. Denique dictum præceptum ſatis impletur per Orationem internam.

CAPUT XXX.

Quomodo diſcerni poſſit tempus, pro quo urget obligatio orandi?

1 Primò. Non obligat dictum præceptum pro ſemper, ſeu ad continuò orandum. Nam vel intelligeretur continuatio Angelica aut data per Gratiam extraordinariam, vel ſolùm pro omni tempore commodo? Si 1mum, Lex eſt de impoſſibili ſecundùm communem Gratiam & Potentiam, adeóque contra ſuavitatem & Providentiam Divinæ Legis. Si 2dum, Hæreſis eſt moderna, non diſtinguens inter Conſilium & Præceptum, & contra praxin & ſenſum Eccleſiæ. Et 1. Cor. 7. ſolùm proponitur, ut conſilium, ut mutuo conſenſu fiat: in verbis autem Chriſti & declaratur Præceptum, & conditio ad impetrandum, & exaggeratur neceſſitas juxta modum Scripturæ.

2 Secundò. In primo inſtanti uſûs rationis non urget dictum Præceptum. Nam eſto teneatur tunc homo converti ad Deum, ſatis eſt converti ad bonum opus, quod tunc occurrit; imò contradictio eſt in conſequenti: *Quomodo enim invocabunt?* ergo ſupponitur converſio. Sicut autem initium Orationis eſt à Gratia, ita ab hac eſſe poteſt initium alterius converſionis ſine prævia Oratione.

Tertiò. Non urget dicta obligatio pro quolibet tempore, quo Eccleſia obligat ad Miſſam audiendam. 3
Nam quod ab Eccleſia fit, non conſtat eſſe de Jure naturali: éſtque aliud, quod quis ut membrum Eccleſiæ facere debet; aliud, quod ut privatus & juxta ſuam privatam neceſſitatem. Cætera enim præcepta, ut Confeſſionis, Communionis &c. ſatis implentur, ſervando determinationem Eccleſiæ: at ſecùs eſt de præſenti, quia obligat juxta cujusque propriam neceſſitatem, nec omnes uno & eodem modo: & ideo obligat, ſtante impotentiâ audiendi Miſſam.

Quartò. Urget dicta obligatio 4
etiam extra tempus extraordinariæ neceſſitatis. Nec enim Lex obligat

per

per accidens tantùm, & propter neceſſitatem contingentem & extrinſecam; aliàs, qui non ſentit pugnam, non obligaretur. Sufficit ergo, vitam noſtram eſſe bellum continuum, quia hocipſo etiam periculum continuum eſt: ergo contra rationem, & propriam ſalutem eſt, exſpectare extremum periculum, omittendo medium ordinarium, quod à Deo præſtitutum eſt.

5 Licèt autem Lex innoteſcat ex noſtra neceſſitate, quam tanquam materiam ſupponit; tamen illa non eſt formalis & adæquata ratio præcipiendi, ſed cultus à Deo intentus in hoc medio: ergo ſicut alia præcepta affirmativa obligant, ut eorum actus non diu differantur; ita in præſenti obligatio eſt non diu differendi Orationem. Quæ verò ſit dilatio nimia, ex natura rei relictum eſt prudenti arbitrio, ſicut etiam electio hujus vel illius temporis voluntaria eſt; conſiderando tamen quid omnibus conſideratis, neceſſarium ſit ad vitam rectam & honeſtam inſtituendam. Unde dilatio unius menſis permittenda non eſt in præſenti; quamvis quoad praxin timendum non ſit, cùm regulariter præveniatur obligatio ab omnibus.

6 Quintò. Urget dicta obligatio tempore peculiaris neceſſitatis noſtræ. Ita omnes, cùm homo conſtituitur in graviſſimo periculo. Nam vel tunc confidit homo de ſua libertate, vel de ſolo ordinario auxilio ſufficiente? Prius eſt magna præſumptio: alterum ſtulta negligentia. Sæpe enim neceſſarium eſt extraordinarium auxilium; nec hoc ſperandum eſt, niſi debito modo & per media prærordinata: Oratio autem eſt ex maximè neceſſariis. Unde eâdem præmuniri nos neceſſe eſt, ne tentatione vincamur, nec in eam incidamus, ſeu graviter vexemur. Addit Medina, idem eſſe, cùm homo ſe diſponit ad Gratiam, ſuſceptionem Sacramenti &c. &c.

Sed obligationes non ſunt multiplicandæ de facili; poteſt enim homo ex ordinario auxilio ſtatim deteſtari peccatum, diligere Deum &c. In aliis verò caſibus judicandum eſt ex operis arduitate, ut tempore Martyrii: quia tunc ſicut non ſola Fides, ſed etiam fortitudo neceſſaria eſt, eſto hæc poſcatur propter neceſſitatem illius; ita etiam definitè petitur cultus Religioſus erga Deum, propter difficultatem operis ſuperandam. Quæ tamen per ſe intelligenda ſunt; nam ſæpe oblivio naturalis eſt hujus diſtinctæ obligationis. 7

Sextò. Obligatio eſt orandi etiam pro proximo. Eſtque duplex, altera orandi pro Communitate, nam Charitas obligat ad amandam eam plùs quàm privatum. Facilè tamen hoc impletur per privatas Orationes communes eoipſo, quòd nemo excludatur. Altera obligatio eſt, cùm privatus ſpecialiter indiget; quia teneor 8

proximum diligere ſicut me. Nec refert, medium non eſſe infallibile, ſed ſufficit magna probabilitas; quia humana providentia plus non poſcit etiam in aliis caſibus obligationis: ergo multò minùs in ſubventione tam facili, & fortè neceſſaria hîc & nunc.

LIBER II

De Oratione Mentali ac Devotione.

CAPUT I.

De Utilitate & Neceſſitate Orationis Mentalis.

1 Oratio hæc materialiter ſumpta non habet definitionem unam, ſicut nec honeſtatem unius virtutis, ſed omnium. Sumpta autem formaliter habet cultum Dei, vel unionem cum ipſo per Charitatem. Dicitur autem Oratio, quia omnes actus ejus ordinantur ad Petitionem; & propter dictum cultum multiplicem eſt ſpeciale officium Religionis.

2 Primò. Conſtat de nobilitate dictæ Orationis. Nam & exemplo Chriſti pernoctantis in ea, (quod omnes Patres de Mentali intelligunt) commendatur, & locis aliis Scripturæ, ut paſſim in pſalmis; & Thren. 3. *ſedebit ſolitarius &c.* & Luc. 10. *optimam partem elegit.* Ratio eſt, quia ſummum, quo illa excellit, eſt familiare colloquium, quod Deus concedit. Dein participatio eſt felicitatis æternæ, quia felicitas hujus vitæ in aliquo actu eſt; ergo in aliquo ſupremo, ſcilicet unione cum Deo per actus optimos, ut in Magdalena Chriſtus prædicat.

Secundò. Conſtat de utilitate dictæ Orationis. Nam inprimis habet communem cum aliis operibus, ſcilicet meriti & ſatisfactionis. Valde enim difficile eſt homini eſſe ſolum. & cum Deo reverenter loqui; ſentitque corpus moleſtiam, & antecedenter propter temperantiam neceſſariam, & concomitanter cooperando ut poteſt, & conſequenter obediendo deſideriis ſanctis & efficacibus. Rurſus utilitas eſt impetrandi, nam petitur ferventiùs & inſtantiùs, auxiliùmque curatur puritatis & mortificationis. Propria demum utilitas eſt vis quaſi effectiva ad formandum omne genus virtutis. Si enim juxta Aug. Gratia eſt neceſſaria, quia ſancta cogitatio eſt principium boni deſiderii &c. Oratio Mentalis ſeminarium eſt omnium cogitationum, & diuturna 3

turna & diligens earum ruminatio. Unde Waldenſis rectè explodit Orationem vitalem Wicleffi: quomodo enim talis eſt ſine Mentali?

CAPUT. II.

De Partibus dictæ Orationis, ſeu actibus qui in ea exerceri debent.

1 Primò. Conſtat. partes eſſe non poſſe dictæ Orationis niſi actus intellectûs & voluntatis. Hos verò enumerat Bern. in ſcala Clauſtr. ſcilicet, *Lectionem*, *Meditationem*, *Orationem*, *& Contemplationem.* Nam perfectum eſt, cui nihil deeſt; utile verò, quod debito modo applicatur. Porrò Lectio propriiſſimè ſumpta non ſemper requiritur, ut patet in neſcientibus legere; ſufficítque auditu inſtrui, vel aliunde memoriam ſuppetere circa certam materiam. Excitari tamen illam, cùm diſponitur Oratio Mentalis, neceſſarium eſt. Eccli. 18. *ante Orationem præpara animam tuam &c,* eſto exercitatis ſola Dei memoria ſufficiat, *Memor fui Dei, & delectatus ſum.* In modo autem dictæ memoriæ varietas eſt tam quoad materiam (nam nunc ſpei, nunc metûs &c. materia aptior eſt) quàm explicationem, quæ major eſſe debet in incipiente, quàm capaci &c.

2 Secundò. Meditatio definiri poteſt, quòd ſit *occultæ veritatis inquiſitio ſtudioſa*, utique procedens ex affectu orandi &c. Dicitur *ſtudioſa*, ſeu non tantùm diligens, ſed *Religioſa* inquiſitio, ut moraliter recta ſit juxta ſubjectam materiam. Debet enim Meditatio eſſe practica; aliàs nec eſt actus Religionis, nec Charitatis, conſequenter nec Oratio: ergo licèt actus ſit intellectûs, ex affectu exire & ad eum tendere debet. pſ. 18. *Meditatio cordis mei.* & additur; *in conſpectu tuo ſemper.* Nam ut omnes Myſtici docent, debet homo illam inchoare, conſtituendo ſe in in conſpectu Dei, & ejus præſentiam vivâ Fide, perſpicaci attentione, & ſummâ reverentiâ conſiderando.

Dicitur *occultæ veritatis*, non 3
quòd nova diſcantur (non enim ſciendi gratiâ, ſed operandi &c. fit Meditatio) ſed quia tenditur ad cognoſcendum novo modo veritates aliàs notas; attentiùs nempe illas conſiderando, rationes earum ponderando, novas inquirendo, & quod caput eſt, ad mores & actiones meditantis applicando. Et ideo materia debet eſſe practica, moralis, ac ſupernaturalis, cuique applicanda juxta ejus capacitatem, diſpoſitionem, & finem

intentum. Quæ pſ. 18. revocatur ad *Legem* (comprehendendo peccata, ſupplicia, media remiſſionis &c.) *Teſtimonia*, *Juſtificationes*, *Opera*, & *Eloquia Dei*, ſub quibus omnia Myſteria Fidei comprehenduntur.

4 Tertiò. Sub Meditatione ſubintelliguntur duo proximi & præcipui effectus in intellectu & voluntate. Prior eſt illuminatio practica; nam diſcurſus (qui ad ſcientiam vel ſapientiam aliquo modo pertinet) pro concluſione habere debet Prudentiam, ſeu quid deſiderandum, timendum &c. ſit: quid homo ſentire debeat de ſe, Deo, rebus caducis, æternis. Poſterior eſt *Compunctio & Devotio*, quarum illa fit, cùm ex conſideratione malorum cor tangitur dolore interno: hæc verò eſt *pius & humilis affectus in Deum*, humilis quidem ex conſcientia propriæ infirmitatis; & pius ex conſideratione Clementiæ Dei.

5 Quartò Oratio in dicta partitione ſumitur propriè pro Petitione, cui acccedere ſolet Obſecratio. Nec enim niſi præcognitum petitur, nec etiam verè niſi deſideratum: at verò deſiderium movet ad inveſtigandas rationes, & meditandos titulos, qui Deo repræſententur; ſícque miſcentur Meditatio & Oratio, & mutuò juvantur, rurſum iterando Orationem & cum majore fiducia. Porro Tituli ex parte Dei ſunt Promiſſio, Bonitas, Miſericordia, invitatio ad petendum, & quòd res cedat in Dei Gloriam. Ex parte Chriſti Titulus eſt Mediatoris, & quia in ipſo & per ipſum omnis Gratia obtinenda eſt. Similiter allegantur merita Sanctorum.

Allegantur autem hæc, non utique ut Deo incognita, ſed ut Fides exerceatur, Spes augeatur, aliæque virtutes exerceantur, quæ magis ad impetrandum aptæ ſunt; ut humilitas, vilis de nobis opinio, magna de Deo exiſtimatio, devotio in eum fervens: & quò magis hæc ponderantur, eò magis Attributa Dei recognoſcuntur; ſícque totum eſt quidam cultus Dei. Denique Ezechias allegavit propria merita, utique ex ſpeciali inſtinctu; quis enim certus eſt de meritis? Quamquam qui nimis triſtis eſt, ad erigendam fiduciam recordari poſſit bonorum præteritorum cum magna humilitate, citra ullam Præſumptionem. Tutius autem eſt, ordinariè allegare Titulos ex cognitione propriæ miſeriæ, culpæ &c. ad exaggerandam Miſericordiam, aliáque Dei Attributa, quæ eò magis elucefcunt, quò nos ſumus infirmiores. 6

CAPUT III.

Corollaria ex ſuperiori Doctrina, quibus ſubſtantia Orationis Mentalis & partes ejus magis declarantur.

1 Colligitur primò. Ad Meditationem neceſſarios eſſe actus intellectûs, ut conſtat de actibus Fidei. Eadem verò juvatur dono Scientiæ, Sapientiæ, Conſilii & Prudentiæ infuſæ; nam Meditatio verſatur circa merè Divina, ac veritates univerſales, & ad particularia (ut ſæpe neceſſarium eſt) deſcendit. Ad intellectum pertinet locutio omnis, ſive fiat laudando, ſive petendo &c. Ad voluntatem verò pertinent affectus, qui eſſe poſſunt virtutum omnium, quamvis omnium dux & auriga ſit Religio, quæ omnes alias vocat, vel ad perfectè humiliandam Deo animam, vel ad reverenter ei loquendum, vel ut anima ei uniatur.

2 Coll. 2. Quomodo ad Mentalem accomodentur, quæ numerantur 1. Tim. 2. *Obſecrationes*, *Orationes*, *Poſtulationes*, & *Gratiarum actiones.* Tria enim attendi debent, quis, quem, & pro quo Beneficio oret: ergo rectè inchoatur Oratio à recognitione propriæ miſeriæ & indigentiæ, quæ ſi vehemens ſit & quaſi importuna, rectè dicitur *Obſecratio.* Inde autem ſequitur *Oratio*, ſeu aſcenſus ad Deum per recognitionem Bonitatis, Omnipotentiæ &c. ſemper tacitè vel expreſsè jungendo petitionem in generali, ut noſtri miſereatur. Poſt hoc ſequitur *Poſtulatio*, ſeu deſiderium & petitio Beneficii in particulari; ſicque jungitur *Gratiarum actio*, quæ diſponit ad novum Beneficium, & ideo ſejungi non debet. Col. 4.

Igitur dicti actus habent ſe, ut 3
quatuor partes, quaſi complentes integrum officium orandi: nam optimè conjunguntur ad conficiendam Orationem efficacem; eſto nec neceſſitas, nec obligatio ſit ſemper omnes conjungendi, poſſitque major devotio eſſe in continuatione unius actûs, quàm in affectanda multiplicatione. Quod verò Gabr. vult, infinitam eſſe varietatem Orationis, procedit de accidentali & quaſi materiali; nam formaliter & eſſentialiter tota varietas reducitur ad actus enumeratos.

CAPUT IV.

An dicta Oratio cadat ſub præceptum, & ad quos pertineat?

1 Primò. Præter præceptum orandi, de quo Libro ſuperiore, nullum eſt ſpeciale Divinum vel Naturale, quod per ſe obliget ad recogitationem circa ſalutem Animæ (ut aliqui feruntur docuiſſe, allegando Jer. 12.) ſed ſolùm quantùm ad alia præcepta ſervanda, quando eorum obligatio in particulari occurrit, neceſſarium eſt de illis cogitare. Suppono, dictam Orationem non cadere ſub præceptum Eccleſiaſticum, quamvis ſub voto eſſe poſſit, ſive abſoluto, ſive conditionato, ſi Prælatus præcipiat. Tutius tamen eſt, id relinqui ſub directione Regulæ; quia in actu interno difficile eſt diſcernere diſtractionem, otioſitatem, dormitionem &c. voluntariam ab involuntaria.

2 Pars poſterior concluſionis conſtat, quando neceſſe eſt conteri, confiteri, Deum diligere &c. Neceſſe enim eſt, recogitare peccata, & rationem ſupremam ea deteſtandi, & Deum diligendi. Similiter urgente tentatione, præter petitionem auxilii, per ſe neceſſaria eſt conſideratio aliqua, quæ Fidem excitet vel confirmet, ut & Oratio meliùs fiat, & homo ſémet juvet cooperando quantùm in ſe eſt, Gratiæ jam receptæ.

3 Pars prior Concluſionis ita certa eſt, ut contrarium ſine temeritate doceri nequeat. Nam eſt contra communem uſum & ſenſum Eccleſiæ, ſtante notorietate de non uſu dictæ Orationis, de quo nec ſe accuſant Fideles, nec reprehenduntur aut interrogantur à Confeſſariis doctis & piis, nec per Prælatos aut Concionatores prudenter monentur de culpa. Dein nec Scriptura, nec Patres, nec Theologi rem tradunt ut præceptam. Nec Meditatio, ut diſtincta ab Oratione Vocali, auditione Miſſæ, Concionis &c. Lectione, conſultatione de re ſalutis, eſt medium per ſe neceſſarium: ſi autem occaſio vel neceſſitas urget in particulari, ſat eſt, uti mediis externis iiſque, quæ dicta ſunt.

Secundò. Vi Juris Divini non 4
tenentur Fideles certum tempus impendere Meditationi. Nam nec in præcepto Orationis determinatio aliqua eſt horæ vel temporis, quo durare debeat: ergo quod dicitur ſub peccato mortali quotidie horam impendi debere Meditationi, multò magis convincitur eſſe alienum à ſana Doctrina. Sine fundamento ergo perturbantur conſcientiæ, & illaqueantur, cùm impoſſibile ſit, majorem partem, ſi ita perſuaſa ſit, ſervare quotidie præceptum; aperitúrque via ad ſuperſtitiones & fingenda

da præcepta pro uniuſcujuſque arbitrio.

5 Tertiò. Vi Statûs & Juris Divini nec Clerici, nec Regulares obligantur ad dictam Orationem. Nam ſtatus Regularis ex natura rei non confert ſpecialia præcepta, præter contenta formaliter vel virtute in votis. Et licèt Regularis ex præcepto teneretur tendere ad Perfectionem, non tamen per omnia media, nec per alia determinatè niſi quæ quis vovit, aut connexa cum eis, aut per Prælatum impoſita. Igitur Bonav. & alii, qui videntur opponi, intelligendi ſunt de neceſſitate medii ad finem ſtatûs, qui eſt fervor, ſuavitas &c.

6 Quartò. Uſus Meditationis in aliquo ejus gradu & modo omnibus conſulendus eſt, maximè Religioſis & Eccleſiaſticis. Sequitur ex dictis c. 1. Nam quidquid dicat Nav. quamvis inconſtanter, Mentalis utilior eſt Oratione Vocali. Quia ipſa ceſſatio reddit magis attentum, & affectum magis intendit. Rurſus Mentalis ordinariè eſt laborioſior corpori, elevando hominem ſupra ſe: illuminat eundem in rebus Salutis, & præparat ad vincendas tentationes &c. Hi autem fructus ad omnes pertinent; ergo medium eſt commune omni ſtatui, ſicut opera Miſericordiæ, frequens uſus Sacramentorum &c. Sicut enim Fides eſt communis omnibus, ita & conſideratio rerum Fidei, & ſicut illa eſt fundamentum & quaſi radix Juſtitiæ, ita hæc magnum adjumentum eſt ad conſervandam & augendam Juſtitiam, tanquam quid moraliter neceſſarium ad puritatem animi.

CAPUT V.

Quomodo circumſtantiæ morales in uſu dictæ Orationis communiter obſervandæ ſint?

1 Primò. Indifferenter omnibus convenire dictam Orationē, ſumendum eſt ex circumſtantiis ejus. Nam primò quantùm ad *Quis*, ſi homo ratione & Fide præditus eſt, eo ipſo capax eſt dictæ Orationis in aliquo gradu. Et peccator quidem maximè eget conſideratione ſui periculi, Divinæ Bonitatis &c. & Gratia conſiderationem, quam inſpirat, promovet, ſi homo cooperari velit. Vel ergo eſt in ſtatu habituali, vel in actuali aut virtuali propter complacentiam peccati? Si 1mum, utique Deo reverenter loqui poteſt, & uti dicto remedio. Si 2dum, fructuosè & practicè applicare ſe nequit; tamen non ſemper eſt in actuali peccato: ergo poteſt & debet ad ſe redire, ut in priori ſtatu.

Secundò. Quoad *Quando*, ſi 2
ſermo eſt de Oratione diſcreta ſeu

Jacu-

Jaculatoriâ, poteſt hæc miſceri cum qualibet actione. Nec enim ulla occupatio (moraliter loquendo) tam vehemens eſt, quin permittat hos receſſus mentis ad aliquid altiùs amandum, conſiderandum breviſſimè, petendam Gratiam, referendum in Deum, quod agitur. Nec etiam ullus eſt tam ineptus, qui ad hoc non poſſit facilè inſtrui & induci, ſi velit: multíque de plebe, ſi frequentiùs prædicaretur, ferrent fructum. Frequens enim Dei memoria & continet animum in officio, & juvat ad bene operandum, præſertim junctâ petitione Gratiæ; & ideo dictus uſus commendatur ab Aug. Chryſ. Caſſian. ſed ordinariè deeſt inſtructio & admonitio. Supponitur autem animus bene affectus ad ſpiritualia (aliàs res non durat) & uſus quietæ Orationis, ex qua remaneant Reliquiæ ignis ardentis.

3 Continua Oratio habere nequit determinatum tempus pro omnibus, quanquam vita tam actuoſa eſſe nequeat, quin relinquat ſpatium orandi. Matutinum autem tempus conſtat ex Pſalmis, Sap. 16. Eccli. 39. Prov. 8. quia tunc omnia referri debent in Deum; & corpus eſt optimè diſpoſitum: poſt diſtractiones verò alias, niſi ſtatus obliget, aut per efficax propoſitum ſuperetur difficultas, vix reperitur tempus; & ideo optimum eſt prævenire, ut ferè omnes poſſunt, ſi vitam ordinent, vitando actiones inutiles, implicationem nimiam in negotiis, & ſequendo ſobrietatem &c. Sic enim ipſe uſus perſeverans, ſuperatis in principio difficultatibus & evagationibus, lucratur ſibi tempus. Denique pro tempore nocturno Examen eſt; quod familiare eſſe debet deditis dictæ Orationi.

Tertiò. Quoad *Ubi*, Oratio Ja- 4
culatoria ubique ſanctè fit. 1. Tim. 2. ſicut ſemper & ubique optimè reveremur Deum, & Gratias agimus, juxta Præfationem Eccleſiæ. Nam quidquid ſit de Vocali, hæc Oratio eſt ſpiritualis, & ita non pendet à conditione loci. Hunc verò ſolitarium de ſe poſcit Oratio quieta, propter impedimenta removenda, juxta exemplum Chriſti. Marc. 6. Luc. 21. & aliorum. Gen. 24. & 26. Act. 10. Job. 7. Judith 8. & 9. & facit Matthæi 6. Quòd ſi electio hæc non ſit, majus incommodum eſt privari Oratione, quàm pati loci incommoditatem: fiat ergo, non obſtante ſtrepitu, quod poteſt, intrando cubiculum cordis, & præferendo Eccleſiam loco alteri publico.

Quartò. Quoad *Cur* ſuppono, 5
non quæri effectus tantùm communes cum Oratione vocali, ut impetrationem &c. ſed acquiſitionem vel exercitium virtutum, maximè Dilectionis DEI & Compunctionis. Non eſt ergo ſiſtendum in fine generali, ut cultu Dei, profectu ſpirituali &c. ſed quæri debet peculiaris fructus ſpiritualis, & ſcopus determinatus, cui reliquæ circumſtantiæ & conditiones accommodentur, caven-

cavendo duo extrema. Unum eſt, ne homo omnino in incertum tendat, ſed ad peculiare quid, ut compunctionem, imitationem Chriſti, deſiderium & propoſitum efficax certæ virtutis, intelligentiam affectivam practicæ veritatis &c. aliàs vel agitatur peregrinis cogitationibus, vel quaſi caſu incidit in hunc illúmve motum cum parvo vel nullo fructu. Alterum eſt, ne motioni, quæ nil minùs cogitanti injicitur à Spiritu S. reſiſtatur, probando tamen ſpiritum &c.

6 Quintò. Quoad *Quid* vel *circa Quid*, conſtat, materiam determinandam eſſe ex ſcopo. Nam dicta Oratio eſt quaſi lumen oſtendens viam veritatis, & practicè inducens ad eam ſequendam: ergo juxta terminum intentum applicari illa debet ad materiam, in qua ſunt veritates ad dictum terminum ducentes. Materia autem multiplex eſt, nam alia amorem, alia timorem, alia gaudium excitant &c. ergo pro ratione ſcopi & diſpoſitione orantis deligi debet.

7 Sextò. Quoad *Quomodo*, dictum eſt ſuprà de conditionibus debitis, ut Oratio fiat *humiliter*, *fidenter*, *purè*, & *inſtanter*, juxta Bonav. Quæ verò Myſtici tractant, non poſcunt diſputationem: duóque ſolùm quæruntur, an diſtrahi culpa ſit, & an certo habitu corporis opus ſit? Ad prius ℟. non agi de Oratione diſcreta, quæ prudens eſt & rationabilis. Interruptio autem quietæ vel fit ex perfecta conſideratione & rationabili cauſa, vel ex levitate animi & negligentia? Si 1mum, culpa quidem non eſt, ſed regulariter impeditur fructus, quem dæmon ſtudioſè ſic intercidit. Si 2dum, utique irreverentia eſt, ex una parte ſe gerere quaſi in habitu orandi; & ex altera leviter diverti, rursúmque reverti ad ſermocinandum cum Deo, ut conſtat in Oratione vocali. Sufficiens autem & hîc continuitas eſt, ſpectando & intentionem, quâ Oratio cœpit, & geſtum corporis, quo fit; ſícque timorati omnes ſe accuſant de diſtractione voluntariâ.

Ut autem diſtractio involuntaria ſit, requiritur. 1. Intentio attendendi, eáque continua ſaltem non retractando directè. 2. Pugna perſeverans contra impertinentia; aliàs nec fertur fructus, nec perſeverat dicta intentio. 3. Ablatio occaſionis moralis ad cogitationes; quod frequenter Conſilii eſt, aliquando autem præcepti, ut cùm quis omnino imparatus accedit ad orandum. 8

Ad 2dum ℟. geſtum ſervandum eſſe, qui reverentiam, ſubjectionem & humilitatem ſignificet; nam ut corpus, ita animus componitur & humiliatur; docétque exemplum Chriſti Luc. 22. Matt. 26. Marc. 14. & Sanctorum. Act. 7. 9. 20. Dan. 6. & 3. Reg. 8. & uſus Eccleſiæ perpetuâ Traditione receptus flectendi genua; idémque eſt de elevatione vel extenſione manuûm, nudatione capitis &c. Vel ergo brevis Oratio 9

tio eſt, vel longâ & privata, vel publica? Si 1mum, quævis poſitio facit, eſto interdum aſſumi poſſit magis humilians & corpus affligens. Si 2dum, ſtatio vel genuflexio potiùs adhibenda eſt, niſi quid obſtet: tunc enim Oratio relinquenda non eſt, ut conſtat ex Scriptura, & uſu quotidiano. Si 3tium, vitanda eſt admiratio, occaſio murmurationis &c. & in templo, cùm occultè oratur, præſtat communi poſitione uti, cum magno merito Orationis & humilitatis. Denique quod ad cujusque devotionem & quietem magis facit, rectè eligitur, quia ſolùm generaliter præcipitur, ut Deo humiliter loquamur.

Septimò. Quoad *Quibus auxiliis*, conſtat Divinum eſſe primum ad opus adeò ſupernaturale; & ideo per humilitatem, puritatem, & ipſámmet Orationem impetrandum. Alia ergo auxilia vel ſunt intrinſeca operanti, vel extrinſeca: & hæc etiam doctis & provectis neceſſaria ſunt, quia niſi alieno Magiſterio juventur, facilè decipi poſſunt, & in ſuperbiam efferri. Prioris generis ſunt uſus potentiarum, & ipſius corporis, ut cooperetur ferendo tædium; iteratio affectuûm, innocentia vitæ, ſancta opera, & temperantia cumprimis neceſſaria ad opera mentis.

CAPUT VI.

Quid ſit Devotio: quídve hac voce ſignificetur?

1 Primò. Devotio ſumitur pro peculiari propenſione ad Deum & Divina. Ita uſus Eccleſiaſticus, & Theologicus, quidquid ſit de Latino. Nam ut dixi c. 2. eſt *pius & humilis affectus in Deum*; & ideo pertinet ad voluntatem, dicítque peculiare propoſitum. Nec refert, c. *Dolentes*, de Celeb. Miſſ. particulam *Devotè* & *attentè*, pro eodem ſumi juxta omnes. Nam uſus vocis varius eſt, & aliquando intelligitur Oratio Mentalis; & in rigore præcepti magis neceſſaria eſt voluntas attendendi, quàm attentio, quæ libera eſſe debet: ſícque cauſaliter intelligitur Oratio eſſe Devotio, quia ex affectu ad Deum ſequitur attentio, Oratio &c.

Secundò. Devotio non conſiſtit 2
in habitu, nec in modo actuûm, qui ſit promptitudo & ſuavitas in agendo. Nam modus talis, quem Cajet. ponit, eſt quid imperceptibile, ut latè dictum eſt D. 44. Metaph. nec habitus, per ſe loquendo, dat promptitudinem niſi augendo virtutem agendi, & ſimul cum potentia influendo in ſubſtantiam actûs: *per ſe*, inquam, quia remotio impedimenti vel diſpoſitio corporis per accidens facit ad promptitudi-

tudinem. Porrò actus Devotionis poteſt eſſe ſine habitu, ut in actu Pauli (*Domine, quid me vis facere*) contritione, actu cujusvis virtutis. Dicitur enim talis, quia ex natura ſua, & vi ſui objecti eſt talis: ut juſtè, temperatè, Religiosè &c. agere dicit actum circa medium virtutis in tali materia.

3 Tertiò. Devotio ſubſtantialis conſiſtit in pio affectu voluntatis, quo quis ſe aliquo modo (non promittendo, ſed volendo & proponendo) devovet Divino obſequio, ut univerſam materiam Religionis amplectitur, & non deſcendit ad particularia. Nam poſſibilis eſt actus, quo quis ita ſe dicet ſervitio alterius; & oblatio ſic voluntariè facta ad Deum, rectè dicitur *Devotio*: éſtque formaliter actus voluntatis, à quo homo denominatur *Devotus*, Deo dicatus, & quaſi perſona oblata in ejus obſequium. Reliqua verò, ut Genuflexio, Laus Dei &c. quatenus à dicto affectu imperantur, potiùs ſunt actiones Deo dicatæ ſeu devotæ, quàm Devotiones, quamvis cauſaliter ita vocentur.

Non refert autem, abeſſe à dicto actu ſuavitatem; nam optima Devotio eſt, ferri in ardua & difficilia: ſicut Fortis promptè ſuffert, & Caſtus tentationi reſiſtit, quamvis ſine ſuavitate, quæ in poteſtate hominis non eſt; ut nec promptitudo accidentalis ex ablatione impedimentorum vel diſpoſitione corporis ſequens. At Devotio ſubſtantialis quam dixi, ſeu deliberationis, licèt cum difficultate elicita dat promptitudinem exequendi media ſeu obſequia particularia, ad quæ ſe habet ut intentio efficax. Nam quamdiu voluntas in neutram partem deliberat vel afficitur, non eſt prompta ad exequendum &c. ſecùs poſtquam decrevit ſéque offert ad aliquod munus, prompta eſt vi dicti actûs, ſaltem virtute durantis &c. Hinc patet, *velle* & *promptè velle* diſtingui, ut voluntatem executivam & intentionem efficacem: ſuavitas autem conſequens, eſt accidentalis, & potiùs paſſio quàm actus liber. 4

CAPUT VII.

Sitne Devotio ſemper actus Religionis, & quomodo comparetur ad alios actus?

1 Primò. Devotio ſpeciali modo appropriatur Religioni. Nam poteſt eſſe actus Religionis, ſi in hujus materiam ſub ratione Divini cultûs tendat; imò eoipſo eſt actus Religionis, ſicut in aliis virtutibus non refert, án affectus ſit generalis, an particularis, ut Volo temperatè, juſtè

ſtè &c. agere. Propriè autem Devotio dicitur ad alterum, ut patet ex notione verbi *voveo, devoveo* &c. & inductione, cùm quis dicitur Devotus Deo, Virgini, Homini; & ita Theologi per antonomaſiam dicunt, Devotionem eſſe *pium affectum ad Deum*; quod tamen commune eſt Fidei, Spei, Charitati.

2 Altera ergo proprietas Devotionis eſt, quòd formaliter reſpiciat obſequium Dei, ut tale. Sic enim diſtinguitur à Fide, Spe, & Charitate; quia hæc reſpicit ſimpliciter Bonitatem Dei & unionem ratione illius, citra reſpectum ſubmiſſionis ad alterum ut Excellentem, quod proprium eſt Devotionis ſtrictè ſumptæ. Charitas tamen ſine dubio dici poteſt Devotio perfectiſſima; cùm inde maximè ſequatur ſuavitas attendi ſolita in Devoto.

3 Secundò. Quantùm ad uſum loquendi, Devotio etiam aliis virtutibus & actibus tribuitur. De Charitate dictum eſt. Idem eſt de Obedientia, quatenus potiſſimus famulatus eſt implere voluntatem Domini. Similiter per generalem voluntatem ſtudioſè agendi devovet quis ſe virtuti; ſicque ſtat Devotio, quin ſit actus Religionis. Rurſus eadem vox tribuitur actibus particularibus Religionis, ut affectui orandi, agendi familiariter cum Deo, & maximè affectui diuturnæ Orationis Mentalis; nam eſt fons totius Devotionis, & omnis ſtudioſi affectûs erga Deum. Idémque eſt de voluntate efficaci ſtatûs Religioſi, ſuíque traditione; nam per hanc homo totum ſe Deo devovet.

Tertiò, Devotio antonomaſticè ſumpta conſiſtit in generali propoſito Divini cultûs. Nam connatura i origine talis actus poſt conſideratam Dei excellentiam, ſequitur primus in exercitio Religionis: comparatúrque ut intentio ad actus particulares ut media. Licèt enim propriè talia non ſint, ſed objecta particularia contenta ſub generali: ſervant tamen eandem proportionem, quia generalis affectus non prodit in actum externum alterius potentiæ, niſi mediante affectu particulari, quo intellectus applicatur ad meditandum &c. Cùm enim actiones ſint circa particularia, voluntas non movet aliam potentiam, niſi per actum particularem ex parte materiæ. Quia verò affectus generalis nihil excipit, ſed totum hominem devovet Deo, complectendo omnia, quæ ad ejus cultum pertinent; facilè ſequitur motio ad particularia. 4

CAPUT

CAPUT VIII.

Quas cauſas vel effectus habeat Devotio, & univerſim Oratio Mentalis?

1 Primò. Cauſa Devotionis indeliberatæ, ſeu antecedentis omnem actionem liberam, eſt ſolus Spiritus Sanctus. Conſtat ex materia de Gratia; quia ſicut Deus immittit timorem &c. ita etiam ſuavem & delectabilem affectum, ſaltem imperfectum erga Divina: ergo ſi vel generaliter eſt ad Dei cultum, vel ſpecialiter ad meditandum &c. rectè dicitur Devotio, & ſi efficaciter inclinat, Gratia Devotionis. Sicut autem initium Fidei eſt à ſolo Deo, ita hîc cogitatio ſancta, quam neceſſitate naturali ſequitur dicta devotio, operante Spiritu ſancto. Formaliter enim ſermo eſt de ea, & neceſſariò prærequiſitis; quia cùm non ſit initium totius ſalutis, ſtat illam fundari in diſpoſitione & merito hominis, & ideo regulariter tribui fideliter ſervienti & utenti gratiis prioribus.

2 Secundò. Devotionis deliberatæ ſeu ſubſtantialis cauſa principalis eſt Spiritus Sanctus, ſive pertrahat per dictam Gratiam Devotionis, ſive per timorem, ſpem &c. Non enim idem ſemper initium neceſſarium eſt, nec ſolum ſufficit, niſi homo cooperetur. Neceſſaria autem eſt pia cogitatio, quæ eſſe debet à Gratia excitante, & ab agente extrinſeco; quamvis ſæpe pendeat à priore diligentia noſtrâ, ſicut de Gratia Devotionis dictũ eſt. Et ſpirituales viri variis modis curant præparare animam ſuam Eccli. 18. tum per externa objecta, quæ in ſignum ſint memoriæ Dei; tum ſtatuendo certa tempora diei, quæ moneant, ut ad pulſum horæ; tum curando, ut prima & ultima cogitatio diei ſit de orando.

Poſitâ ergo dictâ cogitatione, ſequitur motus voluntatis in principio indeliberatus; & hunc ſubſequi debet voluntas deliberata & efficax circa Deum, ejus cultum, vel Orationem ipſam; aliàs non ſit grogreſſus in negotio, quod humanum & voluntarium eſſe debet. Voluntate autem illâ efficaci applicatur intellectus ad Meditationem (utpote fontem omnium affectuûm) ſeu quamlibet conſiderationem proportionatam oranti. Eadémque voluntas meditandi jam eſt actus Devotionis particularis deliberatæ, excitátque, applicato ſic intellectu, *majorẽ devotionem* juxta Gregor. ſeu alios actus Devotionis, ſive generales ſive particulares, ſive Charitatis ſive alterius virtutis, juxta qualitatem materiæ propoſitæ, diſpoſitionem orantis &c. 3

4 Tertiò. Ex dicta Devotione ſubſtantiali ejúsque effectibus variis, naſcitur quaſi connaturaliter Devotio accidentalis ſeu ſuavitas. Ita pſ. 118. *Memor fui Dei, & delectatus ſum*; ubi Ambros. *Hæc qui novit retinere, habet, unde Gratiam ſuæ conſolationis acquirat; econtra qui non novit, non habet, unde conſoletur.* Idémque applicari poteſt extra hanc materiam; nam ad omnem rectam affectionem præcedit ſancta cogitatio, & ad omnem operationem honeſtam conſequitur delectatio; quanquam potiſſimùm hæc attendantur in meditatione, cujus pinguedo rectè dicitur Devotio. Comparatur enim ad illam ut cauſa, ut pars, ut proprietas (quatenus illam faciliorem reddit) & ut effectus: & licèt materia meditationis latiſſima ſit, ad Devotionem excitandam juvat primariò, quæ ad Deum pertinet, ut Beneficia, certitudo Protectionis & Providentiæ circa cultores Dei, æſtimatio bonitatis ejus; ſecundariò verò conſideratio propriæ humilitatis & ſubjectionis debitæ ad Deum.

Porrò. Delectatio vel eſt de ſola cogitatione, vel de bonis ipſius rei cogitatæ, vel ſequitur ex efficaci affectu operandi concepto ex tali cogitatione? Si 1mum, idem reperitur in qualibet arte & ſcientia: vera autem Devotio eſt operativa. Si 2dum, ſpectat ad Charitatem, ſi ſit de bonis Dei: ſin de noſtris, & Beneficiis, utilis eſſe poteſt ad augendam Spem; & eatenus participat rationem Devotionis. Si 3tium, erit propria Devotio & Religioſa, utpote dicta à devovendo ſe in obſequium. Sicut enim amor Dei alius eſt affectivus ſeu objectivus tantùm, alius obedientialis: ita hîc Devotio ſubſtantialis cum ſua lætitia eſt tutior, quàm merè objectiva, quacum ſæpe miſcentur illuſiones; & ita multi ſentiunt ſuavitatem objectivam, quin proficiant, quia parùm ſolliciti de operativa. 5

CAPUT IX.

Quid Contemplatio ſit; & quomodo ad Mentalem Orationem comparetur?

1 Primò. Vox *Contemplatio* latè & ſtrictè ſumitur. Priori modo quælibet conſideratio, quæ tendit ad veritatis cognitionem & in hac ſiſtit, dicitur Contemplatio. 2. Metaph. tex. 3. *Finis Contemplationis eſt veritas*, utique cognita. Quia verò in ſpeculando inquiſitio & meditatio eſt quaſi via; ipſa autem cognitio & intuitio inventæ veritatis ſe habet ut terminus: Contemplatio ſtrictè & per antonomaſiam

nomaſiâ ſumitur pro ipſa intuitione & attentâ conſideratione veritatis, non per modum inquiſitionis, ſed quaſi aſpectu veritatis inventæ. Et in hunc modum clara eſt differentia Contemplationis à *Lectione, Meditatione, & Oratione*, de qua diviſione ſuprà c. 2.

2 Secundò. Contemplatio Theologicè ſumpta, differt à communi & Philoſophicâ. Nam per ſe primò verſatur circa Deum, & ſecundariò circa Divina opera vel effectus, ut ad Dei cognitionem conferunt. Quia enim Beatitudo eſt hujus vitæ; oportet etiam opera, ut ad Deum ducunt, contemplari pro capacitate noſtrâ, non utique ſiſtendo in illis; nam aliàs eſſet ſpeculatio tantùm: quia licèt voluntas ſit utendi eâ poſtea ad Dei Gloriam, propria tamen contemplatio non eſt, eſto pertineat ad vitam contemplativam. Præterea debet eſſe operativa, quia non ſiſtit in Deo ut intelligibili, ſed ut eſt dignus Gloriâ, honore &c. aliàs non eſt Oratio Mentalis, nec ordinatur ad veram ſanctitatem ſeu unionem cum Deo.

Tertiò. Ad Contemplationem neceſſarius eſt actus antecedens, & ſubſequens voluntatis. Nam cùm ſit actus pius, ergo & deliberatus eſſe debet, & procedere ex affectu ad Deum vel Divinum cultum; ſive ſit Religionis, ſive proprii commodi, ſive Charitatis, cujus proprium eſt uniri amico, & ei colloqui. Rurſus ex Contemplatione excitatur & creſcit Charitas; imò in re nullus novus actus voluntatis additur, præter dictos de actibus Devotionis, ſed ſolùm major perfectio accidentalis, ſive in intenſione Devotionis, ſive in animi quiete majori. Nec in intellectu ultra actus in Meditatione poſitos additur niſi intuitio ſimplex; ſicque levis controverſia eſt an Contemplationis ſubſtantia in actu intellectûs, an voluntatis conſiſtat. Conſtat enim utrumque eſſe neceſſarium; hunc quidem, quia aliàs eſſet ſtudium tantùm; illum verò, quia amor ſine cognitione eſſe nequit. 3

CAPUT X.

Qualis ſit proprius actus Contemplationis, & quantùm in eo durari poſſit?

1 Primò. Contemplatio ſemper ſupponit diſcurſum, ſive per ſe & ut propriam ac per ſe cauſam ſimplicis intuitionis, ſive per accidens tantùm ad applicandum & explicandum objectum, in quo talis veritas intuenda eſt. Nam ſupponit Fidem tanquam actus ſupernaturalis,

lis, cùm altior cognitio ſupernaturalium, ſecluſo privilegio, non detur: hæc verò non utitur diſcurſu (quia ſimpliciter credimus, quia Deus revelavit) ſed tamen eum ſupponit, ut veritas appareat ſufficienter credibilis. Quod humano modo ſine diſcurſu non fit, ſive is præceſſerit, ſive in virtute ejus propoſitis terminis ſtatim appareat veritas ut credenda, ſive proximè in actu contemplandi habeatur tanquam exercitio & uſu Fidei; ſæpius verò fit de veritate ſcientificè deductâ.

2 Secundò. Contemplatio eſt actus vel elicitus Fidei, vel Theologicus & quaſi ſcientificus. Nam debet eſſe cum perfecta adhæſione ad veritatem contemplatam per aſſenſum firmum & in Revelatione fundatũ, ut non poſſit ſubeſſe error; ergo non eſt per modũm ſimplicis apprehenſionis. Quia aliàs nec eſſet actus verus nec falſus, nec afferret delectationem; & ideò etiam viſio Dei eſt eminentiſſimè ſimul judicativa & apprehenſiva. Adhuc enim ſtat actum eſſe ſimplicem, ut patet in concluſione & actu ſcientiæ, qui fit ſine actuali diſcurſu ex habitu, ſi veritas repræſentetur ut manifeſtata per tale medium; cujus repræſentatione ſuppoſitâ, ſequitur judicium ſimplex, includens habitudinem ad dictum medium.

3 Unde deſerviunt dona Intellectûs, Scientiæ & Sapientiæ. Intellectûs quidem, ut res altiori modo concipitur, quàm ſolo diſcurſu vel naturali apprehenſione poſſit: ſicque intellectus magis firmatur, quia magis rapitur in admirationem, & veritas apparet magis Divina, majorque voluptas percipitur. Huc facit repræſentatio rerum ſimilium, exemplorum, vel diſſimilium, ut per horum abnegationem res concipiatur. Reliqua dona cooperantur, non quidem veritatem directè aut propriè in ſuo eſſe demonſtrando (eſſet enim intuitio tantùm ſpeculativa) ſed in ratione credibilis, amabilis &c. quia ad praxin, & ad voluntatem excitandam tendere debet cognitio: quod Scientia præſtat per rationes inferiores, & Sapientia per ſuperiores, præſertim per quandam connaturalitatem ad res Divinas, quam efficit Charitas; & inde manat ſapor, â quo Sapientia denominatur.

Tertiò. In ſimplici intuitu durari nequit, niſi mens circa veritatem 4
inventam negotietur. Patet in contemplatione naturali; nam mens per intuitionem ſtatim percipit veritatem, quæ cùm imperfecta ſit, non ſatiat, ſed novum quid appetitur. Sicque opus eſt deducere alias veritates, vel deductionem inventæ ampliùs conſiderare, novis exemplis, ſimilitudinibus &c. confirmare; aliàs nec per tempus breviſſimum ſine novo diſcurſu vel mutatione operantis durari poteſt, ut experientiâ conſtat.

Idem

5 Idem autem eſt de ſupernaturali intuitu, loquendo de modo ordinario & naturæ accommodato. Nam quia imperfectus eſt, appetitur melior, & ideò etiam in voluntate variatio eſſe debet actuûm, ut per propoſitum novæ vitæ, gaudium de Bono Dei vel ut nobis communicato, deſiderium, admirationem Divinæ Majeſtatis &c. ſicque variatis actibus circa idem objectum, intuitio poteſt eſſe fixa. Secùs verò vix percipitur operatio, nec etiam delectat: Gratia enim ſe accommodat naturæ; quamvis Deo nihil impoſſibile ſit, de quo qui plus experitur, loquetur.

CAPUT XI.

An Contemplatio ſit propria Perfectorum; ubi de triplici via & ſtatu

1 Via *Purgativa* incipit, cùm quis decrevit ſe præparare ad Juſtitiam; & durat, quamdiu paſſiones non ſunt ita moderatæ, quin opus ſit acri pugnâ contra tentationes ad mortale incitantes. *Illuminativa* incipit, cùm facilè vitantur mortalia, ſed difficulter venialia, & frequenter committuntur. Quia & temporalia multùm delectant, & mens phantaſmatis, ac cor multis deſideriis facilè agitatur; ſicque vel toto vel majori vitæ tempore ordinariè durat ea Via. Denique ſtatus Perfectorum ſeu via *Unitiva* incipit, cùm mens in pace eſt absque variis deſideriis, nec paſſionibus ordinariè pulſata, ſed tota in Deum principaliter intenta, & aut ſemper aut frequenter attenta. Perfectio enim conſiſtit in jugi Dei memoria, & diminutione venialium.

2 Primò. Non ita condiſtinguuntur dicti ſtatus, ut alter de altero non participet, ſed ab eo quod prædominatur, nomen & rationem habent. Nam ſemper poteſt & debet quis proficere; & oppoſitum eſt Hæreſis, Clem. *Ad noſtrum*, de Hæret. Et ſi Paulus timere debuit, ne Reprobus fieret. 1. Cor. 9. quis majorem Perfectionem ſibi promittet? Imò fit, ut Perfecti gravioribus tentationibus vexentur ad elationem vitandam; & Incipientes ſuavitate fruantur, ut ad ſpem & perſeverantiam animentur. Regulariter tamen & vi ſtatûs, ſervatur quod dictum eſt.

Secundò. Etiam in Oratione mentali cum proportione diſtinguuntur dictæ tres viæ. Patet diſtinctio ex fine proximo cujusque. Nam Purgativa per ſe primò tendit ad Juſtificationẽ, ſatisfactionem pro præteritis, præſervationem à futuris: Illuminativa ad profectum virtutum, moderationem paſſionum etiam in levioribus, & facilitatem in virtutibus Moralibus. Unitiva autem præcipuè occupatur in Unione ad Deum 3

per amorem in actuali ejus exercitio.

4 Quia verò media proportionantur fini, etiam actus mentis & materia circa quam, differunt in triplici via. Ut primæ propria eſt compunctio, & conſequenter obfirmatio animi de Juſtitia conſervanda; & quia initium Juſtitiæ ſolet eſſe timor, Meditationes quæ timorem, confuſionem & dolorem excitant, dictæ viæ conveniunt. Secundæ proprius eſt uſus virtutem Moralium; & ideo Meditatio fit de illis, & de exemplis Chriſti & Sanctorum. Tertiæ proprium eſt occupari in affectibus Charitatis, & tranquillitate frui cum ſpirituali gaudio; ſupponit enim animum pacatum ptr Purgationem & Mortificationem paſſionum, & uſum virtutum. Unde opus non habet operoſis diſcurſibus, ſed ſimplici memoriâ Dei, Attributorum & Beneficiorum ejus cum majore vel minori ponderatione, quantum ſufficit ad actus amoris &c.

5 Tertiò. Ex toto non condiſtinguuntur dictæ tres viæ magis quàm dicti tres ſtatus. Nam Perfectio nunquam tanta eſt, quin propter admixtas imperfectiones & pericula egeat adminiculis viæ Purgativæ. Nec etiam imperfectio tanta eſt, quin admittat exercitium Charitatis, eóque ampliùs, quò plus quis profecit. Unitiva autem eatenus eſt propria Perfectorum, quatenus ab his non quaſi per occaſionem & tranſitum, ſed per ſe & quaſi ex habitu exercetur: id quod poſtulat dictum ſtatum pacatum & illuminatum.

Non tamen ſequitur intrinſecè & 6
ſemper, ſive ex occulto Dei Judicio, ſive ex diſpoſitione ſubjecti propter mentis tarditatem, vel nimiam naturæ inquietudinem & celerem mutabilitatem. Gratia enim ſe accommodat naturæ; nec ad id quod ſummum eſt in Oratione, omnes pertingunt, quia ratio habenda eſt naturalis complexionis & capacitatis, etiam in uſu Orationis.

Quartò. Contemplatio non eſt 7
ita propria Perfectorum, quin magna ex parte deguſtari poſſit etiam ab Imperfectis, imò & Incipientibus; ex Gratia quidem peculiari, ordinariâ tamen, ſi faciant quod in ſe eſt. Nam omnes frequenter exerceri debent in actibus Charitatis; quæ uti conſummatio, ita & fons eſt omnium bonorùm & initium perfectæ converſionis. Dein utique utile eſt, paulatim aſſuefieri ad perſiſtendum in amore cum aliqua quiete & tranquillitate. Similiter juvat ſuavitas devotionis, quæ non niſi ex amore vel ſubſtantiali Devotione provenit. Denique ex parte intellectûs optimum eſt, non ſemper eſſe in motu continuo, ſed paulatim quieſcere, veritatem aliquam exaggerando & admirando. Nam ea quies plurimùm juvat ad movendum

dum affectu n, eſtque inchoatio quædam Contemplationis; & tanto plus de hac participatur, quanto ampliùs illa perficitur.

CAPUT XII.

An Contemplatio vel Meditatio poſſit interdum eſſe ſine actu intellectûs & voluntatis?

1 Primò. Imperceptibilis eſt talis Contemplatio vel Oratio. Nam mutatio non orantis in orantem actu, eſt denominatio intrinſeca per formam inhærentem: hæc autem non poteſt eſſe ſolus habitus vel qualitas permanens, nec ſolæ potentiæ, ut patet in dormiente: ergo & ad inchoandam & ad conſervandam Orationem mentalẽ, opus eſt actu mentis; ſecùs ac ad vocalem, quæ ſine proprio & formali actu interno mentis eſſe poteſt & durare, quia ſufficit virtus relicta.

2 Dices, Mentalem conſervari in effectu primi actûs, quo inchoatur; quia ſi diſtractio eſt involuntaria, adhuc manet homo in eadem diſpoſitione. R. Licèt ſic duret Oratio ſecundùm moralem conſiderationem, non tamen formaliter & propriè, quia nec fit petitio, nec aſcenſus mentis in Deum: ſicut ceſſante motu, qui eſt cauſa caloris, ad ſummum dici poteſt, quòd motus maneat virtualiter in calore, at non formaliter. Addo, dictam Orationem nec virtualiter nec moraliter manere, quia nec in effectu poſitivo, nec privativo. Non poſitivo, quia nec ſemper infunditur habitus vel qualitas, præter ſpeciem rememorativam, nec ſi infunditur, ad rem eſt actus primus. 3

Secundò. Allegari nequit effectus vel actus appetitûs ſenſitivi, qui duret etiam in diſtractio, propter ſuavitatem priorem, quæ adhuc percipiatur. Nam dictus actus probabiliùs in fieri & conſervari pendet ab actu ſuperioris partis; cùm inferior per ſe non ſit capax talis motûs, niſi ut à ſuperiore movetur. Dein neceſſe eſt intelligentem ſpeculari phantaſmata: ergo cùm mens diſtrahitur, ſecum illa diſtrahit ad alia, vel potiùs hanc illa diſtrahunt; ſicque ipſo facto ceſſat actus appetitûs. Nec allegatæ experientiæ credendum eſt, quia vel non fuit diſtractio omnimoda, ſi durat actus vitalis: vel ſi fuit, ſolùm manet diſpoſitio corporis & humorum, propter quam facilè redeatur ad priora, ſine propria delectatione vel triſtitiâ vitali, quæ de præſenti ſit. Et dato toto perimpoſſibile, actus talis non eſt Oratio niſi per denominationẽ à priore actu mentis, ſicque vacuum nomen eſt absque re quæ huc faciat.

Tertiò. Allegari nequit effectus merè privativus, in quo duret Meditatio. Nam ſolùm fingi poteſt 4

ceſſatio ab omni actu mentis : & eoipſo non eſt effectus Orationis, quam deſtruit. Dein ad quid confert talis duratio Orationis? Rurſus vel ea ceſſatio eſt involuntaria directè, vel indirectè voluntaria? Si 1mum, juxta omnes ceſſatur tunc ab orando; ſive naturaliter id fiat, quia tollitur ratio voluntarii; ſive cum culpa, cum qua non ſtat cultus Dei. Si 2dum, fingi nequit utilitas iſtius ſomni aut ratio cultûs. Præterquam quòd moraliter impoſſibile ſit ſic ſuſpendere mentem ad Deum, ſine tranſitu ad alium actum priori repugnantem; at tunc eſt diſtractio voluntaria.

5 Quartò. Allegari nequit reverentiale ſilentium hominis elevati ſupra ſe, ad quem tunc Deus loquatur, quaſi exſpectantem mendicum ante januam Divinæ miſericordiæ absque repetita petitione. Nam homo non elevatur, ut res inanimis citra cooperationem vitalem; aliàs vel eſt extra ſe, vel dormit, vel diſtrahitur ad alia, ſi actus circa Deum ceſſat. Locutio autem Dei ad hominem incipit per infuſionem vel motionem aut applicationem ſpecierum, & terminatur ad actum, quo anima illuminatur, excitatur &c. E converſo dicitur locutio hominis ad Deum (utique ſimiliter à Deo inchoata) quando Deus non tam movet ad intelligendum quàm ad operandum, ut homo correſpondeat Gratiæ, & ſuum affectum exprimat. Denique dicitur homo tacere, non utique otiando, ſed per ſimplicem intuitionem, recognoſcendo Divinam Majeſtatem, Potentiam, Bonitatem &c. ac propriam indigentiam; quod vix fit ſine aliquo deſiderio, quod plus eſt quàm virtualis petitio. Atque in hunc modum facilis eſt intellectus Patrum & Doctorum Myſticorum.

Non enim negant actionem hominis aliquo modo propriam, ſed quæ à proprio ſpiritu profecta ſit, & quaſi à propria inquiſitione inchoata; ita ut actio potiùs paſſio ſit, quia ſpecialiſſimo auxilio Spiritûs ſancti data, & non per modum ordinarium operandi virtutibus accomodatum. Si enim excluditur omnis actio, ergo eoipſo etiam perfectio maxima, ut eſt veritas in terminis clara. Multò minùs adſtruunt dicti Doctores *ignorantiam* Dei, quæ ſit privationis, ſed docent, Deum meliùs cognoſci per negationem, removendo omnia attributa creaturæ, & ſiſtendo in conceptu entis univerſaliſſimo & valde confuſo, quòd neque ſit Angelus, nec homo &c. 6

CAPUT

CAPUT XIII.

An Oratio Mentalis eſſe poſſit in ſolo actu voluntatis ſine actu intellectûs?

1 Primò. Contradictionem implicat, appetitum vitalem elicere actum ſuum absque prævia cognitione proportionatâ. Ita communior Theologorum. Nam dependentia voluntatis in operando â ſuo objecto non tantùm ut à termino, ſed ut principio in ſuo ordine, eſt eſſentialis: sicque cognitio objecti (ſecùs ac approximatio agentis Phyſici) eſt conditio intima & vitalis & conſtituens objectum in eſſe neceſſario ad movendam voluntatem, ſcilicet in eſſe objectivo, ſeu ut apprehenſo vel cognito.

2 Nec refert, potentias diſtingui, & à Deo ſuppleri poſſe efficientiam. Nam intellectio non tam propter hanc requiritur quàm propter metaphoricam motionem finis, quæ eſt vitalis: & ideo licèt Deus ſit intimè præſens, non tamen in ratione objecti diligibilis, niſi cognoſcatur. Nec etiam omnis efficientia ſuppleri poteſt, quia aliqua eſſentialiter pendet à principio intrinſeco, & involvit cauſalitatem formalem: & ideo intellectio, licèt diſtincta ab intellectu, non reddit hunc intelligentē niſi ab eodem prod ct.. Secùs eſt de viſione obj cti in centro exiſtentis; nam ſolùm movet per efficientiam ſpecierum, quam Deus ſupplere poteſt.

Secundò. Eſto poſſet amor eſſe ſine prævia cognitione; tamen id non pertinet ad majorem perfectionem, ut in eo ſupremus gradus Theologiæ Myſticæ fundari poſſit. Conſtat inductione Amoris in patria, & in Chriſto Viatore, Virgine, Sanctis; quibus nemo attribuit privationem cognitionis. Imò ubi Scriptura meminit doni altiſſimi, explicat id per viſiones, ut in Paulo, Moyſe, Joanne. Dein quid obſtat in præſenti? an multitudo actuûm, an ſpeciale quid? Non 1mum, ut patet, quoties eſt ſubordinatio actuûm. Nam nec aſſenſus principiorum concluſionem, nec amor deſiderium, nec cauſa effectum impedit. Non 2dum, quia evidens eſt, quòd cognitio per ſe excitet amorem, non impediat; aliàs peti illa non poſſet. Rurſus nec libertatem, nec meritum amoris illa impedit; imò ſi abſit, neutrum ſtat, ut in puero; quia ſicut radicale dominium voluntatis radicatur in intellectu, ita actualis uſus ejus prærequirit actualem vim rationis; aliàs ruit definitio Liberi. 3

4 Senſus autem axiomatis, quòd amor intrat, ubi cognitio foris ſtat, non eſt, quòd voluntas feratur in incognitum, ſed quòd voluntas non curet, quomodo res in intellectu ſit, ſed in ipſam ſecundùm ſe feratur, cùm intellectus format actum juxta modum, quo rem intelligibilem in ſe habet. Aliquando ergo voluntas fertur in Deum ſub ratione particulari, ut Sapientiſſimi, Juſtiſſimi &c. aliquando in totam ejus entitatem ſimpliciſſimam, ut eminenter omnia eſt &c.

5 Tertiò. Separatio dictorum actuûm non poteſt experimento cognoſci, & ideo non eſt medium probabile ſuadendi illam. Nam nec ex Scriptura, nec ex Sanctis, nec ex Fide, nec ratione ſuaderi poteſt; ut ipſi Myſtici fatentur, parvi pendendo Scholaſticos, quòd negent rẽ, quam experti non ſunt. At ubi nulla eſt cognitio, ut iidem adſtruunt, ergo nec experientia eſt, nec memoria eſſe poteſt, utpote recordatio rei cognitæ; ſi enim res coram oculis fit, ſed ſine attentione, impoſſibilis eſt memoria. Reſpondent ſemper eſſe cognitionem Amoris.

Sed mirabile eſt, quomodo hæc non obſtet, & obſtet cognitio Dei? Dein ea ipſa reflexio diſtrahit animum ab amando DEUM. Rurſus, cùm experientia vel reflexio ſit ſubtiliſſima, quomodo cognoſcitur cognitionem eſſe poſt & ante amorem? Sed quid ad Sanctos? Fortè nemo de ſe fatetur dictam experientiam carentiæ cognitionis. Dein cùm certum ſit mentitos non eſſe, decipi potuerunt in re tam ſubtili, nec tam in re, quàm in modo explicandi Dionyſium Areopag. Cujus locutiones ſuperiore capite expoſuimus cum communi Interpretum. Denique Bonav. fortè ſolùm vult, Contemplationem ſiſtere in ſimplici intuitu, ſicque totam curam ejus in affectibus eſſe, miſſo diſcurſu &c. 6

CAPUT XIV.

An poſſit in hac vita ſubſiſtere Contemplatio ſine Operatione ſenſûs?

1 Primò. Contemplatio fieri ſupernaturaliter poteſt ſine cooperatione phantaſiæ. Nam hæc non eſt per ſe cauſa intellectionis, ſed ad ſummum occaſio vel excitatio ex parte objecti, & ſæpe potiùs quaſi effectus: ergo ſolùm eſt naturalis ſympathia inter intellectum & phantaſiam, non dependentia intrinſeca; ſicque impediri poteſt à Deo, ut in elevatione ad Viſionem Dei, actu ſcientiæ per ſe infuſæ, & hâc ſeclu-

ſâ, per ſolam elevationem intellectûs ad utendum ſpeciebus à ſenſu acceptis, citra aliam cooperationem ſensûs.

2 Secundò. Non poteſt dicta elevatio habere originem propriam & quaſi Phyſicam ab homine, etiam ut cooperante. Quamvis enim nulla operatio ſupernaturalis poſſit ſimpliciter eſſe ab homine, cùm initium ejus à Deo ſit: tamen homo per gratiã excitatus ad Contemplationem, poteſt hanc ſuo modo inchoare in ſuo genere cum Divino auxilio; non tamen cum dicta elevatione. Nam quò magis attendit per intellectum, eò magis cooperatur per phantaſiam, ut facilior ſit applicatio intellectûs.

3 Tertiò. Abſtractio à ſenſibus externis, quantùm ad actualem ſenſationem, ſine miraculo contingit. Quamvis enim actus externi præcedere debeant propter phantamata & ſpecies; per ſe tamen non ſunt neceſſarii ad actualem mentis operationem, ut uſu conſtat in applicatione ad ſcientiam, conſiderationem practicam artis, prudentiæ. &c. Egétque ſenſus externus actuali immutatione per objectum, quâ mens non eget in ſuo actu: & ideo Ariſtot. non dixit intellectum converti ad ſenſus, ſed ad phanaſmata. Imò carentia externæ ſenſationis facit mentem liberiorem & expeditiorem, quia vis animæ eſt limitata, & facilè per ſenſus diſtrahitur & diſſipatur. Quando autem anima intenta eſt interiùs, non percipit, quæ foris ſunt.

CAPUT XV.

An Contemplatio interdum vi ſuâ impediat operationes ſenſuûm externorum?

1 Primò. Poteſt ſuſpenſio ſenſuûm ſequi connaturaliter. Nam experientia tam frequens eſt, ut id ſuadeat, cùm ita referat Auguſt. 14. de Civ. c. 24. & alii de Triſmegiſto, Socrate, Platone. Nec enim miracula multiplicanda ſunt ſine neceſſitate, nec operationi dæmonis (qui facilè poteſt obſtruere viam ſpirituum animalium, vel omnino eos retinere in phantaſia, ſine qua nihil percipitur viſu &c ut patet cùm diſtrahitur) adſcribi quid oportet, ubi nulla ejus ſigna apparent.

Ratio eſt, quia nimia attentio occupat totas vires, ut ſpiritus neceſſarii ad ſentiendum non miniſtrentur. Eſtque differentia inter intellectum reſpectu phantaſiæ, & hanc reſpectu ſenſûs externi; quia hæc eſt capax cognitionis etiam abſtractivæ, & ideo 2

opera-

operari poteſt, ſenſu non operante: ergo ab illo non pendet, At intellectus conſequenter ſecum trahit phantaſiam, à qua juvatur, formando conceptus inſtar phantaſmatum; trahit inquam, occupando totam, ut deferat ſenſus externos. Ad difficultates, quæ objici poſſunt, patebit ex dicendis.

CAPUT XVI.

An ſaltem intuitiva Contemplatio Dei conceſſa Mortali, naturâ ſuâ extaſin faciat &c.?

1 Reſolutio eſt negativa. Nam aliàs uti ſenſibus fuiſſet miraculum in Chriſto; mò duplex, quia nec ex redundantia Gloriæ in corpus ſequebatur vis ſentiendi, nec aliunde. Similiter Angelus & Beatus non poſſent habere naturaliter actum ſcientiæ &c. Ratio ergo eſt, quia ad Viſionem non concurrit intellectus per vires naturales, ſed per potentiam Obedientialem: hujus autem actus nec diſtrahit, nec occupat vires naturales; nec in hoc differentia eſt inter Viatorem & Comprehenſorem.

CAPUT XVII.

An vi Contemplationis ſequi poſſit Extaſis etiam in ſenſu interno?

1 Primò. Si Contemplatio fit per ſpeciem infuſam, ſequi nequit dicta extaſis. Conſtat a fortiori ex dictis de Viſione; nam multò minùs occupatur anima. Poſsúntque principia diverſorum ordinum bene ſimul operari: at anima ſubit vicem talium principiorum, quatenus & per potentiam Obedientialem operatur, & per vires naturales quoad ſenſationem. Porrò quòd vis animæ ſuperior abſorbeat vim inferioris, ſolùm tenet, quando operationes ita diſtinctæ ſunt, ut una diſtrahat attentionem ad aliam.

2 Secundò. Idem eſt, ſi Contemplatio fit per ſpeciem acquiſitam. Nam intellectus neceſſariò convertitur ad phantaſmata, quia operatur modo ſpeciebus connaturali ſaltem quoad apprehenſionem; ſícque apprehendit vel materialia, vel ſpiritualia cum proportione ad illa: ſpecies enim, utpote acceptæ à phantaſmatibus, non poſſunt aliter repræſentare. Igitur intellectio applicat phantaſiam, per quam quoad apprehenſionem juvatur. Tantùm deeſt, ut ejus vim abſorbeat; unde nec ratione, nec experientiâ, nec fundamento aliquo oſtendi poteſt, quòd ceſſet operatio phantaſiæ.

CAPUT

CAPUT XVIII.

An fiat in Extaſi abſtractio ab omni motione appetitûs ſentientis, & virtutis vegetativæ?

1 Primò. Appetitus per ſe non impeditur in Contemplatione Extatica. Patet ſi negativa ſit, per Viſionem aut ſpeciem infuſam, cùm nihil tunc commercii ſit cum corpore juxta dicta. Si autem poſitiva eſt per uſum ſpecierum acquiſitarum, eoipſo ſequi poteſt motus appetitûs, ut communiter intelligitur, *Cor & caro mea exultaverunt* &c. Sicut enim ſe habet intellectus ad phantaſiam, ita appetitus ſuperior ad inferiorem; & ita conſolatio ſenſibilis non eſt contemnenda Perfectis, quaſi propria Imperfectorum, ſed per ſe ſequitur ex contemplatione, quamvis ſæpe impediatur tum ex diſpoſitione corporis, tum ex Divina diſpoſitione. Nec tamen tunc deſinit omnino operatio inferior, ſed fit quod voluntas imperat, imitando ejus affectum.

2 Secundò. In dicta contemplatione non impeditur omnis motio corporis, per ſe loquendo. Non enim ceſſat uſus phantaſiæ & appetitûs: hæc autem ſunt principia motûs: ergo ſi hic facit ad rem contemplatam (ſupponendo, organa eſſe diſpoſita) etiam ſequitur, ut conſtat de motu linguæ ad laudem, admirationem &c. quæ licèt ſupponant contemplationem, eam juvant, ut mens ardentiùs & conſtantiùs tendat.

Tertiò. Motus purè naturales Vegetativæ non impediuntur, per ſe loquendo. Non enim illi pendent à phantaſia, attentione &c. quatenus tamen juvantur per ſpiritus, & per vitales operationes attrahendi & diſtribuendi illos, eatenus conſtat multùm impediri per actus mentis, ut ſtudium &c. Quòd verò anima ſeparetur à corpore, & reſtituatur ope dæmonis, commentitium eſt, & contrarium Fidei docenti, quòd ſolus DEUS poſſit animam ſemel ſeparatam iterum unire corpori. 3

CAPUT XIX.

An Contemplatio in Ecſtaſi, prout eſt in intellectu, ſit actus humanus & meritorius?

1 Primò. Si Contemplatio fit per actum infuſum, eoipſo fit cum perfecto uſu rationis, ſeu cum integra perfectione intellectuali. Nam eſt cogni-

cognitio altiſſima, participans gradum Angelicum plus quàm ulla naturalis cognitio hominis: & ſicut in ſuo fieri & eſſe non pendet à ſenſu, ita nec in perfectione ſua. Ceſſátque ratio dependentiæ, ob quam ſomnus impedit judicium; quia eſt impertinens ad dictam cognitionem, an homo vigilet, an dormiat, ut patet in anima Chriſti, Virginis, Joannis Baptiſtæ, quantùm ad ſcientiam infuſam.

2 Secundò. Poteſt dictus actus eſſe perfectus, licèt non ſit liber; & poteſt eſſe liber quoad actum ſecundum, licèt non quoad primum, nec etiam quoad apprehenſionem. Scientia enim infuſa aliquando datur per modum habitûs permanentis; ſive connaturaliter, ut Chriſto, ſive merè gratis per modum Gratiæ prævenientis; aliquando autem in tranſitu tantùm & per modum actûs. Igitur infuſio ſive habitûs ſive ſpecierum, cùm non conſiſtat in agendo, libera non eſt, ſecùs verò uſus earum. Natura enim habitûs eſt, ut eo cùm volumus, utamur, ut patet in Chriſto; quia nec dependentia eſt à ſenſu, nec aliud, quod neceſſitet, ſed mens perfectè judicat: ergo ſtat libertas quoad exercitium, non quoad ſpecificationem in ſcientia.

3 Quòd ſi contemplatio datur per modum actûs, aliud erit de vitali apprehenſione; aliud de judicio rerum apprehenſarum. Prior enim libera non eſt, cùm deſit principium intrinſecum, quo homo ſe ad illam applicare poſſit, quia ante apprehenſionem judicium non eſt, nec niſi hoc prævio, libertas eſt. Poſterius verò, vel eſt de re evidente aliquo modo, vel de revelato obſcuro, ut in Angelis factum eſt? Si primum, ſuppoſitâ attentione, non tantùm quoad ſpecificationem, ſed etiam quoad exercitium neceſſitas eſt in actu ſcientiæ. Si 2dum, neutra neceſſitas eſt, cùm ſit actus Fidei, conſequenter imperatus à voluntate. Nam nec neceſſitas eſt ex objecto, quia obſcuro; nec à Deo revelante, quia modus præternaturalis eſt reſpectu potentiæ liberæ.

4 Tertiò. Contemplatio Ecſtatica, quæ fit cum Converſione ad phantaſmata, poteſt eſſe cum perfecto uſu rationis, non tantùm quoad apprehenſionem, ſed etiam quoad judicium ſubſequens; ſive modus contemplandi ſit ordinarius, ſive extraordinarius, ut in ſomno Prophetico. Differentia enim eſt inter hunc & corporalem, quia in hoc impedimentum incipit à ſenſu, & procedit uſque ad intellectum, ubi terminatur. Nam vapores aſcendentes ad cerebrum, impediunt ordinatum uſum phantaſmatum, ſicque conſequenter intellectum ipſum, qui indiget dicto uſu ordinato.

5 At in ſomno Prophetico elevatio incipit ab intellectu; & hic per ſuam attentionem rapit phantaſiam totam,

totam, quantùm ad ea, quæ attentioni deſ rviunt, Deo vel confortante potentias internas, vel clarificente phantaſiam, ac vapores qui eam impediunt, depellente. Sic autem conſequenter ligati manent ſenſus externi, cùm ſpecie ſemel receptâ, eorum operatione non opus ſit, ut patet in judicio ferendo de colore, ardore &c. ergo abſtractio à ſenſu, licèt etiam aptitudinalis ſit, non actualis tantùm, juvat perfectum judicium, & nullatenus impedit; ut patet in ſomno Salomonis, quamvis exemplum eludi ſoleat, ſed ſine fundamento.

6 Nam inprimis divinatur, propter deſiderium quod ſomnum præceſſerat, data eſſe dona. Dein expreſsè narratur, petitionem factam eſſe tempore ſomni; conſtátque, quòd propter illam collata ſit ſapientia. Rurſus ſi merum ſomnium fuit, cur non etiam locutio Angeli ad Joſeph, & ipſa collatio ſapientiæ &c? Non enim major ratio eſt de uno, quàm de altero: & 2. Paral. 1. ſine mentione ſomni idem abſolutè narratur. Dénique confugere ad actus per ſe infuſos, eſt ſine fundamento fingere miraculum majus, & contra Patres.

7 Quartò, Contemplatio hæc Ecſtatica, non eſt actus liber proximè & directè, licèt remotè ſæpe ducat originem ex actu libero. Nam intellectus utroque modo, ſcilicet à voluntate & causâ extrinſecâ, movetur naturaliter, ſicut phantaſia ab appetitu vel objecto. Imò loquendo de toto ordine actuûm intellectûs & voluntatis, ille naturaliter præcedit; nec hæc vim habet illum totaliter applicandi uſque ad Ecſtaſin, loquendo directè, ut *Volo ita attendere, ut illa ſequatur.* Nam ſtultus, vanus, & præſumptuoſus eſſet actus, imò magis diſtrahens attentionem, nec eſt qui hanc poteſtatem in ſe experiatur; ſ d ſi eſt, tribui debet cauſæ extrinſecæ, ut diſpoſitioni phantaſiæ vel conſuetudini cum delectatione adjunctâ, ut in ſpeculationibus Mathematicis, & ſuppoſitâ tenacitate humoris, ut melancholiæ.

Porrò remotè idem ſuo modo 8
cauſatur à voluntate; quia contemplatio liberè incipit, & deſinit in amorem: hic autem (non directè, ſed per objectum amatum) accedit ad majorem conſiderationem: quæ rurſum inflammat, donec ſequatur Ecſtaſis; ſed utique non modo ordinario, ſed valde elevato ſupra ordinarium auxilium, ſi ſit tanta vehementia attentionis, ut homo eam repellere nequeat. Nec per hoc inciditur in errorem Montani, qui cum Tertull. auſus eſt dicere, quòd Prophetæ non intellexerint, quæ dixerint, ſed amentes fuerint. Nos enim loquimur de Exſtaſi, quæ fit cum perfecto judicio rationis, & cum libertate loquendi, tacendi &c.

CAPUT XX.

An Contemplatio quoad amorem ſit libera, & meritoria in Ecſtaſi.

1 Reſolutio eſt affirmativa, non ſolùm de contemplatione habitâ per ſpeciem infuſam, ut dictum eſt de libertate Chriſti, ſed etiam factâ per acquiſitam, ut in Salomone, Petro. Nam vel neceſſitas eſſet ab ipſo Deo, vel ab objecto? Non 1mum, quia eſt miraculum contra ordinem providentiæ pro Via; nec credendum eſt, Juſtum privari libertate, niſi reveletur: nullibi autem revelatur. Non 2dum, quia etiam intellectio, regulariter eſt libera quoad exercitium; eſto attentio neceſſaria ſit, ut patet in Angelis in primo inſtanti. Et dato oppoſito, adhuc liber eſt amor vi objecti, utut perfectè ſed abſtractivè cogniti, juxta axioma Theologorum, quòd extra Viſionem nil neceſſitet voluntatem quoad exercitium: & ita in Angelo per cognitionem ſine libertate receptam amor fuit liber; & actus in Petro ac Salomone, etiam quoad ſpecificationem, ut ex materia conſtat.

2 Licèt enim amor intendat cognitionem, tamen in hac nil ſequitur, quod neceſſitet; ſive quia ſimul repræſentatur, quod ſufficiat ad indifferentiam, ut in Ecſtaſi Petri & Salomonis: ſive quia nunquam oſtenditur bonitas etiam Dei, ut in ſe eſt; nec actualis dilectio, ut bonum ſimpliciter neceſſarium, in quo nulla ratio ceſſandi repræſentari poſſit. Aliunde autem in dicta Ecſtaſi non deficit libertas ex imperfectione actûs, ut in impulſu Gratiæ excitantis, aut tempore ſomni corporalis, ubi impedit per vapores cauſata ineptitudo phantaſiæ ad ordinatum uſum ſpecierum.

LIBER III.

De Oratione Vocali.

CAPUT I.

An Oratio Vocalis ſit actus honeſtus, & Religioſus?

1 Primò. Ex natura rei & omni Jure Divino & Humano, licitum & ſanctum eſt Orationes Vocales ad Deum fundere, ſi debitâ Fide & intentione fiat. Eſt de Fide, ut patet communi uſu & Traditione Eccleſiæ: ipſáque Scriptura omnem modum ſic orandi, ut ſubmiſsè, cum cla-

clamore &c. probat in Davide, Anna, Chriſto. Nec niſi infidelis vel ignorantiſſimus ita ſentit de Deo, ut irriſio Eliæ locum habeat, *Clamate voce majori* &c. Sed intendimus nos ipſos excitare; & ut nobis petitiones noſtræ innoteſcant apud Deum; & ut corpore & ſpiritu illum laudemus, reddendo *vitulos labiorum noſtrorum.*

2 Secundò. Non ſolùm Oratione Dominicâ, ſed etiam aliis convenienter utimur. Eſt de Fide ex Traditione & uſu totius Eccleſiæ. Nam Chriſtus reliquit exemplar perfectum orandi, excellens Authoritate, brevitate, perfectione, efficacitate; non tamen prohibuit modos alios, qui in re coinciderent. Sic ipſe aliter in horto, aliter in ſuſcitatione Lazari, aliter in Cœna oravit: & Apoſtoli Act. 1. orant juxta ſubjectam materiam; & David Pſal. 118. rem eandem petit modis plurimis; & 1. Cor. 14. cuique liberum fit, ut *pſallat* &c.

Tertiò. Non eſt neceſſarium, certâ & præſcriptâ formâ ſemper uti. Nam nullo jure prohibitum eſt, quin quisque oret juxta ſuum affectum, ſenſum, capacitatem: & per ſe expedit petere nunc hoc nunc illud in particulari; nunc per Virginem, nunc per Sanctos. Sempérque Orationem Dominicam, & nihil aliud repetere velle, de Conſilio non eſt; ducere autem neceſſarium, ſuperſtitio eſt; & reſpuere Orationes Eccleſiæ, Hæreticum: ſicut tale eſt, quòd non liceat uti Ritibus, niſi in Evangelio expreſſis, cùm ſatis ſit rem non eſſe prohibitam, ſi honeſta eſt ex natura. Denique Chriſtus cùm ait: *In ſpiritu & veritate*, præcipit, verum Deum coli, & ex puro corde & deſiderio ei placendi, ut Patres exponunt: quamvis locus de Sacrificio viſibili intelligi poſſit. 3

CAPUT II.

Quotuplex ſit Oratio Vocalis, & quas partes habeat?

1 Dividitur dicta Oratio 1. in publicam & privatam. 2. In eam quæ fit formâ verborum antè præſcriptâ; & eam quæ fit verbis pro affectu prolatis. Publica ſumitur, vel ut diſtinguitur contra occultam, ſecretam &c. (quæ denominatio eſt valde extrinſeca & accidentaria) vel ut poſcit Miniſtrum Eccleſiæ deputatum ad orandum &c. Quo modo ſemper fit verbis præſcriptis; quia Miniſter formam debet accipere ab Eccleſia, cujus nomine orat, nec illa dat mandatum vagum, ſed determinatum, propter majorem Dei reverentiam, ſecuritatem ſuam, & Fidelium devotionem, ne quid indecens miſceatur.

2 Quantùm ad privatam Orationem; verba interdum ſequuntur ex affectu, quaſi impetu naturali exprimendi deſiderium, admirationem &c. conceptam: & ideo opus tunc non eſt ſpeciali intentione orandi. Secùs eſt, ſi verba affectum præcedunt; quia licèt ſupponatur affectus confuſus orandi, non tamen particularis petendi hoc vel illud. Nec enim cùm dicitur: *Pater noſter &c.* præceſſit cogitatio de Sanctificatione, ſed ſi attentè oratur, ſequitur ejus deſiderium. Igitur quoties Oratio ita confuſè præcedit, debet eſſe ex verbis præſcriptis, cùm non ſupponatur affectus, ex quo ſequatur: & aliàs ſi non fit ex memoria vel ſcripto, caſu & temere formatur.

3 De partibus Orationis dictum eſt ſuprà ex 1. Tim. 2. ubi quæ ad efficaciùs impetrandum faciunt, vel in frequentiore Eccleſiæ uſu ſunt, quatuor numerantur, per *obſecrationem* intelligendo humiliationem cum recognitione propriæ indigentiæ &c. (nam inde optimum initium fit, ut in Miſſa) per *Orationem* recognitionem Divinæ Majeſtatis, eam laudando & magnificando, ut rectè ſequitur ad Confeſſionem: per *Poſtulationes*, allegationem titulorum petendi; ſignificatur enim petitio cum inſtantia: ſubdendo demum *actionem Gratiarum.*

Quamvis autem Apoſtolus non ſibi ſumpſerit numerare omnia, facile tamen eſt actus alios ad dicta membra revocare. Sic *laus* vel fit ad magnificandum Deum, vel ad beneficium gratificandum. *Votum*, ut fit ad impetrandum, ad Poſtulationem pertinet; idémque eſt de allegatione *cauſarum*: vix enim fit petitio ſimplex. Et *enarratio operum Dei* vel de Beneficiis eſt vel de ſuppliciis peccatorum; quod ad dolorem de peccatis pertinet. Denique *Præſentia* Dei ubique imbibitur; non enim ſiſtitur in conſideranda miſeria, ſed ut repræſentetur: ſi autem directè mens terminatur ad Deum, ſemper adeſſe debet conſideratio Majeſtatis; eſto utilius à propria miſeria incipiatur. 4

CAPUT III.

An de ratione Orationis Vocalis ſit intentio orandi?

1 Primò. Ad actum internum Orationis (exterior enim conſummatur per verba ſignificantia petitionem expreſſam vel tacitam, ut *Ecce! quem amas &c.*) requiritur intentio orandi. Nam infans, amens &c. non orat; nec qui ſtudii vel recreationis causâ legit Pſalmos: & Oratio eſt actus Relidionis ex genere ſuo: ergo (ut ſuſceptio Sacramenti &c.) debet eſſe ex intentione Religioſâ ſeu affectu petendi vel orandi: ergo

go intendi debet ut Oratio. Nec enim locutio cum aliquo fit, niſi verba ad eum dirigantur, ut patet inter homines, Angelos.

2 Secundò. Debet ex genere ſuo eſſe honeſta dicta Intentio. Nam hoc eſt de ſubſtantia Orationis, juxta dicta l. 1. Dein vel ſtrictè ſumitur Oratio, vel latè? Si 1mum eſt petitio decentium &c. Si 2dum, Laus Dei, lectio ſacra, & omnes alii actus ſunt ex objecto boni; ergo & intentio orandi; ſive confuſè in eos feratur, ſive in unum principaliter & ratione illius ad cæteros.

3 Tertiò. Intentio ſimpliciter bona, non eſt de ſubſtantia Orationis. Nam ſine illa, ut omnes fatentur, impletur præceptum: hoc autem requirit ſaltem ſubſtantiam actûs, ut in eleemoſyna, jejunio &c. quæ retinent ſubſtantialem bonitatem (quæ ex objecto eſt) ſine accidentali. Dein ſufficit intentio implicita, quæ non terminatur expreſsè & formaliter ad actum ſub expreſſa ratione Orationis vel cultûs, ſed ſub magis confuſâ & generali, quæ ex conſuetudine determinatur ad actum moralem, ut cùm quis accipit Breviarium, utique ad recitandum, & conſequenter cum intentione implendi obligationem, munus &c.

De intentione virtuali dictum eſt tom. 3. in 3. p. D. 13. ſ. 3.

CAPUT IV.

An de ratione & honeſtate Orationis Vocalis ſit attentio?

1 Primò. Ad honeſtatem, imò & ſubſtantiam Orationis pertinet attentio formalis vel virtualis. Nam Oratio non fit ſolo corpore, ſed principaliter per influxum ſpiritûs. Iſa. 29. Jo. 4. & 1. Cor. 14. & de ſubſtantia ejus eſt, eſſe aſcenſum mentis in Deum; & ideo non adorat Deum, qui genua flectit, ſed non attendens ad eum. Quia verò abeſſe poteſt *formalis* ſeu expreſſa advertentia citra culpam, ſufficit *virtualis*, cùm ſcilicet quis incipit cum propoſito attendendi nec id retractat ſive formaliter, ſive interpretativè per voluntariam negligentiam. Sufficit enim attentio in voto, ſeu cauſa morali de ſe efficaci, ut moraliter cenſeatur durare.

Secundò. Quælibet attentio ſufficit ad veritatem orandi. Alia enim eſt *Superficialis* ſeu ad verba; alia *Litteralis* ad ſenſum; alia *Spiritualis*, quæ vel eſt ad ſenſum Myſticum, vel ad Deum, vel ad rem pro qua oratur: at juxta omnes ſufficit minima attentio: ergo à fortiori, quæ perfectior eſt. Imò ſi hæc voluntariè excludatur, Cajet. & Nav. volunt, 2

non

non ſatisfieri præcepto. Sed eſt nimis rigidum, & in rigore falſum; quia præcipitur ſubſtantia, non perfectio, ſicut nec maximus conatus orandi. Nec aliàs, cùm quis ſe induit, liceret orare; quod eſt contra uſum omnium piorum, ut iidem Authores fatentur, & per ſe conſtat, ſi ſit rationabilis voluntas ſiſtendi in ſuperficiali, ut in dato exemplo; ſecùs verò, utique culpa eſt corde ſic diviſo orare.

3 Tertiò. Superficialis ſemper requiritur, non quidem quaſi reflexiva, ſed ſimplex ſufficit; eſto ita tenuis, ut propter *Litteralem*, vel *Spiritualem* non advertatur. Si enim mala cogitatio non deſtruit virtualem attentionem ſuperficialem, minùs obeſt bona. Dein oratur vel ex libro, vel ex memoria? Si 1mum, periculum errandi ferè nullum eſt; víxque fieri poteſt, ut non formentur conceptus non ultimati lectorum, conſequenter cum attentione ſuperficiali.

Si 2dum, magis curandum eſt, ut omnia integrè & ſine errore in Oratione præcepta dicantur, non tamen cum attentione reflexiva, ſed ſimplici; quæ vix deeſſe poteſt, cùm mens attendat ad actualem recordationem verborum. Tutiùs tamen adhibetur Socius, quia tunc quis & loquitur & audit, cùm debet; éſtque ſignum attentionis.

Requiritur ergo ſuperficialis, quæ 4
juxta conditionem & conſuetudinem orantis, & modum orandi, ſit moraliter ſufficiens, ut quis ineptè non loquatur. ſed certus moraliter ſit, ſe non errare in oratione præcepta. Non enim quaſi reflexiva & ſollicita cura verborum haberi debet, ſed ſolùm quaſi aliud agendo: optimúmque eſt meditari quid pertinens vel ad ſenſum Myſticum, vel ad Litteralem, vel concernens aliquo modo verba, ut ita internus & externus actus per modum unius meliùs fiat.

CAPUT V.

An ad effectus Orationis Vocalis ſit neceſſaria attentio?

1 Primò. Ad refectionem animæ non ſufficit attentio ſuperficialis. Nam dicta refectio eſt devotio, pia affectio, ſancta cogitatio practica, quæ illuminet ad opus; quæ ſi abſint; *Mens mea ſine fructu eſt.* 1. Cor. 14. Ideo nec ſola Litteralis ſufficiet, niſi ſit affectiva vel illuminativa: & ubi hiſtoria eſt, addi debet meditatio vel applicatio practica: ad quem effectum conſulitur attentio ſpiritualis.

Dices.

2 Dices. Cur ergo Eccleſia utitur Linguâ Latinâ ? ℞. Convenientiam ſumi ex publico & communi bono, non ex particulari conditione perſonæ. Et Idiota attendere poteſt ad Deum, ut miſericordem &c. ſcit enim ſignificationem generalem ſeu quaſi naturalem, licèt non ſpecificam, ſicut cùm ita ſupplicat Pontifici. Dein pro privata oratione Eccleſia miniſtrat formas certas, ut neceſſaria eſt ejus Authoritas pro uſu publico: pro ſecreto enim quisque, quâ vult, formâ uti poteſt, dummodo per ſapientes & pios compoſitâ & probatâ.

Secundò. Attentio virtualis 3
ſufficit ad impetrationem. Ita omnes cum S. Thom. quia nec veriſimile eſt, requiri conditionem moraliter impoſſibilem ut in plurimum; nec plus requiri, ullibi expreſſum eſt: aliunde ſic orans verè & honeſtè orat ex Fide. Idem ergo eſt de fructu meriti & ſatisfactionis; quamvis illud formaliter & propriè totum ſit in actu interno tantùm, hæc verò per ſe creſcat etiam ex opere externo. Supponitur autem abeſſe diſtractionem voluntariam; nam per actum malum non ſatisfit &c.

CAPUT VI.

An Oratio Vocalis privata, ſit neceſſaria ex præcepto?

1 Primò. Non præcipitur Jure naturæ. Nam tota ratio præcepti, eſt impetratio: hæc autem ſtat ſine voce. Rurſus certus DEI cultus non determinatur ex natura rei; & ideo determinatio fit vel per Jus poſitivum, vel prudenti arbitrio cujusque. Nec profeſſio Fidei determinatè fieri debet per orationem, loquendo per ſe, ſed ſolùm aliquando ob neceſſitatem tituli extrinſeci, & per accidens. Denique utilitas Orationis Vocalis non facit neceſſitatem ſimpliciter, quamvis qui non eſt aſſuetus meditationi, moraliter opus habeat prorumpere in vocem, ut Anna.

Secundò. Non præcipitur dicta 2
Oratio Jure Divino Poſitivo. Nam hoc tantùm eſt de rebus Fidei, & Sacramentis; ſolique actus Religioſi, qui ad Sacrificium vel Sacramentum neceſſarii ſunt, præcipiuntur. Et Marc. 6. ſolùm datur forma orandi, non præceptum quoad exercitium: eadémque ſervari poteſt in Mentali Oratione. Denique præceptum nec eſt expreſſum, nec traditum, quia aliud eſt, an quis ſcire teneatur Orationem Dominicam, aliud an recitare. Illud ſequitur quaſi ex natura rei, ſuppoſito ſtatu Chriſtiani, quia ſicut ad orandum, ita ad ſciendum, quid

pecā debeat, obligatio eſt in puero: ergo quia dicta forma & breviſſima & aptiſſima eſt, alii eam docere tenentur, ut Parentes & Paſtores, & alii diſcere.

3 At ſeriem & verba dictæ formæ ſcire, de præcepto non eſt, ſicut nec Symbolum tenere memoriâ aliter quàm neceſſe ſit ad credendum explicitè. Idem à fortiori eſt de Ave Maria, quia obligationes non ſatis fundatæ imponi non debent; & cur magis ad dictam Orationem, quàm ad Salve Regina &c? Nec enim conſuetudo publica probat, per ſe loquendo, quia nemo orat, ut obligatus; quamquam culpa eſſe poſſit omiſſionis, cùm ſit cum ſcandalo & perturbatione aliorum, vel ob otioſitatem, affectum commodi &c. Idem eſt de die feſto: nam c. *Non liceat* d. 44. eſt Martini Brachar. & obligatio prætenſa nec eſt extra tempus Miſſæ, nec intra: melius enim foret attendere ſacrificanti: ſolúmque præcipitur cooperatio ad Orationem publicam. Igitur omittere vel neſcire dicta rudimenta, ſolùm indicio eſſe poteſt non bonæ vitæ, ſi jungitur omiſſio etiam alterius Orationis: ſecùs enim nec peccatum eſt, nec pravum indicium.

CAPUT VII.

De Circumſtantiis ſervandis in Oratione Vocali.

1 Primò. Tempus quoad ſpecificationem non eſt determinatum, ſed ſemper licet dicta Oratio & ſuadetur, per ſe loquendo. Nam Oratio per ſe bona eſt, nec fingi poteſt conditio temporis, quæ per ſe neceſſaria ſit: per ſe, inquam, quia non cum omni actione præceptâ jungi poteſt Oratio longa: quamvis interſtitia brevia nunquam obſtent. Et quantùm ad durationem, ut in aliis voluntariis, ſolùm prudentiâ opus eſt, ut nec tædium omnino nos vincat, nec tantum onus ſuſcipiatur, quantum ferri nequit, attentis aliis occupationibus, ſine nimia velocitate aut impedimento mentalis Orationis, quæ per alteram juvari debet, non gravari &c. Matth. 6. *Nolite multùm loqui*, ſcilicet ita ut impediat ſpiritum. Igitur certus numerus præfigi debet, nec ab eo facilè deſiſti, niſi conſtet de juſta cauſa, vel ſpe majoris fructûs.

Secundò. Orari poteſt in quovis loco, per ſe loquendo. Ita 1. Tim. 2. & Pſal. 102. *In omni loco dominationis* &c. Joan. 4. *Spiritus eſt Deus* &c. ergo ubique videt & audit. Navar. excipere videtur locum ſordidum. Sed nec Jure natu- 2

ræ, nec Divino ſcripto vel tradito, nec etiam Eccleſiaſtico exceptio fundari poteſt, magis quàm in Oratione Mentali: præſtátque dicto loco orare, quàm otioſum eſſe. Dixi, *per ſe loquendo*, quia ſemper intelligitur electio loci decentis, præſertim pro Oratione publica; juvátque locus ſacer, ſive ex opere operato propter benedictionem &c. ſive quaſi ex opere operantis, quatenus de ſe excitat ad reverentiam.

3 Per accidens tamen, ut propter vitandam diſtractionem, vanam gloriam &c. utilius eſt intrare in cubiculum, juxta conſilium Chriſti. Sicut enim teneor orare attentè, ita etiam vitare impedimentum attentionis, ſi poſſum; ſecùs enim, qualiscunque neceſſitas ſit, præſertim urgente præcepto, rectè eligo ex duobus minus malum; nec diſtractio tunc voluntaria eſt, ſed durat attentio virtualis ſtante propoſito attendendi, ut poſſum. Imò vix impeditur attentio ſuperficialis, quin ſaltem aliquibus temporibus ad eam recurratur.

Tertiò. Quantùm ad modum dictæ Orationis, ſervandus eſt triplex reſpectus; ad Deum, orantem, & alios. Nam Deo per habitum corporis exhibenda eſt ſubmiſſio; orans excitandus, & alii non turbandi, nec offendendi ſpecie hypocriſis, vanæ gloriæ &c. Non tamen in his graviter peccatur, niſi fiant ex contemptu Dei, vel præbendo malam ſuſpicionem Fidei, aut provocando alios ad peccandum. Veniale autem ſæpe fit, vel ſine rationabili cauſa omittendo conſuetum modum in publico; vel ſequendo commoditatem corporis, ubi oppoſitum ad devotionem juvaret. Denique faciem verti ad Orientem, præceptum non eſt: quamvis Traditio ſit, ut templa eum reſpiciant, niſi juſta cauſa aliud poſcat. Contemnere autem illam, utique grave peccatum eſt; & vix fit ſine ſpiritu hæretico aut omnes Traditiones damnante, aut hanc. 4

CAPUT VIII.

Brevis explicatio Orationis Dominicæ.

1 Primò. In præambulo acceditur ad Deum per Fidem, Fiduciam, Charitatem, Laudem, Obſecrationem &c. docendo omnium primùm elevationem mentis ad ipſum. Nam Chriſtus ſpecialiter inſtituit pro Lege ſua, ut omnes ad Deum recurramus, ut Patrem. Quia Epheſ. 4. *Unus Deus Pater eſt omnium*, uti & Salvator, etiam quoad effe-

ctum, ſi per eos non ſtat. Principium enim eſt totius noſtri eſſe, ſive Gratiæ ſive Naturæ, finíſque ultimus & objectum Beatitudinis ſperatæ. At filio nihil charius eſſe debet Patre, & in eodem omnis fiducia collocanda, juxta illud: *ſi vos, cùm ſitis mali* &c. & rectè Auguſt. ſerm. 182. de Temp. *Quid enim jam non dat filiis petentibus Pater, qui jam hoc ipſum dedit, ut eſſent filii?*

2 Dicitur *noſter*, quia Chriſti proprium eſt, eſſe Filium naturâ, & dicere *Pater mi.* Additur, *Qui es in cœlis.* Quia mens elevanda eſt, ut ad Regem in ſua Curia ſpecialiter reſidentem, & ad eum cum amore & tremore accedendum; ſícque teſte Tertull. olim orabant, ſuſpiciendo in cœlum, & manibus extenſis ac nudo capite. Propriúmque munus Orationis eſt, ut à terra abſtrahamur, & converſatio noſtra in cœlis ſit.

3 Secundò. In prima petitione *Nomen*, ſignificat vel famam & laudem DEI, vel ipſum DEI nomen, utique ratione rei ſignificatæ. Nam *Sanctificatio* fit per cognitionem & condignam æſtimationem DEI. Petuntur etiam tres virtutes Theologicæ, tanquam completa *Sanctificatio*, quamvis dici poſſit, quòd primæ petitioni reſpondeat donum Fidei, ſicut alteri Spes, & tertiæ Charitas, utpote obedientialis, ſi eſt perfecta.

Tertiò. In ſecunda petitur *Regnum* DEI, non utiquè id quod inſeparabile eſt ab ipſius Dominio abſoluto, ſed quo regnat in nobis. Sicut enim in impio regnat peccatum, ita in Juſto regnat DEUS per Gratiam, donec in cœlo conſummetur per Gloriam. Licèt autem hoc ſit noſtrum bonum, principaliter tamen petitur, ut cedit in Gloriam DEI. Et Gregor. Nyſſ. legit in Luca. *Adveniat Spiritus ſanctus in nos, & nos expurget.* 4

Quartò. In tertia agitur de voluntate complacentiæ, quâ Deus fieri aliquid cupit, ſive abſolutè ſive conditionatè ex parte objecti. Nec enim omnis voluntas Beneplaciti excludi poteſt, nec includi omnis voluntas Signi, quia hæc includit permiſſionem peccati; illa Prædeſtinationem, quæ utique peti poteſt, cùm maximè optetur, ſicque petitur, quod Deo ex ſe & ex ſola ſua Bonitate placet, imitando Beatos in cœlo; ut & illud, *Meus cibus eſt* &c. intelligitur de quacunque voluntate Beneplaciti. Nec enim petimus, ut faciamus, ſed ut fiat & à nobis & in nobis, quoquo modo placet: ſícque non excluditur omnis voluntas Signi. 5

Quintò. In quarta petitur *Panis* Eucharíſticus, tanquam proprius Fidelium, & *noſter*, ac *ſuperſubſtantialis*, ob Divinitatem & Humanitatem 6

ſimul

ſimul contentam. Sic enim primùm quæritur Regnum *Dei*, ut in prioribus virtutes internas cum auxiliis internis; ita in præſenti per præcipuum Sacramentum cæterorum dona ſeu externa ſubſidia Unionis cum Chriſto petendo; & ſubinde quidquid ſpectat ad eorum convenientem uſum. Et ut *Panis* iſte in multis, imò quantùm ex parte Chriſti, in omnibus quotidianus eſt; ita quotidie peculiaris diſpoſitio procuranda eſt.

7 Quia verò vox communis eſt Sacramentali & materiali Pani; hic non excluditur, cùm in eadem ſententia plures eſſe poſſint ſenſus Litterales. Petitúrque, quidquid vitæ tranſigendæ neceſſarium eſt, quatenus quidem ad nos (*noſtrum*) pertinet, & citra ſollicitudinem de craſtino. Dicitur autem *Superſubſtantialis*, quia non petitur, ut corpori præcisè, ſed ut etiam animæ deſervit, & ut inſtrumentum coadjuvans ad merendum. Sicut ergo in ſuperioribus ſubintelligitur quodlibet ſpirituale ſuhſidium neceſſarium, ita hìc quodlibet corporale.

8 Sextò. In quinta petitur remiſſio peccati mortalis (propter indefinitam locutionem Luc. 11. & & Matth. 18.) utique virtute petendo etiam diſpoſitionem; nec eſt Sanctus, qui non habeat unde de ſe formidet. Idem eſt de remiſſione venialium; & ideo Patres colligunt, etiam in Juſtis illa eſſe quotidiana, Prov. 24. Eccl. 7. & 3. Reg. 8. eſto ad breve tempus abeſſe poſſint, ut in Contritione vehementi, Indulgentiâ Plenariâ. Tamen ſemper timendum eſt, præterquam quòd oretur pro omnibus; ſícque nolens dimittere non mentiatur, quia *Oratio Sicut & nos*, refertur ad Eccleſiam. Idem denique eſt de remiſſione pœnæ, non tantùm Purgatorii, ſed tum corporalis tum ſpiritualis, ut deſolationis, ſubtractionis uberioris Gratiæ. Quia verò, ut Oratio ſit efficax, multa deeſſe poſſunt, optimum eſt, actu ignoſcere, ſícque fiduciam excitare.

Septimò. In Sexta non agitur de 9 Tentatione, quæ à Deo eſt, ſed de mala, ſive internâ fomitis ſive externâ & Dæmonis. Nec petitur, ut non patiamur; quod vel impoſſibile vel miraculoſum eſt, ſed ne noceat, ſeu ne victi in eam *incidamus*, tribuendo Deo juxta phraſin Scripturæ, ac ſi faceret, quod ex certa ſcientia futuri eventûs permittit.

Octavò. In Septima petitur li- 10 beratio à malis contrariis bono temporali neceſſario, ut peſte, fame, bello &c. utique quatenus expedit, ut ſemper ſubintelligitur. Atque ita conſtat ratio numeri ſeptenarii Petitionum: eſto Lucas taceat ultimam (quam Matth. de ſuo utique non addidit) quia non debuit totum referre, ne magis verbis quàm

rebus, quas peti oportet, inhæreamus. Additur particula, *Amen*, ſignificando conſenſionem in omnia præcedentia: non enim dicta Oratio, ut in Miſſa, fit nomine Eccleſiæ, ſed Chriſtus ad omnes loquens, docet modum orandi privatum.

CAPUT IX.

De aliis formulis orandi ab Eccleſia uſitatis.

1 Primò. Uſus Orationis, *Ave Maria*, antiquiſſimus eſt. Nam reperitur in Liturgia Jacobi. *Ave* ſumi poteſt pro *Gaude*, ut Eccleſia aliàs loquitur ad Virginem; vel ſi ſignificat *Pacem* & *Salutem*, non dicitur optando quod non habet, ſed complacendo & deſiderando, ut ſemper habeat, ſicut Angeli *deſiderant proſpicere* &c. Dicitur autem ad excitandam in nobis reverentiam, fiduciam &c. commemorando plenitudinem Gratiæ ejus & ſingularem electionem ex omnibus: ſícque & affectum oſtendendo & captando benevolentiam. Pars altera ſupponit veritatem Fidei, quòd Virgo oret pro nobis, ſciat Orationes noſtras, & quòd hæ gratæ ſint.

2 Secundò. Quantùm ad Roſarium, initium ejus ignoratur. Nihil tamen continet non ſanctum, ſed ut ait Pius V. inventum eſt à Spiritu ſancto. Nec enim numero quaſi per ſe neceſſario inhæretur, ſed ut menſuræ congruæ; quia ſi integrum eſt, conſtat 150. Ave: & ideo dicitur *Pſalterium Mariæ*: differtque à Corona ejus, quæ juxta numerum annorum Virginis continet 73. Ave cum 7. Pater noſter. Juxta uſum autem communem Roſarium ſumitur pro tertia parte; quia pauci quotidie integrum recitant.

Quòdſi obligatio eſt dicendi ex voto, præcepto Pontificis, Confeſſoris &c. expletur recitando cum Socio, & patet ex uſu in ſimilibus, & quia vix aliter intelligitur, quomodo duo vel tres congregentur in nomine Chriſti ad orandum. 2. Sufficit dici per partes; ut unitas Officii ſimiliter ſervatur in Horis Canonicis: ſícque ſi integrum dicendum ſit per hebdomadem, ſat eſt tertiam vel ſextam partem dici in die. 3. Uno & eodem Roſario ſatisfit pluribus titulis, ut in Miſſa, jejunio. Expletur enim forma Indulgentiæ, ut ſonat, quia propriè conditio tantùm eſt, non verè quaſi per unam obligationem duplici obligationi ſatisfiat: nec in dubio augenda ſunt onera, cùm idem opus capax ſit plurium honeſtatum. 3

Qùantùm ad myſteria, conſtat per ſe non præcipi attentionem ad ea, 4

ea, quamvis ex voto obligatio eſſe poſſit. Forma tamen ſancta eſt, quamvis non optima (quia altior contemplatio eſſe poteſt) nec omnibus utilis, nec etiam frequentiùs, ut propter incapacitatem rudium, confuſionem, & diſtractionem in meditandis tot rebus. Multíque utiliùs uni rei inſiſtunt, ut attendendo ad Deum, excellentiam Virginis, ſignificata per voces: & poſt finitam Decadem ſiſtendo pauliſper in meditatione myſterii. Sic enim faciliùs mens colligitur ad id quod intendit, devotióque, qui eſt fructus præcipuus, major eſt.

5 Tertiò. Quantùm ad *Salve Regina*, conſtat metaphoras tribui Deo & hominibus, ut Paſtor, Lux &c. non utique propter æqualitatem, ſed imitationem perfectionis: *Eſtote perfecti* &c. *ut ſint unum, ſicut & nos.* Nec Angelus tribuit Virgini plenitudinem gratiæ, qualis propria eſt Chriſti. Igitur dicitur. 1. *Regina*, quia Domina rerum, & Regina Sanctorum, juxta Aug. Athan. Damaſc. 2. *Mater Miſericordiæ*, quia & infinitè quaſi excedit Sanctos in miſericordia; & genuit eum, per quem habemus omnem miſericordiam. 3. *Vita, dulcedo.* quia vitam genuit. & ideo à Syn. VII. dicitur *Mater viventium, & Chriſtianorum Domina.* 4. *Spes*, quia omnium potentior eſt apud Deum, & pro nobis ſolicitior. 5. *Oculos* &c. utique cordis, quia excellentiùs *Advocata* eſt apud Chriſtum quàm alii. 6. *Oſtende* &c. ſæpe enim petimus quid dari vel fieri ab eo qui tantùm impetrat, ut ab *hoſte protege*, & *mortis hora ſuſcipe* &c. *da mihi virtutem.* Sic etiam eandem orârunt Greg. Nazian. ut, *maximáque quovis in loco mihi ſalus* &c. idémque ad S. Cyprianum. *Nos de cœlo benignus aſpicias, ſermonésque noſtros, & vitam gubernes, ſacrúmque hunc gregem paſcas.*

Quartò. Quoad Lytanias omnium Sanctorum mos eſt antiquiſſimus, ante Gregor. tempore Arcadii receptus, & in Tolet. ut conſtat c. 1. de Conſ. d. 2. Lytaniæ autem Virginis non ita antiquæ ſunt; uſu tamen Eccleſiæ, & authoritate Pontificum confirmatæ. Varietas autem nominum tum propriorum, tum metaphoricorum prudenter inventa eſt, ut ſine tædio & cum majori devotione per aliquam moram fieri deprecatio poſſit. 6

Liber

LIBER IV.

De Horis Canonicis.

CAPUT I.

Quàm ſit per ſe honeſta & antiqua Oratio, quæ Chorus Eccleſiaſticus dicitur?

1 Primò. Sancta & Deo gratiſſima eſt Oratio, quæ à tota Communitate fit. Si enim unius Oratio multùm valet, communis potentior eſt, tum propter ſpecialem promiſſionem Matth. 18. tum propter ſpecialem dignitatem Act. 1. & 2. quia unus ab alio juvatur, & unius imperfectio per alterum ſuppletur; & ideo bonum quò communius, eò Divinius eſt. Oratio autem Communitatis eſt, ſi non caſu ſed ex inſtituto convenitur; eſto non eodem loco, ſed eâdem horâ Meditationis v. g. maximè ſi idem petitur.

Eſtque duplex modus Orationis
2 communis; unus, cùm quisque orat pro ſe privatim, citra conjunctionem cum alio niſi ob concomitantiam temporis, loci, materiæ, ut Act. 3. *Ad horam Orationis* &c. Alter, cùm Oratio fit nomine omnium, ita ut omnes orent ut membra Communitatis, ſingulis aliquo modò concurrentibus, licèt non omnes æquè loquantur, nec eundem modum actionis exerceant, ut in Choro Eccleſiaſtico.

Secundò. Modus orandi, ut ſit 3
à communitate in unum Chorum congregatâ, inſtinctu Spiritûs S. introductus eſt. Conſtat de Fide ex uſu & Traditione univerſalis Eccleſiæ, eſſe ſanctum. Facit 1. Corinth. 14. *Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem* &c. (Eccleſiæ autem eſt ordinare &c.) Eph. 5. Col. 3. Et tradunt Clem. Juſtin. Tertull. (allegans Plinium l. 10. c. 97.) Euſeb. Ambr. Aug. agentes de cœtu nocturno. Eccleſiæ enim eſt, per modum unius colere Deum, ut Sacrificium nomine totius offertur. Et tota ſimpliciter charior eſt DEO quàm particularis Eccleſia, ſemperque infallibiliter ſancta; & ita fovet Charitatem, movet ad Devotionem &c.

Tertiò. Poteſt univerſa Eccleſia 4
ſic convenire; utique per Miniſtros deputatos. Nam quælibet Reſpublica Legatos mittit, quin opus ſit conſenſu ſingulorum, ubi Regimen Monarchicum eſt: at tota poteſtas Eccleſiæ data eſt à Chriſto Pontifici; & ideo qui pro excommunicato orat,

rat, ſacrificat &c. nomine Eccleſiæ, mentitur. Hinc Miniſtri conceptis verbis uti jubentur in Officio *Divino*, ſic dicto quia totum ordinatur in Dei cultum, c. *Dolentes*; de Celebr. Miſſ. c. *Placuit*. d. 12. c. *In die*. cum aliis de Conſ. d. 5. ubi *Eccleſiaſticum* dicitur ab inſtituente. Nec refert varium eſſe uſum in particularibus locis, quia ſubſtantia ubique eadem eſt, & varietas in minutioribus Ritibus ornat; ſemper tamen ſive tacitè (per conſuetudinem) ſive expreſsè approbanda per Pontifices, ut factum eſt à Pio V. Clem. VIII. in Bullis Breviarii.

CAPUT. II.

An materia proxima, ex qua Officium Divinum celebratur, conveniens ſit?

Primò. Omnes partes dicti Offi-
1 cii aptiſſimæ ſunt, & piè ac prudenter aſſumptæ ad componendum unum. Tenendum eſt de Fide, quoad partes in genere ſumptas; & quoad minutiſſimas tam certum eſt, ut ſine gravi temeritate negari non poſſit. Nam contra univerſalem conſuetudinem diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt, juxta Aug. Et 1. Cor. 14. magnum fundamentum eſt partium, conſtátque enumeratione. Nam Pſalmi continent omnes affectus perfectiſſimæ Orationis, & petitiones omnibus accommodatas: ſolúmque pro uſu proprio Legis Gratiæ illis additur Glorificatio, de qua meminit Athan. Baſil. Liturg. S. Jacobi &c.

2 Idem eſt de Hymnis aliis; ſi enim non licerent, ergo & Glorificatio reijcienda eſſet, ut rectè arguit Tolet. IV. Facítque Eph. 5. Col. 3. Idem eſt de Canticis, ut *Te Deum laudamus &c.* nam ut Pſalmi & Hymni, ita Cantica ſignificant carmine compoſitam Orationem, quo ſenſu videtur ſumi *pſalmus* 1. Cor. 14. Similiter initium Horarum optimè fit, ut Num. 10. *cúmque elevaretur Arca, dicebat Moyſes &c.* At Antiphona (vox reciproca alternatim canentium) continet brevem ſententiam excitatoriam, quâ Chorus úniatur. Rectè etiam Lectiones inſeruntur, more Act. 13. & 15. *Moyſes per omne Sabbathum legitur*. Capitula autem breves Lectiones ſunt, ſubjunctis Reſponſoriis, quæ ſimiliter ornant. De Confeſſione, *Salve Regina* &c. dictum eſt ſuprà. Denique Collecta ſeu Oratio, uti omniũ nomine fit, ita & colligit vota omnium.

Secundò. Nec neceſſarium, nec 3
moribus humanis ſatis accommodum fuit, ut nil præter Scripturam in Officio eſſet. Nam homo delectatur varietate, & onus debuit fieri ſuave: Scriptura autem indiget expoſitione; & Oratio ut priva-

tim, ita & publicè propriis verbis rectè fit. Dein abeſt periculum noxiæ falſitatis, ut conſtat in Dei laudibus & orationibus. Lectiones autem inſtruunt more humano, ut 1. Cor. 14. *unusquiſque doctrinam habet*, utique diſtinctam à Scriptura. Et in hiſtoriis Canonizatio eſt infallibilis, uti & propoſitio virtutum, quas quiſque imitetur; quidquid ſit de accidentalibus circumſtantiis morali fide receptis. Id enim non obeſt; aliàs nec eſſe deberent Conciones, narrationes hiſtoriarum, interpretationes &c. quod erroneũ eſt, & contra omnem ſenſum humanum.

4 Tertiò. Rectè Fideles per dictum Officium provocantur non ſolùm ad orandum, ſed etiam ad conſiderandum, quæ inſtruant. Nam Paulus à Pſalmo non excludit Doctrinam, nec eſt cur hæc excludatur, quia fortè multis deeſt Lectio parata, & illa reverentiùs ſic ſuſcipitur, ut Oratio pingueſcat. Nec Officium debet eſſe homogeneum, ſed per partes varium propter fructum animæ, conſequenter majorem Dei cultum.

5 Quartò. Multiloquium non fit in dicto officio, Nam illud eſt de inutilibus, vel prolixitas inutilis; at hæc nec Clericis nimia eſt, utpote per ſe dicatis ad miniſterium, nec aliis, quia de epulis communibus ſumunt, quod volunt. Iteratio autem fit tum ad excitandam devotionem, tum ad inculcandam neceſſitatem frequentandi bona opera, quò maximè tendunt Reſponſoria.

6 Dices. Devotionem, ut fructuoſior ſit, perſtare debere in eodem affectu. ℞. perperam officium contemni propter contemplationem. Nam cùm hæc paucorum ſit, rectè præfertur bonum commune; nec illa propriè impeditur, quia tenaciter poteſt adhæreri verbis, mente fixâ in re alia, quamvis diuturnitas non ſatis tolerabilis ſit. Unde rectè ſervitur Communitati, cùm alii his, alii aliis paſcantur in tanta varietate precationis, laudis &c. ipſáque varietas multiplices affectus excitat, ut regulariter neceſſe eſt ad mentem colligendam, cùm defixio in re una difficilis ſit.

CAPUT III.

An Eccleſiaſticum Officium convenienter diviſum ſit in Diurnum & Nocturnum?

1 Primò. Tempora Orationum diſtincta eſſe debent. Patet ex uſu Synagogæ. Nec enim Marcus & Joannes, cùm agunt de tempore Crucifixionis, conciliari poſſunt, niſi intelligantur de Horis orandi, & conſe-

conſequenter *Tertia* & *Sexta* contiguæ fuerint. Accedit, quòd non numeretur Hora, niſi quando finita eſt, & ideo non fit mentio *Primæ* in Scriptura, quia ante ejus lapſum orandum eſt. Nec ſenſus Evangelii eſt, orandum eſſe per totam *Tertiam &c.* aliàs toto die continuanda foret Oratio: ergo ſolùm ſignificatur, quòd tempus legitimum Orationis habeat latitudinem moribus accommodatam.

2 Secundò. Convenientiſſima eſt diſtributio Officii in Diurnum & Nocturnum. Nam de illo agitur pſ. 54. *Veſpere, mane &c.* de hoc verò exemplum eſt Chriſti *pernoctantis* in Oratione, & Pauli ac Silæ. Act. 16. & de eodem more perpetuo Eccleſiæ paſſim teſtantur Patres. Si enim Oratio per ſe laudabilis eſt, multò magis uſus ejus creberrimus. Licèt autē nunc ceſſent conventus nocturni Laicorum, propter incommoda majora vitanda; tamen in Clero ſemper retinet Eccleſia, ut laus Dei perpetua ſit.

CAPUT IV.

De Diviſione Officii Nocturni in ſuas partes.

1 Primò. Ad Nocturnum pertinent Matutinum & Laudes tantùm; quidquid ſine fundamento dicant Abb. Hoſt. Jo. Andr. addendo Primam & Completorium. Nam ex Hymnis conſtat oppoſitum: facítque c. 1. de Celebr. Miſſ. ipsáque diviſio vigiliarum, quarum primas tres reſpiciunt tria Nocturna, & quartam Laudes. Duodenarius autem pſalmorum vel horas noctis notat, vel univerſitatem modorum laudandi Deum.

2 Secundò. Uſus tempore disjungendi Nocturnos, nec in totum negari poteſt, nec etiam aſſeri. Uſum enim antiquum fuiſſe, præter modernos tenet S. Thom. lect. 6. in 1 Cor. 14. & Waldens. Non tamen erat pro ſemper, ſed Dominicis & Feſtis certis, d. c. 1. quia onus fuiſſet nimium toties ſurgere: vices autem mutatas eſſe & divinatur & credibile non eſt in tanta paucitate Cleri, & tamen omnes tenebantur ad totum Officium. Quamdiu autem is uſus tenuerit, & an unquam in Eccleſia Romana, incertum eſt.

CAPUT V.

De Partitione Officii Diurni.

1 Primò. Septem Horæ numerantur Conſtat ex c. 1. c. *Dolentes* de Celebr. Miſſ. Clem. 1. eod. nam Laudes cum Nocturno comprehenduntur, juxta uſum Breviarii. Tertia, Sexta & Nona ſatis per Scripturam canonizantur. Act. 3. & 10. Marc. 15. Dan. 6. & Chriſtus Tertiâ condemnatus,

Sextâ crucifixus, & Nonâ ſepultus eſt. Veſperæ meminit pſ. 54. & 140. Chriſto tunc depoſito de cruce. Sicut ergo Nocturni & Laudes pro quatuor Vigiliis, ita pro quatuor ſtationibus totidem diurnæ horæ Deo conſecrantur.

2 De Prima meminit Athan. Baſil. Caſſian. Clem. & d. c. 1. ex Regula S. *Benedicti* deſumptũ, & c. *Preſbyter*. d. 91. nec eſt veriſimile Romanã Eccleſiam caruiſſe more initiandi diem aut ritè claudendi. Sicut ergo per Primã conſecrantur Deo actiones diei, ita noctis per Completorium; & in utraque Horâ fit Confeſſio commiſſorum, ut de die, ita de nocte; juncto propoſito innocentiæ pro ſequenti tempore, gratiámque ad id præſtandum poſtulando.

CAPUT VI.

Quis numerus Horarum reſultet ex dictis partitionibus?

1 Primò. OctoHoræ diſtinguuntur, juxta antiquos ferè omnes. Ita Amalar. Rhaban. Rupert. Radulph. Hugo Victor. cùm ſeptem numeratis addunt Nocturnum, ut etiam fit c. 1. de Celebr. Miſſ. c. *Preſbyter*. d. 91. & ſequitur Navarr. Sed oppoſitum uſu receptum eſt, & ſumitur inſtitutio ex Breviario. Loquendum enim eſt juxta communem morem. Unde Azor diſtinguens ait, olim 8. nunc 7. Horas diſtingui; & Marcellin. octo à Monachis, ſeptem à Clero numerari vult. Sed ne quæſtio ſit de nomine, moralis tractanda eſt.

2 Secundò. Licitum eſt ſeparare Laudes à Nocturnis. Semper enim à primæva inſtitutione licuit ſeparatio; nec mos, de quo ſuprà c. 4. Hugo Victor. fuit ubique notus aut receptus, ut ſumitur ex Amalario. De facto autem habet conſuetudo communis licentiam ſeparandi, quin ullus doctus & timoratus ſcrupulum de ea faciat; & ad idem facit d. c. 1. Nec propterea idem eſt de Nocturnis, quia nec ſatis conſtat de more antiquo ſeparandi, nec is nunc eſt ſaltem ſine cauſa, ut fit in Laudibus.

Tertiò, Diſtinctio Horarum ſumenda eſt ex propriis terminis cujuſque, ſcilicet principio & fine. Non enim ex interpolatione temporis; aliàs Veſperæ & Completorium una Hora forent; & ideo primus Nocturnus non facit Horam, quia non clauditur propriâ Oratione. Secûs eſt, ſi Nocturnum Officium ita clauditur, ut nocte Nativitatis; & tunc Laudes inchoandæ ſunt per Pater Noſter, tanquam Hora verè diſtincta. Nam novum non eſt, quæ ſunt unum, cùm habent terminos communes, fieri duo recipiendo proprios terminos. 3

Unde opinio de ſeptenario Horarum procedit, quatenus denominatio in moralibus recipitur ex frequentioribus & publicis. Denique quantùm ad vocem *Matutinum*, aliquando pro ſolis Laudibus accipitur juxta Ju- 4

ra

ra cit. & primævam inſtitutionem; aliquando pro ſolis Nocturnis: aliquando pro complexo. Sic etiam *Laudes* vel preſsè accipiuntur, vel prout cuique Horæ accommodantur.

CAPUT VII.

An modus dicendi Horas pſallendo, convenienter inſtitutus ſit?

1 Primò. De neceſſitate eſt in Miniſtro, ut Horas voce ſenſibili proferat. Ita omnes ex cit. c. *Dolentes.* de Cel. Miſſ. & Clem. 1. eod. ipſáque inſtitutione, quæ obligat orare ore, non corde tantùm. Nec enim Corpus Myſticum ſenſibile per ſuos aliter convenienter orare poteſt, nec Eccleſia de internis judicat, aut ea præcipit. Unde improbabile eſt quod Nav. diſputat, poſſe Canonẽ mentaliter dici, quia ſine Authore & ratione dicitur, & cum mutatione Ritûs.

2 Secundò. In privato non eſt neceſſaria vox alta, ſed ſubmiſſa ſufficit, per ſe loquendo. Ita omnes. Facítque exemplum Annæ; nec de obligatione aliâ conſtat ſive ex natura rei, ſive ex præcepto. Qui ergo vult, poteſt dicere altè & cantando, dummodo aliis impedimento non ſit, nec ſcandalo propter affectatam devotionem & hujus oſtentationem. Porrò Med. vult, etiam ab aliis vocem percipi debere; ſed juxta alios nec ab orante, quia non præcipitur quantitas vocis, ſed Oratio vocalis.

3 Sed vel ſolus quis recitat, vel cum ſocio? Si 2dum, utique hunc audire debet, quia tenetur totum Officium explere vel audiendo vel dicendo; quamvis ſecùs ſit de ſocio non obligato. Tamen moraliter fieri id nequit, ut recitet & juvet convenienti tempore & modo. Si 1mum, ſtat veram eſſe Orationem vocalem, licèt ab aſſiſtente non percipi poſſit. Moraliter tamen neceſſarium eſt ita dici, ut ſeipſum audire poſſit, quia vox debet eſſe audibilis; ergo ſaltem oranti. Nam vix, etiam Phyſicè loquendo, formari poteſt, quin ab ipſo ſecluſis impedimentis, audiri poſſit, debétque eſſe certus de obligatione expletâ. 4

Tertiò. Quando Officium in publico recitandum eſt, conveniens & neceſſarium eſt altâ voce recitari. Ita omnes. Conſtat ex uſu Eccleſiæ, & exemplis Evangelii in Chananæa, Pueris, Chriſto ipſo. Modus enim debet eſſe accommodatus fini actionis; ergo talis, ut Fideles Orationem audiant, & ad devotionem excitentur. Nec propterea idioma vernaculum neceſſarium eſt, quia in moralibus non ſemper expedit, quod aliquam utilitatem afferre poteſt, propter incommoda quæ ſequi, vel commoda quæ excludi poſſunt. At plebs incapax eſt multarum ſententiarum & rerum, quæ in Latino decenter dicuntur: & myſteria vileſcerent, cum occaſione errandi, unoquoque putante

ſe ſenſum teñere, cùm tamen altior ſit: ſatis ergo eſt aliis, aliqua intelligere nunc plura nunc pauciora.

5 Quartò. Sanctiſſima eſt conſuetudo recitandi cum cantu. Eſt de Fide ex uſu & traditione Eccleſiæ, & ex Trid. ſ. 23. c. 18. conſtátque exemplis Scripturæ, ut in Canticis Moyſis &c. Pſalmis, Eph. 5. Col. 3. & nocte Cœnæ Chriſti, legente Chryſoſt. *Hymnum cecinit.* De conſuetudine Eccleſiæ & Orientalis & Occidentalis teſtantur Clem. Dion. Ign. Naz. Chryſoſt. Philo, Aug. Hieron. & can. Apoſt. 43. & 69. Nec enim res eſt per ſe mala, nec habens circumſtantiam per ſe malam, nec vetita ſive Divino ſive Eccleſiaſtico præcepto: aliunde habet multam utilitatem, ut conſolandi mœſtos, excitandi ad pios affectus & vota, pellendi delectationes infimas &c. ut ipſe Aug. in Confeſſ. motum ſe dixit ſuavitate pſalmorum ad lachrymas &c. Nec enim (ait 2. Retract. c. 11.) ex infidelitate, ut Baalitæ, vociferamur, magis quàm cùm aliàs voce oramus, nec ſine fructu multiplicis pietatis.

CAPUT VIII.

Duo Dubia circa Eccleſiaſticum cantum expediuntur.

1 Primò. Non eſt illicitus cantus Organicus, præter Eccleſiaſticum ſimplicem. Nam nec eſt per ſe malus, nec ſimpliciter prohibitus Jure Eccleſiaſtico. Non 1mum, quia per ſe ſpectando, nulla eſt circumſtantia intrinſecè mala, imò ut experientiâ conſtat, condecoratur majeſtas Officii, & conſequenter excitatur reverentia & devotio; ſícque ſanctè toleratur, Hymnum &c. non integrè percipi. Nam pſalmus ſic confuſè auditus ſæpe magis movet, ut vox Concionatoris vehemens vel ſuavis, quàm ſententia graviſſima tepidè dicta &c.

2 Non 2dum, quia X. un. de Vit. & hon. Cler. ſolùm prohibet ſonum indecentem, qualis eſt non tantùm, cùm materia indecens eſt, quæ nullibi licet, ſed etiam ob geſtus & motus; vel cùm ratione uſûs profani, aut propter peculiarem modum flectendi vocem &c. excitantur profanæ & indecentes cogitationes. Quòd ſi plus vult, conſtat non eſſe receptam alio ſenſu, aut certè derogatam. Nec enim aliâ regulâ res definiri poteſt, quàm quæ habetur 1. Cor. 14. Ut *omnia ad ædificationem fiant.*

Dices. Populum trahi voluptate, de quo dolet Auguſt. l. 10. Conf. c. 3. ℞. Exceſſus eſſe accidentarios, & ordinariè leves. Nam dicta voluptas de ſe indifferens eſt, & ordinatur ad bonum finém, ſcilicet devotionem, ut etiam Prophetæ ſic 3

exci-

excitari voluerunt. Plùs autem cantu moveri quàm re cantatâ, per ſe malum non eſt, quia naturale & non liberum: & ideo, qui tali complexione utitur ad dictum finem, non malè facit; quia applicata delectatio ad Divina habet ſpiritualem uſum. Igitur Auguſt. vel propriè non loquitur de pœnali peccato, vel plus juſto afficiebatur, non ſervando debitum ordinem dictæ delectationis.

4 Secundò. Idem eſt de uſu Muſicorum Inſtrumentorum, loquendo per ſe. Nam ex Lege veteri evidens eſt, non eſſe intrinſecè malum; & licèt imperfectioni Legis convenerit, non tamen per diſpenſationem poſitivam. Et in Lege Nova multi imperfecti ſunt, qui ſenſu trahantur: & de uſu Organorum conſtat eſſe antiquiſſimum, ut probat Steph. Duran. uſum verò inſtrumentorum receptum eſſe conſtat conſuetudine univerſali, etiam Romæ, quamvis in Capella Pontificiâ non judicetur ſatis gravis vel neceſſarius.

Convenit ergo, ut cùm pars Officii dicitur, percipi poſſit vi inſtrumentorum; quia ſic horum ſuavitas non erit per ſe intenta, ſtátque integritas Officii; & ideo Chorus ſine cantu ſolet recitare, organo ſupplente ſolos verſus. Ubi autem ſecreta Miſſa dicitur, ſecùs erit, quia nec ſatisfactio populi tunc plus vult, nec res caret ſuo fine; dummodo caveatur, ne partes Officii nimiùm dividantur, nec id cum tædio prolongetur. 5

CAPUT IX.

Ad quas Perſonas pertineat publicè recitare Horas in Choro?

1 Primò. Pertinet ad Perſonas Eccleſiaſticas, ſeu peculiares Eccleſiæ Miniſtros, per ſe loquendo. Conſtat uſu Eccleſiæ, qui nunquam fuit, ut more Hæreticorum Cœtuûm omnes canerent. Sed juxta Apoſtolum 1.Cor. 14. cum debito ordine, atque adeò per delectas perſonas. Cantus enim hic eſt propter cultum Dei, & excitationem populi ad devotionem cum admiratione & reverentiâ: hæc autem ceſſat, cùm munus, quia commune plebi, vileſcit, & paritur confuſio; & ideo ſemper locus Chori fuit ſeparatus à populo. c. *ſacerdotum* de Conſ. d. 2. c. 1. de Vit. & hon. Cler. Tolet. IV. c. 18.

Secundò. Munus hoc non eſt ita proprium Clericorum, quin etiam alii aſſumi poſſint. Conſtat ex c. *Pſalmiſt*. d. 23. Si enim requireretur Tonſuratus, non poſſet deputari per Presbyterum. Idem ſumitur ex c. 1. de Celebr. Miſſ. quia per Scholares non cogimur intelligere ordinatos in Minoribus. Nec *Cantor* eſt Officium Ordi- 2

Ordinis. Imò ſpectando actionem ſecundùm ſe, non repugnat eſſe communem toti populo; quamvis ſecùs ſit attentis circumſtantiis & uſu Eccleſiæ, cùm opus ſit publicum ad ædificationem Eccleſiæ ordinatum. Communitatis enim munus eſt quoad audiendum tantùm, licèt ad ſignificandam unionem mos olim fuerit conjunctim dicendi *Amen*, qui propter turbationem nunc ſublatus eſt.

3 Conſtat tamen dictum munus rectè exerceri per Religioſos Laicos, uti & per Moniales; ſemper tamen obſervando, ut perſonæ ſint Eccleſiaſticæ, ſive Clerici ſive Religioſi ſive familiares Eccleſiæ, ſtabiliter & quaſi ex officio ad id deputatæ. Abſolutè autem Laico prohibitum non eſt, ſive jure ſcripto ſive conſuetudine, ut juvet Chorum ex permiſſu Cleri; nam ſolùm ſermo erat de ſtabiliter deputatis.

4 Tertiò. Pertinet dictum munus & ad ſæculares Clericos, & ad Religioſos, quamvis diverſo titulo & ratione, loquendo de fine proximo. Prius conſtat ex uſu. Poſterioris ratio eſt, quia inſtitutio Clericorum ordinaria eſt propter uſum populi principaliter: at citra hunc reſpectum in Religioſis principaliter attenduntur ipſimet canentes. Quia enim pauci, præcipuè Juvenes, ſunt apti ad contemplandum, propterea ut notat Gerſon, *ſancti Patres videntes imperfectum noſtrum & attendentes, quàm difficile eſt otio bono uti, voluerunt occupationem bonam dare hominibus ſuis, feceruntque hoc in Orationibus & Canticis multis.*

Quartò. Non omnes Clerici occupandi ſunt in Choro, ſed illi tan- 5
tùm qui gravioribus Eccleſiæ miniſteriis occupati non ſunt. Eadémque regula ſervanda eſt in Religioſis, ut notat S. Thomas 2. 2. q. 99. a. 2. ad. 3. ex c. *In Sancta*. d. 92. ubi etiam Gratian. notat. Non enim Gregorius prohibet cantum abſolutè, cùm concedat Subdiacono; nec etiam Diacono abſolutè, ſed ſolùm ne onus ei imponatur quaſi ex debito Officii, utpote ad alia tunc temporis deputato c. *Audire*. d. 25 & c. *Sicut enim* 11. q. 1. & ne cum diſpendio aliorum munerum occupetur, ut in munere concionandi, curâ pauperum &c. Unde prohibitio non materialiter intelligenda eſt (nam mos antiquus ceſſavit) ſed formaliter de graviùs occupatis: fundatur enim in ratione naturali.

CAPUT X.

Quæ Perſonæ, & quo loco Horas publicè recitare teneantur?

1 Primò. Sub obligatione impoſitum eſt dictum munus. Conſtat ex c. ult. d. 92. c. 1. & c. *Dolentes*. de Cel. Miſſ. Non enim Officium inſtitutum

tutum eſt pro Clericis tantùm, ſed pro populo univerſo: ergo ut publicè dicatur. Idémque patet ex inſtitutione Beneficiorum magnâ ex parte c. *Cùm ſecundùm*. de Præb. c. *Quia per ambitioſam*. de Reſcr. in 6. Accidentarium enim eſt, obligationem impleri privatim, & ob defectum recitationis publicæ. Denique conſuetudo ſufficeret ad obligationem.

2 Secundò. Obligat dictum præceptum quoad Eccleſias ſæculares, ut quotidiana ſit recitatio publica in Cathedralibus & Collegiatis. Conſtat ex Clem. 1. eod. & Juribus cit. conſuetudine & ratione. Nam ſaltem principales Eccleſiæ ad dictum munus inſtitutæ ſunt: ſicut autem quoad alia inſtitutio ſeu onus à Patrono adjectum, ſervandum eſt, ita quoad præſens, ut eſt regula veriſſima Nav. nec conſuetudo prævalet, niſi rationabilis. An autem talis ſit, ſeclusâ approbatione expreſsâ Prælati; diligenter attendi debet cauſa juſta, & diuturnitas temporis cum præſumptâ bonâ fide, quia eſt aliquo modo contra æquitatem naturalem.

3 Tertiò. Idem eſt de rigore Juris de Parochiis. Patet ex d. c. 1. & d. Clem. éſtque revera primæva inſtitutio, ut pro uſu populi officia celebrentur integrè: ergo maximè etiam Horæ poſt Miſſam &c. ergo ubi accedit conſuetudo, ſervanda eſt, Jure ipſo tunc obligante v. gr. ubi eſt frequens vel nobilis populus. Secùs enim habet Conſuetudo, ubi & populus parvus eſt & cenſus; ſícque eâ ſtari poteſt, ſolùm pro feſto exſolvendo Veſperas: res enim pendet ex inſtitutione & conſuetudine.

Quartò. Etiam Eccleſia Regularis ita obligatur, juxta cujusque tamen inſtitutum & conſuetudinem. 4
Ita Communis; & ſupponitur in d. Clem. non quidem titulo Beneficii, ut conſtat, nec ob eleemoſynas vel Bona Eccleſiaſtica, quia non dantur ſub hac conditione vel ad hunc finem, ſed ut juxta ſuum inſtitutum vivant. Obligatio autem per ſe loquendo, gravis eſt, quantùm ad totum Conventum, quia ita conſuetudine receptum eſt, eſſétque magnum ſcandalum, ſi omitteretur. Licet tamen diſpenſatio ex cauſa, quia ſcandaloſa non eſt, nec etiam facilè damnanda.

Quintò. Cadit dicta obligatio 5
principaliter in Rectorem Eccleſiæ reſpectivè, & deſcendit ad ſingula membra Communitatis, non tamen eodem modo ad omnes, ſed cum proportione. Nam quoties obligatio cadit in corpus Myſticum, hujus Caput tenetur vi muneris curare implementum, cùm ejus ſit movere inferiores ad operandum, nec aliàs moraliter ſatisfieri poſſit obligationi. Ut verò Caput adſit, non eſt major ratio de illo niſi ob exemplum, quàm aliis qui utique obligan-

gantur, loquendo in communi; quia aliàs lex non impleretur efficaciter.

6 Diverſus tamen titulus eſt in Clerico & Regulari, quia ille vi Ordinationis non obligatur, ut patet de Sacerdote ſimplici. Nec d. c. ult. obligat, niſi *Eccleſiæ deputatum*, ſeu habentem Beneficium, quod vel ſpecialiter ſit propter dictum onus, vel id habeat annexum. Et prior modus eſt in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, & aliquando in inferioribus, ſive ratione proprii Beneficii, ſive ob ſtipendium temporale ad nutum auferibile; utrumque enim ſufficit. Poſterior modus eſt in Parochiis, de quo ſuprà.

7 Sextò. Epiſcopus non tenetur ad dictum onus, per ſe loquendo, niſi fortè certis feſtis, ubi conſuetudo vel publica ædificatio poſtulat. Nam neque tenetur vi Officii, utpote curis aliis detentus. c. *In Sancta.* d. 92. quod ſup. cap. expenſum eſt; neque ſpeciali præcepto ſcripto, quia d. c ult. ſilet, & c. *Epiſcopus* de Conſ. d. 3. ſolùm meminit Dominicæ, ſeclusâ *infirmitate*, & conſequenter cauſâ aliâ æquivalente; neque demum conſuetudine, quia nullus eſt, qui hanc obligationem agnoſcat, & rarus qui Chorum frequentet; nam Decani eſt illi præeſſe: ergo arbitrio Epiſcopi relinquitur, quantùm expediat ad muneris ſui ſatisfactionem.

Nec refert nunc ceſſare onus prædicandi; nam ad intelligendam obligationem Officii ſpectanda eſt propria ejus ratio ſecundùm ſe, & non quid per accidens ſit. Deinde d. c. *Epiſcopus* ſolùm dicit, *Debet*, quod ad decentiam referri poteſt, præſertim quia ſermo eſt non de propria Eccleſia, ſed vicina; ſicque non de Horis, ſed de Miſſa accipi poſſit; onera enim reſtringenda ſunt. Idem ergo eſt de aliis Prælatis, qui munus Epiſcopi exercent; quoad inferiores verò attendi debet qualitas Beneficii, inſtitutio & conſuetudo, iiſque ſtandum. 8

Septimò. Religioſus vi Legis ſpecialis non obligatur, ſecluſo voto vel præcepto ſuæ Religionis. Nam ex obligatione Corporis non ſequitur abſolutè & immediatè obligatio ſingulorum, quia cura providendi in Prælato ſufficit, qui etiam præcipiendo cogere poteſt, ſi neceſſe ſit. Solùm ergo fingi poteſt caſus, quo nec ipſe præcipiat, nec alii diligentes ſint; tunc enim publica neceſſitas omnes obligat. Cæterùm Regularem faciliùs excuſari quàm ſæcularem Clericum, conſtat, quia ſolùm tenetur vi Regulæ; ut autem ſine culpa ſit violatio ejus, ſufficit moderata cauſa ad excuſandum. 9

Octavò. Quamvis Clericus ſæcularis obligetur per ſe & ex Juſtitia, conſequenter graviter ex genere ſuo; 10

tamen

tamen ratio ſtipendii non eſt tam rigoroſa, quin admittat excuſationem. De gravitate obligationis conſtat ex pœna in d. c. ult. Quòd verò locus ſit excuſationi, tenent omnes, & per ſe conſtat. Oportet tamen, ut cauſa ſit vera, & procedatur bonâ fide: & ſi cauſa eſt diuturna, ſciri debet à Superiore. Nec melior regula eſt, quàm ut ſerventur ſtatuta, & conſuetudines, & quæ habentur de diſtributionibus in Trid. ſ. 21. ſc. 3 & ſ. 22 c. 3. ſ. 24. c. 12. de Ref. jun. c. un. de Cler. non reſid. in 6. Nam qui adſunt, recipiunt reliquum, *quavis colluſione*, *aut remiſſione* (ſeu donatione, ut expreſsè notat S. Congregatio) *excluſâ*, ut dicitur d. c. 12. Prælati tamen faciliùs excuſantur quàm alii; qui autem ſerviunt in Sacriſtia &c. utique ſatisfaciunt, nam obligatio ad plura ſemper intelligitur, quatenus compatibilia ſunt.

Nonò. Locus, in quo dictum munus implendum eſt, conſtat Templum eſſe. Ita Jura cit. Nam finis loci eſt eſſe Domum Orationis, utique publicæ, quia & decentia ac ſolemnitas Officii ita poſcit, & quies ac devotio orantium, móſque ipſe antiquiſſimus eſt. Peculiariter etiam ibi aſſiſtit Deus. 2. Par, 7. junctis Angelis, ut myſticè applicatur pſ. 67. *Principes conjuncti &c.* & ideo locus dæmoni terribilis eſt, maximè propter Evchariſtiam, Reliquias & Imagines Sanctorum, ut minùs turbare poſſit, & Deus promptiùs auxilietur. Denique in caſu neceſſitatis licebit alibi canere, ut docet Clem. l. 8. Conſt. c. 34. 11

CAPUT XI.

Quodnam Officium in Choro cantandum ſit?

1 Primò. Obligatio eſt ad formam Romanam. Conſtat ex Bulla Pii V. ubi alia recitatio declaratur invalida ad ſatisfaciendum, demptâ illâ quæ per conſuetudinem 200. annis priorem Pio comprobata eſt. Poteſt tamen cum conſenſu Epiſcopi & Capituli ab ea recedi & Romana acceptari, non verò abſque illo. c. pen. & ult. d. 12. ut poſitâ acceptatione reditus non datur, quia jam renuntiatum eſt Privilegio, omniſque conſuetudo contraria dicto Decreto Pii invalida eſt, quia irritata.

Secundò. Obligatio eſt ad Officium diei. Nam maximè ponitur pro Choro. juxta Jura cit. & c. *Convenit.* de Conſ. d. 5. éſtque neceſſaria uniformitas publica, quia mutatio cedit in ſcandalum, & ideo ex genere ſuo gravis eſt. Poteſt tamen Prælatus ordinarius, non quidem perma- 2

manenter, ſed in una alteráve occaſione gravi diſpenſare, ut tenent Arm. Tab. Nav. Antonin. Idémque eſt de Prælato Religionis.

3 Tertiò. Similiter obligatio eſt ad ſervandum ordinem juxta Horas & partes earum. Nam uterque eſt per ſe intentus; & aliàs deſtruitur artefactum quà tale, ſcandalúmque generatur, & Myſteria eluduntur, propter quæ ſignificanda inſtitutæ ſunt Horæ & earum ordo. Unde etiam non licet interpolatio, niſi quæ ſit juxta inſtitutionem, ut inter Horas, Nocturnos & Laudes; nam ſecùs agitur contra unitatem Horæ & contra Ritum ac conſuetudinem publicam. Excuſat tamen neceſſitas vel ignorantia non craſſa cum bona fide, ortâ ex probabili occaſione, loquendo de Choro toto.

Si autem à privato fit, jam eſt 4 virtualis omiſſio; & ideo judicanda eſt ex obligatione cantandi & quantitate materiæ, maximè ſi omnino non recitet. Monent enim omnes Doctores, ne quid tunc repetatur, ſed vel nulla ratio habeatur omiſſi, ſi parum ſit; vel poſt finitum Officium expleatur: quod jam eſt contra debitum ordinem. Quòdſi interruptio eſt commiſſiva, ut loquendo vel agendo quid incompoſſibile, creſcit culpa c. *Dolentes* de Cel. Miſſ. Clem. 1. eod. c. *Nullas* de Conſ. d. 1. nam præter irreverentiam, quâ quis convertitur à Deo ad hominem, alii impediuntur, alii ſcandalizantur.

CAPUT XII.

An ſatisfiat canendo alternis vicibus; & quid in hoc ſervandum ſit?

1 Primò. Qui alternantem audit, ſatisfacit officio pſallendi. Nam ſic temperavit Eccleſia inſtitutionem, quæ antiquiſſimà eſt, ut conſtat ex Baſilio. Ambr. Damaſo (probante illam pro tota Eccleſia) & Ignatio, qui Angelorum ſic alternantium viſionem habuiſſe fertur. Sufficítque illud, *Clamabant alter ad alterum*; ſícque tota Pſalmodia eſt *Antiphona* ſeu contracantus; facítque & ad oblectandum & ad minuendum laborem & excitandum ſpiritum linguâ quieſcente. &c.

Secundò. Qui partem ſuam nec 2 cantat, nec recitat, neutiquam ſatisfacit. Non enim præceptum eſt de audiendis, ſed recitandis Horis modo per Eccleſiam præſcripto: qui non ſervatur audiendo tantùm.

Tertiò. Satisfacit obligationi re- 3 citandi, qui non cantat, ſed partem ſuam ſubmiſsè recitat. Nam aliàs non prævaleret hæc conſuetudo,

do, utpote contra obligationem recitandi totum Officium: eſséntque reſtituendi fructus, contra communem ſenſum. Idémque foret in privata Oratione, ſocio non audiente, ut tamen ſæpe illa fit à timoratis; nec cùm tres ſunt, neceſſe eſt audire omnes. Licèt autem alteri non communicem meam, illius orationem communico mihi, meáque eſt pars Officii privati; ſícque ceſſat ratio metaphyſica Cajet. Denique non ſequitur dimidium recitari poſſe in cubiculo, quia Eccleſia vult alternationem verſuûm in recitando & audiendo, & ideo non ſufficit à parte Chori dici totum Nocturnum.

4 Quartò. Recitans tantùm, non ſatisfacit obligationi Chori, per ſe loquendo. Oppoſitum enim incredibile eſt, ſpectando inſtitutionem primam, perinde ac ſi conductus ad vineam, ſolùm præſens eſſet. c. ult. d. 92. ibi: *ad Pſallendi Officium conveniant*; & ſupponit Trident. ſ. 24. c. 12. de Ref. aliàs non præciperet compelli: & quia non eſt major ratio de uno, quàm aliis, poſſent omnes tacere, cùm tamen reditus dentur propter pſallendum: ergo pro rata ſeu dimidio (præſentia enim non eſt nihil) diſtributiones amittuntur. Nec plus vult Conſt. Pii V. *Ex proximo*, quia ſolùm dicit; *Non recitans*; & aliàs etiam reliqui fructus amitterentur; quod nemo hactenus dixit.

5 Quintò. Secùs eſt, loquendo de Statuto, ſeu Fundatione ac conſuetudine ſolam præſentiam poſtulante. Nam talis Fundatio nec eſt contra Jus naturale, nec contra poſitivum, quia d. c. ult. intelligitur cum diſtributione accommodâ, ut præſtetur id ad quod quiſque deputatus eſt. Et Trid. ſuprà agit de Collegiatis, ſupponendo fundationem juxta Jus commune, non prohibendo aliam: & in diſtributionibus ſolùm meminit Præſentiæ, & etiam ſ. 21. c. 3. petítque ſ. 22. c. 3. *Competens ſervitium* juxta formam ab Epiſcopis præſcribendam. Idem ergo eſt de conſuetudine, quam hîc fatetur Cajet. eſſe optimam interpretem.

Suppono enim, non minui notabiliter Divinum cultum; aliàs conſuetudo eſſet irrationabilis contra Religionem & Juſtitiam, quia non fit Officium, propter quod datur Beneficium, ergo proviſum eſſe debet de Capellanis & aliis Miniſtris inſtitutis & conductis, qui cantare tenentur; & ita aliorum cantus parùm vel nihil confert. Eſtque veriſimile, ab eorum Beneficiis fructus detractos eſſe, ſícque cum emolumento etiam onus pro rata translatum in adjutores, ita ut totum ſtipendium pro Choro detur aliis ut cantent, aliis ut aſſiſtant, quamdiu de contraria inſtitutione non expreſsè conſtat. Nam ſic nec Pio V. repugnatur, nec d. c. ult. nec Tridentino, ſolùm excludenti ſubſtitutos in Officio Miſſæ, & quoad Chorum tantùm petenti 6

tenti præſentiam Canonicorum; qui propriè non cantant per Vicarios, utpote solùm deputati ad præſentiam, non ad cantandum, ſuppoſitâ dictâ inſtitutione vel conſuetudine.

7 Sextò. Non tenetur pars, alterâ cantante, quidquam loqui. Eſt certiſſimum, & patet ex ipſa inſtitutione alternationis, & uſu omnium prudentum. Nec aliter expedit, nec rectè fit, nec ſemper ſine culpa aut ſcandalo aliquo propter turbationem quietis & tædium aliorum. Tenetur tamen qui tacet, attendere, quia tenetur toti Officio integrè adeſſe, ſive totum dicendo, ſive partem quam non dicit, audiendo. Nec refert jam recitâſſe & poſtea diſtrahi; quia debet totam Orationem publicam facere ſuam, nec eſt melioris conditionis quàm is qui rectiùs non recitat, nec abuti devotiunculâ ad evagandum. Sic, qui adeſt Miſſæ ſolenni, non poteſt privatim recitare Symbolum, & poſtea evagari.

Similiter quoad Lectiones &c. 8
ſervandus eſt ritus Eccleſiaſticus & conſuetudo. Nam id & ſufficit, & ordinariè vel neceſſarium eſt vel magis expediens; quia magis conſentaneum regulis orandi ab Eccleſia præſcriptis. Quòdſi omitti quid contingat, non oportet eſſe ſcrupuloſum, nec ſollicitum de repetitione; quia & materia levis eſt, & ſæpe ſine culpa omitti poteſt per juſtam occaſionem, etiam valde levem; & licèt fuerit culpa aliqua, per repetitionem non emendatur, ſed ſequentia impediuntur.

CAPUT XIII.

De culpa, quæ omittendo vel mutilando Officium Chori &c. committitur.

1 Primò Omittere omnes Horas per diem integrum, mortale eſt. Conſtat à fortiori ex obligatione recitationis privatæ. Imputatur autem omiſſio præcipuè ei, cui cura incumbit. c. 1. de Col. Miſſ. & dein cooperantibus. Alii enim per quos non ſtat, excuſantur, quia ſoli dicere non poſſunt.

2 Secundò Idem eſt de omiſſione integræ Horæ publicæ; nec Prælatus diſpenſare poteſt, niſi ita urgens neceſſitas ſit, ut prudenter judicetur, præceptum non obligare. Conſtat a fortiori ex omiſſione privatâ; nam & materialis actio gravior eſt, & reſpectu Eccleſiæ ac Dei major diminutio cultûs Divini. Imò gravitas partis penſanda eſt ex dignitate, ſingulari neceſſitate, quantitate abſolutâ, quia ſufficit omiſſio integri pſalmi voluntaria; & omiſſio ſolennis initii *DEUs in adjutorium*, vel *Magnificat* graviùs deformat quàm ſi ſit verſuum aliquot.

Tertiò,

3 Tertiò. Si privatus quid omitrit in Choro, peccat, per ſe loquendo. Non enim ad quod tenetur ex Juſtitia & præcepto Eccleſiæ, totum implet. Et licèt animus ſit ſupplendi, adhuc culpa eſſe poteſt mortalis, quia obligatio & actio orandi cum Choro non poteſt ſuppleri privatim, cùm ſit actio præterita, loquendo de propria omiſſione. Secùs enim eſt, ſi ſit commutatio ſeu potiùs applicatio Privilegii abſentiæ ad hunc potiùs quàm diem alium.

4 Quartò. Omiſſio partis, quæ non eſt digna privatione Diſtributionis reſpondentis Horæ, eſt venialis, ut ſi eam percipit ingrediens ad finem primi pſalmi. Nam credibile non eſt diſſimulari mortale, ſícque ex ſtatuto per ſe apparet levitas materiæ; *per ſe*, inquam, ſecùs enim eſt, ſi animus ſit formalis vel virtualis ſic detrahendi quid de ſingulis Horis. Nam objectum ſimul ſumptum, eſt grave quid, cùm ſervitium ſit quaſi totum quoddam: & dictus animus eſt purè ſervilis ac promptus ad omnia, ſi per pœnam licet: ergo neceſſe eſt bonâ fide procedere; & tunc erunt venialia multiplicata.

5 Non tamen formalis illatio eſt, omiſſionem omnem, quæ dictâ privatione punitur, eſſe mortalem. Nam etiam levia puniuntur, ut cùm quis adeſt poſt finitum, *Venite exultemus* &c. quod tamen in privata recitatione non poteſt damnari ut grave, nedum in Choro. Imò Graff. & Sylv. volunt, etiam abſentiam unius diei non eſſe gravem, ſi aliàs quis diligens ſit. Quod certè non eſt improbabile, quamvis favendum non ſit licentiæ; quia ſi facilè vel frequenter ſumitur, grave periculum eſt peccandi mortaliter, cùm difficile ſit in his rebus moralibus definitum arbitrium in particulari ferre. Porrò ſolutio mulctæ non excuſat culpam; nam Eccleſia privatur ſervitio ex Juſtitia debito. Denique cavenda eſt fictio excuſationis; aliàs injuſtè percipitur Deſtributio cum onere reſtituendi.

Quintò. Omnis modus canen- 6
di cum aliqua mutilatione verſuûm & verborum, de ſe peccaminoſus eſt, ordinariè quidem venialis, interdum verò mortalis. Patet ex c. *Dolentes* de Cel. Miſſ. Clem. 1. eod. éſtque per ſe evidens: nam qui debet totum, nil poteſt detrahere, creditore invito. Ordinariè tamen ſyncopatio non fit continuè, ſed in uno alteróve verbo; ſícque levis eſt, per ſe loquendo, ut vult Navar. quia ſecùs ſit, ſi ex omiſſis fiat pars notabilis. Tamen aliud eſt, quod fit à Choro, aliud, quod à privato: nam illud per ſe ſcandaloſum eſt, & præcipuè imputatur Regenti; vel ſiquis ſolus loco Chori ſic cantet, defectus per ſe turpior eſt. Poſterius regulariter eſt veniale, & ſi pars eſt notabilis, reparabile.

Sextò. Similiter peccatur per ni- 7
miam celeritatem. Ita Conc. Baſileen. ſeſſ. 21. Non enim fit moraliter

ter ſine ſyncope, & per ſe impedit attentionem tum canentis tum audientium, conſequenter & fructum intentum. Et licèt non ſit exceſſus abſolutè, reſpectivè eſſe poteſt, propter pauſam, quæ in diebus ſolennioribus adhibenda eſt juxta Baſil. Non tamen mortale eſt ſecluſô contemptu, ſcandalo, aut nimiâ deformitate in toto cantu.

8 Septimò. Etiam additio prohibita eſt, per ſe loquendo. Vel enim fit per modum partis, quaſi Ritu perpetuo; vel ex indiſcreta devotione tantùm, ut addendo commemorationem Sancti, proprias Lectiones, Antiphonas; vel per modum partis, ſed concomitanter ad majorem ſolennitatem, ut cantando Mottetum &c. Si 1mum, uſurpatur Juriſdictio; quia compoſitio pendet ex inſtitutione, & hæc ex poteſtate. Si 2dum, idem eſt in materia gravi, præſertim junctâ omiſſione Lectionis &c. præſcriptæ; ſecùs autem excuſatur à gravi. Si 3tium, per ſe loquendo licitum eſt, ut patet ex uſu Eccleſiarum, quas docti & graves Prælati gubernant; & nullibi prohibitum eſt. Imò in primitiva Eccleſia quisque cantabat pſalmos ſuos, & linguâ vernaculâ &c.

Dixi *per ſe loquendo.* Nam ſi cantus indecens eſt, ratione materiæ excuſari nequit à gravi propter magnam irreverentiam, niſi obſtet ignorantia vel levitas materiæ non impuræ. Quòd ſi modus ſoni valde profanus ſit, excuſari poteſt à gravi, niſi tanta ſit accommodatio ad materiam laſcivam, ut moraliter non cadat excuſatio; ſecùs enim non ſufficit miſceri quid vanum aut ad delectandos animos. Denique conſtat, à Pio V. abrogatum eſſe onus recitandi Pſalmos Pœnit. & Graduales, & Officium Virginis & Defunctorum: unde ſolùm conſulenda ſunt cujusqne Eccleſiæ Statuta, ſuppoſito uſu Breviarii Romani; nam ad veterem non extenditur dicta abrogatio. 9

CAPUT XIV.

De Attentione ac Devotione ſervandâ in Choro, & circumſtantiis externis.

1 Primò. Obligatio eſt celebrandi Officium *ſtudioſè* ſeu integrè, & *devotè* ſeu attentè. Ita c. *Dolentes* de Celeb. Miſſ. Nam ex particula *Diſtrictè præcipientes* &c. conſtat ferri rigoroſum præceptum: id autem cadit in totum quod ſubditur: ergo in dictas particulas *Studioſè* & *Devotè.* Et aliàs Canon ſine fructu foret, ſi recitationem tantùm, & non modum præciperet: agit enim de medio occurrendi vitiis, de quibus ibi fit deploratio. Nec obſtat particula *Quantùm Deus dederit*, quia non

non petitur devotio, niſi quam homo poteſt & debet præſtare, applicando ſe debitè.

2 Secundò, Non fertur præceptum duplex d. c. *Dolentes*, ſed unum declarans duas conditiones per ſe neceſſarias, integritatem & attentionem. Nam licèt affirmatio & negatio formaliter contrariæ videantur, tamen affirmatio unius continet virtute negationem contrarii, ſicut præcipiens amare, prohibet odiſſe: ergo ſimiliter præcipiendo attentionem, prohibetur diſtractio ad vana &c. Unúmque præceptum eſt, cùm plures conditiones, ex quibus unus actus conſurgit unius bonitatis moralis, declarantur; ſicut idem eſt præceptum reſtituendi & reſtituendi integrè. Quod maximè procedit, ſi particula *Devotè* referatur ad internum actum, qui non poteſt directè & per ſe præcipi, ſed ut componit unum actum cum externo.

3 Hinc per particulam, *Hæc & ſimilia* &c. non prohibentur omnia quæ in priore parte narrantur, ſecundùm ſe ſpectata, ſed ſolùm ut opponuntur rectæ Orationi. Nec enim huc pertinet vanum colloquium, ut fit extra Orationem; nec etiam commeſſatio nocturna, niſi ut impedit Orationem diei ſequentis. Porro præceptum de modo interno orandi, novum non eſt, ſed tam antiquum quàm ipſum præceptum orandi, quia non oratur DEUS ore ſine corde. c. *Cantantes*. d. 92.

Tertiò. Obligat dictum præceptum, ut eſt de attentione interna, etiam pro Choro; & interdum ſub mortali violari poteſt. Prior pars ab omnibus recepta eſt, quia Jura cit. cum Clem. 1. de Celebr. Miſſ. maximè loquuntur de Oratione publica. Quantùm ad alteram, Concil. Lateran. ſolùm obligat non recitantes: ergo omiſſio attentionis vel contra Religionem eſt; vel ſi contra Juſtitiam, quoad modum tantùm qui poſtea ſuppleatur: ergo mortale fit, cùm indevotio prodit in actiones externas, de quibus Jura cit. quia vix eſſe poſſunt ſine gravi ſcandalo, aut cantantium impedimento. 4

Si verò hæc abſint, non facilè negligentia damnanda eſt, ut mortalis, cùm Canonici ſolùm teneantur aſſiſtere. Stipendiarii verò, eſto revera non orent, ſatisfaciunt cantando, quia carent titulo Beneficii. Nec omnino ceſſat Oratio Chori ut talis, quia Miniſtri principales ſemper accedunt cum animo Deum laudandi, nec poteſt non aliquis eorum attendere ſaltem ad materialem litteram, & ita licèt unus non attendat, attendet alius. Quoad circumſtantias nihil ſpecialiter expreſſum eſt de Jure, ſed loci ſtatuta ſervanda ſunt, ut de veſte talari &c. 5

CAPUT XV.

De Tempore ſingulis Horis præſcripto pro Choro.

1 Primò. Tempus competens ſervandum eſt. Ita Baſileen. Conc. ſeſſ. 21. c. 1. de Cel. Miſſ. Clem. 1. eod. Competens, inquam, utique juxta conſuetudinem cujsque loci præſcribendum à Prælato; nec enim certior regula tradi poteſt: & ita Matutinum dicitur mediâ nocte (accipiendo tempus uſque ad auroram) in quibusdam locis; in aliis, ut Romæ in Capella ſub auroram; aliis, horâ poſt ſolis occaſum. Quâ varietate fit, ut DEUS ſingulis horis laudetur. Cajet. vult, negligentiam dicti temporis non eſſe mortalem, quia non eſt contra ſubſtantiam. Sed profectò aliud eſt, non eſſe contra ſubſtantiam præcepti; aliud, non eſſe de ſubſtantia actionis præceptæ, ut patet in celebrando ſine veſtibus ſacris. Conſtátque minùs licere mutationem in publico, quia tempora hæc ſunt propter populum, ut ſi vult, poſſit convenire: ergo res de ſe gravis eſt, & ad commune bonum pertinens; quòd enim in aliquo loco ratio ceſſet, per accidens eſt.

Secundò. Loquendo in particu-
2 lari, nimiùm reſtringenda non eſt arctatio ad tempus. Nam juxta omnes, Horæ habent magnam latitudinem, ut ex praxi conſtat. Sicut autem proprium tempus ad conſuetudinem revocatur, ita etiam judicium de gravitate ſumi debet ex communi judicio: at ſecluſo ſcandalo (quod rariſſimum eſt) præventio vel dilatio unius Horæ non reputatur gravis. Secùs eſt, ſi Matutinum uſque ad tempus Miſſæ differatur, vel Completorium ante meridiem dicatur, Veſperæ in Quadrageſima poſt illam; quamvis in omnibus conſuetudo conſulenda ſit. Prælatus denique diſpenſare poteſt, ut propter Proceſſionem; quamvis cauſa major eſſe debeat in mutatione publicâ quàm privatâ.

Loquendo de ſingulis Horis (de 3
Matutino dictum eſt) Primæ initium eſt juxta Hymnum, orto jam ſole ſupra horizontem, quamvis de conſuetudine anticipetur mediâ horâ, imò Laudibus (ubi manè recitatur Matutinum) conjungi ſoleat. Tertia, Sexta, & Nona vel accipiuntur pro hora certâ diei artificialis, ut ex Evangelio notatur, vel pro quarta parte illius; ſed ſic in fine diei diceretur Nona. Servatur ergo alia conſuetudo, ut nunc Completorium jungitur Veſperis, incertúmque eſt de tempore antiquo, an per horam lucernariam intellectum ſit tempus poſt ſolis occaſum, an antecedens.

CAPUT XVI.

An Clerici omnes vi Ordinationis teneantur ad Horas?

1 Primò. Clerici in Sacris tenentur. Conſtat ex Conc. Baſileenſ. & uſu omnium. Abb. Nav. Turrecr. volunt teneri de Jure Divino. Sed neque eſt ſcriptum juxta omnes, neque traditum ab Apoſtolis, neque Naturale, neque Ordini connaturale; quia ſolâ ratione non convincitur, nec manat ex Charactere; aliàs juxta probabiliorem de hoc, etiam conſtituti in Minoribus tenerentur, & olim Subdiaconi. Dein conſtat inſtitutionem Officii eſſe Eccleſiaſticam: ergo idem eſt de præcepto.

2 Si dicas, præceptum quoad determinationem tantùm eſſe Eccleſiaſticum: quæro de diſpenſato quoad hanc, ad quid teneatur? ut ſepties oret cum David? ergo & Reges? David refert factum ſuum, non Jus; & adhuc probabile eſt, non ſemper in Eccleſia morem fuiſſe tot temporum. Dein eſto ſpecialior obligatio ſit Clerici ad laudandum DEUM; unde eſt ad recitandum quotidie? & demptâ hac frequentiâ, quomodo ad praxin deducitur Jus Divinum? cur non ſufficit dicere Roſarium? & ſi hoc, cur non Oratio ſine forma certa? & cur non mentalis? Igitur Sacri Ordines pro Sacrificio tantùm habent determinatum miniſterium ex Jure Divino: ut autem extra illud quis ſit Delegatus Eccleſiæ, requiritur hujus determinatio.

3 Secundò. Neque ex Jure ſcripto conſtat de dicta obligatione Clerici in Sacris. Nam c. *Si quis Presbyter* d. 92. agit de Deputatis ad Chorum; & in c. *Presbyter* d. 91. non agitur de Diacono & Subdiacono. Vox autem *Sacerdos* æquivoca eſt, nunc latiùs patens, quaſi *dans* vel *faciens ſacra*; nunc ſignificans Sacerdotem & Diaconum tantùm. c. *Unico.* d. 52. nunc Epiſcopum tantùm. c. *Legimus.* d. 93. & ideo c. 2. de Coh. Cler. & Mul. rectè additur interpretatio, id eſt, *Presbyter*, *Diaconus* &c. ut conſtet, eâ non adjectâ, Jus non eſſe expreſſum, & ideo reſtringendum, cùm agitur de onere. Vox autem *Presbyter* uſu Scripturæ & Eccleſiæ ſignificat majus quid Diacono, nec ullibi reperitur in ſignificatione generaliore.

Tertiò. Conſtituti in Minoribus non obligantur. Non enim de Jure Divino, quia non prævaleret conſuetudo generalis, ut inconſtanter ſubdit Abb. Non de Jure humano ſcripto, ut oſtenſum eſt. Non ex conſuetudine modernâ: antiqua autem ad rem non eſt, & ſine fundamento narratur. Nec obſtat c. *Dolentes* de Cel. Miſſ. quia *Minores* contraponit Prælatis. & ad ſummum intelligendum eſſet juxta d. c. *Si quis Presbyter*; nec de exercitio, ſed ſpecificatione actûs tractat. Addunt, ex conſuetudine obligationem eſſe ad Officium Virginis vel Pſalmos Pœnit. Sed Nav. fatetur, uſum non eſſe generalem; nec Epiſcopus pro ſemper imponere poteſt, quia conditio nimis gravis eſſet. 4

CAPUT XVII.

An Religioſi Profeſſi teneantur, licèt non ordinati in Sacris?

1 Primò. Vi Profeſſionis non ſequitur dicta obligatio. Patet in Religione Laicorum, Militum &c. & ubi non eſt deputatio ad Chorum, ſed ad alias actiones ſpirituales &c. Idem eſt de Novitiis, quia non veniunt in onerofis nomine Religioſi; ſufficítque pro exemptione, habere alia onera diſciplinæ &c. De Converſis idem fatentur omnes, éſtque clarum de Jure: de conſuetudine autem teſtantur communiter Doctores.

2 Secundò. In Deputatis ad Chorum dicta obligatio non eſt de Jure Divino. Vel enim ratione cultûs Divini, vel ratione Juſtitiæ, quòd ideo alantur, ut orent pro populo? Non 1mum, quia cultus latiſſimè patet, nec ad determinatum obligatio eſt niſi ex voto vel præcepto Regulæ. Non 2dum, quia aluntur per modum abſolutæ donationis (niſi aliud in Fundatione expreſſum ſit) nec propter hanc potiùs quàm aliam actionem ſui ſtatûs; nec etiam approbatio ejus trahit ſpecialem obligationem ad hoc illúdve. Et dato, quòd ſit ad Chorum, non propterea deſcendit ad ſingulos, loquendo per ſe & immediatè, juxta dicta ſuprà.

3 Tertiò. Conſuetudine inducta eſt dicta obligatio. Conſuetudinem fatentur omnes, præter Cajet. dicentem: *De qua nihil ſcio.* Sed non eſt tutum, eum ſequi in re gravi, multúmque pertinente ad munus Religionum, quæ deputantur ad Chorum. Aragon. vult, non tam graviter obligari Religioſum quàm Clericũ. Sed vel admittitur conſuetudo ut obligans, vel non? Si 1mum, etiam in Clerico aliunde non eſt obligatio. Si 2dum, ergo continuata omiſſio non obeſt; & tamen (ut ipſe ait) judicio & conſenſu bonorum & ſapientum non excuſatur.

4 Nec refert, ceſſare obligationem, cùm quis arbitrio Prælati fit Converſus; nam ſimiliter ceſſat in Clerico, ablatô Beneficiô: fundamentum ergo obligationis non eſt nuda Profeſſio, ſed Profeſſio ad Chorum. Quod fundamentum non ceſſat in fugitivo, damnato ad triremes, vivente in ſæculo, ſed ſolùm uſus ſtatûs mutatur, ſicut ſi perpetua eſt diſpenſatio, ut manens in Monaſterio nunquam eat ad Chorum.

CAPUT XVIII.

An Clerici Beneficium habentes teneantur ad Horas recitandas.

1 Primò. Conſtat teneri, ut docent omnes. Citatur c. *Si quis Presbyter.* d. 92. quamvis enim de Choro agat, recipitur pro Lege, inferendo à fortiori obligationem privatam. At c. *Quod à ſe*, & c. *Diverſis* de Conv. Conjug. parùm probant, nam eſſet argumentum à genere ad ſpeciem affirmativè. Probat verò Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 9. in Bulla Reform. Curiæ §. *Statuimus.* jun. Pio V. Conſt. 138.

2 Secundò. Propriè de Jure naturæ non eſt dicta obligatio. Vel enim eſſet reſpectu Benefactorum; vel quia Beneficium datur propter officium c. ult. de Reſcr. in 6. c. *Cùm ſecundùm*, de Præb. c. *Si quis Sacerdotum* & c. *Eos etiam.* d. 1. vel ſuppoſitâ inſtitutione Eccleſiæ? Non 1mum, quia ſolùm eſſet obligatio gratitudinis, ſecluſo præcepto vel pacto: hæc autem aliis modis expleri poteſt, juxta dicta ſuprà. Non 2dum, nam eſt illatio à genere ad ſpeciem affirmativè, cùm plura ſint miniſteria, ut in Parocho, Epiſcopo &c. & in Canonicis ſufficiat aſſiſtentia. Non 3tium, quia ſic totum reducitur ad præceptum Eccleſiæ volentis, ut dictum Officium ſit primum & fundamentale.

3 Tertiò. Pluralitas Beneficiorum non multiplicat dictam obligationem; quidquid dubitet Nav. Nam etiam per Ordines, Profeſſionem & Beneficium multiplicantur tituli. Dein res non eſt Juris naturalis: humanum autem ſcriptum hîc non eſt; & non ſcriptum ſeu conſuetudo indubitanter recepta convincit oppoſitum, ut dubio morali locus eſſe non poſſit. Denique ſi ratione ſtipendii duplicis creſcit onus, vel id attenditur reſpectu dantium, vel reſpectu Eccleſiæ ordinantis onera? Si 2dum, jam rejectum eſt. Si 1mum, Fidelium eſt dare Decimas, non ordinare onera: & ſi Fundator id intentet, tam alienum eſt ab uſu Eccleſiæ, ut rejiciendum ſit, nec juſtum ducendū.

Confirm. quia ſtat vis impetrationis etiam pro pluribus, c. *Non mediocriter* de Conſ. d. 5. nec eſt obligatio ſemper optimo modo orandi. Poſſeſſor autem injuſtus plurium, eſto multiplicet, prodeſſe non poteſt ſine titulo: ergo ſi hic non tenetur ad multiplicandum, minùs alii. Igitur ſicut ſæpe aliàs, ita & hîc ſolutio plurium titulorum fieri poteſt actione unâ; quamvis contrarium contingat, quando vel ex natura rei vel ex præcepto ita conſtiterit, ut in Capellaniis. 4

CAPUT XIX.

An Beneficium obliget vi ſolius tituli, vel etiam Poſſeſſionem requirat.

1 Primò. Solus titulus non ſufficit. Ita Turrecr. Palud. Cajet. Soto Arm. & inclinant alii Summiſtæ. Nam aliud nec jure nec conſuetudine nec Authoritate probatur, quia non cenſetur quis ante poſſeſſionem pacificam habere perfectè & conſummatè Beneficium, argum. c. *Licet Epiſcopus.* de Præb. in 6, ſed ultra jus proprietatis rectè requiritur utile, ut obligatio ſit laborandi in vinea. Quòd verò ſpes ſit fructuûm, per accidens eſt, quia & incerta eſt propter mille impedimenta, quæ moveri ſolent; & non eſt univerſalis, ut patet in Canonicis quoad annos carentiæ poſitos in utilitatem Eccleſiæ, pauperum &c.

2 Secundò. Licèt onus adhæreat, ſi per proviſum ſtet, quòd careat poſſeſione; ſecùs eſt, ſi ab hac impeditur per litem. Nam fraus vel negligentia prodeſſe non debet Beneficiario, nec obeſſe Eccleſiæ. Contrarium poſterioris partis vult Navar. dicens eſſe *ſecundùm omnes, quidquid magis Theologi quàm Canoniſtæ ſenſerint.* Sed nec Authorem in particulari citat, nec Jus quod Theologum cogat à Theologis diſſentire; nec ratio, quòd poſteà fructus percepti cedant vincenti, convincit.

Nam contingit, ùt Actor non vincat; & ideo ordinarium conſilium eſt & ferè optimum, ut compoſitio fiat propter moram & diſpendia Litis. Dein vel alter poſſidet, vel neuter? Si 1um, ergo penes illum ut tota adminiſtratio, ita etiam hæc obligatio eſt, non autem penes duos. Si 2dum, ergo obligatur injuſtè litigans; & in cauſa dubia utrinque nec duplex Officium peti poteſt nec unum ab hoc potiùs; ſed Beneficium eſt quaſi vacans; ſicque per accidens eſt Eccleſiam pati. 3

CAPUT XX.

An juſtè poſſidens Beneficium, & non recipiens fructus, excuſetur?

1 Primò. Adeptâ poſſeſſione pacificâ, ſtatim quis tenetur, licèt fructus non ſtatim habeat, ſed ſpem certam obtinendi. Ita ferè omnes Doctores. Nam Jus ſuum habet perfectè, nec ei debentur fructus anticipatò; aliàs qui non ſtatim eos percipit, non teneretur; quod ridiculum eſt. Nec variat rem, quòd exſpectatio longior vel brevior ſit, cùm terminum certum nec jus, nec conſuetudo ponat, quamvis deſit omne emolumentum: ergo ſicut talis ad cætera vi adminiſtrationis, ita ad præſens tenetur.

2 Secundò. Qui Beneficiũ & adminiſtrationẽ acceptat cum onere ſolvendi omnes fructus in penſionem, non liberatur; ſed ſi Sacerdos eſt, peccat titulo duplicato. Nam volenti non fit injuria, nec cedenti jus ſuum: Eccleſiam autem fraudari debito officii, contra Religionem & Juſtitiam eſt: ergo Papa onus non ſuſtulit, nec privatus tollere potuit, ſicut nec in Curato onus Curæ aut in Canonico onus Chori, aut ſi abſit, recitationis privatæ. Denique Penſio ſemper intelligitur, ſalvo emolumento Diſtributionum, Oblationum &c.

3 Dixi, *& Adminiſtrationem*: nam ſi hæc transfertur in Penſionarium, ergo ipſe obligatur, non titulo Beneficii, ſed totius adminiſtrationis: & alter quia non poteſt ſervire, etiam obligari nequit ſolâ retentione tituli, ſicque renuntiatio ſolùm videtur eſſe quaſi jus ſuccedendi: tamen quia acquiri non poteſt niſi translato Beneficio, jus eſt in re; quamvis ut ſine emolumento, ita ſine onere.

Tertiò,

Tertiò. Non obſtat privatio fru-
4 ctuûm pro primo vel ſecundo anno
ex conſuetudine præſcriptâ & juſtâ.
Vel enim reſervantur menſæ Epiſco-
pi, vel Capitulari, vel Beneficiato
pro funere, hæredibus &c. vel cauſæ
piæ? ſi 1ũ. conſuetudo eſt irrationa-
bilis & ſimoniaca, juxta Trid. ſ. 24.
c. 14. de Ref. & Pii V. Conſt. *Durum*
106. perſtat tamen onus, quia ex
omnium ſententia ſufficit emolu-
mentum diſtributionum, éſtque ob-
ligatio chori: ergo & privatæ recita-
tionis. Si 2dum, idem eſt, præſer-
tim ſi conſuetudo eſt *juſta*, ut tole-
rari poſſe improbabile non eſt. Si
3tium, nec umbra eſt Simoniæ vel
avaritiæ; éſtque ſolùm dilatio fru-
ctuûm, ad quos ſtatim acquiritur
jus; ſicque evidens eſt obligatio,
eſto negarentur (juſtè vel inju-
ſtè) etiam Diſtributiones.

Si 4tum. Conſuetudo tenet jux-
5 ta Trid. & Pium, quamvis cum li-
mitatione X. *Suſcepti*. de Elect. & X.
un. De ſede vac. ut ſolùm pars
dimidia reſervetur. Licèt autem li-
mitatio recepta non ſit, & conſue-
tudo tenet & obligatio Beneficiati;
quia aliàs illa tenderet in diminutio-
ne cultûs Divini, conſequenter ra-
tionabilis non foret. At fructus
ſunt copioſi, qui dantur ut ſtipen-
dium à die poſſeſſionis, & præterea
cedunt Diſtributiones Chori: ergo
ut hujus, ita privatæ Orationis onus
manet, cùm hoc non debeat eſſe
pejoris conditionis quàm illud.
Quòd ſi etiam Diſtributiones ne-
gentur, dubium erit generale; ta-
men Concluſio tenet; quia ſolùm
loquitur, cùm conſuetudo juſta eſt.

Quartò. Non refert propriâ vo- 6
luntate vel culpâ fructus non perci-
pi. Non enim ob hoc Eccleſia pri-
vari debet ſervitio ſuo; & alter vel
non reſidet nec ſervit, quia excom-
municatus &c. vel incapax eſt, ut
puer &c. & ſervit per Vicarium, vel
ejus loco percipit Pater, nepos. Si
ultimum; ergo fructus percipit,
quamvis per alium. Si 1mum, ſibi
imputet. Si 2dum, imputet ſuæ
ineptitudini, quòd Vicario egeat,
cujus Congruæ cedere debeant fru-
ctus omnes: obligatio enim reci-
tandi eſt perſonalis ex conſuetudi-
ne Eccleſiæ & communi Theolo-
gorum & Canoniſtarum, quamdiu
non ſit diſpenſatio. Unde idem eſt
de aliis, qui per Vicarium ſerviunt
ſive licitè ſive illicitè.

Quintò. Qui per potentiam, co- 7
actionem, injuſtitiam privatur fru-
ctibus, non eoipſo ſemper excuſa-
tur, quamvis in aliquo caſu id pro-
babiliter ſuſtineatur. Nam vel ſpem
habet recuperandi, vel non? Si
1mum, omnes fatentur obligatio-
nem, ſive quia quod differtur,
non aufertur; ſive quia in dubio
melior eſt conditio poſſidentis, ſci-
licet Eccleſiæ. Si 2dum. Cajet. Sot.
Ledeſm. Cord. Nav. & ferè omnes
indiſtinctè docent, onus ceſſare; &
ita qui vult, in praxi ſequi illos tu-
tò poteſt; & maximè procedit, ſi
ſpoliatio quaſi perpetua ſit, ut in-
ter

ter Hæreticos, quia perinde quoad uſum eſt, ac ſi ſtipendium non haberetur, ablatâ facultate proximâ percipiendi.

8 At ſecùs eſſe videtur, ſi privatio non ſit perpetua. Nam propter furtum, rapinam fructuûm &c. non ſtatim ceſſat onus Curæ, nec propter annos ſteriles &c. ergo ſimiliter cum onere ſuſcipiuntur pericula ſaltem ordinaria & moralia: éſtque pactum juſtiſſimum, ut non ſtatim liceat deſerere officium; maximè quia fructus præteriti vel futuri ſatis compenſant ſervitium.

CAPUT XXI.

An teneatur habens Beneficium tenue?

1 Primò. Non excuſat, quòd Beneficium non ſufficiat ad Congruam. Nec enim oppoſitum probabile practicè eſt, utut teneat Arragon allegans communem Recentiorum, & ſequatur Rodriquez, eoquòd Beneficium non obliget niſi in ordine ad fructus; parùm autem pro nihilo, & non Beneficio reputetur. c. *Is*, *cui* de Præb. in 6. & quomodo vivet, qui ſic ex altari vivere debet? Sed obſtat communis Canoniſtarum c. 1. de Celebr. Miſſ. & c. *Clericus victum*. d. 9. & Summiſtarum & Theologorum, qui ſua ediderunt; ut adeò prior ſententia dici non poſſit communis. Et meritò, quia aliàs 30. vel 40. aurei non obligarent ad recitandum; quod eſt valde pernicioſum. Nec enim recitatio per horam meretur Congruam totam, nec hujus partem majorem: unde Soto poſcit 10. aureos, & Aragon, ut *adjuvet bonæ parti ſuſtentationis*; at ut bona cenſeatur, ſaltem quarta pars eſſe debet Congruæ; ergo hodie 30. aureorum.

Sic autem cùm res ſit interminata, relinquitur arbitrio, excipiendo ſine lege à communi onere, & aperiendo viam ad graviter ei derogandum. Et hæc eſt prima difficultas dictæ opinionis. Altera eſt, quia non obſtante tenuitate, ſtat verum Beneficium, d. c. *Is cui*: ideo enim illius primitus obtenti mentio fieri debet. c. *Collatio* de Off. Leg. in 6. confertur enim verum jus ſpirituale, quod eſt principale, quidquid ſit de acceſſorio. Dicere autem, quòd non reputetur tale in ordine ad dictum onus; nec in Jure fundatur, nec in d. c. *Is cui*, nec in communi exiſtimatione, ſed Soti tantùm. Et c. ult. de Reſcript. in 6. quia indefinitè loquitur de Beneficio, intelligi debet etiam de tenui, ſicut Suſpenſio à Beneficio. Idémque eſt de Conc. Lateran. ut ſupponitur in d. c. *Clericus*, ubi omnes cum Gloſſa intelligunt onus ratione Beneficii, ſicut in c. *Preſbyteri* d. 91. 2

Secun-

3 Secundò. Si Beneficium eſt merè ſimplex, moraliter habet fructus proportionatos. Nam ut mittam, volenti non fieri injuriam, ut famulo, militi &c. ſcienti tenuitatem ſtipendii; etiam ratio æquitatis naturalis non cogit hîc diſtinſtinguere in Lege indiſtinctè obligante. Satis enim remunerationis ſunt pro ſolis Horis octo vel decem aurei, cùm onus relinquat ferè totam diem liberam ad lucrandum, præter commoda honoris &c.

4 Tertiò. Idem eſt, ſi Beneficio ſimplici annexum ſit ſervitium in Eccleſia. Nam eoipſo vel lucratur quis Groſſam, licèt nec per ſe, nec per alium ſerviat, vel diſtributiones, ſi ſervire vult: ergo tunc certa eſt obligatio, ſibique imputet non ſerviens, quia vix eſſet, quòd non ſuppeteret uſque ad tertiam partem ſuſtentationis; & ideo opinio Soti, utut quoad rationem ex naturali æquitate condigni ſtipendii ſatis probabilis ſit, vix poteſt applicari ad praxin. Idémque eſt, ſi plura tenuia Beneficia efficiant ſufficiens; nam utrum ex uno vel pluribus habeatur competens ſtipendium, impertinens eſt, & tenue ſaltem inchoat obligationem, quæ per alterum conſummatur: ergo in omni ſententia obligatio eſt.

Quartò. Si Beneficio cum toto ſervitio annexo non reſpondet ſuſtentatio etiam quoad tertiam & quartam partem, valde probabile eſt & tutum, non eſſe obligationem. Nam licèt Eccleſia indubitatò eam annectere potuerit, ut Ordini ſacro & Profeſſioni, quatenus per Beneficium Perſona peculiariter Eccleſiaſtica fit; tamen rectè creditur, de facto non ita inſtituiſſe, niſi dicas, ſufficere ſolum titulum, vel ad ſummum poſſeſſionem: Beneficium autem reputatur nunc datum eſſe pro alio ſervitio. Sic multi tenent, ſi Dominus vel Rex det viliſſima ſtipendia, ſciens non defore, qui ſerviant, famulum non teneri pacto integrè, quia fit moralis coactio pauperum. 5

Et confirmatur ex Beneficio, quod ab initio pingue, in perpetuum fit tenue: non enim acceptavi voluntariè. Nec obſtat exemplum Matrimonii cum paupere, putatâ divite; quia divitiæ ſunt quid accidentarium ad onera ejus: at ſtipendium pertinet ad intrinſecam rationem obligationis: ergo ſi in caſu mutati Beneficii deſinit obligatio, etiam in quolibet alio, ſervatâ proportione, ſi deſit quod intrinſecè & per ſe neceſſarium eſt ad obligandum. 6

CAPUT XXII.

An Clericus habens Redditus ab Eccleſia ſine Beneficio, teneatur recitare?

1 Primò, Non tenetur, qui recipit fructus ob cauſam temporalem. Nam Lex obligat Beneficiatos tantùm: at officium Sacriſtæ, Cuſtodis &c. dari ſolet etiam Laico. Idémque eſt de Lectione Theologiæ, Grammaticæ &c. utique non annexâ Beneficio, ut c. 1. de Mag. Idem eſt de penſione datâ ex titulo communi Laicis, ut eleemoſynæ, gratitudinis, ob ſervitium parentum &c. Idem de iis, quæ dantur militibus S. Joannis, aut aliis Religioſis non Clericis. Idem olim erat de penſione Clericali ſeu requirente Clericum; nam nec nunc obligat determinatè ad Horas Canonicas, ſed vel ad has vel ad officium Virginis, quamvis cum onere reſtitutionis, ſi negligitur, ut patet ex uſu timoratorum petentium compoſitionem, quæ difficilis eſt.

2 Secundò, Præſtimonium obligat ad recitandum. Nam dubium quod olim erat circa c. ult. de Conc. Præb. in 6. c. *Conquerente* de Cler. non recid. ſuſtulit Pius V. declarando, *Præſtimonia &c. & qualiacunque alia beneficia* (etiam ſine alio ſervitio) *ſub prædictis pariter comprehendi.* Licèt ergo Præſtimonium proximè detur ad iuvenes in ſtudiis juvandos, tamen pro fine remoto habet officium ſpirituale, nec datur niſi Clerico & per Prælatum & perpetuò.

Tertiò. Idem eſt de Capellania 3 Collativa ſeu per Prælatum conferri ſolitâ. Nam licèt per alium ſerviatur, obligatio eſt perſonæ ad fructus labiorum ſuorum. Clem. 1. de Cel Miſſ. nec alter vi ſtipendii tenetur. Secùs eſt de non Collativa, ut cùm Patronus legat certam penſionem annuam pro tot Miſſis. Si enim inſtitutio non mutatur, impoſſibile eſt, eſſe Beneficium, cùm hoc nec conferri nec inſtitui poſſit ſine interventu ſpiritualis poteſtatis.

Quartò. Idem eſt de Beneficio 4 Manuali. Nam penes aliquem eſſe debet onus recitandi: ergo penes eum, qui habet adminiſtrationem plenariam, juxta dicta ſuprà de renuntiante titulum. Aliunde Manuale de ſe perpetuò ſeu indefinitè datur, quamvis cum conditione intrinſecâ, ut revocari poſſit. Clem. unicâ de ſuppl. negl. Præl. ergo ſatis accedit ad rationem Beneficii. Idem ergo eſt de Beneficio integrè commendato; quia eoipſo intervenit pactum integræ adminiſtrationis: ergo æquivalens pacto Bene-

neficiali. Nec enim talis Commenda confertur authoritate Beneficiarii, ſed Pontificis vel Prælati, ut cùm Beneficium unitur Monaſterio cum onere alendi Vicarium; & ideo Vicaria perpetua reputatur Beneficium, & per Prælatum conferri debet. Idem de Vicariis temporalibus eſt, Eccleſiâ vacante.

5 Secùs autem eſt, cùm Beneficium non commendatur integrè, ſed ſolùm quoad publica ſervitia. Nam obligatio manet penes proprietarium, non Religioſum vel Clericum alium, quem Parochus ſibi ſubſtituit pro tempore abſentiæ. Idémque eſt de Coadjutore vel Capellano, quem conducit ad ſe juvandum; quia onus recitandi non debet multiplicari ſine cauſa & neceſſitate, niſi pactum ſatis expreſſum ſit.

6 Quintò. Coadjutoria Canoniæ non obligat. Nam juxta omnes nemine contradicente, Beneficium non eſt, ut notat Abb. c. *De Rectoribus*, cum tribus ſeqq. de Cler. ægrot. & c. *Grandi.* de ſuppl. neg. Præl. in 6. Nec refert agi in juribus de Coadjutoria ſine jure ſucceſſionis; quia hoc non dat jus in re, ſed ad rem tantùm, ſicut filius Regis non eſt Rex: nec Beneficium eſt in duobus, ſed principalis retinet illud integrè; ſícque declaravit Paulus V. anno. 1606. ad Cathedralem Conimbric. Coadjutores Canonicos non eſſe verè Canonicos, nec pro talibus habendos, viventibus Coadjutis. Idémque eſt de Coadjutore Epiſcopi; nam de Jure ordinario duo Epiſcopi eſſe non poſſunt, licèt ſecùs factum ſit per ignorantiam cum Auguſtino.

Confirmatur, quia onus recitantandi eſt Perſonale, & ſequitur Beneficium, nec duplicatur; cùm nec conſuetudo, nec præſumptio ſit de contraria intentione Pontificis, niſi expreſſum ſit, v. g. propter impotentiam proprietarii: at tunc non vi Coadjutoriæ, ſed vi integræ adminiſtrationis ſequitur obligatio. Quòd verò opus non ſit novâ collatione, non refert, quia data eſt quaſi ſub conditione ſeu cum tali eventu, & ideo perficitur ipſo facto. Quòd ſi etiam vox conceditur, non eſt vi tituli, ſed in adjutorium Coadjuti; & ideo ſedes datur non in loco proprietarii, ſed poſt omnes Canonicos. Et juxta dictum Breve Pauli eget novâ poſſeſſione, imò etiam Reſidentiá, niſi aliud indulgeatur. 7

Sextò. Secùs eſt de inſtituto in Canonicum, licèt ſine Præbenda actuali, ſed dandâ cùm primùm vacaverit. Nam talis habet ſedem in Choro, & vocem in Capitulo, arg. c. *Cùm M* de Conſt. ergo verè Canonicus eſt, & licèt careat Præbendâ, recipit Diſtributiones. 8

CAPUT XXIII.

Quodnam Officium teneantur dicere Clerici, cùm privatim recitant?

1 Primò. Quiſque tenetur Officium dicere juxta Breviarium ſuæ Diœceſis vel Ordinis. Sumitur ex c. *De iis.* & c. *Placuit.* d. 12. & Clem. 2. de Cel. Miſſ. nec poteſt præſcribi melior regula, omnéſque cenſent obligationem eſſe ſub gravi, nec Monachum S. Benedicti recitare poſſe juxta regulam S. Dominici. Per Privilegium autem fit, quòd commenſalis Cardinalſum vel Pontificum poſſit ſe his conformare. Nec olim cuique licuit, ſequi uſum Eccleſiæ Romanæ, ſive de Jure ſive de conſuetudine, ut patet ex c. *In die* de conſecr. d. 1. c. *Novit.* c. *pen.* & *ult.* d. 12. Similiter ordinato ad titulum Patrimonii, nec Jure nec conſuetudine nec ratione cogente, licet ſequi pro libitu Ritum aliquem receptum, quia pars toti conformanda eſt, ut poſcit rectus ordo Eccleſiæ & evitatio ſcandali ac abusûs.

2 Secundò. De Beneficiato in una Eccleſia, commorante in aliâ non poteſt convinci rigoroſa obligatio ad Breviarium unius potiùs quàm alterius Eccleſiæ. Nam S. Thom. quodl. 6. a. 8. præferri vult Eccleſiam Beneficii; & in dupliciter Beneficiato quodl. 1. a. 13. vult præferri Eccleſiam reſidentiæ; & hac ſecluſâ digniorem, vel ſi paris dignitatis ſint, Ritum, cujus quis vult. Alii volunt, ordinem hunc eſſe conſilii; & Soto, ſequendum eſſe Ritum illius Eccleſiæ, cui quis magis ſervire debet. In contrarium autem eſt, quia generaliter expedit conformari iis, inter quos vivimus: & ſi Eccleſia non obligat ad reſidendum, ergo neque ad Ritum ſuum; nec conformitas abſentis refert ad ejus ſervitium &c.

3 Tertiò. Poſt Pium V. tenentur omnes ſequi Ritum ab eo præſcriptum, demptis quos ipſe excipit. Conſtat ex tenore Bullæ; & ideo nec contra exceptionem licet in privatâ recitatione ſequi Ritum Romanum; eſto ob particulam *in Choro* id immediatè non colligatur. Satis enim eſt, nihil mutatum eſſe in Eccleſiis exceptis: at de Jure antiquo quiſque ſequi tenetur Eccleſiam Matricem; & Parochus morem ſuæ Eccleſiæ, quin ſuâ authoritate introducere poſſit Ritum Romanum. Tamen quia res non videtur magni momenti, Author oppoſitum non audet damnare peccati mortalis. Quòd ſi Bulla ubi debuit, non fuiſſet recepta, quiſque & liberè poteſt & per ſe debet eam ſequi, ùt commodè poteſt. quia Lex non pendet ab acceptatione Epiſcopi, nec ex Promulgatione aliâ, ut expreſſit Bulla.

Quartò

4 Quartò. Mutare Officium diei, de ſe malum eſt, & ex genere ſuo mortale, quamvis ex parvitate materiæ leve eſſe poſſit vel omnino excuſari ex gravi cauſa. Repugnat enim præcepto, & aliàs nec voluntaria omiſſio peccatum eſſet; quod contrarii Doctores non audent affirmare. Dein in cit. Juribus præcipitur uniformitas in modo, & à Pio in forma: hæc autem complectitur diſtributionem per tempora, cùm præceptum homogeneum non ſit, ſed proportionatum tempori; aliàs id ſequi, eſſet conſilii tantùm: quod profectò abhorret à communi ſenſu, & ab ipſa inſtitutione Officii. Quidquid ergo ſit de ſubſtantia præcepti in genere; tamen pro tali die eſt de talibus Horis, ſicut de ſubſtantia individuâ Petri eſt conſtare his carnibus, oſſibus &c.

5 Rurſus mortale ex genere ſuo eſt, quod intra genus ſine additâ circumſtantiâ mutante ſpeciem, fit mortatale: ita autem eſt in præſenti; aliàs quotidie dici poſſet Officium Paſchale ſine mortali, aut unum idémque ſemper, ut memoriter dici poſſit. Quòd ſi mortale eſt, in Officio Dominico tres tantùm Pſalmos dicere; cur non commutare in Officium feriæ tertiæ? Commutatio enim fit cum enormi læſione, ſeu gravi deceptione contra præceptum, quod eſt Religionis ſeu Virtutis graviſſimæ.

Ex levitate autem materiæ erit leve, ſi Officium æquivalens ſit vel ferè quoad quantitatem, citra contemptum aut animum ſæpe faciendi pro libitu, ſed faciendo mutationem ex occaſione levi, minúſque rationabili, aut ex inadvertentia culpabili. Nec tunc, loquendo ordinariè, obligatio eſt emendandi cum novo gravi onere, ſed ſi quod omiſſum eſt, notabiliter majus ſit, ut pro Dominica Officium Sancti dicendo, ſaltem novem pſalmi ex Nocturno addi neceſſe erit. Et ferè omnes dicunt abeſſe culpam, ſi mutatio fit ex juſta cauſa, ut ſi charitas vel prudentia dictat juvare alium, vel ſi nunc non eſt copia alterius Breviarii, ſequente poſtea gravamine aut impedimento à ſtudio neceſſario vel opere pietatis. 6

CAPUT XXIV.

An facere mutationem in ordine Horarum, grave peccatum ſit?

1 Primò. Inverſio ordinis inter hunc & ſequentem diem, ut ante Completorium dicendo Matutinum ſequens, eſt nonnullum peccatum. Nam præcipitur ordinata ſeries Officiorum, ut uſu conſtat; nec anticipatio Matutini conceditur, niſi ſub conditione, ut diei ſatisfactum ſit: ergo peccatum eſt, non tamen grave, quia nec derogat ſubſtantiæ, nec minuit quid, nec graviter deformat; & ideo ex cauſa honeſtari poteſt.

 Secun-

2 Secundò. Inverſio Horarum ejusdem diei mala eſt, per ſe loquendo. Nam eſt contra inſtitutionem. Tamen gravis non eſt, juxta omnes, quia defectus eſt in accidente, & privatus parúmque offendens. Unde ex cauſa fieri poteſt, ut ad alterum juvandum, vel ut Horæ meliùs dicantur, quando timetur impedimentum. Certúmque eſt, ſive caſu accidat ſive per negligentiam, non eſſe neceſſarium repetere; quia apud Deum Oratio eſt integra, & æquè prodeſt Eccleſiæ, nec eſt obligatio redintegrandi ordinem cum tanto onere.

3 Tertiò. Inverſio ordinis inter ipſas partes Horarum, ſimiliter mortalis non eſt. Nam Doctores de his omnibus indifferenter loquuntur. Tamen ſi voluntariè fit, grave veniale eſt, quia vix habet apparentem excuſationem, & præfert ſpeciem contemptûs, corrumpendo artificium Horæ, quod in compoſitione partium maximè conſiſtit. Aliquando autem ſubeſt cauſa, ut cùm poſt Pſalmos Matutini dicuntur Laudes, quia deeſt liber, & illæ poſſent impediri propter juſtas occupationes. Frequentiùs autem fit per oblivionem partis, quæ ſatis ſuppletur ſine repetitione Horæ.

4 Quartò. Matutinum poſt Miſſam dicere, ex objecto mortale non eſt, quidquid ſentiant Duran. Graff. Azor. Ita Sylv. Soto, Lopez, Carbo. Rodriq. Leſſ. Henriq. Tolet. (quamvis cum formidine) & Aragon. dicens, oppoſitum procul dubio falſum eſſe & ſine ratione aſſertum. Contrarii allegant conſuetudinem: ſed de hac alibi dictum eſt, inductam eſſe non propter prætenſum ordinem, ſed propter tempora Matutino & Miſſæ præſcripta, ſícque ſequi connaturaliter, ſicut quoad Veſperas poſt Miſſam, utique ex eodem principio: ergo per ſe non obligat. Nec propterea occaſio negligentiæ datur, ſed eſt accepta; nec propter abuſum paucorum rectè infertur Lex, ubi nec Lex, nec materia cogit. Aliunde ad veniale ſufficit, intempeſtivè dici ſive Matutinum ſive Miſſam.

Parvi autem momenti collectio 5 eſt, quæ fit ex principio Miſſalis, ubi Ritus præcipitur in virtute S. Obedientiæ, & ſubditur *Prævià Confeſſione* &c. & *ſaltem Matutino* &c. *Orationi aliquantulum vacet.* Nam generale præceptum non eodem rigore obligat ad ſingula in particulari, ſed juxta modum quo quodlibet præcipitur, ordinatur, aut conſulitur. Nec in verbis allegatis ullum verbum præceptivum eſt, ſed ſolùm præſuppoſitivè proponitur, ut ſolet etiam in Conſiliis; patétque de Oratione præviâ dari Conſilium vel ſimplicem directionem. Nec enim hæc propriè pertinent ad Ritus ibi inſtitutos, ſed præſupponuntur juxta convenientiam & obligationem, quam de ſe habent.

Nec obſtat, quod de defectibus 6 Miniſtri dicitur, quoſdam non eſſe irri-

irritantes, *poſſe tamen cum peccato & ſcandalo contingere.* Poterat enim dici etiam *cum peccato mortali*, utique ratione ſcandali vel contemptûs. Dein per ſe fit defectus per negligentiam temporis debiti; tamen nec ponitur (quod notandum eſt) inter defectus animæ, nec mutatio ordinis inter Matutinum & Miſſam res eſt gravis, magis quàm dicere omnes Horas minores, vel etiam Completorium ante Matutinum vel Miſſam. Et ideo ex faciliore causâ poſtponuntur Laudes, & Prima; imò hujus dilatio non ponitur inter defectus, ſive ibi ſive ab aliis Authoribus, dempto Palud. & Anton. Solùm ergo oportet ut ſingula dicantur ſine magna temporum mutatione, niſi cauſa ſit.

7 Quintò. Interruptio partiũ Horæ, ſi ſit notabilis, moralis ſeu voluntaria, & ſine rationabili cauſa, non fit ſine peccato. Ita omnes, ſupponendo utique interruptionem inter unam & alteram Horam, Matutinum & Laudes, unum & alterum Nocturnum (cum proportione ad antiquam conſuetudinem) malam per ſe non eſſe. Unitas autem Horæ pertinet ad formam præſcriptam, & illa tollitur vel multùm minuitur: & ſine cauſa Colloquium abrumpere cum Deo, turpe eſt, arg. c. *Illud*, & c. *Nihil*, 7. q. 1.

Vel ergo verba (idémque eſt de actione interrumpente) ſunt profana, inutilia &c. vel neceſſaria & brevia; vel ſunt devotionis cum ſocio propter intelligentiam majorem &c. 8
Si 1mum, conſtat de irreligioſitate, imò mortalis hæc eſſe poteſt propter turpitudinem verborum &c. c. *Nullus* de Conſecr. d. 5. c. *Dolentes*, de Cel. Miſſ. quamvis non contra præceptum orandi, propter malitiam diverſæ rationis. Si 2dum, abeſt orantis culpa. Si 3tium, idem eſt, ut de jaculatoriis & aliâ morâ piâ, ſervatâ moderatione, quæ ſemper neceſſaria eſt. Idem eſt, ſi propter vitandam diſtractionem aut ſollicitudinem breviter quid annotatur, aut famulo præcipitur. Nam parum pro nihilo reputatur, & arbitrio prudenti definiendum eſt, quia plus in Matutino dandum eſt quàm in parva Hora, & plus inter Pſalmos quàm partes unius.

CAPUT XXV.

An recitans privatim teneatur integrè recitare Horas, vel aliquid præter illas?

1 Primò. Præcipitur integra recitatio omnium Horarum. Ita omnes ex c. 1. & c. *Dolentes*, de Cel. Miſſ. & Clem. 1. eod. ut de integra auditione Miſſæ. Quia verò Oratio privata ſubrogatur publicæ, ſatisfit recitando

tando cum ſocio, ut conſtat ex praxi & communi omnium ſenſu. Et Conc. Baſil. ſ. 21. c. 4. *Sive ſoli, ſive aſſociati*. Nec refert, ſocium eſſe Scholarem; nam fit in Choro, d. c. 1. & patet ex conſuetudine; nec mea obligatio audiendi partem, pendet à ſocii obligatione; nec ille tenetur ad attendendum, ſive ex voto ſive Lege Eccleſiæ ſive vi cooperationis, quia ſufficit, ut audiam quod fit.

2 Poſſunt autem duo vel plures ſociari juxta d. Clement. dummodo Choro bipartito tantùm. Nam ſecùs foret contra uſum, & ſolùm tertia pars diceretur. Lectiones autem non debent ſimul dici (nam eſſet confuſio) ut nec Antiphonæ aliáve, quæ altè dicenda ſunt; imò ab uno, ut in Choro, poſſunt omnes dici. Quoad modum conſtat, abeſſe debere celeritatem nimiam, ſyncopam &c. quamquam hæc regulariter non ſit mutilatio, ſed in deſinentiis tantùm, ſtétque integritas quoad ſubſtantiam, quia nec mutatur ſubſtantia, nec impeditur intellectus ejus, & ideo non oportet quid repetere.

Secundò. Omiſſio integritatis
3 quoad partem notabilem, mortalis eſt. Conſtat enim practicè improbabile eſſe, quòd omiſſio totius Officii ſit venialis, cùm ſit contra omnes Doctores, & ſine fundamento. Quia & præceptum obligat ex graviſſima virtute & fine, & materia gravis eſt judicio omnium ſapientum, ut in omiſſione Miſſæ, Jejunii &c. juxta conſenſum Eccleſiæ. Rurſus conveniunt omnes, omiſſionem partis notabilis eſſe mortalem, ut in Miſſa. c. *Miſſas*. 2. de Conſ. d. 1. c. *Illud*. c. *Nihil*. 7. q. 1. Notabilis autem juxta omnes eſt Hora quælibet, quia ita æſtimatur judicio prudentum, & notabiliter mutatur & deformatur Officium; & quælibet ſi ſola præciperetur, ſufficeret: præcipitur autem, ac ſi ſola eſſet.

Tertiò. Notabilis omiſſio eſt, ſi 4
ſit integræ Horæ vel ei æquivalentis vel dimidio minimæ Horæ, aliàs non. Nav. vult, quòd tertia pars cujusque Horæ ſit notabilis, imò omiſſio initii Horæ uſque ad Pſalmos, quia ſufficit ad privationem diſtributionum. Sed fundamentum non eſt efficax, éſtque valde rigoroſum, damnare homines in perpetuum propter omiſſionem tam levem. Oportet ergo rem fundare in quantitate abſolutâ, junctâ dignitate vel deformitate, quam per ſe affert judicio prudentum. Nam Matutinum cum Laudibus eſt una Hora, & tamen gravis eſt omiſſio unius Nocturni; ſícque parùm refert, eſſe tertiam vel quartam partem Horæ proximæ; ſit enim collectio à ſecundùm quid ad ſimpliciter notabile.

CAPUT XXVI.

An in privata recitatione neceſſaria ſit attentio ad implendum præceptum Eccleſiæ?

1 Primò. Neceſſarium eſt propoſitum orandi, & in eo durare formaliter vel virtualiter, quamdiu oratur. Eſt certa, & omnium. Nam actio materialiter ſumpta indifferens eſt, ut ſit Oratio, ſtudium, cantus recreans &c. at actio præcepta debet eſſe humana ſeu volita ſub ea ratione, ſub qua præcipitur; & in præſenti præcipitur Oratio, utique ut talis. Diſtinguendum autem eſt inter voluntatem orandi & voluntatem implendi præceptum, quas valde confundit Medina.

2 Poſterior adeſſe cenſetur, licèt ſolùm in principio fuerit, nec poſtea de ea cogitetur. Imò, ut in principio fuiſſe cenſeatur, ſufficit ex conſuetudine velle actionem ut præcepti impletivam, aut actu exercito eam velle, ut ſolet. Imò quamdiu non reflexè reſiſtitur præcepto, ipſa voluntas orandi eſt virtute voluntas implendi præceptum. Nam eſt de actu præcepto, & cenſetur naſci ex voluntate generali, quam quiſque habet ſatisfaciendi obligationibus; ut inprimis id moraliter velle cenſetur quiſque prudens in ſuis actionibus honeſtis, quin dubium ſit, ſi audiat Sacrum ignorans feſtum, ſatisfacere præcepto.

3 Secundò. Stante voluntate orandi, licèt ſit reflexa voluntas non ſatisfaciendi præcepto, tamen huic ſatisfacit. Nam Eccleſia ſolùm præcipit orare; & hoc fit: ergo obligatio non eſt repetendi, ſive à lege ſive à voto ſive vi puri propoſiti. Magnáque differentia eſt inter præcepta à Lege, & nata ex propria voluntate; nam ſi nolo nunc ſatisfacere voto, virtute novum facio, & ſi dono, non extinguo jus creditoris &c. Obligationem autem præcepti privatus nec imponere poteſt, nec augere, nec minuere, ut ſi bonâ vel malâ fide per jejunium vel abſtinentiam à carnibus nolo ſatisfacere præcepto, non teneor ad aliud jejunium &c. nec incurro Cenſuram; idémque eſt, ſi ex timore ſervili quis adfuit Miſſæ. Nam impleta eſt ſubſtantia actûs præcepti, cùm Eccleſia ſolùm compræcipiat voluntatem orandi. Retractari tamen dictos affectus neceſſe eſt, quia nolle obedire, contra Obedientiam eſt; ergo actio ſaltem objectivè volita eſſe debet ut impletiva. Et hæc, licèt ſpeculativa ſint, ad declarandam Legem neceſſaria ſunt, ne oneremus, ubi lex non eſt.

4 Tertiò. Neceſſarium eſt ad implendum præceptum, cum attentione

ne orare. Mitto c. *Dolentes.* de Cel. Miſſ. quia propter diſſenſum Interpretum, inde non poteſt convinci improbabilitas opinionis oppoſitæ. Ratio ergo eſt, quia attentio eſt de ſubſtantia Orationis Vocalis, ut ſuprà in genere demonſtratum eſt, & fatetur Medina, negans præcipi interna ab Eccleſia, conſequenter nec Orationem veram, ſed devotionem cùm deeſt Miniſtro, ab ipſa apponi. Sed contrà, quia ſi non vera præcipitur Oratio; an ergo mera cantilena? an hæc eſt Divinum vel Eccleſiaſticum Officium? an ire *ad Horam Orationis* & *ſepties laudem dicere*, ut profitetur Eccleſia c. 1. eod. ergo contra totius Eccleſiæ ſenſum ac conſuetudinem, & contra omnem rationem & pietatem eſt, Eccleſiam non poſſe præcipere veram Orationem.

5 Nam hæc ſæpe neceſſaria eſt vel ipſi Eccleſiæ vel Fideli: ergo non deeſt poteſtas providendi de tali remedio; aliàs nec vera Confeſſio, auditio Miſſæ, Miniſtratio Sacramenti &c. præcipi poſſet; quæ omnia erronea eſſe conſtat: ergo fatendum eſt compræcipi poſſe actum internum, ut circumſtantiam vel formam actûs externi, quatenus ad hunc ſub aliqua ratione honeſtâ præceptum neceſſarium eſt. Dein vel orat quis vice alterius ut Legatus, vel ut juſſus, conductus per eleemoſynam &c. Si 2dum, ſine dubio pauper tenetur orare; cur ergo ſecùs eſt in Stipendiatis ab Eccleſia, eſto abſolutè obligari non poſſent. Si 1mum, ergo ſi Legatus non loquitur Regi; nec alius per illum: at ſi Clericus non orat, ergo nec loquitur Deo (nam cum voluntariâ non attentione ſtat voluntas non orandi) nec Eccleſia per illum orat. Per accidens autem eſt, alios non Clericos orare.

Quartò. Ad diſtractionem mortalem nec requiritur, ut directè voluntaria ſit; nec ſi indirectè talis ſit, eo ipſo ſufficit. Non prius, quia improbabile. Nam in moralibus virtualis voluntas æquivalet formali, & ſupina negligentia directæ voluntati. Non 2dum, quia licèt quantitas materiæ ſit gravis, tamen negligentia ex ſubreptione, eſt venialis tantùm. Quoties ergo quis advertit, ſe evagari, & non curat, ſed permittit evagationem, negligentia ſupina eſt: ſi autem non advertit, erit inadvertentia vel naturalis, vel ferè. Nec juxta Cajet. ſufficit, advertì quid quis cogitet, ſed quod ab Oratione divertat, quia oportet receſſum humanum à termino fieri per ſe, & ex intentione ſaltem virtuali: hæc autem requirit advertentiam. Quæ præ oculis habenda ſunt ſcrupuloſis propter faciles repetitiones. 6

Hæ enim nihil proſunt, quia ſemper habent eaſdem vel majores imperfectiones & innumera inconvenientia, cùm ex ſcrupuloſa conſcientia fiunt. Si ergo tales bonâ ſide accedunt ad recitandum, licèt 7

in

in fine pſalmi diſtractos ſe fuiſſe advertant, nihil curent, nec repetant, ſed iterum mentem applicent, & proſequantur. Similiter juxta S. Thom. non refert oblivio dictorum, nec ſemper naſcitur ex diſtractione: ergo quamdiu non evidenter eis conſtiterit, ſe mutâſſe propoſitum, vel advertendo & ſciendo ſe evagatos eſſe, credere poſſunt, ſe ſatisfeciſſe. Nec enim, ut notant Nav. Maj. &c. oportet, ut quis recordetur, ſe dixiſſe omnia, ſed ſatis eſt, quòd nullo claro indicio conſtet, aliquid omiſiſſe.

8 Quintò. Qualitas actionis, quæ cum Oratione conjungitur, attendenda eſt, ut diſtractio cenſeatur eſſe voluntaria in cauſa. Vel enim actio magnam requirit attentionem, ut ſcriptio &c. vel quaſi nullam, ut veſtiri, lavari &c? Si 1mum, conſtat, mortale eſſe, notabilem partem Officii jungere tali actioni. Si 2dum, ordinariè non eſt ſufficiens cauſa diſtractionis, niſi oppoſitum conſtet experientiâ, ſive ob incapacitatem ſive ob conſuetudinem. Regulariter autem veniale eſt, quia ſaltem impeditur perfecta attentio, vel quia indecens eſt ſic Legatum agere. Diſcretione tamen opus eſt, tum propter juſtam neceſſitatem, tum quia modica pars eſt Orationis, & habetur cura attendendi.

Sextò. Sufficit attentio ſuperficialis. Ita ſuprà contra Opinionem Navar. quæ nimis ſcrupuloſa eſt. Nam ad Orationem vocalem ſufficit attentio quælibet, & illa ſola præcipitur; nec obligatio non abjiciendi altiorem attentionem ex natura rei probari poteſt, nec ex d. c. *Dolentes.* quod ad ſummum indicat, quid deſideret. Dein extrema cavenda ſunt, quia nec oportet cum reflexione attendere verbis, nec omnino eorum oblivíſci. Denique ex dictis colligitur & concluditur, gravem defectum attentionis obligare ad reſtitutionem, cùm non attendere ſaltem virtute & in propoſito, ſit non exſolvere Orationem ſeu Officium præceptum. 9

CAPUT XXVII.

De Loco & Tempore, in quibus Officium Canonicum recitari poteſt & debet.

1 Primò. Quoad locum; Conſtat vitandum eſſe qui diſtrahat, ſervandámque decentiam, quam ratio naturalis dictat. Conſilii autem eſt, cæteris paribus, deligere Eccleſiam. Quoad ſitum, ſi Oratio ſit coram aliis, ſervandus eſt modus, qui ædificationi ſit, non ſcandalo. Sin ſecretò ſit, ſolius Dei, devotionis propriæ, aut neceſſitatis habenda eſt ratio; ſervando tamen, ſi commodè poſſit, Rubricas, quamvis ſingulæ

læ non obligent ſub rigore præcepti, maximè in privato; eſto veniale ſit, ſine cauſa eas negligere. Denique præparatio de præcepto neceſſaria non eſt, niſi quatenus ad attentionem poſcitur.

2 Secundò. Mortale non eſt, recitare Horas alio tempore, quàm per inſtitutionem deſignatum ſit. Oppoſita Umberti communiter reprobata eſt. Nam Inſtitutio præcipuè ſpectat Orationem publicam, ut patet ex conſuetudine ſic relaxatâ. Unde tempus habile finitur in puncto mediæ noctis, juxta omnes; ſicque utique Matutinum ſuppleri poteſt & debet à meridie, cùm oppoſitum, quod Turrecr. voluit, ſit error moralis & omnino improbabilis. Parvíque momenti eſt inconveniens, quòd *Jam lucis orto*, dicatur poſt occaſum: nam ſimilia ſemper referuntur ad tempus legitimum, ut cùm Veſpere dicimus. *Nocte ſurgentes* &c.

3 Tertiò. Nec veniale eſt poſtponere Horas ex urgente & rationabili cauſa. Ita Summiſtæ, quia circumſtantia non eſt ita gravis, ut actionem intrinſecè deformet. Imò alii volunt, ſine cauſa ita licere; alii negant propter exempla & revelationes; utrique tamen ſano modo intelligendi. Nam alia poſtpoſitio moderata eſt & conſueta, quam communiter ferè omnes faciunt ſine ſcrupulo, ut dicendo Primam poſt duas trésve Horas ab orto ſole, ſimul cum Tertia &c. alia extraordinaria eſt, quæ ſine urgente cauſa à mediocriter tractantibus Divina non fit, ut dicendo Primam prope noctem. Prior ergo licet.

Nam Jus ſcriptum non eſt, quod obſtet. Quia c. 1. de Cel. Miſſ. agit de Oratione publicâ, à qua non eſt efficax argumentum, ut omnes fatentur, cùm illa utique habere debeat certa tempora pro populo. Dein conſtat, conſuetudine rem ſic relaxatam eſſe, utique non irrationabili; nam attendi debent impedimenta, quæ ordinariè occurrunt, licèt non hîc & nunc; nec omnes ut Monachi poſſunt ſuas actiones commenſurare, & Patres illis regulas præſcribunt, cùm facilè eis ſit ſua interrumpere. Denique aliquando intervenit negligentia culpabilis &c. & ita intelligi poſſunt revelationes. 4

Quartò. Idem à fortiori eſt de antepoſitione, ſive ex cauſa fiat, ſive ſine illa, ſi moderata ſit, ut dicendo Primam horâ ante ortum ſolis. Nunc juxta omnes Canoniſtas in d. c. 1. conſultior eſt antepoſitio, quia minus periculi habet, & indicat majorem diligentiam. Quod tamen intelligendum eſt, cæteris paribus, ſi non ſit inuſitata antepoſitio, ut dicendo Completorium ante ſolis ortum. Melior enim foret poſtpoſitio v. g. poſt decimam noctis, ſiquidem æquè bene & ſecurè ſperetur dicendum, nam hujus conditio- 5

ditionis ratio & conſideratio maxima in his habenda eſt. Faciliùs tamen Veſperæ ante prandium dicuntur ex cauſa ordinaria (ut expreſsè meminit d. c. 1.) quàm Completorium, quia non ita accedunt ad Officium Nocturnum. In Quadrageſima autem optimè ſervatur Ritus publicus, licèt ſine culpa à prandio dici poſſint Veſperæ.

6 Quintò. Licita eſt anticipatio Matutini. Ita omnes, & patet ex communi conſuetudine, quæ eſt tota ratio extenſionis. Nam mortale non eſt, obligare tantam multitudinem ad medium noctis: ergo ne omnes cogerentur poſtponere, rectè inducta eſt antepoſitio, utpote de ſe melior ob periculum vel omiſſionis vel nimiæ dilationis. Sic etiam Nocturnum Officium rectè incipit cum occaſu ſolis, ut olim uſum fuiſſe primi Nocturni, veriſimile eſt; idémque publicè fit in triduo Paſſionis. Secùs autem eſt de Horis aliis; nam quòd creditor gaudeat ſolutione anticipatâ, ſolùm tenet, cùm debitum non eſt onus certi temporis.

7 Sextò. Licita eſt dicta anticipatio ante occaſum ſolis. Quòd enim cum occaſu, nemo dubitat; ſempérque licuit, ut docet conſuetudo. Idem eſt de media hora ante occaſum & ſcrupuloſi ſine fundamento timent, quia conſuetudine receptum eſt. Quòdſi in æſtate licet; ergo & hyeme, juxta S. Thom. Quodl. 5. a. 18. dicente: *de ſero ſeu poſt dictas Veſperas & completorium, quia quantùm ad Divinum Officium, & ſolemnitatum celebrationem dies incipit à Veſperis.* Quod tamen accipi nequit de tempore, quo nunc dicitur Completorium; aliàs Matutinum dici poſſet horâ ſecundâ, quod nec conſuetudo habet, nec Pontifex concedit, niſi difficulter & non ex levi cauſa.

Rurſus S. Doctor intelligi nequit 8 de tempore, quod vi inſtitutionis legitimum eſt; nam id coincidit cum nocte inchoatâ, & ita deſtruitur intentio Sancti; & cur requireret cauſam rationabilem? Intelligi ergo debet de tempore, quod communi ferè conſuetudine in publicis Officiis eſſe ſolet inter tertiam & quartam; & ita ſine ullo ſcrupulo inchoari poteſt ab horâ quarta, etiam in æſtate; nam & eadem diſtantia eſt à media nocte ut hyeme, & eadem conſuetudo Romana, quam ubique ſine ſcrupulo acceptari videmus. Argumentum autem à privilegio infirmum eſt; nam id ſæpe datur propter dubia ex opinionibus orta, & in præſenti res pendet à conſuetudine tantùm, quæ varia eſt. Pontifex autem & Juri derogare poteſt, & plus dare, quàm habeat conſuetudo.

9 Tandem licèt conſuetudo loci alia ſit, non eſt facilè admittenda, ut obligatoria. Nam dicta hora jam à tota Eccleſia reputatur tempus habile, & ſuppoſitâ conſuetudine anticipandi, major vel minor anticipatio per horam, non eſt tanti momenti, ut pro gravi cenſendum ſit, diſcordare à privata conſuetudine per conformationem cum Romana & ferè univerſali. Si ergo ratio congrua ſit, ut neceſſitas ſtudii, vel occupationis alterius honeſtæ, nulla erit culpa: & ſimiliter ſufficiet major commoditas dicendi in luce diei, & major ſecuritas in anticipando. An ſatisfieri poſſit tempore Miſſæ præſenti obligationi, dictum eſt tom. 3. d. 88. ſ. 3. in fine.

CAPUT XXVIII.

Quibus de Cauſis excuſetur quis à recitando Officium Canonicum?

1 Primò. Excuſat ignorantia Juris & facti. Priori quidem modo, cùm Religioſus vel Religioſa credit Confeſſario, quem putat doctum & pium; idémque eſt de puero Beneficiato; peccant enim, qui docere tenentur. Ad poſterius pertinet oblivio naturalis ſive unius ſive plurium Horarum, ſempérque excuſat, quia naturaliter oblitum dicitur, quando in mentem non venit, & ideo voluntarium non eſt.

2 Fit autem naturalis, cùm nec obligatio recitandi nec recitatio ipſa actu venit in mentem ante lapſum tempus obligationis; neque per hominem ſtetit, quin occurreret, quod excitaret. Nam ſi ſcit, oblivionem ſubrepere, cùm differt, vel nimiùm occupatur ſtudiis &c. prævenire debet per modum aliquem vel ſignum quo excitetur; aliàs negligentiæ tribui poteſt oblivio. Tamen hæc ipſa præventio per inadvertentiam facilè poteſt omitti; & ideo in Timoratis regulariter res excuſatur, ſaltem à gravi.

Secundò. Juxta aliquos excuſat ignorantia recitandi. Sed qui ſic ineptus ordinatur, peccat, regulariter loquendo; ſecùs enim eſt, ſi neceſſitas vel occaſio urgeat, & ſpes ſit auxilii, præſertim ubi periculum eſt vel Beneficio carendi, vel ad longum tempus Ordinibus. Conſtat autem de obligatione faciendi moralem diligentiam contra ineptitudinem, quæ includit omiſſiones plurimas. Quòd ſi latinè ſcit, & Rubricas intelligit; ergo ſine magno labore poteſt eodem die pſalmos reperire talis Feriæ, talium Horarum, Capitula, Hymnos, & Lectiones ſaltem Feriales &c. cum Oratione Dominicæ vel Sancti, ſaltem de communi; quod vix poteſt ignorari. Defectus enim ſuppoſito ſtatu non imputantur, & 3

præſtat

præſtat ſic recitare, quàm totum Officium omittere, quia qui plus non poteſt, ſolvere debet quod poteſt.

4 Tertiò. Huc à fortiori reducitur carentia Breviarii. Nam ad impoſſibile nemo tenetur, & carentia niſi directè voluntaria ſit, raro ad grave imputari poteſt, ut ſi bonâ fide proceditur ad iter. Vix enim contingit, niſi per oblivionem naturalem aut adeò humanam negligentiam, ut non ſufficiat ad perfectum voluntarium, vel adeò remotum reſpectu effectûs, ut non ſufficiat ad voluntarium in cauſa. Dein ordinatus cum dicta carentia circa meridiem, ſolùm tenetur à Nona, quia nec obligatio quæ tunc incipit, retrotrahitur, nec quaſi privilegio poſtpoſitionis uti quis tenetur, niſi præceſſerit obligatio. Ceſſat autem omnis culpa, ſi ſpes eſt recitandi Horas Minores ex alieno libro, & proprium comparandi die poſtero.

5 Non ſufficit tamen dicta carentia, ſi quis memoriâ juvari poſſit. Nam licèt accidentarium id ſit, etiam tale eſt librum recuperari per miraculum, vel ſocium habere; nec Lex obligat ad utendum libro. Sufficitque ſic ſcire aliquas Horas vel aliquam integrè, non autem ſolos Pſalmos vel partes Horæ, quia illæ ut ſic non ſunt Horæ Canonicæ, nec Officium Divinum, ad quod ſolum obligatio eſt.

6 Quartò. Excuſat impotentia ex parte Corporis, ut ſi ſit impotentia loquendi, quia non eſt obligatio ad audiendum tantùm, ut Miſſam. Debet autem eſſe impotentia ſimpliciter, nam quod poſſum cum ſocio, ſimpliciter poſſum, ſiquidem in promptu ſit Sacerdoti ſimplici; & Beneficiatum obligat ſtipendium, ut eum quærat, ſicque ſatisfaciat Officio, niſi malit aſſiſtere Choro. Idem eſt de cæco, ſi memoriâ juvari poſſit ad ſic recitandum cum ſocio, juxta dicta de carentia libri. & S. Congreg. ad Trid. ſ. 24. c. 12. Surdus autem & ſurdaſter poteſt ſolus recitare, ſive ſe audiat (ut fortè ſemper contingit) ſive non: impeditus verò legitimè, non tenetur adhibere ſocium, quia non poteſt hunc percipere, niſi vel vociferantem, vel notando motum labiorum; & lex non obligat cum tanto gravamine, præſertim in adeò accidentariis. Tenentur tamen tales, ſi Canonici ſunt, adeſſe Choro, eſto non recitent, & ſolvere quod poſſunt & debent.

Quantùm ad ægritudinem; vel eſt ita levis, ut non impediat alias actiones ordinarias capitis & linguæ, nec per eas augeatur notabiliter; vel eſt verè gravis; vel res eſt dubia? ſi 1mum, ut dolor ſtomachi, capitis &c. moderatus; non poteſt dici moralis vel rationabilis impotentia. Si 2dum, abſque judicio Medici excuſat, quia id ſolùm petitur propter certitudinem. Si 3tium, juxta communem ſtari poteſt judicio Medici etiam unius, 7

unius, ſi probus ſit & peritus in arte: nam Lex non obligat ad ſummam diligentiam, & res eſt facti & artis, non Juriſdictionis. Sin Medicus dubius ſit, Prælatus poteſt quid condonare, ſive ex Privilegio, ut in Religione, ſive vi muneris; nam poteſtas moraliter neceſſaria eſt ad conveniens Regimen. Seclusâ autem diſpenſatione, regulariter quidem tutius ſequendum eſt cum aliquo diſpendio, quod in re tam dubia magnum eſſe nequit. Poteſt tamen dubium practicè deponi (ùt aliàs, ſi de uno vel altero caſu agitur) cùm vel tam parvum non eſt, quin admittat judicium probabile de ſufficientia cauſæ, vel plura continet in favorem.

8 Quintò. An à toto vel ſolùm à parte excuſet dicta impotentia, ſumendum eſt ex circumſtantiis. Si enim partes Horæ comparantur inter ſe, rectè procedit principium Navar. quòd major pars trahit minorem, quia partes Primæ non ſunt Prima. Secùs eſt, ſi Hora ad Officium comparatur, ut patet ex ſuprà dictis de carentia Breviarii, de Subdiacono recèns ordinato; nam principium ſolùm procedit, quando partes ad unum actum concurrunt, ut in Electione, aut ſi una impedit aliam; ut ad quid iter ad Limina Apoſtolorum, ſi Romam ingredi nequeo? ſecùs, ſi plures Eccleſias viſitare poſſum, non omnes.

9 Vel ergo ſpecialiter impeditur Matutinum v. g. propter viſum, vel indefinitè totum Officium, ut propter febrim gravem, vel paucis tantùm horis, ut in quartana? Si 1mum, ceſſat excuſatio à reliquis; quia quælibet Hora eſt totum quoddam, ſaltem ſi partes ejus præcipuæ & quaſi ſubſtantiales dici poſſunt. Si 3tium, idem eſt, ſiquidem abſit augmentum mali; nam poſtpoſitio non eſt per modum puri Privilegii reſpectu obligati ſimpliciter. Si 2dum, indefinita hîc æquivalet univerſali, ut tenet conſuetudo, Legis interpres optima, ubi difficultas eſt attingendi punctum: nam ſcrupuloſè reſtringere excuſationem, oneroſum eſt, & præter ſuavitatem Legis humanæ.

Sextò. Excuſat neceſſitas actio- 10
nis, quæ non poteſt conjungi cum recitatione, nec relinquit tempus huic ſufficiens. Ita Sylv. Nav. & omnes. Oportet autem, ut neceſſitas ſit non in actu malo, nec præciſè honeſto, utut optimo (*melior enim obedientia eſt, quàm Victimæ*) ſed vel Juſtitiæ, vel Charitatis, ut ſi omitti non poteſt Concio, Lectio, & præparatio competens. Rurſus urgere debet pro tunc, & ita ut occupet totum tempus, quod neceſſitati corporis citra magnum incommodum ſubtrahi poteſt. Itémque ut neceſſitas ſit rara, repentina, & quaſi per occaſionem, ut locus ſit veræ epiickiæ; nam ſtabile impedimentum per ſe incapacem redderet ad officium, utut non alienum à ſtatu. Similiter ſufficit,

ut

ut morbus proprius, ita neceſſaria aſſiſtentia infirmi. Idem eſt de proprio gravamine, ut in oppoſitione pro Cathedra, diſputatione per totum diem &c.

11 Septimò. Excuſat diſpenſatio. Nam quòd Canoniſtæ ſolùm admittant Commutationem, falsò ſupponunt onus eſſe Juris Divini, cùm nec in Beneficiato ſit; & reditus dari poſſint vel ut Præſtimoniũ vel Penſio, aut Parocho propter onus Curæ. Eſtque aliud malè, aliud invalidè diſpenſare; nam propter prius regulariter petitur Officium, niſi cauſæ ſint extrinſecæ, ut merita parentum; ſemper tamen reſpiciendo bonum commune. Porrò Epiſcopus nihil poteſt contra Jus citra conſuetudinem: in caſu autem dubio potiùs fit interpretatio quàm diſpenſatio. Quid Prælatus Religionis poſſit, res eſt facti.

CAPUT XXIX.

An Beneficiatus non recitans per ſex primos menſes, teneatur reſtituere?

1 Primò. Beneficiatus poſt ſex menſes quàm Beneficium obtinuerit, non recitans, privatur fructibus pro rata. Ita Lateran. ſub Leone X. Seſſ. 9. de Reform. Cur. § *Statuimus.* & Pius V. Conſt. 138. Soto putat legendum *per ſex menſes*, quia prior negligentia abiret impunè, & non poſſet ſtatim imponi privatio Beneficii. Sed eſt nimia audacia, propter apparentes difficultates textum mutare; nam Concilium potiùs reprehenditur, quàm vera lectio proferatur. Nec fertur privatio Beneficii ipſo facto, ſed eſt ferenda (*privari poſſit &c.*) nec prius delictum abit impune, ſed relinquitur Juri communi, nec accuſando nec excuſando. Unde non ſequitur, quod Navar. prædicat, irrefragabile argumentum de non reſtituendo ob dictam omiſſionem.

Secundò. Ex natura rei obligatio eſt ad reſtitutionem aliquam faciendam ob dictam omiſſionem. Nam hæc eſt contra Juſtitiam Commutativam quia accipitur merces ſine redditione laboris, cùm fructus non dentur præcisè ut Clerico, aut ut pauperi & propter vitandam mendicationem. c. 2. de Præb. c. *Diaconum.* d. 9. ſed ut ſerviat Eccleſiæ, conſequenter propter Officium. c. ult. de Reſcrip. in 6. At recitatio vel eſt totum Officium, ut in Præſtimonio; vel præcipuum, ut in Canonico; vel licèt minùs principale, tamen grave, ut in Parocho; ergo gravis fit læſio juſtitiæ; eſto non omnes fructus reſtituendi ſint. 2

3 Tertiò. Ex natura rei reſtitutio fieri poteſt in bonis ſpiritualibus omiſſis. Nam licèt violatio præcepti pro tali die nequeat reparari; ſecùs eſt de damno illato. Hoc enim non tantùm materialiter ſeu in pecunia, ſarciri poteſt, ſed ſubſtantialiter in ipſis bonis, ut Capellanus pro Miſſis prioris ſeptimanæ non lectis, ſi vult, ſatisfacere ſic poteſt in toto rigore Juris naturalis. Imò ſufficit reſtitutio in æquivalenti, ſi creditur moraliter & rationabiliter creditor acceptare: at fructus in recitatione intentus, redditur æqualiter per Roſaria, Sacrificia &c. ſicque reſtitutio fit ſuaviùs. Circumſtantia autem, quòd Officium dicatur ut à Legato Eccleſiæ, irreparabilis eſt, ſufficítque, ſubſtantiam actionis eſſe eandem, & fieri meliori modo, quo poteſt. Igitur res ſecuriſſimè ſic ad praxin reduci poteſt etiam nunc, quantùm ad primum ſemeſtre.

CAPUT XXX.

Quid teneatur reſtituere, qui poſt ſex menſes non recitat?

1 Primò. Obligat dicta Lex ante ſententiam Judicis; quidquid Med. auſus ſit dicere poſt Pium ſcribens. Nam lex poteſt impedire acquiſitionem dominii, & vult, ut expreſsè ſignificat, *Fructus ſuos non faciant*: ergo vi injuſtitiæ, *tanquam injuſtè perceptos* reſtituere neceſſe eſt, cùm nemo quod ſuum non eſt, juſtè detineat. Idémque effectus in aliis Legibus pœnalibus ſequitur, ſi verba illum poſcunt: in præſenti autem virtute fit per Legem, ut nullum Beneficium detur, niſi ſub conditione, ut non recitans non faciat ſtipendium ſuum, pœnáque eſt juſta.

2 Secundò. Fructus non tantùm ut reſpondent recitationi, ſed ſimpliciter pro rata per Pium præſcriptâ, reſtituendi ſunt. Improbabile enim eſt, Pium loqui de Beneficiis omnino ſimplicibus, quia Lateran. dicit, *cum Cura & ſine Cura*, quod Pius confirmat, extendens ad Præſtimonia, & dein expreſsè declarans, additâ diſtributione, ut nemo propriâ authoritate verba limitare poſſit. Quomodo enim fructus qui recitationi reſpondent, ſunt *omnes fructus Beneficii vel Beneficiorum, qui illi vel illis diebus reſponderint, ſi quotidie dividerentur?* Et ſi tenet limitatio prætenſa; ergo dici potuit, omnes fructus pro qualibet Hora reſtituendos eſſe. Sic autem Pius non *evidentiùs & expreſſiùs* providit, ſed rem relinquit tam obſcuram, ut antè erat.

3 Tertiò. Ad amuſſim ſervanda eſt taxa & diſtributio per Pium facta. Non enim licet conjecturis uti ad Legem quæ clarè taxat, enervandam; & ſi acquiſitio dominii ſit irrita, non ſupereſt titulus retinendi etiam minimum quid. Exceſſit ergo Medina, cùm vult omiſſionem per octo vel decem dies abire impunè. Si enim Pius pro dimidio taxat & imperat, ſi Lateran. privationem Beneficii injungit, non factâ recitatione per dies quindecim; pro octiduo nihil fiet? Et ſi liberalis Dominus non privat famulum ſtipendio propter *leves* negligentias; ergo dicta omiſſio mortalis non eſt &c.?

4 Vel ergo omiſſio fit totius Officii, vel Matutini & Laudum tantùm, vel reliquarum Horarum omnium, vel unius tantùm aut Laudum? ſi 1mum, perdit non recitans fructus omnes diei. Si 2dum, dimidium illorum. Si 3tium, idem eſt. Si 4tum, ſextam partem, præter diſtributiones, quas Choro addicti cum eadem proportione amittunt. Eadémque pœna proportionalis fertur Penſionariis. Quia verò pro parte Horæ non fertur pœna, non accipi poteſt Hora materialiter, ſed formaliter pro ſexta parte medietatis Officii; aliàs nec pro Laudibus (quæ communiter reputatur pars Horæ) nec pro duobus Nocturnis reſtituendum eſſet.

5 Quartò. Licèt fortè generaliter regula eſſe poſſet, quamlibet omiſſionem mortalem puniri; oportet tamen, ut illi reſpondeat gravis quantitas fructuûm, quæ reſpectu furti ſufficiat ad mortale. Nam reſpectu pœnæ & reſtitutionis, utut culpa gravis fuerit, materia temporalis eſt levis. Unde à fortiori ceſſat dicta obligatio, ſi omiſſio fuit inculpabilis, per oblivionem naturalem aut ex culpa levi; aliter enim nec eſt propria omiſſio, nec fructus *injuſtè percepti ſunt.* Quòd verò recitetur in ſtatu peccati, non refert ad præſens, quia adhuc opus de ſe bonum eſt, quod ſolùm petitur; & etiam impetratorium, quia nomine Eccleſiæ fit. Secùs eſt de non attendente, quia eoipſo non orat, ſed orationem *intermittit.*

Quintò. Reſtitutio fieri debet, *erogando in fabricas hujuſmodi Beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas*, loquendo per ſe. Nam Later. & Conſt. Pii principaliter intendunt reſtitutionem cum effectu, & ideo determinatio intelligitur, ſalvo jure tertii, cui aliàs accreſcere debet vi Statutorum, cùm his non derogetur. Dein prior pars reſtringitur, ut non ſufficiat ædificatio alienæ Eccleſiæ, Monaſterii &c. niſi nomine pauperum comprehendatur; poſterior enim pars non reſtringitur, ut reſtitutio facilior ſit. 6

Unde extendi poteſt ad omnia, quæ nomine Eleemoſynæ comprehendi poſſunt, ut ad Sacrificia legenda pro Defunctis; nam ſi vivis, etiam his fieri illa poteſt. Idem eſt 7

de ipſo Reo paupere; qui tamen ſicut cùm de conſanguineis agitur, rectiſſimè utitur conſilio viri docti. Rurſus juvatur reſtitutio, ſi ubi Beneficiatus reſidet, largas eleemoſynas faciat intuitu illius. Denique omnes quas facit, vel fecit toto tempore quo nōn recitavit, computet ut reſtitutas, quia nunquam eos fructus fecit ſuos, ſed dedit quibus dandi erant: ergo nec ratione rei acceptæ tenetur, nec ratione injuſtæ acceptionis.

TRACTATUS V.

De Juramento & Adjuratione

LIBER I.

De Juramento Aſſertorio.

CAPUT. I.

Quid ſit Juramentum?

1 PRimò. Juramentum ſeu Jusjurandum eſt actus invocandi Deum in teſtem, ſeu enuntiatio prolata cum teſtimonio Divino, utique formaliter tali. Semper enim intentio eſt fundandi aſſertum in authoritate veri Dei, quamvis materialiter & in re non ita ſit; & ideo ſicut Religio, ita & Juramentum dividitur in verum & putatum. Etymologia vocis ſumitur à *Jure*, ſive quia ita firmum, ut quaſi jure ſuo credendum ſit; ſive quia quod promittitur, ita ſtabile eſſe debet, ac ſi Jure ſtabilitum foret.

Conſtat autem concurrere actum intellectûs, voluntatis, & linguæ 2
(ſaltem internæ locutionis, cùm Juramentum etiam ad Deum eſſe poſſit) juxta dicta de Oratione, quæ humano modo non fit ſine conceptu non ultimato. Intellectus ergo dictat, quòd expediat jurare, & format voces, poſtquam voluntas decrevit jurare. Voluntas etiam neceſſaria eſt proferendi verba, quæ ſignificent, Deum in teſtem adduci; nam dormiens &c. non jurat. Unde eſſe debet cum pleno judicio rationis, quantum ſufficit ad peccandum mortaliter aliàs nec eſt

actus

actus ſimpliciter humanus, nec perjurium ſimpliciter tale, nec actus Religionis ſimpliciter & prudens.

3 Secundò. Requiritur intentio proferendi locutionem non merè materialiter, ſed ut Juramentum eſt. Ita omnes, qui negant ſine dicta intentione obligare Juramentum Promiſſorium; conſtátque exemplo Voti, Sacramenti, Orationis &c. Nam eadem verba proferri poſſunt & formaliter ſeu ſignificativè, & materialiter ſeu relativè. c. *Humanæ aures.* 22. q. 5. & ita in uno Juramentum ſunt, in altero non ſunt, l. 3. ff. de Reb. dub. ibi: *in ambiguo ſermone non utrumque dicimus: ſed id duntaxat, quod volumus.* Nec aliter actus, quatenus Juramentũ, humanus eſt, ſed Juramentum fictum in eſſe Juramenti, & mendacium duntaxat perniciosum ac ſcandaloſum, non perjurium coram Deo; ſicut Hæreſis diſtinguitur vera vel ficta.

CAPUT. II.

An Juramentum ſit actus licitus & honeſtus?

1 Primò. Non eſt actus ex natura rei malus. Nam in Decalogo non ſimpliciter prohibetur, ſed ne *in vanum* aſſumatur; conſtátque exemplis Abrahæ, Iſaac, Jacob, Moyſis, David & Prophetarum, juxta formam, *Vivit Dominus.* Nec enim actus malus eſt vi objecti, ſed de ſe tacita confeſſio Fidei; nec ex circumſtantiis neceſſariò; ut patet ſi adſint tres comites, Veritas, Juſtitia, & neceſſitas. Quia nec Veritati, nec Juſtitiæ, nec Prudentiæ, ſuppoſitâ neceſſitate, repugnatur, conſequenter nec Religioni, ſed cum Reverentia Dei juratur: ut autem hæc adſint, à libertate pendet, ſicut ne verbum ſit otioſum &c.

2 Secundò. Nec in Lege Gratiæ prohibitus eſt dictus actus. Eſt de Fide ex uſu & traditione Eccleſiæ quæ exigit dictum actum, ut conſtat tit. de Teſtib. de Purgat. Canon. de Hæret. & in Profeſſione Fidei, Obedientiæ &c. Nec Mat 5. inducuntur nova præcepta, ſed ſolùm intentio eſt tollendi vel aliquas imperfectiones Veteris Legis (ut eſt probabile de libello Repudii) vel erroneas expoſitiones Legis. Nam ſine temeritate dici poteſt, creditum eſſe, quòd ſolum perjurium vetitum ſit per particulam *in vanum*; & quòd juramentum non ſit, jurare per creaturas &c. Docet ergo Chriſtus, *omnino* non eſſe jurandum, ſeu nec unâ nec aliâ formulâ, utique ordinariè & ſine neceſſitate, ſed ſolùm dicendum, *Eſt. Eſt &c.*

Quod verò *amplius eſt*, non quidem 3

dem malum eſt, ſed *à malo*, utique pœnæ, ſive ob incredulitatem audientium ſive ex defectu veritatis humanæ in natura corrupta. Inde enim eſt, cur Juramentum reputetur neceſſarium, non verò quaſi frequentia ejus utilis ſit, cùm juxta Theophyl. *nulli minùs creditur, quàm ei, qui frequenter jurat*; & è converſo facilè ei, qui ſemper verum dicit, & nunquam jurat. Síeque Chriſtus explicationi præcepti jungit conſilium vitandi frequentiam; quia hæc parit conſuetudinem, & hinc ſequitur perjurium. Quod conſilium quia nullibi expreſſum eſt in Lege Veteri, Chriſtus recte orditur dicendo: *ego autem &c.* Porro Patres plus non volunt verbo *probibendi*, quàm ut commune eſt præcepto & conſilio; nam c. 2. 22. q. 1. & c. *Etſi Chriſtus.* de Jurejur. Auguſtin. ſententiam ſuam profert, ut indubitatam in Eccleſia; conſtátque ex Rom. 1. Gal. 1. & 1. Cor. 1. & 1. Tim. 5. & 2. Tim. 4.

4 Porro exceptionem dicti conſilii, *niſi Juſtitia, Obedientia & Charitas obliget*, nec Chriſtus expreſſit, quia neceſſaria non erat; nec etiam Patres, quia proclivibus ad jurandum inculcanda non eſt. Neque cùm exceptioni locus eſt, miraculum petitur, nec ab audiente exſpectatur; ſed in poteſtate noſtra eſt, ſic Deum invocare in teſtem, ut eo ipſo obliget Religio ad dicendum verum, nec defuturum ſit teſtimonium, quando *illuminabuntur abſcondita tenebrarum &c.*

CAPUT III.

An ad honeſtatem Juramenti requirantur Veritas, Juſtitia & Judicium?

1. Primò. Veritas requiritur in omni Juramento. Eſt de Fide. Lev. 19. Zach. 5. Exod. 20. ubi inter præcepta naturalia ponitur. Nam cùm finis Juramenti ſit confirmatio Veritatis, per hujus defectum directè evertitur, uti & authoritas actûs; fitque injuria primæ Veritati. Unde idem eſt de Juramento promiſſorio; quia ſemper eſt aſſertorium propoſiti præſentis; ergo ſi hoc deeſt, ſive in ſe ſive vi objecti (ut cùm ſcitur vel putatur poteſtas implendi defore) etiam veritas deeſt de præſenti. Poſcitur autem veritas etiam de futuro ſeu adimpletio dicti, quia ad hanc confirmandam inducitur Deus.

2 Secundò. Idem eſt de Juſtitia, utique latè eam ſumendo pro honeſtate ſeu juſtitia generali ex parte materiæ proximæ. Nam aliud eſt facere; aliud ſcire malum, & de hoc teſtari: materia ergo remota ſi inhone-

honeſta eſt, non obſtat, per ſe loquendo, quia non eſt inhoneſta dicenti. At prius obſtat, ut ſi malum malè reveletur, ut contra fidem ſecreti, vel ſi crimen occultum eſt, aut ſi proprium revelatur per jactantiam. Irreverentia enim fit adducendo Deum in teſtem dicti fœdi.

3 Tertiò. Idem eſt de Judicio ſeu Prudentia. Nam licèt hæc ſit auriga omnium virtutum; ſpecialiter tamen neceſſaria eſt in præſenti, propter reverentiam Dei, & labilitatem linguæ; ne in vanum, ſeu otiosè juretur. Quæ verò utilitas ſufficiat, judicium prudens ſeu diſcretio dictare debet, pendétque maximè ex fine: ergo ſi is honeſtus ſit, & Juramentum conferat ad eum, jam ceſſat ratio irreverentiæ.

Quartò. Ad Honeſtatem Juramenti ſufficiunt dicti tres comites, loquendo per ſe, & intra latitudinem Religionis. Nam de ſubſtantia Juramenti eſt, ut ſit per Deum verum; quia autem hic eſt ſumma Veritas, Bonitas & Majeſtas, inde ſequitur neceſſitas dictorum comitum. Aliunde autem ex parte operantis, & ex circumſtantiis loci, temporis &c. adjungi pravum quid poteſt; quod eſt per accidens, & ideo ſub ſcientiam non cadit. Huc pertinet c. *Honeſtum.* 22. q. 1. & c. De Teſt. ubi de honeſtate petitur Jejunium, ſed pro actu judicali tantùm aut ſolemni; quamvis & hoc antiquatum ſit juxta Gl. c. *Decrevit.* 22. q. 5. Adde dicta de Feſtis l. 2. c. 30. 4

CAPUT IV.

An Juramentum ſit actus elicitus Religionis?

1 Primò. Juramentum pertinet ad Latriam ſeu Religionem. Patet ex Deut. 9. Ex. 20. Lev. 19 Mat. 5. & ipſis Philoſophis, Ariſt. Cicerone, & Jure utroque, ut l. 2. Cod. de reb. cred. l. ult. Cod. de Jurejur. Aliud ergo eſt loqui de exercitio actûs, aliud de ſpecificatione; ſicut ars dirigit rectitudinem actûs, quin moveat ad exercitium; & Fidelitas dirigit promiſſionem, non movet ad illam. Similiter ergo motivum jurandi quoad exercitium, non eſt Religionis, ſed quoad modum; & quidquid ſit de motivo extinſeco, ut utilitate humanâ &c. non ſufficit ſine officio Religionis ſeu Religioſæ prudentiæ, cujus eſt expendere, an ſufficiat ad rectè jurandum: ſicque Religio etiam quoad exercitium dirigit. Denique licèt intentio operantis alia eſſe poſſit, ſufficit, vi objecti & operis intendi cultum Dei ſeu tendi ad illum; ſicut eleemoſyna vi operis eſt actus Miſericordiæ, &c.

Secun-

2 Secundò. Ex eo, quòd Juramentum ſit actus Religionis, non ſequitur eſſe per ſe appetibile. Licèt enim cultus Dei per ſe appetibilis ſit, non tamen omnes actus ejus ut ſunt materia ejus, niſi ſuppoſitâ convenientiâ & ratione medii per ſe proportionati, ut omnis virtus poſcit. Imò multi actus externi Religionis per ſe appetibiles non ſunt, ſed ut utiles ad aliud, ut Oratio vocalis quatenus utilis ad excitandam Devotionē &c. Juramentum autem habet mediocritatē ſuam ſuppoſitis comitibus, qui difficulter ſemper adſunt; ſicque id ſimile eſt medicinæ, quæ quò fortior eſt, eò minùs frequentatur, ne noceat. Nam ſicut tendit in cultum Dei, ita fugit periculum irreverentiæ erga illum, cùm de ſe non ſit ad profitendam Fidem (quod crebriùs fit ab incautè jurante quàm ab alio) ſed actus virtutis moralis, conſequenter non ut ſignum ſpeculativum Fidei ſe habens, ſed ut practicè proteſtativum Excellentiæ Divinæ & infallibilis Authoritatis ad confirmandam veritatem.

CAPUT V.

An Juramentum per ſolum verum Deum, vel etiam per creaturas fieri poſſit?

1 Primò. Juramentum, ut eſt actus honeſtus, per ſolum Deum verum fieri poteſt. Nam eſt actus Religionis continens cultum Latriæ; & tendit ad confirmandum teſtimonio, quoad per hominem poteſt, infallibili. Solus autem DEUS certò novit mentem, à qua pendet veritas loquentis. Unde Juramentum per Idolum vel creaturam abſolutè ſumptum, eſt blaſphemia, tribuens illis quod ſoli DEO convenit.

2 Secundò. Per creaturas jurare aliquo modo licitum eſt, & de Jure naturæ & de Poſitivo. Conſtat exemplis Gen. 42 & 2. Cor. 1. Deut. 3. & 4 & Mat. 5. Vel enim fit attestatio ſimplex, vel per execrationem? Si 1mum, implicitè & mediatè invocatur DEUS, ſicut adoratur, ut exiſtens in Cœlo, Hieroſolymâ, Cruce. Si 2dum patet ex forma: *Et hæc ſancta Dei Evangelia.* Et quia homo non habet poteſtatem vel in capillum, *ut album faciat*, ſed ſolus DEUS; hic invocatur, jurando per caput: quod Judæi non putabant. Prohibitio autem nec fit per Jus Canonicum, c. *Si aliquis.* c. *Habemus.* de Jurejur. nec per Civile. l. 3 §. *Jurari.* l. *Qui per ſalutem* Cod. eod. Unde c. *Clericum.* c. *Si quis.* 22. q. 1. ſolùm agitur de juramento more Gentilium, ut per Jovem &c.

Vel

3 Vel ergo ſit per creaturam abſolutè & non ſacram, vel per rem ſacram? Si 2dum, conſtat ex uſu licere, ut per Evangelia &c. dummodo non indecens quid evometur blaſphemè. Nec enim ut juramentum ſit per creaturam irrationalem, dirigi id ad hanc poteſt ut talem, ſed ſolùm ad intelligentem; eſto illa aliàs capax ſit adorationis ſecundariæ, ut Crux. Angelus autem vi ſuæ naturæ nec omnia ſcit, nec ſemper attendit; tamen ut Beatus notitiam habet infallibilem. Si 1mum, ordinariè eſt otioſum, ſecluſo ſcandalo vel errore, ut per canem, hircum &c. Sin ſit per Dæmonem aut damnatum, ut Mahometem &c. ſemper continet ſuperſtitionem, propter ſocietatem, & ingerit horrorem. c. *Movet.* 22. q. 1. Denique ſive juretur per Deum, ſive per creaturam intendendo cultum Dei, differentia ſpecifica non eſt, ſed ſolùm ſecundùm magis & minùs expreſſum.

CAPUT VI.

An finis Juramenti ſit Confirmatio Veritatis, vel hæc ſolùm ſit effectus ejus?

1 Primò. Confirmatio veritatis eſt effectus proximus & intrinſecus Juramenti. Patet ex Hebr. 6. & ex inſtitutione & uſu, & ex utroque Jure. Nam vel Juramentum comparatur ad fidem, quam generat, vel ad rem juratam? Si 1mum, ergo ſe habet, ut principia ad concluſionem, teſtes ad fidem humanam, Doctores graves ad aſſenſum probabilem. Si 2dum, habet ſe ut forma ad materiam, ut lux ad colorem per modum formæ ſive inhærentis ſive adhærentis: vel potiùs ut eſt invocatio Divini Teſtimonii, habet ſe ut applicatio hujus tanquam formæ, ſeu objecti formalis vel medii, per quod veritas manifeſtatur; nam *quod manifeſtatur, lumen eſt.*

2 Secundò. Confirmatio Veritatis

eſt proximus, proprius, & quaſi intrinſecus finis Juramenti. Nec enim eſt finis per accidens, ut inventio theſauri reſpectu foſſionis terræ, ſed per ſe intentus à jurante, imò vi inſtitutionis: at proprium eſt finis, eſſe ultimum in executione, & primum in intentione. Dein vel verum accipitur materialiter, ut Petrum hoc feciſſe, vel ut objectum credibile? Si 1mum, utique finis non eſt. Si 2dum, ſic finis eſt objectivus; formalis autem finis eſt manifeſtatio illius veri: qui non ſunt duo fines, ſed conſecutio unius, ut fatetur Cajet. de inductione teſtium, quamvis ſecùs eſſe velit de Juramento, propter reverentiam Dei, ne ſuperius ordinetur ad inferius.

Sed ſine cauſa injicit ſcrupulum 3
contra

contra ſenſum communem & exigentium & præſtantium Juramentum. Nam aliud eſt loqui de fine proximo, aliud de ultimo operantis; quia priore modo utique ſpirituale ordinari poteſt ad temporale, cùm in hoc non ſiſtatur. Eſtque impertinens exemplum Orationis; nam in hac, præcisâ temporali utilitate, intendi poteſt & debet cultus Dei: at in Juramento priùs expendi debet utilitas confirmationis, ut poſtea intendatur cultus. Dein ſic ordinari Juramentum, cedit honori Dei, quia pertinet ad univerſalem Dei Providentiam, & quaſi influentiam myſticam vel moralem, ut omnibus modis invocetur in auxilium, conſequenter etiam veritatis, & quaſi Societatis inter homines. Unde finis adæquatus non eſt inferioris ordinis, ſed continet pacem, confirmationem Religionis, Obedientiæ &c.

CAPUT VII.

De Materia Juramenti, ejúsque diviſione in Sacram & Humanam.

1 Primò. In cauſa temporali licitè juratur. Oppoſita Wicleffi damnatur in Conſtant. ſ. 8. a. 43. ex Geneſ. 21. & 26. Exod. 2. Rom. 1. & 2. Cor. 1. Nam talis materia nec ex natura rei incapax eſt Juramenti, juxta dicta hactenus, nec vi Legis Veteris, nec Legis Gratiæ. Imò cùm Juramentum ſit *Omnis Controverſiæ* (hominum) *finis*. Hebr. 6. maximam partem id fine ſuo fruſtraretur, ſi non liceret in dicta materia: patétque uſus ejus in Jure Canonico. 22. q. 1. uſque ad 8. & tit. de Jurejur. de Teſtibus &c.

2 Secundò. Materia Juramenti rectè dividitur in Sacram ſeu Religioſam, & Humanam. Ad priorem pertinet confirmatio Votorum, Obedientiæ Prælatis debitæ, Abjuratio erroris, Profeſſio Fidei &c. ad poſteriorem verò Juramenta, quæ in Judicio tam Civili quàm Criminali exigi ſolent, & ſine dubio etiam præcipi poſſunt. Diviſio tamen ſolùm eſt accidentis in ſubjecta, non eſſentialis, ut conſtat.

CAPUT VIII.

De Juramento Aſſertorio & Promiſſorio.

1 Primò. Materia Juramenti poteſt eſſe de præſenti, præterito & futuro. Nam in omnibus poteſt eſſe incertitudo, pendens aliquo modo

do ex voluntate vel cognitione humanâ. Rurſúmque in omnibus eſſe poteſt utilitas vel neceſſitas confirmandi veritatem, cùm ex illis omnibus pendeat providentia humana, & circa ea ſæpe neceſſariò fundetur in fide humana. Hinc ergo eſt diſtinctio Juramenti Aſſertorii & Promiſſorii; quæ tamen ſolùm diſtinguuntur, ut includens & incluſum.

2 Secundò. Omne Promiſſorium eſt etiam Aſſertorium. Nam aſſertio de futuro, quòd ſim facturus, nec in ſe nec in cauſa veritatem habet, ſecluſo animo faciendi: ergo ſine hoc mendacium fit. Quòdſi ſit aſſertio quaſi ſpeculativa de facto futuro alterius, eoipſo affirmatur opinio quam de illo habes; nam hic eſt ſenſus communis. Igitur in Promiſſorio, ùt à merè Aſſertorio diſtinguitur, duo affirmantur de præſenti, voluntas promittendi & propoſitum implendi; & unum de futuro, ſcilicet impletio.

Tertiò. Promiſſorium eſſe poteſt 3
cum nuda aſſertione de futuro facto proprio, ſeclusâ promiſſione, quamvis iſta ſine illa eſſe nequeat. Patet poſterius ex dictis ſup. num. Ratio prioris eſt, quia adhuc ſtat obligatio implendi dictum, eáque ſpecie diſtincta ab obligatione promiſſionis ſeu Fidelitatis, utpote orta ex vi juramenti. Dixi, *Facto proprio*, nam ſi de alieno eſt, propoſitio ſolùm eſt de præſenti, ſcilicet opinione, ut ſuprà dictum eſt.

CAPUT IX.

Qualis ſit diviſio Juramenti in Aſſertorium & Promiſſorium?

1 Primò. Promiſſorium ut obligat in futurum, alterius rationis Juramentum eſt ab Aſſertorio de præſenti. Nam duplex eſt modus veritatis, unus, ut eodem puncto quo profertur, debeat eſſe conformis menti dicentis; alter, ut ſit quaſi pendens ex facto futuro. Rurſus Deus invocatur vel ut Teſtis veritatis, vel ut Fidejuſſor verbi dati; nec enim de re nondum factâ datur teſtimonium, eſto Deo omnia ſint præſentia, quia non petitur teſtimonium de re futurâ ut Deo præſens eſt, ſed ut eſt in mente promittentis.

Confirm. Quia ſicut in Deo diverſæ rationis ſunt Attributa, Veritas in dicendo & Immobilitas conſilii ac propoſiti; ita per Promiſſorium petitur participatio quædam Immobilitatis Divinæ. Unde etiam effectus diverſi ſunt utriusque Juramenti; nam fractio Aſſertorii ſemper graviſſima eſt, etiam in individuo, quia requirit veritatem dicti, non facti, ut Promiſſorium; ſem- 2

pêrque in illo adducitur Deus ut Teſtis veritatis formalis ex conformitate aſſertionis cum mente dicentis, c. *Homines*. 22. q. 2.

3 Secundò. Ratio Promiſſorii ejuſdem ſpeciei eſt cum purè Aſſertorio. Ita Communis Cajet. Soto, Valent. Covar. Nam aliàs in eodem Promiſſorio eſſent duæ rationes Juramenti ſpecie diſtinctæ. Quòd verò habeat ſpecialem vim confirmandi futurum, pertinet ad differentiam merè materialem & individualem; multóque minùs Promiſſorium, cùm continet promiſſionem, ſpecie differt à purè Aſſertorio de futuro præſtando: nec enim novum eſt, nomen imponi ad generaliùs ſignificandum, quàm Etymon poſcat.

CAPUT X.

An Materia Juramenti debeat eſſe contingens, & dependens à voluntate Jurantis?

1 Primò. Aſſertorium ſemper eſt de materia contingenti, ratione alicujus actionis humanæ, à qua pendet veritas aſſertionis immediatè juratæ. Nam juxta S. Thom. deriſibile eſt, ſiquis in diſputatione alicujus Scientiæ vellet propoſitionem per juramentum probare; quia hoc non cadit immediatè in rem dictam ſecundùm ſe, ſed in dictum jurantis. Et licèt citentur Doctores ad conciliandam fidem; tamen hæc immediatè ſolùm eſt de ſenſu eorum, ut quòd Auguſt. ita ſenſerit, non verò quòd ita ſit. Igitur qui jurat rem ita eſſe, neſciens tamen; falſum jurat, quia de re ſibi ignota: & tunc quantum eſt ex modo jurandi, tam eſt contingens, rem in ſe non eſſe, ac eſſe; ſicut cognitio immediatè aſſerta, contingens eſt.

Secundò. Idem à fortiori eſt de 2
Promiſſorio. Nam jurare Eclipſin futuram &c. eſt purè Aſſertorium; ut dictum eſt de Juramento facti alieni futuri, utique purè aſſerti. Aliquando enim præſumitur eſſe de facto proprio, ut de præſtanda cura & diligentia c. *Ex reſcripto*. de Jurejur. Quòdſi de impoſſibili ſit; vel de impoſſibili ſcito eſt, vel non? Si 2dum, ergo juratur ut poſſibile, conſequenter contingens. Si 1mum, fingitur promiſſio & poſſibilitas: ergo ſive verum ſive putatum Promiſſorium cadit ſuper materiam contingentem proportionali modo.

CAPUT XI.

An ex parte formæ Juramenti requirantur verba?

1 Primò. Conſtat verba ſufficere, utique ſi ſumantur eo ſenſu, quem habent ex impoſitione. Nam ut dicitur l. 3. ff. de Reb. dub. *Qui aliud dicit, quàm vult, neque dicit, quod voce ſignificat, quia non vult; neque quod vult, quia id non loquitur.* Jurabit ergo Deo vel ſibi (ſi ſibi verba imponat ad ſignificandum) non aliis, niſi ſigno alio intentionem manifeſtet.

2 Secundò. Verba non ſunt de neceſſitate Juramenti, ſed ſine illis ex natura rei hoc ſufficere poteſt ad teſtimonium, obligationem, contractum. Nam ut per verba exponi poteſt juramentum mente conceptum, ita per ſignum aliud æquipollens, ut ſcripturam &c. l. 2. ff. de Pact. Materiale enim eſt, an ſignum ſit vox, an aliud; ut conſtat in muto, abſente &c. & nec reſpectu præſentis ſemper expedit vel decet loqui: ſicque contrahitur matrimonium, Votum, Profeſſio tacita.

Tertiò. Ex Jure Humano tunc requiruntur verba, ubi conſtiterit, Lege poſtulari ad certos effectus. Lex enim præſcribere poteſt certam formam, ut ad ſtipulationem l. 1. ff. de V. O. quamvis nullibi reperiatur ut eſſentialis; ut receptiſſimum eſt de Muto. Gl. in c. *Teſtes.* 3. q. 9. Nec ad rem eſt c. *Clericus* de Jurejur. quia ſolùm deciditur, quòd vi verborum, *Promitto per idem Juramentum* &c. non ſit factum novum Juramentum. Aliud autem eſt, quòd jurare vel non jurare, ſit ex voluntate hominis; aliud, facto jam juramento, facere, ut ſequatur vel non ſequatur obligatio, aut tanta & non major. Potuit enim Clericus Juramentum facere circa novum ſtatutum, non tamen ut non jurando denuò prius juramentum circa ſtatuta antiqua, extenderetur ad nova, quantum eſt vi verborum; eſto intentio eſſe potuerit denuo jurandi &c. 3

CAPUT XII.

De triplici Diviſione Juramenti ex parte formæ.

1 Primò. Diviſio eſt in Verbale tantùm, Corporale ſeu Reale tantùm, & Mixtum ſeu Compoſitum ex utroquo, quod ſimpliciter Corporale dicitur c. *Quotus* 1. q. 7. Clem. 1. §. *Porro.* de Hæret. c. *Ut circa.* de Elect. Unde tactus Evangelii &c. fit, vel quia Jus ita poſcit pro ſuffi ienti probatione, c *Laudabilem* de F gid. &c. vel ſolùm ad ſolemnitatem; vel ad

ad complenda verba, quæ de ſe non ſufficerent; ſic enim in caſu c. *Clericus.* de Jurejur. dubium omne utique ſublatum fuiſſet.

2 Similíque modo, licèt rarum ſit, poſſibile eſt Juramentum *Reale tantùm*, quatenus ex impoſitione & conſuetudine ſignificare poteſt, cùm parùm referat, an uno an alio modo ſignum exhibeatur. Eſtqua res clara, ſi præcedunt verba exigentis juramentum; nam in ſubſequente tactu libri vel inclinatione capitis &c. ſatis continetur ſignificatio verborum. Et conſuetudo eſſe poteſt, ut ſola verba ſimplicia *Faciam* &c. ſi tali modo (ut cum elevatione digiti &c.) dicantur, ſufficiant.

3 Secundò. Altera diviſio Juramenti eſt in ſimplex & ſolemne. Exempla poſterioris ſunt in Abraham & Jacob petentibus tactum femoris, ſive quia in Fide ſeminis ſui ſeu Chriſti jurârint, ſive ob aliam rationem dicti ſigni, & uſum. Nam conſtat, Ritus fuiſſe varios, ut Gen. 15. Jerem. 34. & apud Livium, & in Canone, ut c. *Tibi Domino.* d. 63. Clem. un. de Jurejur. c. ult. de Juram. Calum. dicitúrque ſolemnitas Canonica, c. *Dilecti*, de Maj. & Ob. ſic etiam Judiciale ab Extrajudiciali diſtinguitur l. *Generaliter.* §. ult. Cod. de Reb. Cred. Igitur ſolemne dicimus, quod ſolemnitatem Lege præſcriptam habet; ſimplex verò, privatum quodlibet.

4 Tertiò. Alia Diviſio eſt Invocatorii & Execratorii. Poſterius fit vel per directam maledictionem, ut *Statim moriar* &c. vel per interpoſitionem boni, quaſi obligando id ad perditionem, ut *per vitam*, *ſalutem* &c. Prioris modi exemplum eſt in Lege Veteri. *Hæc faciat Deus* &c. idémque ſignificatur dicendo, *ſub periculo animæ* &c. ut c. *Fraternitatis.* c. *Ego N.* de Teſtibus. Perinde enim eſt, *Sic me Deus adjuvet*: ac *non adjuvet*, ſi fallo. Certúmque eſt, quod tenet Cajet. & omnes ſequuntur, Execratorium non differre ſpecie ab Invocatorio. Quia materiale eſt, teſtimonium Divinum determinari ad declarationem per tale opus, & circa talem creaturam. Nec formaliter fit maledictio, ſeu cum animo ut quod dicitur, eveniat; ſed materialiter, quatenus proponitur effectus, ut indicium dicti teſtimonii. Qui enim verum dicit, fugam mali ſignificat; qui falſum, non putat eventurum: ergo non ſunt duo peccata, perjurii & maledictionis.

CAPUT XIII.

De variis Formulis Jurandi.

1 Primò. Non requiritur verbum *Juro.* Nam ſufficit jurare in actu exercito, c. *Etſi Chriſtus.* c. *Ego N.* de Jurejur. & Paulus dixit: *Teſtis*

eſt

eſt &c. & Prophetæ, *Vivit Dominus*; & Gentiles. *Me Herde* &c. Sic ad orandum ſufficit, *Adjuva* &c. citra verbum, *peto*: ergo & invocatio Divini teſtimonii ita fieri poteſt. Imò quamvis verbum *Juro*, per ſe & vi verbi utique ſufficiat, tamen moraliter loquendo & ex uſu, ſumitur indifferenter ad verum & fictum Juramentum, ut *Juro per barbam*, *per cœlum lecti* &c. Unde in conſcientia ſtandum eſt intentione; & quantum ad uſum, judicandum eſt ex circumſtantiis negotii, petitionis præviæ, conditionis perſonæ, & modi loquendi; an mens loquentis tendat ad vitandum Juramentum, propter additum reſtringens &c. &c.

2 Secundò. Formæ indubitatæ ſunt, in quibus citra verbum *Juro* aſſumitur nomen Dei. Patet ex ſenſu communi omnium, ut *Per Deum*, *Teſtis eſt Deus*, *Teſtem invoco Deum. Vivit Dominus.* At formula *Scit Deus*, *In conſpectu Dei &c.* ſat dubia eſt, cùm etiam Timorati eâ utantur, utique ad ſignificandam conſiderationem in loquendo, vel ſubmiſſionem erga Deum & ſcientiam ejus, ut 2. Cor. 11. *Non diligo vos? Deus ſcit.* Similiter *In conſpectu* &c. perinde apud Timoratum eſt, ac *Non mentirer coram Rege &c.* Igitur ex circumſtantiis judicandum eſt, maximéque cavenda comparatio in rigore blaſphema, *Sicut Deus eſt veritas &c.*

3 Tertiò. Per formam *In Fide mea*, vel *Per Fidem meam*, ſimpliciter intelligitur Fides humana. Nec enim refert an nobilis ita proferat, an plebejus, ſed ſicut ille aliquando *in Fide nobilis*, ita iſte *in Fide boni viri* aſſerit: idémque uterque ſine addito intelligit confusè, cùm omnes accipiant vocem pro univoca, rectè ſic reſtringendo ad vitandum periculum. c. pen. de Jurejur. Nec dicas ſufficere, quòd juretur per creaturam cum habitudine ad DEUM; quia vel per ignorantiam putatur, ad id ſufficere interpoſitionem fidei propriæ, vel non? Si 2dum, in qualibet creatura attendi poteſt dicta habitudo, ſicque jurari. Si 1mum, tam non eſt juramentum, quàm ſi ſit per Idolum.

4 Secùs eſt juxta omnes de forma; *In Fide Chriſti, Dei, vel Chriſtianâ.* Nam quia res eſt ſacra, per ſe habitudinem dicit ad Deum, licèt abſtineat addito, ſicut cùm dicitur. *Per cœlum, Evangelium* &c. Mutatur autem forma dicendo, *In Fide Chriſtiani, Religioſi, Clerici*, quia commendatur credulitas ex circumſtantia Perſonæ. Tamen cavendum eſt periculum; nam in foro pro Juramento habetur, ut c. 2. de Fidejuſſ. ibi: *Religionem Fidei & Juramenti.* Alia tamen jura non probant, ut c. *Ad aures.* de his, quæ vi &c. nam de Clericis agitur, & ſolùm dicitur, fidem ſervandam eſſe, quæ religioſo modo data eſt, ſive juramentum fuerit, ſive non. Et c. *Juramenti.* 22. q. 5. comparatur, non æquatur Juramentum aſſertioni ſimplici Chriſtiani & veracis. Minúſque probat c. ult. Ne Præl. Vic &c. quod

quod & ſimile eſt c. *Cùm tempore* de Arbit. & non meminit perjurii.

5 Quartò. Formæ *Certè*, *certiſſimè*, *profectò*, *ſine dubio*, *in veritate*, *in veritate mea* non continent Juramentum. Nam ſolùm repetitur & exaggeratur eadem veritas loquentis, niſi ob additum ſecùs ſit, ut *in veritate Dei* vel *Chriſtianâ*. Dubia autem forma eſt *in conſcientia*, *per conſcientiam*; nam aliquando ſumitur ſine ordine ad Deum, ſolùm ſignificando quòd quis loquatur, ut in mente habet, vel ſecundùm debitum conſcientiæ: aliquando autem cum virtuali execratione, ut *Per animam*, vel ut teſtimonium conſcientiæ, tanquam res ſacra, participatio eſt Divinæ Veritatis.

6 Quintò Formæ *Per habitum Clericalem*, *Regularem*, *Profeſſionem* &c. Juramentum ſunt vi verborum. Nam ex communi uſu ita accipiuntur, ut forma *per cœlum* &c. niſi aliud per additum ſignificetur, ut ſemper notandum eſt. Sic licèt Juramentum ſit *Caream vitâ*, vel *Careat Pater*, *Rex* &c. tamen cùm dicitur *per vitam equi*, ſignificatur vitatio juramenti, quatenus dicta vita pro nihilo habetur, perinde ac cùm dicitur *Per barbam*. Poteſt tamen intentio eſſe, ut in equo Deus oſtendat teſtimonium &c. ſicut cùm idem intenditur à dicente, *maledictus panis* vel *nummus quem apud me habeo.* Quamvis vi vocis neque imprecetur quis ſibi, nec petat oſtenſionem Divini Judicii, ſed ſolùm exaggeratur mendico negatio panis &c. Conſtátque in omnibus conſulendam eſſe conſcientiam, quia ſæpe putatur Juramentum eſſe, quod non eſt, & non eſſe quod eſt.

CAPUT XIV.

De Perſonis, quæ jurare poſſunt: & primò de Deo & Angelis.

1 Primò. DEUS jurare poteſt ſecundùm modum & formam Juramenti, & aliquo modo quoad finem & effectum ejus quoad nos, non tamen quoad ſe aut rem ipſam. Quòd DEUS juret, conſtat ex Scriptura, & ponderatur Hebr. 6. Duóque effectus ſunt; alter, quòd ſit Prophetia Prædeſtinationis, ſeu abſoluta & independens à conditione ex parte noſtrâ, ut in promiſſione Meſſiæ: alter eſt roboratio Fidei & Spei, non quòd res in ſe certior ſit, ſed quia forma certior eſt ad apprehendendam certitudinem. DEUS autem incapax eſt & actuûm Religionis, & confirmationis ſui dicti, utpote ſumma Veritas: ergo Juramentum ſolùm ei convenit quoad ea quæ perfectionis ſunt; ſícque propter nos illo uti poteſt.

Unde

2 Unde ut notat *Baſil.* addi ſolet Attributum quadrans materiæ, ut *Vivo ego*, cùm pœnitenti promittitur vita; & *per viventem in ſæcula.* Apoc. 28. jurando non fore tempus. Cùm autem Deus jurat per *animam*, vel *in anima ſua* Jer. 5. Am. 6. ſolùm ſe ſeu ſubſtantiam ſuam intelligit (ut in ſimili Eccl. 24. Hebr. 10.) per ſimplicem atteſtationem; ſicut etiam per negationem, *ſemel juravi*, id eſt non mentior. Sic Js. 14. *ſi non ut putavi, ita erit &c.* fit affirmatio jurata, *omnino erit*, quià ſubintelligitur alia negatio, ſi una ſupponitur in conditionato juramento. Nec enim imprecatio fit rei niſi capaci mali, nec Deum decet; & ideo in ore hominis blaſphemia potiùs eſt quàm Juramentum. Et quia Deus per ſe tantùm jurat, non imprecatur creaturæ, cùm aliunde quidquid huic evenit, ab ipſo pendeat.

3 Secundò. Chriſtus, ut homo, jurare potuit; & probabiliter juravit. Nam ut talis eſt minor Patre; & licèt nec falli, nec fallere potuerit ratione Unionis, potuit actus prodeſſe audientibus. Dein licèt particulæ *In veritate, Amen &c.* de ſe non ſufficiant, nec materia Luc. 4. poſcat Juramentum; tamen aliquando *Amen* potuit ſumi in vi nominis. Apoc. 3. *Hæc dicit Amen*, id eſt, *Immutabilis* &c. & per *Veritatem* intelligi Verbum, ſicut Deus per ſe jurat. Æquivalet etiam, cùm Patrem in Teſtem adducit, *Teſtimonium perhibet de me*; nam qui fingit revelationem, non ſolùm ſuperſtitioſus, ſed etiam perjurus eſt.

4 Tertiò. Angeli ſancti poſſunt jurare nobis, ut Apoc. 10 non tamen inter ſe. Nam Beatus ſemper clarè intuetur, de quibus illuminatur; & licèt abſtractivè cognoſceret, adhuc eſſet evidentia in atteſtante; otioſi autem verbi Beatus capax non eſt, nedum juramenti talis. Rurſus damnati nec jurant Sanctis, quia ſciunt inutile eſſe; nec homini regulariter, ne Deum honorare videantur aut egere ejus teſtimonio; ſemper affectando, ut colantur ut Deus. Secùs eſſe poteſt, cùm ad decipiendum ſpeciem Dæmon aſſumit Religioſi; Inter ſe denique nec Deo honorem deferunt, nec egent contractibus &c. ut jurent.

CAPUT XV.

Poſſintne homines jurare in omni ſtatu?

1 Primò. Poſſunt etiam in ſtatu Innocentiæ. Nam actus non poſcit neceſſariò peccatum, ut patet in Deo & Angelis jurantibus ad confortandam fidem; nam in Aſſertorio juvatur credulitas, & in Promiſſorio rectè firmatur obligatio erga alterum: non ergo juramentum de

ſe attentum, eſt *à malo* originalis culpæ (ſecùs nunc quoad frequentiam & neceſſitatem, ob homines adeò mendaces) ſed *à malo*, ſeu defectu intrinſeco creaturæ, quæ fallere & falli poteſt, & in propoſito nutare; quod ideo voto firmari poteſt.

2 Secundò. Idem eſt de quolibet adepto uſum rationis. Conſtat enim puerum perjurum eſſe poſſe. c. 1. de Delict. puer. Admitti etiam debet, ſi vult, ad juramentum, cùm de capacitate conſtare poſſit: quòd enim non cogatur. c. *Pueri.* 22. q. 5. favor eſt, non pœna. Dixi, *quolibet*, utique per ſe loquendo. Nam Atheus nil cognoſcit majus homine: at nemo jurat niſi per majorem ſui. Rurſus Idololatræ juramentum eſſe non poteſt verum in eſſendo, ſed ſolùm in exiſtimatione, ſicque obligare ſtante errore. Nec Philoſophi negantes Deum omniſcium, invocare poterant teſtimonium ejus, reflectendo ad ſuam opinionem, ſed ex generali apprehenſione; quòd ſic confirmetur aſſertio, nec liceat DEI nomine abuti, eſto ignorando rationem hujus; ut planè fatendum eſt de Idololatra, quia non credit, Idolum eſſe omniſcium.

Tertiò. Præter Impuberes à jurando extrajudicialiter excluduntur Jure poſitivo duo ordines hominum, partim in pœnam, partim in privilegium vel honorem. Patet de Infamibus, maximè ob perjurium. c. *Teſtimonium* de Teſtib. Poſterior exceptio fit circa Clericos, & maximè Epiſcopos. c. 1. c. *Ex reſcripto.* c. *Pervenit.* c. *Ego* de jurejurand. c. 1. & ult. de Juram. Calum. c. *ſiquis Presbyter.* c. *Nos Sacramentum.* 2. q. 5. c. *Quoties.* 1. q. 7. 3

LIBER II

De Juramento Promiſſorio.

CAPUT I.

An dictum Juramentum addat ſpecialem obligationem non tantùm promiſſioni, ſed aſſertioni futuri?

1 Primò. Additur ſpecialis obligatio Promiſſioni. Eſt de Fide receptum in univerſa Eccleſia. Nam frangens ſupponitur perjurus, quia non reddit Domino juramentum. Num. 30. pſ. 14. & 24. c. *Querelam.* c. *Tua nos.* c. *Debitores*, cum aliis de Jurejur. Nam aliàs nec promiſſio certior fieret, nec eſſet cur quis juraret per majorem ſui. Hebr.

br. 6. & ideo obligatio dicti juramenti eadem eſt & ejuſdem rationis, ſive voto addatur, ſive promiſſioni humanæ, cujuſcunque modi hæc ſit, ſive oneroſa ſive ſimplex, Juſtitiæ an Fidelitatis &c.

2 Secundò, Juramentum cadens in aſſertionem futuri, ſeclusâ promiſſione, inducit ſpecialem obligationem faciendi verum, quod juratum eſt. Nam nec Abraham nec Jacob petunt promiſſionem Gen. 24. & 47. nec Mat. 5. de ea mentio fit, nec jura illius probationem petunt, ut patet in cit. & l. *Non erit*, 5. ff. eod. Patétque inductione in comminatorio; aut cùm adjungitur promiſſio invalida; cùm juratur tertio, ut Confeſſario; & cùm relaxatur ſine præjudicio tertii, conſequenter ſeclusâ promiſſione.

3 Ratio eſt, quia qui jurat contingens ab aliis cauſis pendens, & non ſcit futurum, graviter peccat, quia nec eſſe ſcit, nec facere poteſt verum: ergo jurans factum proprium, præter propoſitum faciendi tenetur habere animum obligandi ſe, quia tenetur dare totam firmitatem quam capit, aſſertioni. Sine dubio autem differunt aſſertio propoſiti præſentis & facti futuri, ut patet in Pœnitente, qui prius ſæpe jurat, non poſterius: ergo ultra præſens aſſeritur perſiſtentia in propoſito, donec in effectu impletum ſit.

Dices. Ad veritatem ſufficit propoſitum de præſenti; & aliàs etiam circa factum alienum obligatio foret, imò in omni materia. R. Secluſo Juramento, plus non peti quàm definitam veritatem de præſenti, & probabilem de futuro; quamvis plus ſignificetur: & ideo addito juramento, ſecùs eſt, & in omni quidem materia capaci obligationis, & ſolâ. Jurari autem poteſt factum alienum vel ſpeculativè tantùm, vel in ordine ad ipſum jurantem, quatenus ab eo pendet, & intenditur firmatio propoſiti. Priori modo juratur. 1. Reg. 20. & aliàs ad conſolandum, ſpem excitandam &c. ſupponendo prudentem conjecturam, ſive expreſſam verbis, *Juro credere &c.* ſive ſumptam ex circumſtantiis; ſicque conſtat differentia à modo poſteriore. 4

CAPUT II.

Qualis & quanta ex genere ſuo ſit obligatio Juramenti Promiſſorii?

1 Primò. Obligatio dicti Juramenti eſt Religionis, & ex genere ſuo gravis. Nam talis eſt obligatio qualis eſt actus, unde illa naſcitur:

at actus d. Juramenti poſcit veritatem &c. propter cultum Dei, cùm Scriptura & Jura ſuprà cit, dicant, *Domino reddi Juramenta*: ergo dicta obligatio pertinet ad graviſſimã virtutẽ,& maximè conjunctã cum dilectione Dei: & de ſe extenditur ad actus graviſſimos,ut fœdera.Finíſque ejus eſt terminare controverſias: ergo neceſſaria eſt obligatio graviſſima; aliàs de facili rumperetur, & finis evaneſceret.

2 Secundò Diverſæ rationis & ſpeciei eſt dicta obligatio ab obligatione promiſſionis & voti. Nam promiſſio non obligat ex Religione; Votum autem & Juramentum ſunt actus valde diverſi; quia illud eſt promiſſio, hoc verò invocatio &c. & illud reſpicit Deum ut Creditorem, hoc ut Sponſorem ſeu Fidejuſſorem. Unde altera ab altera obligatione ſeparabilis eſt; nec enim ordinatus in Sacris jurat, nec juratò promittens matrimonium, vovet; ſicque nec connexionem habent cauſæ, nec effectûs, nec aliam ſimilem: eſto aliquando conjungantur, ut in profeſſione Fidei. Manéntque per ſe & formaliter diſtinctæ; & ideo violatio utriusque diſtinctè confitenda eſt.

Tertiò. Etiam in materia pia ſeparabiles ſunt obligatio voti & juramenti. Nam in eadem materia diſtinguuntur promiſſio, & pura aſſertio, quæ jurari poteſt; ſicut etiam ſine voto, promiſſio humana & jurata eſſe poteſt, ut in dote pauperis. Rurſus dicta aſſertio eſſe poteſt ſine ordine ad alterum, ut jurando Confeſſori non exigenti votum. Quantùm ergo ad factum, ex intentione diſcernitur una ab altera obligatione, ſiquidem expreſſa ſit, cùm eâ ſtandum ſit; ſecùs verò ex circumſtantiis diſcernetur. 3

Vel enim jurans intendit cultum Dei in opere, vel ſolùm confirmationem propoſiti ex alia occaſione concepti? Si 1mum, magnum ſignum eſt etiam voti. Si 2um, erit purum juramentum. In dubio autem pro voto præſumitur juxta omnes, non quidem quòd in omni dubio ita ſit, ſed quia in tali actu & materia ille actus eſt maximè proportionatus, & quem omnes frequentiùs faciunt: ergo niſi de contraria intentione conſtet, creditur factum modo ordinario, & materiæ magis proportionato. 4

CAPUT III.

An obligatio Juramenti major ſit quàm Voti?

1 Primò. Obligatio Aſſertorii gravior eſt obligatione Voti. Nam major eſt Obligatio non tribuendi Deo falſum quàm tribuendi votum; quia

quia perjurium eſt contra præceptum negativum, *Non aſſumes &c.* & quantum in homine eſt, privatio eſt primæ Veritatis. Sic etiam gravius eſt furari, poſitivè Regem injuriare, quàm non ſolvere promiſſum, negare tributum. Nec refert, formaliter non intendi dictam privationem, quia nec in alio peccato mortali intentio eſt privare DEUM dignitate ultimi finis, ſed ſufficit, practicè habere creaturam pro tali fine: ergo ſimiliter ſufficit, practicè ſic ſe gerere erga Deum, ac ſi falſum teſtari poſſet, eum ad id inducendo. Unde non datur levitas perjurii, ut in Voto; & illud infamat &c.

Secundò. Obligatio Voti major eſt, quàm Juramenti Promiſſorii. 2
Non enim per hoc adducitur Deus, ut teſtis falſi, ſed ſolùm ut authorizans & ſuſcipiens factum: at gravius eſt, pactum cum Rege initum violare, quàm quod coram illo & ſub ejus authoritate factum eſt. Nec propria teſtificatio eſt circa verba, ut in principio proferuntur. Unde probabile eſt, obligationem Promiſſorii ſpecie differre ab obligatione Aſſertorii.

CAPUT IV.

An ex Juramento Promiſſorio acquiratur alteri, cui fit promiſſio, vel ſoli Deo obligatio?

1 Primò. Obligatio dicti Juramenti directè & principaliter eſt reſpectu Dei. Nam formaliter & per ſe eſt obligatio Religionis, ut patet Mat. 5. Ex. 20. Lev. 19. & c. *Debitores.* de Jurejur. Dein dicta obligatio ſeparabilis eſt à qualibet obligatione erga hominem, quia ſecluſa promiſſione, nec eſt Juſtitiæ, nec Fidelitatis &c. ergo ut eſt erga Deum, eſt quaſi primaria, & maximè intrinſecè & per ſe conveniens Juramento.

2 Secundò. Ex Promiſſorio propriiſſimè dicto ut fit per promiſſionem humanam, etiam homini naſcitur obligatio, cui juramentum exhibetur, loquendo per ſe, ſeu niſi aliunde illa impediatur. Nam Promiſſio, ſecluſo juramento, inducit obligationem Juſtitiæ vel Fidelitatis; illam autem Juramentum non tollit: ergo duplex obligatio eſt, quia una poteſt tolli manente altera; & una eſt Religionis, altera Juſtitiæ vel Fidelitatis: ergo transgreſſio involvit duas malitias ſpecie diverſas.

Tertiò. Obligatio, quæ ex dicto Juramento naſcitur reſpectu hominis, eſt ejuſdem ſpeciei eſſentialis, cujus eſt obligatio Promiſſionis non juratæ; quamvis in individuo cenſenda ſit gravior in ſua ſpecie, propter talem circumſtantiam. Nam cir- 3

cumſtantia addens novam ſpeciem, non mutat priorem, ut in eleemoſyna promiſſa cum voto: & ideo ſi juramentum cadit in aſſertionem tantùm, non facit promiſſionem; nec ſi hæc vi intentionis ſolùm eſt ſimplex Fidelitatis, facit promiſſionem obligantem ex Juſtitia.

4 Sicut ergo forma materiam non corrumpit, nec tranſmutat ſpecificè, nec accidens ſuum ſubjectum; ita nec juramentum mutat ſpeciem promiſſionis aut hujus objectum, ſed ſolùm addit novum finem vel quid ſimile, juxta principia ab omnibus recepta, quin ſit ratio dubitandi quoad jus naturæ. De augmento autem intenſivo dictæ obligationis patet exemplo furti ſacrilegi, ſive malitia furti ſic creſcat ex generali ratione circumſtantiæ pravæ, ſive quia augetur contemptus & voluntas. Inde tamen non ſequitur effectus moralis, ſive in ordine ad reſtitutionem, ſive in ordine ad Confeſſionem &c.

CAPUT V.

An ſolum Juramentum Promiſſorium, factum per verum Deum, obligationem inducat?

1 Primò. Juramentum factum per verum Deum, obligat. Conſtat ex dictis. Quia autem forma dubia eſſe poteſt, ut *coram Deo*, *in conſcientia &c.* in foro interno ſtatur intentione. Si enim fuit jurandi, certus de hac, etiam certus eſt de obligatione; ſicut & de non obligatione, ſi certus eſt abfuiſſe dictam intentionem. Quòd ſi dubius eſt, quæſtio generalior eſt, de qua infrà. In externo autem foro judicium ſumitur ex communi uſu verborum; & cæteris paribus, pro Juramento præſumitur. Nec refert, an juratum ſit per creaturam cum habitudine ad Deum; quia falſum per illam jurare, perjurium eſt juxta Chriſtum. Mat. 5. & c. *Etſi Chriſtus.* de Jurejur. ergo & non implere.

2 Secundò. Juramentum per falſos Deos, reipſa & vi ſuâ non obligat: ex conſcientia autem erroneâ jurantis obligat. Nam dictum Juramentum ex natura ſua nullum eſt, nec pertinet ad veri Dei honorem, cùm vera obligatio ex Religione ſit. Conſcientia autem erronea vim habet obligandi ſub ea ratione, ſub qua concipitur, juxta notum principium 1. 2. q. 19. & uſum Gentium. Quamdiu enim putant, Idolum eſſe verum Deum, etiam Juramentum habent pro actu Religionis: ergo ſublato errore, etiam obligatio ceſſat, ut in converſo ab infidelitate. l. *Non erit*, in fine ff. eod. eſto fœdera pacis &c. obligent. Licèt enim ad honorem Regis pertineat, credere Regi putato; non tamen poſtquam error detectus eſt. 3

Tertiò.

3 Tertiò. Fidelis jurans per Idolum non obligatur. Nam ſupponitur manere Fidelis: ergo ceſſat ratio, ob quam Infidelis jurans obligatur; quidquid in oppoſitum ſentiant Innoc. & Abb. propter c. *Movet.* 2.2. q. 1. ibique notata à Gratiano. Licèt enim Juramentum per creaturam ſit verum, non tamen per creaturam putatam Deum, quia eoipſo ſeparatur à relatione ad verum Deum, cùm non ipſe inducatur ut teſtis, medio falſo Deo, ſed totus honor juramenti referatur in creaturam.

CAPUT VI.

An Juramentum factum per creaturam ſine habitudine ad Deum obliget?

1 Primò. Reſpectu hominis Viatoris non contrahitur obligatio, quæ huc faciat. Vel enim ille adhibetur ut teſtis promiſſionis, vel ut Fidejuſſor? Si 1mum, non fit illi injuria per non impletionem. Si 2dum, obligatio quidem erit vel juſtitiæ vel obſervantiæ &c. non tamen Religionis; quia nec fit inductio per modum invocationis aut reverentiæ, ſed contractûs Fidejuſſionis &c. nec modus alius inter homines poſſibilis eſt.

2 Secundò. Juramentum per Sanctos, ſiſtendo in eorum authoritate, ſeu teſtimonio creato, ſimpliciter obligat ſub mortali ex virtute Duliæ, non verò Religionis rigorosè ſumptæ. Sicut enim frangere fidem datam ſub nomine Dei, eſt grave ſacrilegium contra Religionem: ita gravis injuria eſt contra Duliam, frangere datam ſub nomine Sancti. Nam ut votum, ita Juramentum obligare poteſt ex ſola Dulia: tamen niſi conſideratio ſit valde metaphyſica, moraliter conſideratur Deus, nec per cultum additum Duliæ, excluditur Latria, ſed duæ fiunt obligationes.

3 Tertiò. Si Juramentum fit per Dæmonem, non ut Deum, ſed perſonam intellectualem volendo illum honorare, eíque fidem adhibere, nulla obligatio contrahitur. Eſt certiſſimum de Fide, quæ docet Dæmonem nulla fide dignum eſſe: ergo non poteſt roborare aſſertionem &c. Dein omnis ejus cultus eſt ſacrilegus: ergo ſicut dictus actus non poteſt obligare ſub ratione cultûs, ita nullo modo; cùm omnis cum eo ſocietas, & à fortiori invocatio ejus interdicta ſit: ergo & obſervare juramentum eo titulo, pernicioſum eſt. Quòd ſi quis ſimpliciter velit jurare; ergo ſtante errore ſtabit obligatio: tamen quomodo ſtat in ſciente, non eſſe Deum per quem juvat?

Quartò.

4 Quartò. Si Promiſſorium ſit per creaturam abſolutè ſpectatam, ut lapidem, barbam &c. & conſtat fieri per illam abſolutè ut talem ſine reſpectu ad Deum, qui in illis eſt; obligatio neque in re inducitur, neque in conſcientia erronea, ſi abſit animus tribuendi Divinitatem. Nam tunc nec eſt, nec putatur juramentum, cùm Deus nec in ſe, nec in creatura invocetur, ut teſtis: ergo fractio iſtius quaſi Juramenti, non eſt contra Divinum honorem; quod eſt ſignum evidens non obligare. Nec ad rem eſt, c. *Ecce* 22. q. 5. quia lapis à Gentilibus ſumebatur, ut inſtrumentum execrationis, non ut ſanctum quid; ſicque Auguſt. ibi vel non arguit Fidelem perjurii, vel ſolùm quoad ſpeciem & ſcandalum, ratione cujus participari poterat illa malitia.

CAPUT VII.

An ad obligationem Promiſſorii requiratur deliberatus conſenſus, intentio jurandi &c.?

1 Primò. Ad dictam obligationem neceſſaria eſt intentio jurandi. Eſt certa apud omnes. Nam ſine dicta intentione juramentum eſt fictum: quod autem non eſt, non operatur. Deinverba non habent vim obligandi, niſi ratione voluntatis internæ, quæ eſt quaſi anima illorum, cùm non habeant efficaciam, niſi ut ſunt ſigna mentis, ut patet in matrimonio, contractu omni, Profeſſione, Voto. Intelligenda autem hæc ſunt per ſe, quia etiam exterius juramentum obligare poteſt vi deceptionis, quæ eſt cauſa damni illàti puellæ v. g. ad quod illud concurrit, ut agens deceptionem, reddénsque magis probabilem. Item ſpecies ejus publica cedit in injuriam Dei, & alios adſimilia inducit.

Secundò. Neceſſe eſt, ut dicta intentio ſatis deliberata ſit, ſaltem eâ deliberatione, quæ ad peccandum mortaliter ſufficeret. Ita Communis Theologorum cum Sylv. Ang. Abb, J. Andr. Nec enim minor advertentia ſufficit ad obligandum ſe ſub mortali, quàm ad transgrediendum mortaliter. Imò nec ad obligationem ſub veniali ſufficit, quia obligatio ad alium non poteſt intrinſecè oriri ex actu indeliberato, ſed pleno judicio fieri debet, cùm liberum homini ſit, quæ ex ſubreptione protulit, retractare. 2

Tertiò. Sufficit intentio jurandi, licèt deſit intentio promittendi. Nam prior ſufficit ad verum eſſe Juramenti: hoc autem ſemel factum ex ſe & naturâ ſuâ producit obligationem, ſuppoſitâ materiâ capaci, ut 3

ùt patet in jurata aſſertione futuri; & in promiſſione invalidâ uſurario factâ. Nec ficta promiſſio tollit materiam Juramenti, multóque minùs effectum.

4 Quartò. Non obſtat, deeſſe voluntatem obligandi ſe. Conſtat, ſi ſermo ſit de obligatione erga hominem: nam ſine ſponſalibus jurari poteſt Matrimonium, conſequenter ſine animo dandi jus fœminæ &c. Ceſſat etiam dubium, ſi abſit voluntas poſitivè contraria; quia eoipſo non impeditur vis Juramenti; nec neceſſe eſt in actu ſignato velle obligari, ſed ſatis eſt velle contrahere, vovere, jurare &c. quia jam includitur virtute voluntas obligandi ſe, quamdiu abeſt voluntas contraria poſitivè.

5 Sed licèt hæc adſit, non obſtat; nam conſtat ex multis actibus reſultare obligationem etiam nolenti, ut pœnitendi ex peccato, ſarciendi injuriam, attendendi in Oratione, liberandi Fidejuſſorem petitum, veritatis in Aſſertorio, propoſiti in Promiſſorio &c. Quia qui cauſam adhibere poteſt, non tamen impedire effectum ejus; illâ applicatâ, neceſſariò hunc vult utut nolens, ut in applicatione ignis. At Dei Authoritas invocata, ut ad veritatem Aſſertorii obligat etiam nolentem, ita ad verificandum futurum in Promiſſorio: nec enim voluntas impediendi obligationem Deo debitam, efficax eſſe poteſt. Ita S. Thom. Cajet. Soto. Guttier. Sylv. Angel. &c.

Dices. 1. Voluntas obligandi ſe eſt neceſſaria in contractibus &c. 6
2. Nolle obligari, virtute eſt nolle jurare. 3. Si dicitur: *volo jurare, dummodo non obliger*, actus eſt conditionatus. Ad 1mum R. neceſſariam eſſe in actu, cujus ſubſtantia conſiſtit in obligatione, non verò in actibus, ad quarum ſubſtantiam ſequitur obligatio, ut effectus reſultans. At jurare & obligari ſunt objecta in re diſtincta; ſicque nolitio poſterioris non deſtruit volitionem prioris, ſed potiùs è converſo, quia prius non pendet à poſteriore.

Ad 2dum. ℞. In ſciente connexionem cauſæ & effectûs, non ſtare utramque voluntatem efficacem, per ſe loquendo. Vel ergo quis abſolutè voluit obligari, vel certus eſt, abſolutè voluiſſe non obligari? Si 2dum, ſuppoſitâ conſideratione dictæ connexionis, credere poteſt, intentionem non fuiſſe niſi fictè jurandi. Si 1mum, præſumitur pro Juramento, oppoſitum fuiſſe velleitatem tantùm. Sic etiam ignorantia dictæ connexionis præſumitur vincibilis, ſicut ſi generans nolit alere filium, putans non obligari, niſi volentem obligari; idémque eſt de comburente ſegetem. Stat tamen efficax nolitio obligationis citra errorem, ut cùm ex metu juratur Matrimonium, Profeſſio. Ad 3tium. ℞. actum non eſſe conditionatum; 7

aliàs nil poneret in eſſe ante eventum conditionis : at non ſuſpenditur actus jurandi hîc & nunc : ergo nec obligatio.

8 Quintò. Non obſtat, deeſſe animum implendi. Supponitur ut certum ab iis qui neceſſariam eſſe volunt voluntatẽ obligandi ſe. Nam ſtat voluntas jurandi, conſequenter & obligandi ſe ſine voluntate implendi. Prior quidem, propter neceſſitatem juramenti ad vitandum malum : poſterius, quia utile non eſt; & ita communiter fit à non multùm timoratis : ergo ſi non ſufficeret, pauci obligarentur, ſed per unum peccatum fierent liberi. Imò peccatum non eſt, nolle ſolvere quod non debeo ; vel ſi eſt, quia juratur falſum de præſenti ; ergo jam fit verum Juramentum : ergo obligans. Nec enim, qui accipit mutuum vel uxorem, excutit debitum propter intentionem non ſolvendi : ergo hæc nunquam deſtruere præſumitur voluntatem jurandi, niſi evidentiſſimè conſtet, etiam hanc defuiſſe.

CAPUT VIII.

An Juramentum ſimulatum vel doloſum quoad verborum ſignificationem, obliget?

1 Primò. Siquis accipit verba in ſignificatione diversâ à ſenſu ejus cui jurat, & ſuam intentionem jurandi accommodat ſenſui quem ipſe intendit, utens prudenti amphibologiâ, & non faciens alteri injuſtitiam, non obligatur Juramento, niſi ſecundùm ſuam intentionem. Ita omnes ex c. *Humanæ*. 22. q. 4. c. *Intelligentia* de V. S. Vel enim eſſet obligatio Juſtitiæ vel Fidelitatis, vel Juramenti ? Non 1mum, quia tantùm obligaret per modum reſtitutionis, non pacti ; cùm ut hoc obliget, contrahentes debeant in eandem rem & univocè in verba conſentire. Non 2dum, quia nec pactum, nec promiſſio fit. Non tertium, quia nec pactum confirmatur, cùm non ſit, nec Aſſertio putata ab alio, quia non aſſeritur.

2 Secundò. Licèt per dolum, fraudem, & injuſtitiam accipiat quis verba in ſenſu diverſo, non obligatur ex vi Juramenti (directè & per ſe loquendo) ad implenda verba juxta ſenſum alterius, ſed ſolùm juxta proprium. Nam ſine intentione jurandi non fit Juramentum, conſequenter nec obligatio vi illius ſequitur; aliàs ſine d. intentione obligatio foret, cùm dolus eſt juſtus: quod eſt contra omnes, & d. c. *Humana*.

Humanæ, quod indifferenter loquitur; ut ſi jures dare 100, cum conditione internâ, ſi pater probaverit; intentio non eſt abſolutè jurandi: at nec Juramentum excedit intentionem.

3 Dixi, *per ſe loquendo*; quia ſequitur obligatio ratione doli injuſti, & detrimenti illati. Dein obligatio eſt ratione ſcandali, quia cùm putetur quis juráſſe, inhonoraretur DEUS coram aliis; quod eſt contra Religionem. Denique in foro externo non creditur iuranti cum dolo; ſecùs verò, ſi ex iuſta occaſione uſus quis eſt cautelâ iuſtâ.

4 Dices. Deus accipit verba juxta ſignificationem debitam. c, *Quacunque* 22. q. 5. 2. Sic dolus iuvat. 3. Finis Juramenti ruit; támque incerta eſt obligatio, quàm ſi id non petatur. Ad 1mum R. Canonem agere non de obligatione, ſed de culpa, propter abuſum Divini Nominis ad decipiendum. Ad 2dum. R. reportare mortale, non eſſe commodum; temporale verò commodum afferri ex peccato, uſitatum eſt, ut in uſurario. Ad 3tium R. ſufficere obligationem intentionis debitæ. Nam certitudo Juramenti pendet ex conſcientia iurantis; nec exſpectatur ſignum, ſed creditur, propter reverentiam DEI ſervatum iri veritatem & in re iurata, & in modo iurandi.

CAPUT IX.

An obliget Juramentum per injuriam extortum?

1 Primò. Juramentum, quod absque peccato iurantis impleri poteſt, non obſtante iniuriâ extorquentis, valet & obligat. Ita c. 1. c. *Debitores* c. *Si verò*. c. *Verùm*. de Jureiur. Nam quod ſine diſcrimine ſalutis ſervari poteſt, etiam debet vi præcepti negativi, *non aſſumes &c.* quod obligat pro ſemper. Nec enim iniuria impedit obligationem, quæ naturaliter conſequitur. Denique ut ſecluſo iuramento, ſolvi honeſtè poteſt uſura; ita poſito, debet.

2 Secundò. Licèt non obliget dictum Juramentum reſpectu hominis, ſufficit quòd obliget reſpectu DEI. Ratio prioris partis eſt, quia promiſſio eſt ipſo iure nulla, cùm per iniuriam non acquiratur Jus contra iniuratum, & ideo non acquiratur dominiũ Uſuræ. Nam ſolvens non intendit donare, ſed ſolvere debitum: ergo ſolutio non eſt actus Liberalitatis, nec Juſtitiæ, nec Fidelitatis &c. ergo quod datum eſt, repeti poteſt, niſi de non repetendo iuratum ſit. c. *Quemad-*

modum §. *illud.* eod. c. *Ad noſtram.* c. *Ad aures* de his. q. vi &c. quia ſtatur verbis iurantis, non eius cui iuratur.

3 Ratio alterius partis eſt, quia Juramentum eſt *Introductorium* obligationis, & per ſe ſtans, non *Confirmatorium*, ſeu novam obligationem addens, ut Bart. diſtinguit. Satis enim eſt quòd confirmet Aſſertionem, ut reſpectu Dei teneat obligatio. d. c. *Debitores*, licèt non reſpectu hominis; eſto ſemper ſubintelligatur conditio, ſi creditor voluerit; qui conſequenter relaxare poſſit vinculum.

4 Tertiò. Stat dicta obligatio, ſive alter paratus fuerit ad mutuandum ſub uſura, ſive non. Nam d. c. *Debitores*, nihil diſtinguit, nec eſt ratio diſtinguendi; quia licèt inducere ad uſuram culpa ſit, non tamen ſolvere, quod utique ſit parato ad recipiendum. Contra ſenſum enim omnium hominum diceretur illicitum, datum verbum implere; cùm ſit opus ſupererogationis, & eximiæ veracitatis reſpectu latronis &c. Sufficítque rem de ſe eſſe utilem recipienti, licèt defacto propter abuſum & malitiam eius non ſit, etiam temporaliter: nec quid in conſcientia eius ſit, ad dantem pertinet.

5 Confirmatur, quia ſufficit utilitas in ordine ad Societatem humanam; & quòd ex parte promiſſoris tanta ſit Authoritas Juramenti, ut etiam iniuſti fidant, & indigentiæ ſuccurrant. Quæ quidem utilitas, ſecluſo Juramento, confert ad honeſtatem, non tamen ad neceſſitatem, quia reſpicit commodum ſolventis: ergo licèt teneatur ad veritatem dicti, ſeu de præſenti; non tamen ad veritatem facti, quæ ſolùm eſt Fidelitatis, ſupponens obligationem: nam hæc non eſt ad relinquendum, quod iniuratus ſolvit; & ideo id repeti poteſt, niſi aliud iuratum ſit.

Quartò. Licèt quis iuret, non petere relaxationem Juramenti; tamen ſemper recurri poteſt ad Prælatum, narrando factum. Nam oppoſitum eſſet in præjudicium Prælati: at Juramentum non poteſt obligare contra Juſtitiam publicam, ſeu Jus Prælati. Dein peti poteſt relaxatio ultimi Juramenti, ut de non petendâ relaxatione; & poſtea peti relaxatio alterius de non repetendo ſoluto. Quòdſi Juramentum reflexum ſit de non relaxando ullo: ergo eiuſdem relaxatio peti poteſt, et ſi perplexitas vel dubitatio ſit, adhuc licet ſtatum negotii aperire Prælato, qui ex Officio procedat d. c. 1. & c. *Tuas.* de Uſur. 6

Caput

CAPUT X.

An Juramentum metu extortum obligationem inducat?

1 Primò. Obligat, ſi metus eſt juſtus, ſive directè ſive indirectè incuſſus ſit. Ita omnes ex regula generali l. 3. §. un. & l. *Si mulier.* ff. Quod met. cau. Nam ſupponimus Juramentum non fingi, ſed concurrere omnia neceſſaria ad ejus eſſe: ergo eſt ſimpliciter voluntarium, & ſolùm ſecundùm quid involuntarium, cùm coacta voluntas, ſit vera voluntas. c. *Movet.* 15. q. 1.

2 Secundò. Idem eſt de juramento extorto per metum injuſtum. Ita c. *Si verò.* c. *Verùm.* de Jurejur. c. *Abbas.* c. *Ad audientiam.* de his q. vi. Nam nec metus ſine injuria, nec hæc ſine illo tollit obligationem Juramenti: ergo nec ſimul ſumpta. Nec enim faciunt unam cauſam per ſe efficacem, ſed ſunt aggregatum duarum inefficacium; nec tollunt verum eſſe Juramenti: ergo nec obligationem naturaliter annexam, ad quam ſufficit juxta cit. Jura, actum ſervari poſſe ſine diſcrimine ſalutis. Unde idem eſt, loquendo de Jure naturæ, de Voto & Profeſſione, imò etiam de Matrimonio, niſi juxta opinionem oppoſitam dicas, contractum per ſe primò tendere ad obligandum homini; ſícque non tenere coactum injurioſè.

3 Non obſtat c. 2. de Jurejur. quia vel juramentum fuit de non repetendis bonis Eccleſiæ, vel propriis? Si 1mum, ergo fuit de materia incapaci: ſícque abſolutio ſolùm fuit declaratio. Si 2dum non potuit eſſe obligatio ad non denuntiandum injuriam, quia contra bonos mores eſt, non poſſe rem proponi Pontifici, ut ex Officio procedit, juxta dicta c. ſuper.

Tertiò. Non obſtante periculo 4
mortis, ut in reditu ad carcerem &c. ſervandum eſt Juramentum, ſiquidem illud prævifum fuerit. Ita omnes, ſiquidem carcer & mors juſtæ ſint. Nam actio ſancta eſt, & etiam in Gentili laudata ab Auguſtino, quia redire, non eſt ſemet occidere, ſed periculo exponere ex cauſa rationabili, aut potiùs in priſtino ſe denuo ſtatuere. Unde non obſtat, ſi carcer juſtus eſt; non autem mors: imò licèt etiam ille injuſtus ſit; nam adhuc Juramentum eſt de re licitâ.

Dixi, *Si prævifum* &c. nam aliàs 5
res jam ſunt notabiliter mutatæ, ſive in re, ſive in cogitatione jurantis, quod perinde eſt, c. *Quemadmodum.* §. *Alioquin.* eod. ergo obligatio non eſt redeundi cum tanto periculo, cùm juratum non ſit redire eo non obſtante. Sempérque intentio ſic interpretanda eſt, ſpectando quid de facto quis juraverit, non quid juraturus fuiſſet, præviſo pericu-

riculo, quia actus non extenditur ultra intentionem, quæ eſt, & non quæ fuiſſet. Sic ceſſat obligatio etiam in priori caſu, ſi addita fuit reſtrictio, *Si poſſum ſine periculo* &c. nec opus eſt relaxatione, uti actûs abſoluti; quamvis peti poſſit, & debeatur, ſi carcer injuſtus ſit, & abſit ſcandalum vel injuria religionis, ut in captivitate inter Infideles.

CAPUT XI.

An Juramentum, factum per dolum vel errorem, valeat & obliget?

1 Primò. Error in ſubſtantia rei annullat Juramentum. Non enim ſufficit intentio jurandi in generali, ſed requiritur intentio jurandi hoc, cùm actiones humanæ verſentur circa particularia, ut in Voto Religionis & Matrimonio conſtat: at per errorem fit, ut quis aliud pro alio juret: ergo jurans v. g. dare quod putat vitrum, non tenetur dare quod eſt *Gemma*, quia non jurat dare gemmam, cùm nihil ſit volitum, quod non cognitum eſt.

2 Unde impertinens eſt diſtinctio, an error ſit antecedens, an concomitans &c. quia licèt poſterior non faciat involuntarium, facit non volitum hîc & nunc, ſicut non cognitum. Conditionalis autem, *Si ſcirem, tamen jurarem* &c. & eſt omnino incerta (nam habitu utimur, cùm volumus) & per ſe inſufficiens ad effectus morales: aliàs habitualiter intemperanti imputaretur comeſtio carnis, cùm hîc & nunc non cogitat de die Jejunii &c. Igitur actualis diſpoſitio attenditur; & tunc intentio non procedit ex errore, ſed extenditur ultra id quod diſtinctè cognoſcitur, ut ad ducendum, ſive hæc ſit quam puto, ſive alia, dummodo actus ſit abſolutus: *Juro*, *duco* &c. & non merè conditionatus, *Jurarem* &c.

3 Secundò. Error circa cauſam extrinſecam moventem ad jurandum, vel circa qualitatem accidentariam rei juratæ, non irritat Juramentum, niſi quando moraliter & ſecundùm prudentem conjecturam afficiunt ſubſtantialem materiam Juramenti, limitando eam in ordine ad intentionem jurantis. Nam ſi error ſolùm concomitans ſeu incidens eſt, fatentur omnes priorem partem: at licèt ſit antecedens, cauſat ſolùm involuntarium ſecundùm quid, non tollendo ſubſtantialem voluntatem jurandi: ergo ut juramentum tenet, ita etiam obligatio ejus, quidquid ſit de nullitate promiſſionis; quamvis nec hæc juxta Bart. Covar. &c. irrita ſit de jure naturæ, ſed ſolùm de poſitivo.

4 Ratio alterius partis eſt, quia actus non extenditur ad incogitata,

quan-

quando veroſimilius eſt, jurantem non comprehendiſſe illam ſub aſſertione ſua. c. *Veniens.* c. *Quinta Vallis.* c. *Quemadmodum.* de jurejur. Unde ſi conditio talis eſt, ut ſi in principio non eſſet, ſed ſuperveniret, cenſeretur facere mutationem excuſantem ab obligatione; non cenſeatur comprehenſa etiam in principio, ſi ignorata fuit l. *In Lege.* ff. de Contr. Empt. & optimè in d. c. *Quemadmodum.*

5 Tertiò. Ignorantia etiam privativa, ſi aufert cognitionem rei neceſſariæ ad intentionem jurandi, de ſe ſufficit ad impediendum Juramentum: defacto autem ſemper miſcetur aliquis error, ſaltem practicus, ſi conditio ignorata inſit tunc cùm juratur; ſecùs verò, ſi ſuperveniat. Conſtat totum ex caſu d. c. *Quemadmodum.* Nam poteſt quis non cogitare de ſtatu perſonæ, an ſit nécne virgo: quia verò moraliter ſupponitur non contracturus fuiſſe cum non virgine, ſufficit dicta ignorantia. Tamen regulariter non abeſt etiam error ſpeculativè, quia nemo eſt qui de hujusmodi conditionibus non cogitet, putans ineſſe quas ſupponit; ſufficítque error practicus propter judicium, quòd hîc & nunc expediat jurare. De ſtatu autem futuro non eſt neceſſe judicare, ſed de præſenti: ergo reſpectu futuri eventûs ſufficit ignorantia privationis.

6 Quartò. Dicta hactenus valent etiam pro Juramentis Introductoriis obligationis, utut Lex irritet contractum. Vel enim error eſt in ſubſtantia, vel non? Si 1mum, Lex irritans potiùs juvat, quàm impediat nullitatem juramenti. Si 2dum, ergo ſtat, ſubſtantiam eſſe volitam & juratam: poſito autem eſſe Juramenti, inimpedibilis eſt obligatio ejus, ut patet in juramento facto latroni &c. Nec oppoſita ſententia, utut ſit Bart. Abb. &c. fundamentum habet in ratione, nec probatur ex Jure.

7 Nam Canones ſolùm habent, poſſe relaxari Juramentum, ſi metus adſit, ſecùs non. Et ita tenet regula c. *Verùm.* eod. quæ utique non negatur c. *Cùm contingat*, eod. & c. 2. eod. in 6. c. 2. de Pact. in 6. ſed ſolùm ne actus relaxetur, præcipitur. Porrò Auth. *Sacramenta.* Cod. ſi adverſ. vend. non habet Authoritatem, an valeat dictus actus nécne, nec etiam irritare eum poteſt, ſi materia eſt licita juranti. Dein actum *nullius momenti* eſſe, ſtat in ordine ad forum externum; nam ſermo eſt de facto à *Majoribus* etiam, quod intelligi nequit de nullitate in conſcientia.

CAPUT

CAPUT XII.

An Juramentum Promiſſorium actûs virtutis ſemper obliget?

1 Primò. Conſtat obligare, ſi ſit de actu vel omiſſione bonâ, nec impediat majus bonum. Supponitur enim materia eſſe poſſibilis juranti, ſaltem ut cauſam applicare poteſt, vel ad illam inducere alium, quia promitti nequit, niſi quod & quatenus à promittente pendet. Quo ſuppoſito, Juramentum confirmat vel votum, vel promiſſionem humanam, vel aſſertionem boni futuri: in omnibus autem his caſibus agitur honor Divinus, ut impleatur ſaltem in ſpecie quod juratum eſt, ſi nolis efficere melius Sic enim nec hoc impeditur, nec eſt ratio excuſandi, cùm adſint duo comites, Judicium & Juſtitia. Communis tamen vult, poſſe impleri per melius, citra obligationem implendi in ſpecie.

2 Secundò. Si Juramentum eſt de actu virtutis Deo promiſſo, ſequitur conditionem voti. Nam Juramentum ſequitur naturam actûs, c. *Quemadmodum* de Jurejur. pendétque ab acceptatione ejus cui fit promiſſio: ergo ſi Deo fit, eſſe debet de meliore bono, ſicut votum: ergo ubi hoc non valet, ſive ſimpliciter ſive ſecundùm quid, etiam Juramentum eſt nullum.

3 Tertiò. Si Juramentum cadit in Promiſſionem humanam, & poteſt honeſtè impleri, obligat ad ſui obſervationem, nec poteſt commutari cum nocumento creditoris, & ipſo invito, niſi in his, quæ ad ſtatum perfectionis pertinent. De exceptione dicetur ſuo loco. Regulam autem tanquam per ſe notam ſupponit communis ſententia. Nam aliàs qui Petro promiſit dare 100, poſſet commutare in eleemoſynam; ſicque infinitæ fraudes eſſent ad eludendum, ſi Juſtitia & Veritas inter homines non ſervetur: ergo pertinet ad commune bonum convictûs humani, ut in tali promiſſione non attendatur, quid melius ſit; nec exceptio admittatur, niſi certa ex lege & ſpecialis, ſtante firmitate ordinariâ Regulæ.

Quartò. Si Juramentum ſolùm cadit ſuper aſſertione, poteſt impleri per melius, ſi factum ſit intuitu tantùm Divini honoris; ſecùs ſi in commodum hominis. Pars prior conſtat à fortiori ex dictis n. 2 nam Creditor contentus eſt. Poſterior ſumitur ex dictis de Juramento extorto à Latrone, Uſurario &c. Non enim obſtat, quòd nullum eis Jus ſit: idémque eſt de promiſſione, ſive merè internâ, ſive factâ coram tertio; nam Juramentum additum utique obligat, quin jus collatum ſit. Debet enim veritas impleri, ut jurata eſt: ergo in ſenſu abſoluto, cùm 4 nemo

nemo in ſimilibus ſubintelligat, *Niſi in melius commutem*, nec Deus ſit, cui juratur, ſed per quem: ergo ad ejus reverentiam ſpectat veritatem impleri.

5 Quintò. Si neque intuitu honoris Divini propriè & directè juretur, neque in commodum proximi, ſed abſolutè vel in commodum jurantis, non poteſt pro hujus libitu commutari; ſicut cùm alteri juratur, ab eodem pendet. Nam aliàs poſſet commutari in rem etiam inferiorem, imò nullam, ſicque ſimpliciter non obligaret; quod eſt contra omnia jura, & contra vim Juramenti, quod eſt ad confirmandam veritatem: ergo actus eſſet vanus & inutilis. Conſequens autem eſt contra rationem; nam ſi propoſitum de actu bono bonum eſt; ergo etiam id ſtabilire medio proportionato, bonum eſt: ergo actus obligat ad inſtar voti, quia licèt directè intuitu Dei promiſſus non ſit, ſufficit naturâ ſuâ in eum ferri, quatenus honeſtus eſt.

CAPUT XIII.

Varia Jura exponuntur, & ſatisfit fundamentis utriusque ſententiæ.

1 Primò. Semper ſtat, Juramentum ſervari debere, quamvis diverſitas ſit in modo ſervandi. Aliquando enim in propria ſpecie, aliquando per melius impletur; ſicque falſum eſt, Juramentum non obligare ſimpliciter, ſi ſit de minore bono & impeditivo majoris (ut conſtat in ſponſalibus c. *Commiſſum.* c. *Ex litteris.* 2. c. *Sicut.* de Sponſal.) eſto non ſemper ad id obliget. Nec enim Deus acceptat dona cum detrimento proximi, nec huic invito aliud pro alio ſolvi poteſt l. 2. §. *Mutui* ff. ſi cert. pet. Et aliud eſt, quod promittitur, aliud obſervantia Juramenti; nam illud per ſe non ordinatur ad cultum Dei, ſed poſterius per ſe & formaliter, ut ſcilicet veritas ſervetur juxta voluntatem creditoris, & conditionem in actu incluſam: & ideo cùm res juratur intuitu Dei, commutatio licita eſt; ſecùs ſi juratur in commodum hominis.

Secundò. Ingreſſus Religionis ante Matrimonium licitus eſt, non obſtante Juramento id contrahendi. Nam in primis contractus licitus eſt cum propoſito non conſummandi, quidquid dicat Sanchez; quia nec injuria fit Sacramento (quod valet & confert Gratiam) nec Sponſæ, per ſe loquendo, quia alter utitur jure ſuo. Unde (ut ferè omnes concedunt) etiam illâ inſciâ ſtatim poteſt ingredi Religionem, quia nec illius Jus obſtat ob incluſam exceptionem (aliàs obſtaret etiam ſecluſo 2

Juramento; quod probabile non eſt, ex d. c. *Sicut.* & c. ult. eod.) nec etiam obſtat Juramentum, aliàs ſi hoc eſſet de conſummando, obligaret; quod eſt contra omnes.

3 Nihilomínus per ſe loquendo, optimum eſt priùs monere Sponſam, & rem ejus optioni relinquere, quia ſic & deceptio abeſt, & morale periculum. Nec in dicto c. *Commiſſum.* dicitur, tutius eſſe contrahere, Sponsâ ignorante propoſitum, ſed ſi illa de hoc admonita, ita velit. Unde admonitio & regulariter eſt in conſilio, & poteſt eſſe ſub obligatione propter periculum infamiæ. Nam ad reverentiam Juramenti pertinet, ut eo ſtetur, quatenus poſcit tuitio famæ, cùm eatenus etiam Jus alteri ſit ad matrimonium, quin impediat majus bonum; ſícque Pontifex reſpondet ſecundùm ea, quæ moraliter frequentiùs accidunt, quamvis ſicut Sponſæ cavetur, ita etiam Sponſus ſibi, ſuóque propoſito cavere poſſit, eâ inſciâ id exequendo.

Tertiò. Juramentum non acceptandi Epiſcopatum, non reprobatur in c. un. d. 85. Nam inprimis nec verbum eſt, quo id puniatur à Gregorio. Dein conſtat, eſſe materiam voti propter pericula, conjunctum honorem, divitias &c. Nec eſt ratio, cur dicatur id extenſum fuiſſe etiam ad reſiſtendum præcepto Pontificis vel Charitatis. Solùm ergo Gregorius perquiri vult, quid in facto ſit, ut ratione obligationis repelleret, quem nolebat per præceptum promovere, cùm neceſſitas hujus non eſſet. 4

CAPUT XIV.

An Juramentum de actu, qui ſine mortali fieri nequit, obliget?

1 Conſtat Negativa, cùm obligari ad mortale ſit contradictio in terminis; idem nempe & præcipiendo & prohibendo. Nec enim Juramentum mutat naturam aut materiam actûs; ſicut Deus mutare poteſt, præcipiendo occiſionem filii. Nec etiam qui jurat malum, tenetur habere propoſitum ejus, niſi ad ſummum ex hypotheſi, & in caſu perplexitatis, eligendo minus malum, ſcilicet perjurium præ adoratione Idoli. Nec enim Deus efficitur teſtis falſi, quia non interponit authoritatem ad implendum malè jurata.

Difficultas duplex movetur; altera ex Lev. 5. *Anima, quæ juraverit, ut vel malè quid faceret, vel bene* &c. altera ex 1. *Esdr.* 10. Ad 1mum ℞. particulâ *Bene* intelligi opus virtutis, non commodum proximi; ſícque particulam *Malè* contraponi in ſenſu contrario, conſequenter pœnitentiam tantùm præcipi. Ad 2um ℞. ſine diſpenſatione licuiſſe divortium, 2

tium, ut indicat pœnitentia populi. Quia enim cohabitatio non poterat eſſe ſine injuria Creatoris; ergo jus fuit divortii. Deut. 7. 2. Cor. 6. & 1. Cor. 9. Partus verò ſequebatur ventrem, fortè etiam quia gentilitiè educatus; nec additur vacuum dimiſſum eſſe.

CAPUT XV.

An Juramentum de opere includente venialem culpam, obliget?

1 Conſtat Negativa ex R. J. 58. in 6. & 22. q. 4. ferè per tot. & c. *Quanto* de Jurejur. & ex dictis cap. ſup. eſſet enim ſimiliter contradictio. Regula ergo c. *Si verò.* & c. *Cùm contingat* eod. non eſt excluſiva, nec etiam univerſalis affirmativa, ſed negativa, quoties juramentum eſt in diſpendium animæ &c. quamquam etiam veniale dici poſſit diſpendium, ut diſponit ad mortale, & reddit aliquomodo indiſpoſitum ad charitatem, vitámque æternam retardat.

2 Dices. Ergo fit perjurium formale in Promiſſorio quà tali. 2. Cur petitur abſolutio dicti Juramenti, c. *Cùm quidam.* §. *Illi* eod. Ad 1mum ℞. formale perjurium Aſſertorii committi, ſi deſit propoſitum, & ideo potiùs vitandum quàm leve, quod proponendo rem ineptam committitur, quia ſolùm deeſt veritas materialis, ad quam DEUS interponere nequit authoritatem, ut ſit *Vinculum iniquitatis* &c. Dicitur ergo materiale perjurium, quia tanquam minus malum permittitur c. 1. & 2. d. 13. c. *Juravit.* c. *Non ſolùm.* 22. q. 4. Ad 2dum ℞. Abſolutionem eſſe declarativam tantùm, cùm in utroque foro conſtet, obligationem eſſe nullam. Et Abb. vocat *Abſolutionem facti.* 24. q. 1. ſi autem propriè vox ſumitur; dic dari aliquando ad quietem petentis.

CAPUT XVI.

An Juramentum de actu indifferente obliget?

1 Primò. Non obligat ad actum indifferentem ut talem. Nam probabiliùs eſt actus malus, nec oppoſita opinio habet probabilitatem practicam certam, ſed Authori dubiam. Quia actum facere propter ſe tantùm, citra relationem ad bonum finem, malum eſt & eòipſó otioſum; at verba otioſa malum ſunt. Dein virtute juratur, nihil honeſti facere pro aliquo tempore ergo non poteſt eſſe obligatio Juramenti talis, ut omnes fatentur. Denique ſicut Juramentum non po-

teſt eſſe vinculum iniquitatis, ita nec obligare ad viam incertam, relictâ ſecurâ in materia peccati.

2 Dices. Actum poſſe fieri benè. ℞. Sæpe non poſſe, ut cùm Scholaſticus jurat ludere, quando nec ad ſalutem corporis, nec ad hujus rationabile levamen indiget. Licèt autem actus fieri bene poſſit, relatio ad bonum finem non fuit jurata, niſi ex conjecturis de oppoſito conſtet; ut cùm actus in tali perſona habet commoditatem & proportionem ad finem honeſtum.

3 Secundò Si actus indifferens juretur propter honeſtum finem, vel propter utilitatem proximi, ad quam eſt accommodatus, Juramentum obligat. Dixi *Propter utilitatem.* Non enim tunc attenditur indifferentia, nec per ſe primò requiritur honeſtas operis, ſed commoditas proximi, utut per opus aliàs indifferens intenta; quia eâ relatione jam fit opus vel liberalitatis vel miſericordiæ vel Juſtitiæ vel certè humanæ Fidelitatis propter qualecunque Jus proximi. Hæc autem ratio non tenet reſpectu jurantis, ſed ſi Juramentum ſiſtit ſine ordine ad proximum, debet eſſe de actu virtutis, ſaltem per relationem ad finem.

CAPUT XVII.

Quando & quomodo obliget Juramentum de omiſſione ſeu negatione operis.

1 Primò. Obligat, ſi ſit de omiſſione peccati. Conſtat, nam ejus obſervatio moraliter includit voluntatem non peccandi: ergo honeſtam. Vel ergo actus imediatè fit de dicta omiſſione, vel mediatè, ſeu de occaſione vitandâ peccati, ut ingreſſu domûs talis? Si 1mum, ergo obligat pro ſemper. Si 2dum, ergo ſolùm quamdiu durat ratio occaſionis; ſive quia res notabiliter mutatæ ſunt. c. *Quemadmodum.* de *Jurejur.* ſive quia materia fit impertinens ſeu indifferens; ſive quia intentio ſic reſtricta fuiſſe intelligitur.

2 Secundò. Obligat, ſi ſit de omiſſione actûs indifferentis ex intuitu honeſtatis, ad quam dicta omiſſio conducit. Conſtat exemplis, ut ſi actus ſit de non exeundo domo propter meliora negotia &c. de non ludendo &c. quia omiſſio eſt de ſe utilis ad lucrandum tempus pro actu virtutis, vitando pericula frequentiæ luſûs &c. Idem eſt de omiſſione actuûm implicantium, ut mercaturæ &c. niſi ex circumſtantia perſonæ & ſtatûs conſtet eſſe contra bonos mores.

Tertiò. Secùs eſt, ſi omiſſio impertinens eſt ad virtutem. Sic enim nulla honeſtas vel rationabilis utili- 3

tas in omiſſione ſpectatur, ut eſt non laborare manibus, non legere &c. imò talia ut ſic vergunt in detrimentum naturæ, utique ſi formaliter intelligantur. Secùs autem eſſe conſtat, ſi intendas non diſtrahi ab aliis bonis, ſicque opus non vitetur abſolutè, ſed modus otiosè faciendi. Nec dicas, omiſſionem nec eſſe malam, nec impeditivam majoris boni; nam propter vanitatem ſuam eſt incapax, ut Deus ſuam Authoritatem ei interponat, imò ſuperſtitio eſt, propter reverentiam ejus ſic abſtinere.

4 Quartò. Non obligat, ſi ſit de omiſſione actûs ſupererogatorii. Nam materia nullam per ſe habet bonitatem, & directè impedit majus bonum: ergo incapax eſt obligationis juſtæ, nedum Religioſæ. Dixi, *Directè.* Nam aliud eſt per indirectum impediri propter opus per ſe bonum, vel proximo utile; aliud, directè nolle opus ſupererogationis; quia tunc nec regulatur materia juxta votum, ut per ſe conſtat, nec ut eſt utilis proximo, ſpectando negationem boni operis per ſe & nudè, eſto in gratiam ejus fiat; nam irrationabilis voluntas eſt, ut in gratiam ſui impleatur.

5 Dices. Reſultat commodum proximi, ut ſi pater vel maritus juret non facere eleemoſynam. ℞. Obligationem non parùm eſſe dubiam. Vel enim ſiſtitur in ſola negatione, quin formaliter vel virtute includatur obligatio ad aliquid directè & proximè pertinens ad commodum proximi, vel ſecùs res habet? Si 1mum, actus eſt contra bonos mores animæ; ut ſi ita juretur, ut ſit libertas ad prodigendum &c. Si 2dum, ùt in gratiam filiorum &c. tenet actus, quia virtute eſt de conſervandis bonis in eorum utilitatem. Notandæ ergo ſunt circumſtantiæ in particulari; ſi enim perſona in aliis moderata ſit, & in eleemoſynis ſolis effuſa ultra ſtatum, ergo non juratur niſi rationabilis conſervatio bonorum: in dubio autem ſemper ſequendum eſt, quod fuerit honeſtius, quia ſic conſulitur Religioni Juramenti.

Confirmatur exemplis, ut ſi ſit Juramentum de non mutuando, fidejubendo, communicando doctionem experimenti &c. Nam vel actus fit abſolutè, vel in gratiam creditoris, ſocii contractûs, filiorum &c? Si 1mum, ceſſat obligatio, non ſolùm ſi oppoſitum eſt præcepti, ſed etiam ſi conſilii ſit; quia quiſque poteſt cedere utilitati propriæ, quamdiu omnibus penſatis omiſſio non eſſet prudens aut minùs prudens, adeundo periculum proprium vel ſuorum. Si 2dum, obligatio erit pro omni caſu licito. Similiter Juramentum de non accuſando ſuper ullo crimine, non poteſt obligare univerſaliter, ut eſt certa reſolutio d. c. *Quemadmodum.* §. *Illud.* aliàs ligaret etiam in caſu 6

 Infi-

Infidelitatis &c. Ligat tamen, quando & licitè omittitur accuſatio, & citra impedimentum boni communis, quia utile per inutile non vitiatur; & in actu utut abſoluto ſubintelligendæ ſunt conditiones honeſtæ.

7 Idem eſt de Juramento non accuſandi adulteram. Si enim emendata eſt; ergo nec Divinum nec humanum præceptum eſt petendi vindictam propriæ injuriæ, nec etiam id neceſſarium eſt bono communi: aliunde autem agitur utilitas proximi, opus miſericordiæ &c. Si autem emendata non eſt, vel actus Jurandi præceſſit delictum; eſto nec jus mariti cogat ad accuſandum, nec bonum uxoris, nec etiam (niſi rariſſimè) ratio boni publici, tamen daretur licentia peccandi, ſi Juramentum obligaret, ut notat Comunis d. c. *Quemadmodum*, §. ult. ubi particula *Tutius*, ſumitur pro conſilio, ſtando in dicta opinione, quæ probabiliſſima eſt. Habetur enim & reverentia Juramenti, & præſtatur miſericordia, & non omittitur remedium, quamdiu ſufficit denuntiatio; ſicque Juramentum non fuit turpe.

Quintò. Abſque culpâ dicta Juramenta ſervari materialiter poſſunt, non tamen formaliter, ſeu ut obligatoria. Nam ſi obligatio eſſet non ingrediendi Religionem, ergo Spiritui ſancto vocanti poneretur obex. Dein ejuſdem malitiæ eſt facere iniquum *Juramentum*, & obſervare, quaſi continuando iniquitatem, & habendo illud pro vinculo iniquitatis. Stat tamen licere materialem obſervationem, ut perſiſtendo in ſæculo, ut juratum eſt; non quòd obligatio ſit perſiſtendi, ſed quia aliàs non eſt obligatio ingrediendi Religionem. Idem eſt de ſimilibus omiſſionibus juratis. 8

CAPUT XVIII.

An Juramentum obliget in materia prohibita per Legem Divinam poſitivam.

1 Primò. Affirmativa Gratiani 22. q. 4. §. ult. ſine dubio falſa eſt, & ab omnibus reprobata. Conſtat exemplis, ut ſi jures communicare ſine prævia Confeſſione peccati mortalis &c. Nec enim malitia ſic vetiti tolli poteſt vel ſuſpendi per voluntatem hominis, magis quàm ipſum præceptum Divinum; nec Juramentum eſſe poteſt in præjudicium Divinæ poteſtatis, juris, mandati: ergo per ſe improbabile eſt, Juramentum *Joſue* 9. & debuiſſe ſervari, & fuiſſe de re licitâ; quia licèt durante conſcientiâ erroneâ ſervandum fuerit, non tamen poſtea, quia prior ignorantia non abſtulit obligationem Legis.

2 Abul. negat dictum Juramentum fuiſſe de re licitâ; quia aliàs Gabaon nullo Jure afflictus fuiſſet; nec licuit excipere Lege abſolutè vetante. Ex. 34. *Ne ineas pactum* &c. Deut. 7. *Nec miſereberis &c.* Denique Joſue nec antè nec poſt conſuluit Dominum; & Principes ſolùm allegabant Juramentum.

3 Secundò. Juramentum Joſue fuit de re licitâ. Ita Lyr. Ambr. Auguſt. S. Thom. Bonav. Richard. Nam aliàs fames non fuiſſet immiſſa. 2. Reg. 2. propter Gabaonitas occiſos contra Juramentum. Si autem Deus illis parcitum voluit, conſtare debuerat expreſsè de tali mutatione prioris Legis, & non per meras conjecturas: & cur aliàs tota ratio peccati allegatur, *quia juraverant eis*, cùm actûs invalidi obligatio non fuerit? Deinde Joſue rectè ſic potuit interpretari legem, conſentiente ſummo Sacerdote, & aliis Principibus, & textu Deuter. 20. juvante. *Offeres ei primùm pacem &c.* Et *ſerviet tibi ſub tributo &c* quod de finitimis etiam propter identitatem rationis intelligi potuit. Denique abfuit dubium ſaltem practicum, propter dictam interpretationem per ſe conſonam intentioni, verbis, rationi Legis: ergo non erat obligatio conſulendi Dominum; ſicut nec ad Superiorem recurritur, cùm res eſt clara & certa, ſed in dubio tantùm. c. *Venerabilem* §. *Idem.* de Jurejur.

Tertiò. Ob deceptionem factam, dictum Juramentum non fuit nullum. Nam eſto pactio non tenuerit, Juramentum potuit eſſe per ſe ſtans. Nec dolus fuit de re ſubſtantiali, cùm ſubjectio & fides non fingerentur, ſed ſola diſtantia; nec is fuerit de re injurioſa, ſed ſolùm de vita tuenda. Licèt autem Juramentum obligârit ad remittendam pœnam voti, non tamen ad non commutandam in leviorem, ſeu mortem civilem. 4

CAPUT XIX.

An Juramentum factum contra prius votum, Juramentum, Promiſſionem obliget?

1 Primò. Non obligat contra prius votum. Nam eſſet de re intrinſecè malâ, quia voti obligatio licèt mediâ voluntate humanâ contrahatur, eſt naturalis & intrinſeca; unde etiã propoſitũ contrarium (ſive contradictoriè ſive contrariè opponatur) peſſimũ eſt, nedum Juramentum c. *Rurſus.* Qui voventes &c. Nec refert, obligationem Juramenti eſſe majorem; nam quidquid de hoc ſit, (propter dicta de obligatione Promiſſorii ſuprà) non poteſt illa cadere in materiam incapacem; & quò nobilior eſt,

eſt, eò minùs cadit in turpe, ut ſit vinculum turpitudinis.

2 Secundò. Poſterius contra prius Juramentum non obligat. Ita omnes in c. *Sicut* de Sponſal. éſtque ratio eadem, quia eſſet de re intrinſecè mala: & ideo oportet, ut prius non valuerit. c. *Tua nos.* 1. de Jurejur. Tamen Juramentum non tollit poteſtatem ſimpliciter aut dominium voluntatis, ſed irritatio provenit à voluntate Superioris, quam ſubditus mutare nequit, ſed ſuam: & ideo tenet donatio, matrimonium &c. cum perjurio factum, nec eſt materia in quam cadere poſſit Juramentum. Aliud enim eſt, promittere actum contrarium priori Juramento, & promiſſionem firmare; aliud confirmare actum jam factum contra prius Juramentum.

3 Tertiò. Juramentum non obligat contra priorem promiſſionem ſimplicem, ſive hæc ex Juſtitia obliget, ſive ex fidelitate humana. Nam eſſet jurare peccatum, fractionem Sponſalium &c. c. *Veniens.* eod. ubi antiqua lectio habet: *Juramento & promiſſione.* Nec refert priora Sponſalia ſolvi, quia *non firmatur tractu temporis &c.* R. J. 18. in 6. nec Profeſſio facta invito conjuge obligat poſt hujus mortem &c. c. *Quidam.* c. *Placet.* de Conv. conjug. nec Sponſalia per votum Caſtitatis convaleſcunt ob diſpenſationem ejus. Actus enim ut ſupponimus, fuit abſolutus, non conditionatus, *ſi ceſſerit juri &c.* aut cum intentione extenſâ, *quocunque modo, aut quandocunque potuero.*

Eſtque magna differentia inter Juramentum licitum, & illicitum à principio. Nam illud includit conditionem, *niſi materia mutetur*; non verò iſtud, *ſi materia deſinat eſſe illicita*: ergo ſi à principio eſt de re illicita ex objecto, actus eſt nullus, nec convaleſcit, ut probant exempla, quæ Navar. in contrarium allegat, ut ſiquis jurat, non ingredi domum, non laborare Sabbato, non ſervare ſtatutum contra Canones. Nam primum, ſi fuit de re indifferente ut tali, manet vanum. Idem eſt de altero, quia eadem eſt ratio loci & temporis, ſi neutrum refertur ad bonum finem. Idémque eſt de ultimo, niſi intentio ſit conditionata; nec enim illicitum eſt jurare contractum cum conſanguinea, ſi Papa diſpenſaverit. 4

CAPUT XX.

An Juramentum de actu prohibito Lege humanâ, præſertim Civili obliget?

1 Primò. Juramentum de actu prohibito per Legem humanam abſolutè prohibentem, & in conſcientia obligantem, non obligat. Nam eſt

co-

eoipſo de malo, eſto tali, quia prohibito, cùm ſubditus irritare vel impedire nequeat voluntatem Superioris, nec Jura in hoc diſtinguant. c. *Q. antò*, c. *Cùm contingat*. de Jurejur. c. *Si aliquid*. c. *Inter cætera*. 22. q. 4. Conſtat ergo res ratione, inductione, & regulâ Jurium generali.

2 Secundò, Si Juramentum eſt contra Leges Canonicas, invalidum eſt. Vel enim declarant tantùm Jus Divinum Naturale aut poſitivum, vel denuo conſtituunt Legem? Si 1um, perinde eſt, ac actum eſſe prohibitum à Deo. Si 2dum, certum eſt, Canonem per ſe primò dirigi in bonum animæ. Quòdſi merum conſilium fertur, ut in Regulis Religionum, Rubricis &c. adhuc actus non poteſt obligare ad oppoſitum. Hæreticus verò, qui vi Canonis amittit dominium bonorum, Juramento uti poteſt, in quantum non opponitur diſpoſitioni Canonis, utpote permittentis uſum liberum, donec ſententia feratur &c.

3 Tertiò. Idem eſt de Juramento contra Legem Civilem, obligantem in conſcientia. Conſtat ex dictis n. 1. & ex principio à Theologis & Juriſtis communiter recepto, quòd Lex Civilis, utpote manans à Lege æterna, habeat vim obligandi in conſcientia, ſi id ſatis explicet, ut ſumitur ex Rom. 13.

4 Quartò. Valet Iuramentum, ſi ita ſit contra Legem, ut ſine peccato ſervari poſſit. Concluſio ſupponitur in c. *Cum contingat*, de jurejur. c. 2. de Pact. in 6. Difficultas eſt de ſigno, ex quo colligatur, an lex ſit prohibens in conſcientia, néene. Nam an Lex ſit Juris publici an privati tantùm, non ſufficit, quia etiamſi poſterioris modi ſit, obligare poteſt. Bartolus (cujus opinionem, utut Abb. vocet ſingularem, ſequitur communis Legiſtarum, & ipſe Abb. in Conſilio *Domina Catharina*) cenſet, attendi oportere, an verba ad contractum dirigantur, an ad perſonam. At, inquit Abbas, perinde eſt actum prohiberi, & perſonæ prohiberi.

Sed impugnatio æquivoca eſt, 5 quia cùm dicitur, verba ferri in actum tantùm, non intelligitur quoad obligationem faciendi vel non faciendi, ſed ſignificatur efficacia Legis tollentis robur actûs, ſi fiat tali modo, ut in re neceſſarium eſt diſtinguere; alàs intelligi non poſſet Juramentum Legi contrarium abſque peccato ſive in fieri, ſive in conſervari. Sic nec filia peccat renuntiando hæreditati, nec pater acceptando renuntiationem, utut de Jure invalidam. Igitur ſignum, quod tradit Bartol. contemnendum non eſt, quia ſenſus Legis maximè ex verbis ſumitur, & præceptum cùm perſonæ imponitur, huic directè loquitur; ſicque id ſignum ſufficiens eſt, niſi ex materia & circumſtantiis aliud colligatur. Nam licèt lex faveat, ut Minori, poteſt præcepto uti, ne lædatur; idémque eſt de ludente pecuniâ creditâ.

CAPUT XXI.

An Juramentum contra ſolos bonos mores Civiles obligare poſſit?

1 Primò. Quoad Legem Civilem rectè cadit diſtinctio morum in Naturales & Civiles, ſeu honeſtos & Politicos. Nam alii per ſe conſoni ſunt naturæ rationali, licèt Jure naturæ non præcepti immediatè; ſicut Lex poſitiva Divina, & Eccleſiaſtica in eodem Jure mediatè fundantur: alii verò pertinent ad convenientem ſtatum & Politiam Reipublicæ, ut eſt libertas revocandi Teſtamentum &c. Rurſus Legis Civilis non eſt, per ſe directè intendere bonum animæ, ſed externam pacem & Juſtitiam: ergo licèt circa hæc poni poſſit obligatio in conſcientia, tamen per additum, quòd ſint bona ad externum Regimen, ſignificatur violari poſſe ſine detrimento animæ.

2 Secundò. Juramentum, quod eſt contra bonos mores naturales, valere nequit; ſecùs ſi ſit contra bonos mores Civiles. Prior pars ſumitur ex dictis cap. ſup. Poſterior ſumitur ex c. 2. de Pact. in *6.* c. *Cùm contingat.* de Jurejur. c. *Licèt.* eod. in *6.* Auth. *Sacramenta.* Cod. ſi adverſ. Vend. Nam juxta hæc Jura ſervari actus poteſt ſine diſpendio animæ: ergo ſolùm Legi contrarius eſt quaſi objectivè & mediatè, quatenus ſit ad confirmandum pactum per eam improbatum, ut dicitur dicto c. 2.

CAPUT. XXII.

An Juramentum contra ſolos bonos mores Civiles ſemper obliget?

1 Primò. Semper obligat dictum Juramentum. Ita Mol. Sanch. & alii. Nam quod eſt præcisè contra dictos mores, ſemper ſervari poteſt ſine diſpendio animæ; & aliàs ſi ſufficeret ea contrarietas ad invalidandum, ſufficeret tanquam cauſa adæquata impediens obligationem: conſequens eſt contra Jura cit. cap. ſuper. & c. *Debitores.* c. *Quanto.* eod, c. *Significante.* de Pignor. Et in d. c. *Quanto.* ſolùm diſtinguitur inter Juramentum illicitum & licitum, ſubdendo poſterius ſemper obligare: at ſi eſt contra dictos mores, nec contra Jus naturæ eſt, nec contra humanum ut obligans in conſcientia. Denique provocari Latronem ad extorquendam pecuniam, etiam nocet bono communi; & tamen in dicto c. *Debitores*, cenſetur eſſe merè per accidens & ſcandalum merè paſſivum.

Secundò.

2 Secundò. Si Juramentum ſit in gratiam hominis, & de re ſecundùm ſe non malâ; nulla eſt probabilis ratio invaliditatis, per ſe loquendo. Sequitur ex dictis contra Covar. qui ſolùm movetur, quòd Juramentum ſit aliquando contra bonum commune, conſequenter nullum; ſicut cùm eſt de non ingrediendo Religionem. Sed exemplum impertinens eſt; nam obligari ad omiſſionem Religionis, uti & exequi ex obligatione, malum eſt & contra bonos mores naturales; c. *Inter cætera,* 22. q. 4. Idémque eſt de Juramento non denuntiandi delicta futura &c. c. *Quemadmodum,* de Jurejur. l. *Si unus.* §. *Iſtud,* ff. de Pact. l. *Convenire* l. *Pomponius.* ff. de Pact. Dot. Prohibitio enim fit, non propter malitiam actûs ſed quia datur publica occaſio mali, ut in non denuntiandis fraudibus.

CAPUT XXIII.

Satisfit Objectionibus.

1 Difficultas fit ex variis exemplis, ut 1. de renuntiatione Privilegii fori. 2. De non revocando teſtamento. 3. De Juramento pœnali non reſiliendi à ſponſalibus. 4. De futura ſucceſſione. 5. De donatione omnium bonorum. Sed quidquid de his ſit, non repugnatur regulæ poſitæ cap. ſup. Nam ſi Juramentum invalidum eſt, ergo eo ipſo non eſt contra ſolos bonos mores Civiles, ſed contra naturales, de quo ſolo quæſtio eſſe poteſt, ut patebit expendendo exempla ſingula.

2 Ad 1mum R. eſſe impertinens. Nam conſtat eſſe contra bonos mores Canonicos. c. *Si diligenti,* de For. comp. c. *Nimis,* de Jurejur. Idémque univerſim eſt, quoties Juramentum privati eſt directè & formaliter contra bonum publicum, ſeu privilegium communitatis. Nam privatus derogare illi nequit, ſed Juramentum eſt nullum, quia eſt contra Juſtitiam vel Commutativam vel Legalem ſaltem, & in materia Eccleſiaſtica contra Religionem.

3 Ad 2dum R. Obligationem nec de impediente majus bonum animæ eſſe, nec contra bonum comune, ſed privatum tantùm Teſtatoris: ergo quod Juriſtæ contendunt, privationem talis libertatis eſſe per ſe irrationabilem, difficulter ſuſtineri poteſt. Licèt ergo per Leges irrita ſit promiſſio, non tamen prohibita eſt ſub reatu culpæ, uti nec obſervantia ejus, cùm ſolùm tendat in commodum privati ſine alio malo.

4 Ad 3tium. R. Pœnam tenere, ſi reſiliatur injuſtè; ſecùs, ſi juſtè. Tunc enim probabile eſt, eſſe contra bonos mores naturales: quod ſolum agitur in c. *Gemma* de ſponſal. ſpectando attentè caſum, & rationem decidendi.

5 Ad 4tum R. non reprobari in c. *Quamvis.* de Pact. in 6. ſi fiat cum conſenſu ejus, cui ſucceditur: & ſi abſit is conſenſus, juxta communem Juriſtarum Juramentum eſt invalidum. Fundamentum autem eſſe debet, vel quòd ſit contra rationem naturalem; vel ſaltem contra legem rigorosè prohibentem, tanquam pactum odioſum viventi, & invito tertio. l. ult. Cod. de Pact. An autem teneat fundamentum, hujus loci non eſt.

6 Ad 5tum R. Privationem libertatis teſtandi, etiam directè factam in favorem tertii, nec eſſe intrinſecè malam, nec ob Legem obligantem in conſcientia. Idémque à fortiori eſt, ſi fit per indirectum & per conſecutionem, ut in Profeſſione, aut expendendo omnia in opera pia: ergo ex ſolo capite dictæ privationis actus non eſt contra mores naturales. Aliunde autem eſſe poterit actus prodigalitatis, & contra debitam providentiam erga ſémet vel ſuos: ſicque obligatio moderanda erit ſaltem quoad exceſſum, & quoties eſt contra prudentiam & rectam rationem.

CAPUT XXIV.

An Juramentum illicitè emiſſum, vel de promiſſione prohibita, obliget?

1 Primò. Juramentum illicitum ex parte materiæ, in quam per ſe cadit, & per quam implendum eſt, nullum eſt. Ita enim Jura & Doctores in materia doctrinali dicunt, illicitum (utique ex objecto) eſſe nullum: conſtátque per ſeſe, cùm Juramentum non poſſit eſſe vinculum iniquitatis.

2 Secundò. Si Juramentum illicitum eſt ſolùm ex prohibitione vel ratione extrinſecâ, non eſt nullum. Patet, ſiquis voveat non jurare, aut Superior prohibeat; nam adhuc ſtat, Deum vocari in teſtem rei licitæ. Et Promiſſorium, licèt deſit propoſitum implendi, obligat; & in Aſſertorio, utut illicito, ſemper eſt obligatio jurandi verum.

Tertiò. Iuramentum, licèt promiſſio, cui adjungitur, ſit illicita vel irrita, validum eſſe poteſt. 3
Vel enim promiſſio ratione ſuæ materiæ eſt illicita, vel ſolùm propter ſeipſam prohibetur, non propter materiam? Si 1mum, conſtat Juramentum eſſe nullum utpote illicitum ex parte materiæ. Si 2dum, valere poteſt juramentum, quia non habet pro objecto promiſſionem, ſed rem promiſſam: ergo licèt illam jurare malum ſit, non tamen iſtam, loquendo per ſe; ſicut, qui jurat vovere intra annum Caſtitatem, non propterea vovet hanc, aut jurat, conſequenter nec voto nec

Jura-

Juramento tenetur ad Caſtitatem.

4 Stat ergo, actum promiſſum non eſſe turpem, quia malitia promiſſionis per accidens, & quaſi extrinſecè ſe habet; nec juramentum eſt cauſa ejus, ſed potiùs ſupponit illam, nec illi adhæret ut malæ, ſed ut ſecluſâ prohibitione, vim haberet obligandi. Unde etiam non obſtat, promiſſionem eſſe irritam, quia juramentum non confirmat ſolutionem uſuræ v. g. ut promiſſam ſeu ut faciendam vi promiſſionis, ſed ut aſſertam tantùm, conſequenter ut verificatur vi Juramenti.

5 Dixi in concluſione, *Validum eſſe poteſt*, utique indefinitè, non univerſaliter, quia talis materia eſſe poteſt, ut omnis obligatio illi repugnet, ut dictum eſt ſuprà de obligatione non accuſandi &c: Sic ſi illicitè apponitur pœna ſponſalibus, etiam per juramentum illa adjici nequit, quia ſimiliter tollitur libertas Matrimonii. Igitur quoties materia eſt talis, ut nulla obligatio circa eam expediat, vel conſentanea ſit bonis moribus; tunc ut promiſſio, ita etiam Juramentum nullum eſt: quando autem illi repugnat non obligatio ſimpliciter, ſed tantùm promiſſionis humanæ, valet juramentum.

CAPUT XXV.

Quomodo differant Juramentum Confirmatorium & per ſe ſtans in contractu prohibito?

1 Primò. In Confirmatorio eſt duplex obligatio, ſcilicet Religionis & Juſtitiæ ſeu Fidelitatis, & in altero Religionis tantùm. Nam per illud fit, ut promiſſio aliàs inefficax quaſi reviviſcat recuperando vim obligandi: alterum relinquit obligationem ut erat, inefficacem. Ita omnes.

2 Secundò. Relaxato Juramento per ſe ſtante, ſimpliciter ceſſat obligatio, utpote unica tantùm; ſecùs verò eſt in relaxatione Confirmatorii. Ita communis & probabilior contra Fel. Manet enim naturalis obligatio promiſſionis, utpote prior obligatione Juramenti; nec prius ruit, ſublato poſteriore. Quòdſi etiam illa aliquando ruit, aliunde erit, non vi dictæ relaxationis. Nec propterea hæc inutilis eſt, quia & ceſſat perjurium, & impedimentum petendi diſſolutionem contractûs, ſi cauſa ſubſit.

Tertiò. Confirmatorium dat actionem in Judicio; ſecus alterum. Nam omnis actio fundatur in Jure Creditoris, cùm ſit jus proſequendi in Judicio, quod ſibi debetur. §. 1. Inſt. de a[illegible] 3

 om-

omnis promiſſio valida, etiam ſimplex, parit actionem juxta communem Bart. Jaſon. ergo cùm Confirmatorium pariat obligationem reſpectu Dei & hominis: per ſe ſtans verò ſo ùm reſpectu Dei; ex illo, & non ex iſto ſequitur actio. Unde iſta tranſit in Confirmatorio ad Hæredes; ſecùs quàm ſit de obligatione merè perſonali alterius.

4 Quartò. Quod ſolvitur vi Confirmatorii, repeti nequit; ſecùs ac in ſoluto vi Juramenti per ſe ſtantis. Ratio prioris eſt, quia aliàs tolleretur alteri, quod ſuum eſt, eſto ſine perjurio, cùm Juramentum non fuerit de non repetendo. Ratio poſterioris eſt, quia ſolutum non debetur homini; & debitum reſpectu Dei ſolutum eſt, licèt fiat repetitio c. *Ad audientiam.* de his. q. vi. An verò hoc teneat univerſim, incertum eſt.

Quintò. Relaxatio per ſe ſtantis peti, & concedi poteſt, non verò Confirmatorii. Nam per hoc acquiritur Jus tertio, non per illud. At licèt quod de Confirmatorio dictum eſt, ita ſe habeant, ſpectando naturam ejus intrinſecam; tamen jus omne privati ſemper ſubintelligitur ſubordinatum poteſtati ſuperiori legitimæ, quæ id mutare poſſit: ergo ſolum Confirmatorium ita firmum eſt, ut ab intrinſeco relaxabile non ſit; ſecùs verò per ſe ſtans; aliàs non eſſet differentia. Hac autem ſic explicatâ, relinquitur incertum, an ita ſit univerſaliter. 5

CAPUT XXVI.

An Juramentum contra Leges reſpicientes bonum publicum vel privatum confirmet pactum?

1 Primò. Diſtinctio Legum, quòd vel bonum publicum vel privatum reſpiciant, optima quidem eſt; non tamen facit ad præſentem quæſtionem. Patet prior pars ex l. 1. ff. de Juſt. & Jur. quia licèt de ratione Legis ſit, ut referatur ad bonum commune; hoc tamen aliquando eſt materia proxima, aliquando remota tantùm, & mediante privato, quatenus ex ſingulorum commodis conſurgit ſtatus conveniens Communitatis. Prioris generis ſunt Leges, quibus conſervatur vel inſtituitur immunitas Sacerdotum, integritas Judiciorum, ſufficientia & abundantia rerum Comunitati neceſſariarum &c. nam in his immediatè reſpicitur utilitas Communitatis, ut talis; ſecùs ac cùm conſulitur imperfectioni Minorum; uxorum &c. patrimoniis ſingulorum &c. Licèt autem dicta diſtinctio facilis ſit, attenta in generali; tamen in particulari applicata ſæpe dubia eſt, ut patet in Bart. &c. &c.

Ratio alterius partis eſt, quia dicta diſtinctio ſolùm facit ad digno- 2

ſcen-

ſcendum, quando Juramentum valeat, nécne, de quo ſuprà actum jam eſt. Nec enim ideo Juramentum nullum eſt, quia eſt contra bonos mores Civiles, ſed quia eſt contra Legem obligantem in conſcientia, eo ipſo quòd illa ſit boni publici. c. *Si diligenti.* de For. compet. Paciſci enim in præjudicium boni communis, ſaltem contra Legalem Juſtitiam eſt, & renuntiare illi, quaſi proprium bonum ſit, injurioſum, ut conſtat inductione in Juramento de exportando frumento, de dando quid Judici &c. nam eſt de re iniqua & prohibitâ, juxta receptam S. Thom. 2. 2. q. 86. a. [illegible] & [illegible] *Nam concupiſcen*[illegible] Conſtit. &c. 2. de Major. & o[illegible]

Dices. Sola obligatio, ut contra-
3 ria bono communi, prohiberi poteſt: ſic autem ſtat, actum licere. R. Moraliter non ſtare, ut Juramentum obliget. Nam regulariter etiam actus ſecundùm ſe ſpectatus, præjudicat Communitati; ſufficítque, quòd ſaltem ut factus ex obligatione præjudicet, juxta dicta de pœna Sponſalium &c. Et ſi Lex pactum prohibet, ut pernicioſum, ergo ſupponit pernicioſum eſſe, Cives obligari. Denique dato, actum licere, Lege de non efferendis equis &c. non obligante in conſcientia; tamen ille parùm congruit bono communi, cui Lex conſultum ibat: id autem ſufficit, ut Juramentum non teneat.

Minùs verò ad rem ſunt exempla 4
de pactis prohibitis. Nam pactum Legis commiſſoriæ, eſt *Juris* privati; cùm per id ſolùm lædatur Dominus pignoris, nec nocumentum privati ſufficiat ad *Jus* publicum, ut patet in Legibus de non furando, non petendis uſuris &c. Rurſus probabile eſt, Legem fundari in præſumptione, ſolùm irritando in foro externo: ergo in interno ſtat obligatio, intra terminos juſti utique. Similiter *Juris* privati eſt Lex de non ludendo pecuniâ creditâ; nec enim prohibet ſolutionem: ergo *Juramentum* ſervandum eſt, licèt promiſſio ſimplex non obliget.

Secundò. Non poteſt eſſe Regula 5
univerſalis, quantùm ad *Juramentum* de actu *Juris* privati, quòd validum ſit, aut quòd confirmet contractum reprobatum. Patet poſterius in ſolvendis uſuris: & prius, cùm Lex præcipit actum contrarium. Solùm ergo indefinitè & permiſſivè dici poteſt, aliqua *Juramenta* privati *Juris* eſſe valida: an verò confirment pactum, declarandum ſupereſt.

CAPUT XXVII.

Pactum, quod Legibus reprobatur in odium creditoris, non confirmari Juramento?

1 Primò. Si Lex *Juris* privati reprobat contractum in odium creditoris, propter turpitudinem ejus, *Juramentum* non eſt confirmatorium

rium. Regula veriſſima eſt, & recepta ab omnibus, conſtátque ex differentiis c. 25. notatis inter confirmatorium, & per ſe ſtans. Vel enim confirmatio ſequeretur vi Juramenti, vel adminiculo Juris? Non 1mum, quia ſine illa verificatur aſſertio. Non 2dum, quia nec Jus favet turpitudini, nec Canon plus vult quàm quod neceſſarium eſt vi Juris Divini; ſolúmque hoc declarat, non conſtituendo Jus humanum, ut c. *Debitores*, c. *Verùm.* de Jurejur.

2 Secundò. Procedit dicta Regula ſine exceptione, ſi ſermo ſit de turpitudine verè morali, & non tantùm Politicâ. Nam eſto turpitudo ſit contra Legem Civilem tantùm, adhuc peccat is cui impletur Juramentum, nec Canon ei favet. Exemplum eſt in Lege commiſſoria, ubi turpitudo ſolùm eſt contra dictam Legem; idémque eſt de Tutore contrahente cum pupillo; nam Juramentum non confirmat actum, ſed relaxatio ejus peti poteſt. Secùs foret, ſi lex reſiſteret tantùm firmitati contractûs, non prohibendo illum.

Tertiò, Idem eſt, ſi confirmatio cederet in præjudicium tertii. 3
Sumitur ex c. *Cùm contingat* eod. c. *Quamvis*, de Pactis in 6. argumento à contrario ſenſu. Hoc enim in præſenti efficax eſt, quia conſequens non eſt contrarium aliis Juribus, ſed maximè conſentaneum; imò Juramentum eſſet nullum, ſi dictum præjudicium involveret injuriam, aut ſaltem culpam contra obligationem aliquam naturalem. Neque obſtat hucuſque dictis. d. c. *Debitores.* dicendo, *cogendos eſſe &c.* Conſtat enim nullam actionem competere Uſurario: ergo ubi relaxatio haberi non poteſt, Paſtor creditorem cogit vel ex officio, vel ſi nondum conſtat de ejus turpitudine, ad inſtantiam Partis.

CAPUT XXVIII.

An Pacta irrita per Leges, confirmentur Juramento?

1 Prima opinio, & Communis Interpretum utriuſque Juris eſt, Juramentum eſſe confirmatorium, quoties irritatio eſt in favorem debitoris. Quòd enim ſecùs ſit, ſi eſt in odium Creditoris, dictum eſt cap. ſup. Quòd ſi irritatio fit in odium utriuſque, Juramentum eſt nullum, quia illa non fit, niſi in actu ſimpliciter improbato, ut Simoniâ &c. Fundamentum ergo dictæ opinionis ſumitur ex c. *Cùm contingat*, de Jurejur. c. *Licèt mulieres.* eod. in 6. c. *Quamvis* de Pact. in 6. propter particu-

ticulas *inviolabiliter, omnino ſerventur,* & propter exceptionem, *ſi ſine vi &c.* ergo cùm actus obliget non obſtante vi, metu &c. etiam confirmat pacta, iis ſecluſis.

2 Altera opinio eſt negativa; & eam tenet Bartol. Ant. de Butr. Faber. Jaſon. Cumanus. Igneus. Fortunius &c. ita ut teſte Alciato, non conſtet, quæ opinionum ſit communior. Fundamentum eſt, quia quòd Juramentum confirmet contractum, neque habet ex jure naturali, neque ex Lege civili, neque ex Canone. Non 1mum, quia ſolùm inſtitutum eſt ad confirmandam veritatem: at aliud eſt, hanc firmare: aliud contractum. Rurſus ſolùm obligat ex Religione: ergo non addit obligationem Juſtitiæ, nec ex ſe irritat Jus humanum, nec reſtituit efficaciam conſensûs à Lege ablatam. Denique Canon ſolùm allegat vitationem perjurii.

3 Non 2dum, quia expreſsè reſiſtit l. *Non dubium.* Cod. de Leg. *l. Juris gentium.* §. *Si paciſcar.* ff. de Pact. & aliàs poteſtas irritandi penderet à privato. Dein Fidejuſſor jurantis præſtare operas, obligari poteſt l. 1. ff. de Fidejuſſor. & tamen ſi ingenuus jurat, obligatio ejus ceſſat, l. *Siquis pro eo.* ff. eod. utique propter irritationem. l. *Ut Jurisjurandi* ff. de oper. Libert. Denique Auth. *Sacramenta* Cod. ſi adverſ. vend. quæ maximè obſtaret; ſolùm dicit, ſervandum eſſe Juramentum de non retractando contractum: quod diverſum eſt à confirmatione eius, jun. l. antec. Imò inde non colligitur, quòd non poſſit peti relaxatio, quia petendo non fit quis perjurus.

4 Non 3tium, quia Canones nullibi exprimunt vim confirmandi, ſed ſolùm declarant Jus Divinum. Dein nec ſolent, nec poſſunt directè irritare Civile, niſi in ordine ad bonum animæ. c. *Novit.* de Judic. cum ſimilibus: & ideo in cit. *Juribus* non allegatur ratio *Juſtitiæ* vel Fidelitatis, ſed Juramenti; quod valet in omni materia habili, quin Jus civile ei vim adimere poſſit in tali materia, nec etiam ullibi tentârit, ut patet Cod. de Reſcin. Vend. per tot. unde particulæ *omnino &c.* plus non probant, quàm ut ex integro ſervetur veritas; quin ſequatur obligatio etiam ad ea, quæ ad firmitatem pacti ſpectant.

5 Tertia opinio eſt, Juramentum eſſe Confirmatorium, ſi Lex pactum irritet quoad Civilem actionem & obligationem; ſecùs, ſi etiam quoad naturalem. Ratio prioris eſt, quia eoipſo jam veſtitur pactum adminiculo generali Juris civilis, vel potiùs Gentium; ſicque firmitas, quæ unâ viâ negatur, confertur per alteram. Ratio poſterioris ſumitur ex dictis, quia manet voluntas, ut antè erat, inefficax.

6 Sed hæc opinio in re coincidit cum præcedente, & difficultatibus ſuccumbit. Rurſus coincidit cum diſtinctione contractûs irriti ipſo facto, & irritabilis; nam quia dicere, quòd Pacta, de quibus cit. Canones, non confirmentur, non videtur tutum, quia eſt contra nimis receptam ſententiam; ideo nonnulli tentârunt dicere, quòd dicta pacta non ſint omnino nulla, ſed ſolùm improbentur, ut reſcindenda ad petitionem Minoris &c. hoc tamen communiter non recipitur à Juriſtis; nec ſingula in particulari examinari poſſunt.

CAPUT XXIX.

Reſolutio ſuperioris Quaſtionis: & quomodo Juramentum confirmare poſſit contractum?

1 Primò. Juramentum confirmat promiſſionem additam contractui. Nam eſt Promiſſorium; ergo de futuro: ergo non cadit ſuper contractum alienationis, quæ de præſenti fit; ſed ſuper promiſſionem non revocandi, quod actum eſt, utique diſtinctam à dicto contractu. Conſonat d. c. *Cùm contingat.* d. Auth. *Sacramenta:* & ad eundem intellectum Juramenti cogit d. c. *Quamvis,* quia non juratur renuntiatio præſens, ſed non repetitio renuntiati, ſicut in Abjuratione Beneficii. c. *Ad audientiam,* de his. q. vi &c. Nec lex extenditur ad dictam promiſſionem non repetendi, quia ſicut qui jurat renuntiare, non jurat non repetere; ita qui præcipit non renuntiare, non præcipit non repetere, c. *Ad aures.* eod. & ideo l. 1. Cod. Si adverſ. Vendit. dicitur. *Neque perfidiæ* &c.

2 Secundò. Per dictum Juramentum formaliter & directè non confirmatur contractus alienationis, ſed promiſſio huic adjecta. Nam à diverſis non fit illatio; faciúntque dicta pro ſecunda ſententia cap. ſup. ſolùm ergo contractus quoad effectum firmatur, eúmque, quem intenderat, habet (licèt aliâ viâ) ut patet ex proprietatibus Juramenti Confirmatorii ſuprà c. 25. adductis. Intervenit enim obligatio duplex, cùm promiſſio valeat; nec hujus obligatio tollitur vi relaxationis Juramenti, nec hæc peti poteſt, ut tenent omnes Authores primæ ſententiæ, & multi in ſecunda, quia Jura multùm ſuadent, & alter ſine cauſa privaretur jure acquiſito. Unde etiam competet actio d. Auth. *Sacramenta,* ut eſt clarum ſuppoſito valore dictæ promiſſionis, nec exceptio c. *Licèt mulieres.* de Jurejur. in 6. locum habet. Denique obligatio tranſit ad Hæredem, cùm Teſtator renuntiârit juri ſuo, & ideo non

non transferat, quod non habet; ſic enim Juramentum Gabaonitis datum tranſiit.

3 Confirmatur, quia cùm Jura negant poſſe revocari quod actum eſt; profectò ſupponunt, alterum juſtè retinere, & ſine peccato petere Juramentum; aliàs hoc eſſet irrationabile; éſtque incredibile, quòd alter poſſideat rem non ſuam, & nemo eam vendicare poſſit. Tranſit ergo Dominium conſecutione quadam ex voluntate contrahentium, accedente virtute Juramenti, quod Jura omnino ſervari volunt, conſequenter ex tali diſpoſitione eorum. Licèt autem Barthol. neget dictam translationem, quia negat Juramentum eſſe Confirmatorium; tamen ipſe & alii aliter loquuntur, cùm alibi illud habeant pro Confirmatorio.

4 Dices. Si contractus tantùm indirectè confirmatur; ergo relaxato juramento, manet ut erat, infirmus, ſicut quæ fiunt à Minore ſine Tutore; imò ſecluſo juramento, erit obligatio in conſcientia, ſoláque ſufficiet ad confirmandum contractum; quod eſt alienum à mente Jurium, & Doctorum omnium. Præſertim, quia in d. c. *Cùm contingat* negatur *Conſenſus in talibus Obligatorius eſſe.* ℞. Verba Canonis referri ad contractum, utique irritum *juxta legitimas Sanctiones* Auth. *Sive à me.* Cod. ad Vellejan. Nec omnia acta impuberis irrita ſunt ipſo facto, juxta Covar. in 4 p. 1. §. 1. n. 4. Sanch. l. 6. D. 38. q. 4.

Secluſo ergo Juramento, promiſſio obligabit quidem, non tamen ita firmiter, nec fortè civiliter, quia licèt non ſit irrita per Legem, fini tamen hujus, & effectui derogat; & ideo non admitteretur actio vel exceptio. Relaxato autem Juramento per poſſibile vel impoſſibile (ſolùm enim ex cauſa graviſſima fieri id poteſt, ut in contractu per ſe valido & juſto) ſolùm tollitur obligatio Religionis, non Juſtitiæ: at jus & dominium fuit in re acquiſitum. Nec eſt inconveniens, Legem ſic eludi, quia potior eſſe debet reverentia Juramenti, tollendo occaſionem abusûs: præſertim quia lex fundatur in præſumptione fraudis, metûs reverentialis &c. at Juramenti obſervatio in veritate, donec conſtet eſſe extortum. 5

Solùm videntur obſtare l. *Non dubium.* Cod. de Leg. l. *Juris Gentium.* §. *Si paciſcar.* ff. de Pact. Sed intelliguntur vel de Lege prohibente, non de irritante ſolùm in favorem; vel de jure publico, non privato: vel denique quòd actus non confirmetur quoad omnes effectus Juris Civilis, ſed ſolùm quoad neceſſarios ad plenam firmitatem Juramenti, ut Gl. reſpondet l. *Si quis pro eo.* ff. de Fidejuſſ. 6

Tertiò. Quoties in contractu non ſupponitur promiſſio ſaltem naturaliter obligans, Juramentum tantùm eſt per ſe ſtans. Negat Molin. Diſp. 151. jun. priore. Quia Juramentum naturâ ſuâ, & ex virtute 7

Religionis habet vim dandi jus Promiſſario, & conſequenter inducit obligationem ſpecialem & diſtinctam ab ea, quam inducit promiſſio. Sed nec probatur, nec intelligi poteſt hæc obligatio ſpecialis; aliàs in Juramento undique rato tres forent obligationes, contra S. Thom. & omnes. Dein dicta obligatio nec eſt Juſtitiæ, quia tantùm eſt ad Deum, nec Religionis; quia hæc non obligat homini.

Caſus tamen Juramenti per ſe ſtantis rarus eſt, ut in promiſſione jurata inſtituendi talem, non revocandi inſtitutionem &c. Nam Jura ordinariè ſolùm negant obligationem Civilem. Dein idem juramentum ſaltem ſecundùm quid, eſt confirmatorium, quia deeſt cauſa relaxandi; nec ratio patitur, ut cùm quis ſponte noluit frui beneficio legis, háncque voluntatem firmavit, citra aliam cauſam liberetur. 8

CAPUT XXX.

An præcedente Juramento non faciendi pactum Lege prohibitum, hoc firmetur per Juramentum?

1 Primò. Juramentum poſterius non eſt illicitum ratione materiæ. Nam contraria verſari debent circa idẽ: at prius juramentum eſt de non alienando, poſterius de non revocando: ergo contraria non ſunt; ſicut nec qui vovit & violat caſtitatem, non pœnitendo violat votum. Nec refert, perjurum in alienando reſiſtere & Legi & Juramento, quia hæc ſimul ſumpta, non faciunt non revocationem illicitam; ſicut etiam cùm alia ducitur contra ſponſalia jurata, tenet contra duplicem obligationem juramentam non recedendi. Aliud ergo eſt, juramentum eſſe iniquè factum, aliud obligare ad iniquum; ut ſiquis juravit non jurare, & jurat; non facere teſtamentum coram tot teſtibus, & hos vocat &c.

Secundò. Secùs eſt, ſi poſterius cedat in præjudicium tertii. Patet ex c. *Cùm contingat.* c. *Intellecto* de jurejur. c. *Quamvis.* de Pact. in 6. Nam tunc manifeſtè eſt de re iniqua. Imò ſufficit, præceſſiſſe promiſſionem acceptatam, quia jam juramentum eſſet de injuria facienda. Sin illa non præceſſit; vel juramentum fit intuitu pietatis, ut jurando non alienare fundum, propter ſubventionem pauperum, vel ſolùm ob commoditatem humanam, ut quia comodum eſt ſuſtentationi? Si 1um, obligatio eſt revocandi. Si 2dum, poteſt confirmari contractus (non tamen relaxando ſibi juramentum, juxta dicta aliàs) quia nec jus tertii impedit, nec ratio cauſæ piæ. 2

Tertiò. Similiter ſecùs eſt, ſi intercеſſit turpitudo ſcientis perjurium, 3

um & cooperantis petendo, acceptando &c. Nam licèt actus non ſit illicitus ex parte rei proximè juratæ; tamen dicta turpitudo ſufficit, ut contractus non confirmetur, ut tenet communis Juriſtarum. Si autem dolus ſolùm eſt in alienante; ergo Jura non ſubveniunt decipienti, ſed decepto: ergo contractus eſt firmus, juxta Covar. quamvis ipſe cum communi Juriſtarum non teneat conſequenter, poſterius Juramentum ſervari non poſſe citra diſpendium animæ.

4 Dices. Præjudicium fit Deo propter magnam irreverentiam in dicto perjurio incluſam: ergo contractus non confirmatur. 2. Prius Juramentum non tantùm fuit de non faciendo contractu quoad externam ſpeciem, ſed multò magis de non faciendo validè & in re: ergo de non retractando &c. Ad 1mum ℞. Sic quoad praxin magis faveri perjuro. Ad 2dum ℞. Oppoſitum eſſe verius, quamdiu de tali intentione non ſpecialiter conſtat.

CAPUT XXXI.

An obligatio Juramenti ſit merè Perſonalis, tam ex parte jurantis, quàm ex parte alterius?

1 Primò. Poteſt jurari per Procuratorem, loquendo ex natura rei; túncque obligatur Principalis, non Procurator. Ita omnes ex c. *Tibi Domino.* d. 63. c. *Optatum.* d. 100. c. *Metuentes.* 14. q. 4. c. *Unde.* §. *Verùm.* de ſtat. Reg. in 6. c. *In pertractandis.* de Juram. calum. c. ult. eod. in 6. l. *Qui boni.* §. *Si alieno.* ff. de damn. inf. & R. J. 68. in 6. Supponunt ergo Jura, in dicto modo concurrere omnia neceſſaria ad rationem Juramenti, ſicut quilibet contractus ſic fieri poteſt, ut patet in Matrimonio; nam parùm refert, an quis ſuâ an alienâ linguâ loquatur, an ſcribat tantùm, quia ſolùm variatur inſtrumentum, & Procurator ſolùm ſe habet ut narrans factum alterius, ſecùs ac œconomus. d. c. *In pertractandis.*

2 Secundò. Revocato mandato, ceſſat in principali obligatio juramenti. Vel enim intimata eſt revocatio Procuratori, vel non? Si 1mum, ergo Procurator jam non agit nomine alterius. Si 2dum, ergo ſicut non tenet Juramentum, ſi fit ore proprio, & deſit intentio jurandi, multò minùs ſi fit alieno: facítque c. ult. de Procur. in 6. Si tamen poſtea quis conſenſit, ex tunc facit actum ſuum. R. J. 9. & 10. in 6. Alterius ergo rationis eſt obligatio, quæ non factâ intimatione, perſtat juxta ordinem Judiciarium. Nam Legum eſt præſcribere formam, ut Judicii, ita etiam Juramenti, quouſque acceptetur, ut

ut ſtringat, poſtquam ſemel oblatum eſt.

3 Tertiò. Communitas poteſt jurare. Conſtat ex uſu & conſenſu omnium. c. *Dilecto*. de Præb. cum ſimilibus. Quamvis autem ſufficiat, majorem partem Collegii jurare; tamen ſingulis non poteſt verè & in conſcientia tribui obligatio propria & formalis Juramenti, niſi hoc à ſingulis præſtitum ſit, cùm obligatio ſit perſonalis, nec eſſe poſſit ſine conſenſu & intentione propriæ perſonæ, conſequenter veræ, non fictæ. Igitur ſi major pars juravit, etiam cæteri obligandi ſunt jurare, quia tenentur ſe conformare; & qui jurârunt, non poſſunt deinceps contradicere (nam ſaltem hac intentione juraſſe videntur) & ſi major pars accedit, impleta eſt conditio, ſub qua ſinguli ſe obligârunt. Quòdſi aliqui non jurant, obligatio tameneſt Juſtitiæ, Obedientiæ &c. aliàs nullum fœdus cum Capitulo firmum eſſe poſſet propter quotidianam mutationem; quod eſt magnum abſurdum in moralibus.

4 Quartò. Juramentum non tranſit ad ſucceſſorem jurantis. Nemo enim jurat niſi ſuâ voluntate: ergo nec obligatur, niſi alienum juramentum faciat ſuum conſentiendo. Ita S. Thom. & omnes. Notántque Abb. Felin. Bartol. Idémque eſt in aliis vinculis perſonalibus, ut voto, ſponſalibus, matrimonio. Unde omnes colligunt, hæredem ut talem, obligari tantùm ratione promiſſionis validæ, quæ Jus contulit; nec ſucceſſores in Communitate obligari, niſi denuo jurent; aut ſolùm in vi conſuetudinis, Legis &c. & ideo Hæres Feudi debet petere Inveſtituram &c.

5 Quintò. Juramentum tranſit ad ſucceſſores ejus cui juratur, niſi de contraria intentione conſtet. Ita c. *Veritatis*. de jurejur. l. *Si pactum*. 9. ff. de Probat. Licèt enim juramentum neminem obliget, niſi jurantem: poteſt tamen fieri pluribus perſonis diſtinctis, & obligare, utique intendendo illas, ut totum objectum; nam hæc intentio ſine dubio neceſſaria eſt, ſive declaretur verbis expreſſis, ſive ſumatur ex forma, modo ordinario, & circumſtantiis. Quia autem fit actus perſonæ non ratione ſui, ſed muneris, dominii &c. d. c. *Tibi Domino*. ideo cùm perſona deſinit eſſe Prælatus, etiam obligatio deſinit reſpectu ejus.

6 Renovatio tamen aliquando præcipitur, non ob neceſſitatem, ſed ob majorem reverentiam & memoriam Juramenti, conſequenter non niſi in caſibus expreſſis, c. *Longinquitate*. 12. q. 2. Similiter in certis caſibus non admittitur Procurator c. 2. & c. *Licèt*. de Teſtibus. c. *Si verò*. 2. de S. E. c. 2. de Hæret. utique propter pleniorem examinationem, & Partis ſatisfactionem. Idémque fit in juramento promiſſorio, ut in Vaſſallo propter ſignificationem reverentiæ & obedientiæ. d. §. *Verùm*, utique ſubintelligendo, ſi ille non ſit legitimè impeditus &c.

CAPUT

CAPUT XXXII.

Quomodo interpretandum ſit Juramentum quoad extenſionem obligationis?

1 Primò. Statur verbis, loquendo regulariter. Nam licèt ceſſet quæſtio in foro interno, ſiquis ſcit intentionem ſuam, quid & quouſque voluerit jurare: tamen cùm ſimpliciter & bona fide juratur, regulare eſt, neſciri intentionem aliam, quàm quæ verbis quadret, ſecundùm quæ ut ſonant, voluit jurare. c. *Humanæ aures.* 22. q. 5. Et ideo huc ferè omnes caſus, qui incidunt, referuntur.

2 Secundò. Juramentum judicandum eſt potiſſimùm juxta naturam actûs, cui adjungitur. Ita l. ult. Cod. de non. num. pecun. c. *Quemadmodum* de Jurejur. Nam intendit quis id jurare, quod promittit, & ſub iiſdem conditionibus, limitationibus &c. ſub quibus contrahit, ut in ſponſalibus, mutuo &c. c. *Veritatis.* c. *Verùm*, & c. *Ad noſtram.* 3. eod. ubi exempla notantur. Licèt enim juramentum quoad obligationem non ſequatur naturam actûs, cui adjungitur, ut patet in ſolutione uſuræ, ſequitur quoad ſenſum materiæ, quæ & quouſque juretur: & eatenus eſt quaſi acceſſorium ad promiſſionem promiſſionis vel aſſertionis.

Tertiò. Juramentum ſtrictè interpretandum eſt quoad obligationem, quantùm materia & verba pacti permittunt. Ita Abb. c. *Clericus.* eod. Nam generaliter, cùm agitur de obligatione, interpretatio ſtricta eſſe debet. c. *Ad audientiam.* 3. & c. pen. eod. c. 1. eod. in 6. & R. J. 15. in 6. l. *Quidquid.* §. un. ff. de V. O. éſtque per ſe veriſimile, jurantem voluiſſe obligari, quàm minimùm potuit. Exempla ſunt d. c. *Clericus.* & c. *Ex parte.* 2. de Cler. non reſid. Nec obſtat, favorem Religionis præferendum eſſe; nam favor in hoc eſt, ut veritas ſervetur, non ut multa jurentur: ſempérque regula intelligitur, ut cum priore concordans, *quantùm materia* &c. *permittit.* Denique favor eſt, quòd juramentum mitiùs intellectum ſervetur frequentiùs. 3

CAPUT XXXIII.

De obligatione Juramenti in Caſu dubio.

1 Primò. In dubio, an juraveris, ſiquidem dubium ſit negativum, ita ut non poſſit probabile judicium ferri, obligatio non eſt. Nam eo ipſo non proponitur obligatio ſufficienter, ut quis ſe poſſit habere pro obligato; ſicut ſi eo modo dubitet de Lege, præcepto &c. nec factâ diligentiâ poſſit ferre judicium, quod latum ſit: qua de re latiùs tom. 5. in 3. p. D. 4. ſ. 6.

2 Secundò. Idem eſt in dubio, an voces ſub ea ſignificatione quâ *Ju*ratoriæ ſunt, acceperis. Ita Cajet. Covar. Alciat &c. Nam in dubiis (utique ſi ex circumſtantiis perſonæ, temporis, loci &c. contrarium non ſumitur) mitior interpretatio eſt, cùm agitur de tam gravi obligatione, & ita fit c. pen. de Jurejur. Eſtque pars hæc tutiſſima & practicè certa, imò ſecundùm rationem tutior, quia majus periculum foret animarum, ſi tot vincula in caſibus dubiis injicerentur.

3 Tertiò. In dubio de intentione, præſumitur pro actu externo. Nam peccatum non præſumitur: ſicque clara eſt differentia inter hoc & priora dubia; non enim peccatum eſt, non juràſſe &c. Unde nec in caſu metûs præſumi debet fictio, niſi de ea conſtet; quia non debet quis contra ſe præſumere peccatum grave. Si verò dubitet de animo ſimulandi, fundamentum eſſe debet ſcientia modorum occultandi rem &c.

4 Quartò. In dubio de impleto *Ju*ramento, ſtat obligatio. Nam ubi debitum eſt certum, & ſolutio non probatur, debitor cogitur ſolvere; & in dubiis melior eſt conditio poſſidentis: ergo facere quis debet, quod in ſe eſt, ut tollat dubium, & ſaltem probabilem conſcientiam formet, quòd *Ju*ramentum impleverit.

Quintò. In dubio, an *Ju*ramentum ſit de re licita, recurrendum eſt ad Superiorem. Ita poſt S. Thom. Soto & alii habent, ut indubitatum. Vel enim ſenſus aliquis *Ju*ramenti eſt, qui ſit de materia habili, vel planè nullus, qui certus vel ſatis probabilis ſit, quòd liceat? Si 1mum, ergo ne *Ju*ramentum vanum ſit, exequendum eſt, ut valeat eo modo, quo poteſt. Si 2dum, conſtat impleri non poſſe cum periculo illiciti. Licèt autem in cauſa univerſali & arduâ recurratur ad Papam, c. *Majores.* de Baptiſ. tamen poteſtas ſuccurrendi in dicto dubio pertinet ad Regimen ordinarium, & ideo eſt penes Epiſcopum, arg. c. *Nuper* de S. E. 5

CAPUT XXXIV.

An omne Juramentum Promiſſorium conditionem includat, vel quomodo differant abſolutum & conditionatum?

1 Primò. In omni Juramento ſubintelliguntur conditiones aliquæ generales. Patet inductione harum, ut 1. Si potuero. 2. Si licitè potuero. 3. Niſi Prælatus aliud diſpoſuerit. 4. Niſi promiſſarius remittat &c. 5. Niſi res fuerint notabiliter mutatæ. c. *Nequis.* 22. q. 2. l. *Cùm quis.* ff. de

de ſolut. c. *Quemadmodum* c. *Petitio.* c. *Panem.* c. *Veritas.* de Jurejur. 6. Salvo jure Superioris, ſeu quaſi Dominio c. *Venientes.* c. *Ea tunc.* c. *Sicut tuis.* c. *Cùm contingat.* eod. c. 2. eod. in 6. nam etiam præjudicium tertii cujuſcunque vitandum eſt. Quòd ſi quis juret creditori, non diſcedere loco, prævalet jus Superioris, niſi ex licentia ejus tacitâ vel præſumptâ juratum ſit; ſecùs enim Jus creditoris.

2 Secundò. Similiter expendendæ ſunt conditiones particulares juxta materias diverſas. Nam in contractu reciproco ſubintelligitur, niſi ſit enormis læſio. Sic ſi duo mutuò jurent ſervare ſecretum, ceſſat obligatio unius, altero non ſervante; ſiquidem actus fiat per modum pacti reciproci: ſecùs autem peccatum unius non dat licentiam alteri, utpote qui abſolutè juravit. Ratio omnium eſt, quia Juramentum ſequitur naturam actûs. Quòd ſi expreſsè excluditur omnis conditio, rejicitur ſola illicita.

3 Tertiò. Juramentum abſolutum vel conditionatum eſt, prout contractus conditionatus vel abſolutus eſt. Abſolutum ergo eſt, ſi cadit in propoſitionem categoricam, ſeu abſolutam, ut *Faciam*; Conditionatum verò, ſi in hypotheticam. Nam in priore conditiones incluſæ potiùs quaſi præſupponuntur, quàm exiguntur: at in poſteriore quaſi exſpectatur conditio, & ideo obligatio ſuſpenſa eſt, donec impleatur conditio. c. un. §. un. de ſponſal. in 6. Abſolutum autem ſtatim obligat, ſi conditiones de præſenti ſubſiſtant; nec propter futuras ſuſpenditur, quamvis ſi eveniant, obligatio ceſſet. d. c. *Quemadmodum.* l. *Conditiones.* 98. ff. de Cond. & Demonſt. Ubi Gloſſa notat, abſolutum eſſe, quod non habet ſpecialem conditionem quaſi additam ex peculiari intentione operantis; & Conditionatum, ſi ſpecialis conditio additur. Expreſſio enim aliarum, quæ per ſe inſunt, non mutat diſpoſitionem. c. *Significâſti.* de Elect. l. 3. ff. de Legat. 1.

CAPUT XXXV.

Quando incipiat, & quamdiu duret obligatio Juramenti Promiſſorii?

1 Primò. Quodlibet Juramentum abſolutum, ſtatim ac fit, incipit obligare. Nam obligatio ſequitur neceſſariò, nec eſt quod illam ſuſpendat, ut in conditionato, quod niſi impletâ conditione, non obligat. c. *Super eo* de Condit. appoſ. Sequitur enim naturam actûs, & ut promiſſio ex tunc abſoluta ſit, ita & Juramentum.

2 Secundò. Juramentum obligat pro tempore, ad quod dirigitur intentio *Jurantis*: & ſi per hanc non determinatur ſpecialiter, conſulenda ſunt verba, niſi ex materia, & circumſtantiis limitentur. Nam licèt obligari non pendeat ab intentione, tamen applicatio *Juramenti* ad hoc vel illud tempus, pendet ab illa: ergo ſi expreſſa non eſt, definiri aliunde nequit, niſi verbis &c. Ut ſi *Juramentum* eſt negativum, obligat pro ſtatim ſive ſimpliciter, ſi ſtatim actus contrarius fieri poteſt, ut luſus, ingreſſus domûs &c. ſive primo tempore idoneo, ut non ſpectandi Taurilia &c. In affirmativo autem, ſi intentio nil expreſſit, opus erit prudenti arbitrio, conſideratâ materiâ, occaſione, circumſtantiis.

Tertiò. Actus implendus eſt, an-
3 tequam is cui juratur, petat, loquendo per ſe. Nam ſiquis jurat facere, dare &c. tali die, obligatio eſt abſoluta, ut patet in voto. Poteſt tamen addi, *quoties requiſitus fuero*, vel ſubintelligi ex ratione actûs promiſſi, ut mutuandi, reſpondendi. Ordinariè autem ſufficiet petitio ſimplex, ſi actus ſit certus, & pro definito tempore. Sin Juramentum generale eſt, ut obediendi, exprimi debet ſub pœna *Juramenti* &c. ut conſtat ex uſu, & in ſimili de voto obedientiæ. Conſulendus autem eſt uſus, & intelligentia communis, an dicta forma ponatur ſolùm ad terrorem, ut vult Driedo, an verò ad obligandum ſub mortali.

Quartò. Tempus, in quo & pro quo duret obligatio *Juramenti*, 4
eâdem proportione definiendum eſt, quâ dictum eſt de initio ejus. Nam Juramentum negativum obligat pro ſemper & perpetuò, juxta materiæ capacitatem, niſi per intentionem limitetur ad certum tempus, aut ex verbis & penſatis circumſtantiis, limitatio colligatur. Idémque applicandum eſt cum proportione ad Juramentum affirmativum; nam licèt hujus naturæ repugnet obligare pro ſemper: obligat tamen juxta capacitatem materiæ pro temporibus opportunis, vel deſignandis veriſimili conjecturâ ex occaſione & circumſtantiis.

Quintò. Quamvis obligatio ſive 5
perpetuò, ſive pro tali tempore, de ſe duret, tamen propter notabilem mutationem rerum ceſſat ipſo facto, & citra aliam relaxationem. Nam ſicut non inchoatur obligatio Juramenti, ſi deſit conditio ad inchoandum, ita nec durat, ſi deſit conditio ad durandum, ſive illa expreſſa ſit, ſive incluſa & generalis, ut eſt expreſſum c. *Quemadmodum*. de Jurejur. Quòd ſi dubium ſit, an ſit néne notabilis mutatio, aut incluſa conditio, utique opus eſt authoritate Superioris; nam ſæpe mutatio ſufficit ad juſtè relaxandam obligationem, quin ſufficiat, ut illa per ſe ceſſet.

CAPUT XXXVI.

An Juramentum Promiſſorium homini factum, in propria ſpecie implendum ſit?

1 Primò. Obligat dictum Juramentum ad propriam ſpeciem; nec ſufficit reddere æquivalens vel melius creditori invito. Ita communis ex c. *Ad noſtram*, 1. de Jurejur. Nam & promiſſio ſic obligat. §. 1. Inſt. Quib. mod. tol. oblig. l. 2. ff. ſi cert. pet. & nemo cogi poteſt ad ad commutandam rem ſuam: ergo nec rem debitam, nec jus ad illam. Juramentum autem ſequitur naturam actûs, & obligat ad verificandum dictum: ergo in foro interno & Canonico, ſi jures laborare in vinea, non ſufficit mittere alium, vel ſolvere intereſſe; quidquid juxta Bart. ſecùs ſit de *Jure* civili, l. *Stipulationes*. 1. ff. de V. O. l. *Siquis ab aliis*. ff. de Re judic. l. *Peculium*. §. 1. ff. de ſtatu liber.

2 Secundò. Commutatio etiam in minus fieri poteſt de conſenſu creditoris; & ſi cauſa ſubſit, authoritate Superioris. Conſtat ex conditione intrinſecè incluſâ in Juramento, juxta dicta ſuprà. Perſtat autem tunc (ſecluſâ expreſsâ remiſſione permutantium) obligatio Juramenti ad id, in quod fit commutatio, ut in voto. Nam aliàs fieret extinctio, non commutatio, contra vim vocis, & intentionem remittentis ſponſalia v. g. pro dote; quia fæmina non vult cedere juri ſuo, niſi cum effectu detur dos: ergo qui neutrum ſolvit, perjurus eſt, non impletâ conditione; & ſi defuit intentio implendi, remiſſio eſt nulla. Nam vel relinquitur prior obligatio, & ſolùm conceditur, ut per aliud ſatisfieri poſſit, vel illa abſolutè reſcinditur? Si 1mum, ergo ex abſoluta fit conditionalis, vel alternativa ex præciſa. Si 2dum, fit virtualis repetitio, ut in Voto.

Unde ad rem non eſt c. *Clericus*. 3
de *Jurejur.* quia hîc non agitur de extenſione ſeu applicatione ejuſdem Juramenti ad novam materiam, utique impoſſibili, ſed de repetitione ejus virtuali. Falsúmque eſt, quod vult Card. remitti Juramentum, termino per creditorem prorogato, aut in ſimili prorogatione ſententiæ, quâ ſtare jurârunt Partes. Nec enim remiſſio fit Juramenti quoad ſubſtantiam debiti, ſed qui non ſolvit in termino, adhuc tenetur: nec etiam compromiſſum, ſeu pactum novum fit in ſubſtantia, nec eſt ratio ſeparandi pactum à *Juramento*, nec impoſſibilitas continuandi utrumque; quia non fit extenſio ad novam materiam, ſed continuatio circa eandem: ergo prorogato principali, prorogari cenſetur etiam acceſſorium, quamdiu alia intentio non eſt evidenter expreſſa.

 CAPUT

CAPUT *XXXVII.*

An in Juramento implendo liceat uti compenſatione?

1 Primò. Quantùm ad forum internum, pendet res ab intentione jurantis. Nam ſi hæc fuit de ſolutione reali, excluditur eo ipſo compenſatio, ut veritas exigit. Nec tunc cauſa eſt relaxandi, niſi accedat turpitudo creditoris. Sin intentio fuit compenſandi, eo ipſo licet compenſatio juſta, cùm abſit & injuſtitia, & mendacium, utendo ſignificatione ſecundùm Jus. l. 4. §. *Solviſſe.* ff. de re jud. l. 1. cum aliis ff. & Cod. de Compens.

2 Secundò. Qui jurat dare pecuniam, nil cogitans de reali traditione vel compenſatione, poteſt tutâ conſcientiâ ſolvere per compenſationem, ſuppoſitis hujus conditionibus. Ita Sylv. Azor. Molin. Med. Bart. ex l. *si peculium.* l. 1. ff. de ſtat. lib. l. *Qui hæredi.* l. *Mævius.* ff. de Cond. & demonſt. Nam actus interpretandus eſt in ſenſu proprio, & commodo juranti, maximè quando eſt conſentaneus Juri, nec continet turpitudinem, nec ex circumſtantiis & materiâ colligitur alia intentio vel ſignificatio. Dein per ſolutionem intelligitur quælibet ſatisfactio ſufficiens ad tollendum debitum; vel certè ut ſubintelligitur conditio, *niſi remiſeris*, ita quælibet alia tollens debitum, ut c. *Ex parte* 2. de Cler. non reſid. in interpretando includitur compenſatio.

Dixi, *Suppoſitis &c.* Nam 1. debitum liquidum eſſe debet. l. ult. Cod. de Compens. Eſtque per ſe neceſſarium, ut ad Juſtitiæ æquitatem, ita ad veritatem. Unde ſi debitum non urget, ſolutio Juramenti differri nequit, quia alter cogi nequit ad anticipandum. l. *Quod in* ff. eod. 2. Opus eſt juſtâ cauſâ, ut ſi timetur jactura rei propriæ &c. Natura enim debiti eſt, ut ſimpliciter & purè ſolvatur, ut debetur proprio titulo & modo, niſi rationabilis cauſa urgeat ad compenſandum: at Juramentum ſequitur naturam actûs. 3. Res eſſe debent ejuſdem rationis, vel ſimpliciter vel ſecundùm moralem æſtimationem, ut res quæ functionem recipiunt, ſeu in numero, pondere, & menſurâ conſiſtunt. Nemo enim cogi poteſt, ut alienet equum, bovem &c. quem in propria ſpecie poſſidere poteſt: materialis autem diverſitas, ut pecuniæ, vel tritici &c. non attenditur, tanquam moraliter nulla: ergo comprehenditur ſub verbis Juramenti, non per commutationem, ſed ut res ejuſdem rationis moraliter.

Ter-

4 Tertiò. Etiam in Foro externo admittitur compenſatio debiti jurati, ſi conſtet non fuiſſe excluſam: secùs, ſi contrarium præſumatur, vel res dubia ſit. Sumitur ex d. c. *Ex parte.* & c. *Ad noſtram.* 1. de Jurejur. Nam ſi conſtitiſſet de ſorte receptâ, Excommunicatio utique juſta fuiſſet, & non tollenda. Idémque probat ratio naturalis Juſtitiæ, & quia nullibi prohibetur compenſatio, nec eſt contra veritatem Juramenti. In re autem dubia ſecùs eſt, juxta d. c. *Ad noſtram.* Quia nec conſtitit, de quo *gravamine* ageretur, nec erat liquidum; quantum perceptum eſſet de fructibus, nec priùs rationes dandæ erant, ne fortè alter contra Juramentum gravamen pateretur. Eccleſia autem in his, quæ pertinent ad bonum animæ, ſemper ſequitur tutiorem partem.

Unde etiam in caſu c. *Debitores.* 5 eod. locus non eſt compenſationi; nam apertè eſt contra formam & intentionem Juramenti, quo ſolutio injuſta ſeu donatio materialis exigitur & juratur. Nec refert, mutuantem aliunde eſſe Debitorem; nam mutuatarius nihil remittit per dictam ſolutionem, utique reſtituendam juxta textum, nec Juramentum fit niſi præcisè de materiali datione: quomodo ergo compenſatio fit per veram remiſſionem debiti?

CAPUT *XXX*VIII.

An Juramentum Promiſſorium irritari poſſit?

1 Primò. Per irritationem auferri poteſt vinculum dicti Juramenti ab habente poteſtatem in rem vel actionem juratam. Nec enim juramentum obligat in præjudicium tertii: ergo hic ſine alia ſpeciali cauſa poteſt obligationem ejus tollere, ſive reale ſit ſive perſonale ut patet in patre reſpectu actionis filii. Sic Papa irritare poteſt multa Juramenta circa materias & actiones, quæ per ſe ei ſubſunt, ne impediatur ejus libera poteſtas circa Beneficia, Officia &c. c. *Venientes* de Jurejur. Idem eſt de Epiſcopo, Rege, Domino, Marito &c. ſervatâ proportione: nam poteſtas Jurisdictionis requirit cauſam præcipiendi, quamvis non majorem, quàm ſecluſo Juramento; quia hoc non impedit eorum Jus.

Secundò. Juramentum Minoris 2 confirmans contractum, irritari nequit. Nam Lex poteſt tollere, & minuere poteſtatem Tutoris: huic autem reſiſtit Auth. *Sacramenta.* Cod. Si adv. vend. ergo ille nec Jus tertii auferre poteſt, nec ejus fundamentum Juramentum. Quòd ſi contractus, hoc non obſtante, nullus eſt; ergo ſolùm manet obli-

ligatio Religioſa. Unde termini diſtinguendi ſunt, ut *Juramentum* certò non obligare, obligationem eſſe dubiam à principio vel ſupervenientè mutatione, transferri ab una in aliam materiam, & denique obligationem de ſe durantem tolli ſine ulla ſolutione ejus. Hoc ultimum autem fit 1. Irritatione. 2. Condonatione ſeu remiſſione Creditoris. 3. Diſpenſatione. 4. Relaxatione. Prior enim propriè fit, ſi actus eſt per modum voti; poſterior, ſi juratus homini.

3 Tertiò. *Juramentum* Impuberis irritari poteſt. Nam tenet regula, quòd non ſit ſui *Juris*, ſed ſubſit Tutori quoad omnes obligationes. c. *Pueri.* 22. q. 5. Nec uſpiam contrarium diſponitur. Sanchez. l. 6. D. 38. objicit, tenere actum impuberis quoad obligationem naturalem. Sed oppoſitum valde probabile eſt, quod Tutor ſequi poteſt: ſatíſque eſt, actum eſſe irritabilem, cùm voluntas pupilli à Tutore pendeat: ergo indirectè irritari poteſt *Juramentum*, tollendo materiam ejus.

4 Quartò. *Juramentum* directè irritari non poteſt per humanam poteſtatem. Nam impediri nequit, quin ſit vera invocatio teſtimonii Divini: hanc autem naturaliter ſequitur obligatio, niſi per mutationem materiæ impediatur; secùs ac in voto, cujus ratio conſiſtit in voluntate obligandi ſe. Non autem neceſſe eſt ſemper prohiberi actionem vel obligationē, ſed ſufficit condonatio. Et *Trid.* ſ. 29. c. 16. de Regul. prohibet renuntiationem; ergo hac obligari velle, malum eſt; ergo & illicitum *Juramentum*. Unde licèt hoc directè irritari poſſet, non tamen per poteſtatem Civilem, nec etiam impediri obligatio ejus, utpote de re licita. At Lex Caſtellæ irritat contractum, ſi additur *Juramentum*. Sed an non indirectè diſponendo contra libertatem Eccleſiaſticam? Negant, dicendo, rem factam eſſe poſt diligentem inquiſitionem. Denique particula *nullius momenti* in d. Auth. ſolùm procedit quoad actionem in foro Civili, non in Conſcientia.

CAPUT XXXIX.

An Obligatio Juramenti Promiſſorii tollatur per condonationem Creditoris?

1 Primò. Conſtat tolli. Invito enim non fit beneficium vel ſervitium; nec intenditur ejus intruſio, cogendo ad recipiendum. Unde ſufficit condonatio tacita, quia æquivalens expreſſæ ut ſi pater inſtituat filiam, eſto renuntiârit. Nec refert, an promiſſio facta ſit an aſſertio tantùm, ut in uſuris,

ſuris; an per modum pacti, an per modum voti & intuitu pietatis, quia non eſt intenta coactio ad recipiendam eleemoſynam &c.

2 Vel ergo fit promiſſio homini, ut cui directè intenditur obligatio; vel ſolùm fit in honorem ejus, ſeu ad ei complacendum tantùm; vel Deo ſoli & principaliter promiſſio fit, intendendo tamen homini utilitatem actûs promiſſi? Si 1mum, penes promiſſarium conſtat eſſe poteſtatem remittendi, cùm talis conditio ſit intrinſeca promiſſioni, & ſi illa deficit, adhuc ſtet veritas conditionalis. Si 2dum, fidejuſſor, teſtis, vel movens ad promittendum, remittendum &c. remittere nil poteſt, ſed creditor vel quaſi talis. Si 3tium, includitur ut conditio voluntas ejus, cui utilitas intenditur: ſicut cùm quis jurat Petro dotare filiam ejus, & hæc reſpuit; promiſit enim Petro, ſed non promiſit dare Petro.

3 Secundò. Remiſſio peti poteſt ab eo, in cujus utilitatem juratum eſt. Nam nec eſt contra Juramentum, ut ſuppono ex forma, nec contra Juſtitiam aut Fidelitatem, quia abeſt vis, utique contraria intentioni Juramenti: ergo ſicut in aliis promiſſionibus licitè petitur remiſſio, ita etiam in præſenti, quia Juramentum ſequitur naturam actûs.

4 Tertiò. Sufficit remiſſio obligationis tantùm, ſi Juramentum fuit propriè promiſſorium. Nam ſi in principio non acceptatur obligatio, non tenet promiſſio, nec obligat: at Juramentutum virtute eſt de ſervanda fide promiſſionis, quam per ſe confirmat. Secùs ergo eſt, ubi promiſſio non fuit, aut non tenuit; nam tunc non eſt obligatio, quam alter remittat, ſed ſolius veritatis erga DEUM, nec ratio gratiæ petit, ut exigi poſſit, tanquam debita, ſed ſufficit alterum eſſe contentum.

Quartò. Si duo jurant per modum reciprocæ promiſſionis, & in mutuam utilitatem, tenet remiſſio mutua. Patet ex c. 2. de ſponſal. Nam ſi in ſimplici promiſſione intelligitur conditio, ſi alter velit, etiam in mutua intelligitur conditio, ſive de re temporali ſit, ſive de ſpirituali, ut dicendi Roſarium pro altero; quia licèt ſit cultus DEI, non tamen DEO promittitur, ſed homini, qui cedit. Secùs ergo eſt, ſi juratur intuitu Divini ſervitii tantùm, ſervandæ Juſtitiæ &c. nam DEUS ſolus tunc eſt creditor. Oportet autem ut actus non ſit conditionatus, ut Dabo eleemoſynam, ſi & tu dederis &c. Quia neuter tenetur abſolutè inchoare, ſi conditio eſt affirmativa; ſi autem negativa, ut non decipiendi invicem, uno vio- 5

lan-

lante, alter liberatur. c. *Pervenit.* 2. c. *Sicut.* 3. de Jurejur.

6 Similiter ſecùs eſt, ſi unus intendit præcipuè opus pietatis, & alter humanam utilitatem, ut ſi dives jurat ducere pauperem, licèt hæc remittat ſponſionem, tenetur, ſi hæc vellet. Nam Juramentum non tantùm confirmavit ſponſionem, ſed abſolutam deliberationem faciendi opus pium, ſicut ſi absque ſponſalibus ita juràſſet: ergo materia non ſubtrahitur per dictam remiſſionem ſolam, ſed nolente ſponsâ beneficium.

7 Quintò. Qui coëgit injuſtè ad jurandum, cogi poteſt ad remittendum. Ita c. 1. eod. Nam ut ab injuſtitiâ deſiſtat, cogi poteſt & ex Officio Judicis, & ad inſtantiam Partis, niſi oppoſitum juratum ſit. Idémque in materia Laica fieri poteſt à Judice Laico; quia ſicut cogere hic poteſt ad obſervantiam c. 2. eod. in 6. ita à fortiori ad remiſſionem Juramenti turpiter exacti. Nam licèt in dubio an valeat, cognoſcere non poſſit, cognoſcit tamen, an alter ſit nécne uſurarius, & conſequenter turpiter exegerit.

Sextò. Juramentum abſolutè factum in commodum proprium, remitti nequit. Nam vel eſt de re vana, vel honeſta? Si 1mum, nullum eſt. Si 2dum, obligat abſolutè citra conditionem, *ſi voluero*; quia hæc repugnat judicio Juramenti, & hoc omnino inutile reddit: ergo ſicut judicium & juſtitia, ita etiam veritas neceſſaria eſt, ſeu impletio. 8

CAPUT XL.

An in Juramentum Promiſſorium ſoli DEO factum cadat diſpenſatio?

1 Primo. Affirmativa eſt omnium. Nam quia dictum Juramentum pendet in futurum, materia ejus eſt mutabilis, meliùs conſiderabilis, vel remiſſibilis: ergo per remiſſionem debiti apud DEUM contracti, nihil fit contra jus naturæ. Poteſtas autem non tantùm penes Pontificem eſt, ſed etiam in Epiſcopo, eíque ordinaria, per ſe loquendo, utique demptis reſervatis, ſi votum adjungitur, ut caſtitatis &c. Ad valorem tamen requiritur juſta causa, ſeu ſufficiens juxta prudens Judicium, non tamen major, quàm in voto, quia quoad præſens parificantur votum & Juramentum.

Secun-

2 Secundò. Juramentum in materia reſervata diſpenſari nequit ab Epiſcopo. Ita Cajet. Soto. Arag. Valent. Tolet. Azor. Nam oppoſitum (licèt Navar. probabile cenſeat, multique Docti eum ſequantur) alienum eſt ab uſu Eccleſiæ, neque viſum vel auditum eſt de ullo Epiſcopo: at reſervatio ſolùm conſtat ex conſuetudine. Nec refert, hanc fortè occaſione votorum introductam eſſe, ſed ſufficit, eſſe abſolutam pro omnibus ſimilibus juramentis. Sicut enim Lex, ita conſuetudo attendit, quod ut plurimùm eſt, maximè in his, quæ in Foro externo non diſcernuntur, ut propriè & non propriè Promiſſorium; ſícque in Profeſſione utens verbo jurandi, non vovendi, cenſetur Religioſus.

Tertiò. Non comprehenduntur in Privilegio dicta Juramenta, ſub juramentis ſine præjudicio tertii relaxandis. Nam ſub generali clauſula non veniunt ſpecialia, eſto exceptio non exprimatur, ut in votis ſolet: quia quod in uno exprimatur, & non in altero, accidentarium eſt; vel etiam fit, quia pro eodem reputantur dicta Juramenta & vota, cùm materia eadem ſit, & per ſe graviſſima: ergo æquè reſervata in utroque. c. *Majores* de Bapt. 3

CAPUT XLI.

An & quomodo Juramentum homini factum, à Superiore relaxari poſſit?

1 Primò. Si invalidum eſt, non eget relaxatione, ſed contrairi poteſt propriâ authoritate, loquendo per ſe. Conſtat ex c. *Quantò*, c. *Si verò*. cum ſimilibus. de Jurejur. quia quod non inducit vinculum, ſolutione non eget. Solùm ergo poſci relaxatio poteſt ratione dubii de valore, vel ob ſcandalum vitandum.

2 Secundò. Juramentum utrinque licitum, & factum in confirmationem promiſſionis humanæ, regulariter relaxari nequit ſine conſenſu creditoris. Quamvis enim ob commune bonum fieri id poſſit, conſequenter in caſu rariſſimo: tamen creditor privari jure acquiſito nequit ſine cauſa juſta ipſum concernente, cùm utilitas jurantis non ſufficiat ad imponendum gravamen alteri. Atque hæc eſt differentia inter Promiſſorium factum Deo, & factū homini, quia in illo juſta cauſa eſt bonum animæ, vel quòd creditur Deo magis placere; in illo verò petitur cauſa ſufficiens ad pœnam vel gravamen imponendum.

Dices. Ergo ſecùs eſt, cùm non ſit rigoroſa promiſſio, ut ignoranti &c. ℟. In rigore ita eſſe, quia alter tunc creditor non eſt c. *Debitores*. eod. Tamen ubi deeſt turpitudo alterius, 3

terius, prudentiæ & charitatis eſt, ut non ſit facilis relaxatio. Nam hæc ordinariè odioſa eſt, & generans ſcandalum; ſicque probabiliſſimum eſt, Indulta reſtringi etiam ad præjudicium largè ſumptum pro gravi incommodo, licèt non injuſto, quod communi exiſtimatione reputatur præjudicium, & juxta Covar. in c. *Quamvis* p 2. §. 4. n. 15. confert actionem Canonicam.

4 Tertiò. Quando intervenit turpitudo creditoris, Juramentum relaxari poteſt in pœnam & odium ejus. Conſtat ex d. c. *Si verò*. c. *Verùm*. c. *Cùm contingat*. eod. c. 2. de Pact. in 6. Auth. *Sacramenta*. Cod. ſi adv. vend. Nam pœna & gravamen juſtum eſt, non ſolùm ubi per injuſtitiam læſus eſt jurans, ſed etiam cùm agitur præjudicium tertii, vel periculum boni communis, aliáve turpitudo, ut Hæreſis, Schiſma, &c. c. 2. de re jud. in 6. Idem eſt, cùm renuntiatur Macedoniano; nam fraus fieret parentibus & Legi; imò probabile eſt actum eſſe nullum, quatenus ſuppoſitâ Lege, malum eſt ſolvere mutuum, non quidem ſecundùm ſe, ſed ut fit ex obligatione.

5 Quartò. Ad relaxandum requiritur poteſtas circa materiam & perſonam jurantem, vel eum cui juratur. Si enim hic directè cogitur, requiritur & ſufficit poteſtas in eum, cùm pœna agatur. Quòdſi, utpote abſens, ſic cogi nequit, loco ejus remitti poteſt debitum, ſicut ex bonis ejus, ut Debitoris, ſatisfieri alteri poteſt. Si verò non ille, ſed jurans ſit ſubditus; ergo obligatio, quæ ſolùm reſpectû Dei eſt, remitti poteſt, ut contra uſurarium, præcipiendo etiam per indirectam irritationem, ne ſolvat; ſicque utendo jure defenſionis circa ſubditum. Unde conſtat dictam poteſtatem non ſolùm eſſe in Pontifice, ſed etiam ordinariam in Epiſcopo, juxta omnes. Nec enim ille narrando, quid facere ſoleat, denegat jurisdictionem, ſed inſtruit, quid ab aliis fieri poſſit juxta menſuram poteſtatis.

Quintò Licèt Laico non competat relaxatio Juramenti per modum diſpenſationis & abſolutionis; competit tamen per modum condonationis. Nam prior modus fit vice Dei; & ita nec Eccleſiaſticis intelligitur delegatus, niſi expreſſum ſit, concedi relaxationem Juramenti ſine præjudicio tertii: & ideo ſine dubio non ſufficit, exprimi vota, imò licèt cum addito, *jurata*. Sicut autem poſterior modus competit Laico privato, ita Laico ſuperiori ejus, quantùm ad publicam poteſtatem, etſi hæc ſit in Infideli. Nam cauſa Juramenti quantùm ad materiam, eſt mixti fori in multis; & ideo per dictam poteſtatem etiam contrarium præcipi poteſt. l. ult. ff. ad Munici. & irritari contractus, ut nullum jus conferat, dummodo in hoc nil fiat contra diſpoſitionem Canonum. 6

Sextò.

7 Sextò. Ad relaxandum ſufficit ex parte cauſæ turpitudo modi, licèt non ſit ex parte materiæ in creditore. Ut ſi hic per vim, dolum, aliámve injuriam extorſit Juramentum, jam ſufficit talis turpitudo. c. 1. de Jurejur. Licèt enim non fiat relaxatio ex parte materiæ, rectè fit per modum diſpenſationis liberando ſubditum ab onere ſpirituali periculoſo & injuſtè impoſito. Abb. in d. c. *Verùm.* Nec refert id non exprimi in d. c. *Debitores.* quia non omnia in ſingulis juribus inculcanda ſunt, præſertim declarativis tantùm Juris naturalis.

8 Septimò. Etiam poſt perjurium locus eſt relaxationi. Nam hæc nec eſt per ſe mala, nec ullibi prohibita, & poteſtas operatur, quod poteſt &c. ergo in foro interno ceſſat omne fundamentum dubitandi; licèt Juriſtæ oppoſitum velint propter c. *Quia fruſtra*, de uſur. quod ſolum allegant. Sed ad rem non eſt, nam in caſu textûs fuit clarus abuſus medii ad perſeverandum in peccato: regula autem non dicit, *Qui commiſit*, ſed *qui committit*: an ergo pœnitendo committitur quid in legem? & conſentiunt Abb. & Felin. ſi peccatum eſt ſine tractu ſucceſſivo. Sed eſto hunc habeat, obligatio non urget pro ſingulis momentis, nec peccatur in propoſito vel ſolvendi vel petendi remiſſionem; quia nec contra Juſtitiam eſt, nec contra Religionem, libertate dictæ petitionis incluſâ intrinſecè in Juramento, ut in voto, & ideò hoc relaxatur etiam violatori ſacrilego.

Unde valde probabile eſt, idem tenere in Foro externo. Licèt enim communis peritorum in arte, mereatur magnam fidem, tamen non deſunt Patroni ex illis, ut Anton. Alex. de Nævo. d. c. *Debitores*, nec aliis ſine fundamento aſſentiri cogimur contra urgentes rationes. At dicta relaxatio Forenſis nec eſt per ſe mala, nec prohibita in d. c. *Quia fruſtra.* nec alibi. Rurſus perjurium ſubditi non diminuit poteſtatem Superioris, nec tollit turpitudinem Creditoris, nec ipſo facto reddit indignum beneficio, quamdiu per legem vel ſententiam non taxatur indignitas; nec denique fomentum fit culpæ, cùm & in futurum caveatur, & præteritum aliter puniri poſſit. 9

Colligitur 1. valere relaxationem tacito perjurio: ſicut in voto valet, tacito ſacrilegio, quia impertinens eſt ad cauſam relaxandi. 2. Condonationem fieri poſſe à creditore. Nam propter alterius perjurium non amiſit jus diſponendi de rebus ſuis. 3. Creditorem ad eam condonationem compelli poſſe à Superiore d. c. 1. quod nihil diſtinguit: ergo nec nos ſine cauſa diſtinguere poſſumus, cùm perjurium alterius non dederit illi jus. 10

LIBER III.

De Perjurio, & aliis peccatis contrariis Juramento &c.

CAPUT I.

An detur præceptum affirmativum interdum obligans ad Juramentum?

1 Primò. Datur præceptum affirmativum conditionatum, quamvis in rigore reſolvatur in negativum, niſi obligatio ad exercitium aliunde ſupponatur. Nam DEUS non intendit obligare ad exercitium: ergo ſolùm conditionatè intelligitur Scriptura, cùm *laudat* jurantem; non utique quia jurat, ſed quia in vero Deo & fideliter jurat. Conditionalis autem nihil ponit in eſſe: ergo nec præceptum affirmativum conditionatum obligat abſolutè ad aliquid agendum, ſed in rigore eſt negativum. *Non pejerabis*, donec poſitâ conditione, conditionale fiat abſolutum.

2 Secundò. Obligatio abſoluta imponi poteſt per præceptum humanum, & interdum Lege naturali. Nam quælibet Reſpublica habet jus præcipiendi, quæ communi bono neceſſaria ſunt, vel valde utilia: at neceſſitas dictæ obligationis & poteſt eſſe regularis ac ordinaria in talibus opportunitatibus, & contingens pro occaſione nata: ergo imponi poteſt & per hominem, & per Statutum, ut conſtat uſu Eccleſiaſtico & Civili. Rurſus eſſe poteſt neceſſitas Juramenti ad ſubveniendum in gravi periculo conſtitutis; ſicque ligat jus naturæ.

3 Tertiò. Abſoluta obligatio ad jurandum, non eſt Religionis. Nam actus jurandi nunquam per ſe appetibilis eſt propter cultum DEI, ſed tantùm ut medium ad confirmandam veritatem: ergo tota ratio obligandi eſt neceſſitas ad finem diverſum à cultu Dei: ergo non propter hunc præcipitur, ut oratio, ſed propter veritatem cognoſcendam vel confirmandam: ergo Religio nunquam obligat ad exercitium; & ideo ejus omiſſio non ponitur à Summiſtis &c. inter peccata contra ſecundum præceptum, ſed reddit injuſtum, immiſericordem, inobedientem &c. non ſacrilegum aut irreligioſum.

CAPUT

CAPUT II.

De præcepto non pejerandi, & variis modis pejerandi.

1 Primò. Juratio cum defectu cujuscunque comitis, ſive veritatis ſive judicii &c. eſt contra præceptum naturale. Nec enim præceptum ſecundum Decalogi eſt cæremoniale; & ratio ipſa convincit, quemlibet eorum defectuûm eſſe contra Jus naturæ. Igitur Perjurium accipitur vel pro qualibet juratione malâ, ut c. 2. 22. q. 2. vel ſtrictè pro mendaci. Sap. 14. Prov. 30. Lev. 19. Zachar. 5. ſicque priori modo ſpeciem ſumit à perverſitate Juramenti abſtractè ſumpti, ut dicit defectum cujuſcunque circumſtantiæ debitæ Deo ſive ut Summæ Veritati, ſive ut Bonitati, & Majeſtati in jurando; conſtátque falſitatem abeſſe in Juramento otioſo, detractorio &c.

2 Secundò. Perjurium latè ſumptum diſtinguitur in vanum ſeu otioſum, injuſtum ſeu quomodocunque turpe, & in mendax. Probabile autem eſt, hæc tria non differre ſpecie, cùm privent eâdem honeſtate juramenti, quæ unica eſt; ſicut probabile eſt de intemperantia ratione quantitatis, qualitatis & modi. Oppoſitum tamen etiam dici poteſt; nam otioſum Majeſtati Dei, turpe Bonitati, mendax Veritati opponitur: quamquam in praxi nil referat, nam in gravitate diſtinguuntur infinitè.

3 Tertiò. Perjurium aliud eſt falſitatis, aliud infidelitatis. Prius fit in Aſſertorio; alterum in Promiſſorio; quamquam ad vitandam confuſionem vocum, prius dicatur perjurium, tanquam famoſius ſignificatum: alterum verò Juramentum iniquum. De ficto nihil addi neceſſe eſt; quia vel non eſt Juramentum; vel ut eſt, à prioribus non diſtinguitur. Unde idem eſt de Idololatrico, quia in re non eſt Juramentum; & ut eſt in conſcientia erronea, non ponit in numero, ſed ad ſingula ex dictis cum proportione reducitur.

CAPUT III.

An perjurium Aſſertorium ſit peccatum adeò grave, ut alia excedat?

1 Primò. Perjurium nullo caſu licere poteſt. Conſtat ex Matth. 5. Exod. 20. &c. uſu & ſenſu Eccleſiæ, & omnium Doctorum contra Hæreticos, quorum, ut refert Aug. eſt illud: *Jura, perjura, ſecretum prodere noli.* Idem conſtat ex natura præcepti negativi. *Non pejerabis.* & ex pro-

prohibitione mendacii &c. Conſtat etiam, ex genere ſuo eſſe mortale & valde grave, ut eſt de Fide. Nam eſt contra præceptum primæ tabulæ, & opponitur Religioni in re maximè pertinente ad cultum Dei, & directè evertit finem Juramenti: conſequenter maximè contrariatur charitati Dei & proximi; & ideo dicitur *Grande ſcelus*. c. ult. 22. q. 1. propter injuriam factam Deo &c.

2 Secundò. Peccata contra virtutes Theologicas ex genere ſuo graviora ſunt perjurio. Ita ſuprà dictum eſt de blasphemia. Nam malum conſiſtit in privatione boni: hæc autem tantò pejor eſt, quò majus eſt, quod deſtruit. Unde perjurium per ſe & vi objecti poſt blasphemiam & Idololatriam gravius eſt cæteris peccatis contra Religionem, ut fractione voti, Simoniâ &c. quia immediatiùs eſt contra Deum.

3 Comparando Perjurium cum homicidio, alii volunt eſſe gravius iſto; alii è converſo, quia homicidium Charitati, perjurium Latriæ opponitur. Sed prius membrum falſum eſt, loquendo cum proportione; nam homicidium proximè & formaliter opponitur Juſtitiæ humanæ, & hac mediante Charitati, ſicut perjurium mediante Religione. Et aliàs idem ſequeretur de adulterio, ſtupro, teſtimonio falſo &c. nec probat, quòd ſuſpecto de homicidio imponatur Juramentum; nam aliàs perjurium etiam majus eſſet Hæreſi &c. Satis ergo eſt, quod innocens veritatem ut poteſt, confirmet; reus verò timeat multiplicare peccata.

Tertiò. In ſimilibus comparationibus unum eſt certum, vel ſatis veriſimile; alterum tale, ut humano modo vix poſſit de illo Judiciũ ferri. Certum enim eſt, homicidium & perjurium habere ſe, ut excedens & exceſſum. Illud quidem, quia contra Juſtitiam maximum eſt, propter damnum externum maximum, & irreparabilitatem ejus. Hoc verò, quia eſt contra virtutem theologicis propinquiſſimam, & quantùm eſt de ſe, tollit certitudinem Divini Teſtimonii, & conſequenter primum fundamentum omnium fœderum. Tamen exceditur ab altero gravitate circumſtantiarum, quia difficiliùs committitur, & cum repugnantia naturæ ſenſibilis, & cum ſcandalo majore. 4

Quantùm ad pœnam coram Deo, quodnam iſtorum excedat; propter dictam gravitatem ex circumſtantiis, ſuſpicari poſſumus graviùs puniri homicidium. Idem enim ſentiri poteſt de inferioribus vitiis, ut adulterio, peccato contra naturam &c. nam majori affectu, conatu, & duratione committitur quàm perjurium, & cum pluribus circumſtantiis. 5

CAPUT

CAPUT IV.

An perjurium aſſertorium ſemper ſit mortale ex parte materiæ?

1 Primò. Affirmativa eſt certa. Nam culpa perjurii præcisè ſumitur ex hoc, quòd Deus adducatur in teſtem falſi: at ſi mendacium caderet in Deum, eo ipſo Deus deſineret eſſe prima Veritas: ergo perjurus eripit dictam prærogativam, tacitè proteſtando, Deum vel non omnia ſcire, vel non eſſe ſummum Bonum, ſed poſſe mentiri. Denique quodlibet perjurium de ſe evacuat Juramentum fine ſuo controverſias finiendi &c. Nec obſtat levitas materiæ, ſeu mendacii ſecundùm ſe ſumpti, quia dicta levitas facit veniale, quando minuit deordinationem formalem, ut in furto &c. cujus gravitas ſumitur ex nocumento: at hîc malitia per ſe ſumitur ex objecto, quòd ſit contra primam Veritatem.

2 Secundò. Quocunque fine, & in quacunque materia vel parte ejus dicatur mendacium, ſemper eſt eoipſo perjurium mortale. Nam falſum eſt, mendacium jocoſum non eſſe peccatum. cùm c. *Quod autem* 22. q. 2. ſolùm intelligatur, quando ex ipſo modo jocandi intelligi poteſt, non affirmari, quod dici videtur, ſed tantùm ad jocũ, proferri: at cùm additur juramentum, eoipſo ſignificatur abeſſe jocũ, imò tunc gravior fit contemptus Dei. Idẽ ergo eſt, ſi ut certum affirmatur, nam periculo quis ſe exponit falſitatis, & exercitè falſum dicit, ſcilicet ſe certò ſcire; utique intelligendo de re ſecundùm ſe, non de ſolo ſenſu jurantis. Idémque eſt, ſi ridiculè jures veritatem ſpeculativam, ut in ſe eſt; nam periculum manifeſtum eſt falſitatis: at ſi ſolùm tuum ſenſum juras, defectus eſt judicii.

CAPUT. V.

An Aſſertorium incautum quoad veritatem ſemper habeat malitiam perjurii?

1 Primò. Qui jurat, putans falſum utut per craſſam ignorantiam, ſemper committit perjurium mortale. Nam jurat mendacium, ſeu contra mentem. Unde ſi putet eſſe verum, & cum probabili exiſtimatione, non eſt perjurus; quia veritas non tam ex re quàm mente loquentis ſumitur, ſeu (quod in idem recidit) actus voluntatis non ſpecificatur ab obje-

objecto, ut in re eſt, ſed ut apprehenſo.

2 Secundò. Aſſertorium propriè incautum, non per defectum merè naturalem, ſed moralem, ſemper eſt perjurium, leve vel grave pro ratione negligentiæ advertendi ad periculum falſi. Nam ſi probabilitas deeſt; ergo temerè juratur: ergo indirectè & interpretativè etiam falſum, quia per voluntarium in causâ reducitur actus in naturam ſuæ formæ, & moraliter conſtituitur in illa ſpecie malitiæ, in qua conſtitueretur, ſi cognitio & directa intentio intercederet. Hinc ejuſdem malitiæ eſt fornicari & in periculo fornicationis ſe conſtituere: idémque univerſim eſt in omnibus vitiis de eventu & periculo; nam ſolùm differunt ut perfectum & imperfectum, voluntarium in ſe & in cauſa. Quando autem inadvertentia excuſet à gravi, prudenti arbitrio definiendum erit.

CAPUT VI.

An conſuetudo jurandi incautè, conſtituat hominem in ſtatu peccati?

1 Primò, Conſuetudo jurandi, ſed nonniſi cum ſufficienti evitatione falſi, nec eſt peccatum grave, nec collectio mortalium, nec conſtituit in ſtatu peccandi. Nam nec directè nec interpretativè arguitur quis inde perjurii, nec frequentia conſtituit illum in periculo peccandi, ſive quia non ſolet mentiri, ſive non jurando ſaltem. Falſitas autem materialis eſt quid caſuale & naturale, nec propter illam obligatio eſt ſub mortali, quia abeſt periculum peccati mortalis. Igitur d. frequentia nec accuſat nec excuſat, quantùm ad præſens, ſed ſinguli actus ſecundùm ſe attendendi ſunt, an fuerit nécne diligentia ſufficiens.

2 Secundò Conſuetudo jurandi indiſcriminatim, etiam falſum cum advertentia, eſt aggregatum graviſſimum peccatorum mortalium: & quamdiu eſt voluntaria conſtituit in ſtatu peccati. Nam ferè omnia Juramenta ſunt perjuria, vel ratione falſitatis vel ratione periculi, cùm ſic jurans parùm curet de debita diligentia. Dixi, *ferè:* nam ſolus habitus & promptitudo peccandi non ſufficit ad peccatum, quod eſt *dictum*, *factum &c.* ſine propoſito: & tunc tantùm eſt peccatum mentale, non perjurium externum.

3 Tertiò. Idem eſt de conſuetudine incauta, quamvis non ſit cum formali intentione pejerandi &c. Nam conſtat de periculo perjurii &c. in ſingulis negligentiis: ipſéque ſtatus, quamdiu voluntarius eſt, conſti-

conſtituit in periculo proximo (ſecùs, ac eſt in jurante ſolùm inutiliter) ſicque voluntariè illum retinere, eſt mortale. Licèt autem poſt propoſitum efficax, adhuc duret periculum, tamen nec voluntarium ſeu morale eſt, nec æquale; quia dictum propoſitum multùm juvare poteſt contra conſuetudinem. At etiam fomes tantùm naturale periculum eſt, & tamen tenetur homo contra illud ſe armare oratione, & propoſito reſiſtendi; aliàs ſi negligit, conſtituitur in ſtatu peccati vel mortalis, vel venialis pro ratione negligentiæ.

CAPUT VII.

An perjurium cum naturali inadvertentia prolatum, ſit mortale ob conſuetudinem?

1 Primò. Si inadvertentia eſt naturalis & invincibilis, perjurium nequit eſſe mortale vi conſuetudinis. Nam hæc non facit actum magis voluntarium, quia nec directè & formaliter, nec indirectè. Non prius, quia homo nec magis advertit, nec advertere vult. Non poſterius, quia non fit magis potens ad advertendum; & æquè deeſt medium vel excitans, quo ſe applicet; ergo ſi conſuetudo tollit uſum rationis, ut ebrietas, ſomnus &c. evidens eſt, non fieri novum peccatum diſtinctum ſine nova & propria libertate. Sic enim ignorantia involuntaria, & eatenus antecedens ſimiliter excuſat; eſto ratione habitualis affectûs ſit concomitans. Nam conditionalis, *ſi adverteret, peccaret*, impertinens eſt, ut patet ex doctrina Aug contra Semipelag. quia Deus hæc non imputat.

Secundò. Affectus pejerandi virtute continetur in conſuetudine, quando hæc incipit conſummari in ſtatu peccati, ſeu illo gradu, in quo jam conſtituit in morali periculo. Nam ex tunc inſurgit ſpecialis gravitas ex effectibus virtute volitis, ſive ſequantur ſive non: & maximè, quando poſt ſic firmatam conſuetudinem effectus ipſi temerè fiunt *Talis* enim *homo*, ut ait Chryſoſt. *volens & invitus, ſciens & neſciens ſeriò & joco loquens pejerat*; idque experimento cognoſcit, & tamen ſciens adit periculum effectuûm, quos tunc prævidere poteſt & debet. 2

Tertiò. Habitus facit, ut quis citiùs deliberet. Ita notat Scot. & patet in habituatis ad actus miſericordiæ, charitatis &c. Nam viſo paupere, audito Dei nomine &c. moventur: idémque eſt in aſſuetis furto & ſimilibus. Tamen di- 3

ſtinguendæ ſunt perſonæ, nam in tardis & ruſticis præcipitatur mens: at in diſcretis, & ingenio ac judicio præſtantibus faciliùs prævenit intellectus.

CAPUT VIII.

Inferuntur Corollaria ex præcedente Doctrina.

1 Primò. Quoties peccatur per incautam jurationem circa veritatem & falſitatem dicti, vel juramentum ipſum; æquè peccatur, ſive verum ſit ſive non, quod juratur. Nam tota ratio peccati conſiſtit in periculo volito: nec propter effectum fortuitum augetur, nec minuitur culpa, ut patet in ebrio. Vel ergo adeſt deliberatio, vel non, ut in aſſueto jurandi verum? Si 1mum, Juramentum non eſt incautum, vero ſtatim perſpecto. Si 2dum, peccatur, non propter periculum mentiendi formaliter, ſed falſitatis in re, ſiquidem actus incautus ſit.

2 Secundò. Quantùm ad Confeſſionem, dici debent Juramenta facta vel cum advertentia falſi aut periculi, vel ſine conſideratione ex magna negligentia. Licèt autem quoad præcipitata ſine morali advertentia, conveniat moraliter ad curationem animæ, explicare modum frequentiæ; tamen Confeſſorem non oportet eſſe ſollicitum, quia nova peccata non ſunt, ſed in cauſa tantùm: & ideo ſufficit aperire modum & tempus conſuetudinis, & quoties peccârit novâ advertentiâ, & quaſi repetitâ voluntate permanendi. Denique nec reſervatio fit talium, nec etiam Cenſura ferri ſolet, niſi ob perjurium formaliter mendax.

Tertiò. Quantùm ad diſpoſitionem pœnitentis, conſtat neceſſarium eſſe propoſitum tollendi conſuetudinem. Patet ex periculo incluſo propter ſtatum peccati, de quo ſuprà. Tamen difficultas eſt etiam generalis ad alias conſuetudines; nam tranſeunt quodammodo in naturam, ſicque periculum eſt quaſi intrinſecum & naturale; maximè quando non pendet ex occaſione extrinſecâ, ſed quaſi innatâ fragilitate. 3

Primùm ergo omnium ſupponendum eſt propoſitum abſolutum & de ſe efficax emendandi conſuetudinem: & de hoc credendum eſt pœnitenti, non obſtante inconſtantiâ. Nam ut in malum, ita in bonum mutari poteſt: & ipſe eſt accuſator ſui &c. 2. Tollendæ ſunt occaſiones morales; nam ſi proximæ ſunt, & auferri poſſunt, diſpoſitio non ſufficit. 3 Adhibenda ſunt alia remedia convenientia, quæ alter tenetur acceptare, ut eſt frequens Confeſſio, eleemoſyna, bre- 4

vis

vis Oratio pro ſingulis lapſibus. 4. Interdum utile eſt differri abſolutionem, ſicque cogere ad vigilandum attentiùs &c. Nec tamen in his ſcrupuloſè procedendum eſt, ſed factâ morali diligentiâ, illa cum propoſito cenſeri debet ſufficiens: quia neceſſarium non eſt, ut Confeſſor judicet, eum non peccaturum; ſed ſatis eſt, quòd judicet habere propoſitum non pejerandi, & facere, quod moraliter poteſt, ut ſit efficax. Nec hujuſmodi infirmitates ab homine efficaciùs curari poſſunt.

CAPUT IX.

An Aſſertorium cum amphibologia factum, ſit perjurium &c.?

1 Primò. Non eſt intrinſecè malum uti amphibologiâ, etiam jurando. Eſt certa & communis. Non enim ſemper eſt mendacium, ut latè Aug. contra Mendac. à cap. 10. afferens exempla Sanctorum, eáque defendens ex multiplici ſignificatione verborum vel rerum. Mendacium enim eſt dictum contra mentem, utique loquentis: hic autem non ſemper tenetur conformare dictum menti alterius, ſed ſuæ. Nec obſtat c. *Quacunque.* 22. q. 5. quia intelligitur de intellectu debito audientis, non quem ipſe ineptè ex inſcitia vel iniquitate concipit.

Secundò. Quoties verba ſecundùm ſenſum aliquem proprium, vel ſecundùm aliquam legitimam interpretationē intentum proferuntur ex cauſa honeſta; nec perjurium committitur, nec ullum peccatum. Patet exemplis, ut cùm ſubterfugitur obligatio illegitima Judicis; vel negatur merx, ſi Gabella eſt injuſta; vel mutuum, quod jam ſolutum eſt; vel contractus, cui defuit intentio. Adde exemplum S. Franciſci negantis hâc transiiſſe &c. Gl. c. *Neque* 22. q. 2. Locutio enim in rigore vera eſt, & deceptio tantùm paſſiva, quæ permittitur, ſicut occaſio peccandi accepta ab altero. 2

CAPUT X.

An liceat jurare cum amphibologia, ſolâ mente conceptâ?

1 Primò. Licita eſſe poteſt reſtrictio talis, ſi ſit proportionata materiæ, de qua agitur. Sumitur exemplo Chriſti Mar. 13. Jo. 7. & tenet Sylv. Ang. Tab. Arm. Et fatetur Soto, in interrogatione Judicis ipſo Jure excipi occul-

occulta, & ideo ſubintelligi *publicè* cùm reſpondetur *non feci &c.* idémque fatetur Adr. Cajet. Tolet. Unde rudis debet intendere ſenſum, qui veritatem contineat; aliàs ſi neſcit juſtitiam amphibologiæ &c. peccat, niſi ſimpliciter loquatur.

2 Secundò. Uſus amphibologiæ per ſe licitus non eſt, ſed ſolùm quando eſt cauſa *juſta*. Nam oppoſitum eſt contra Simplicitatem per ſe neceſſariam Societati humanæ. Sic dicere vel ſcribere, *Chriſtus non eſt mortuus;* ſubintelligendo, *ut Deus*, eſt dicere vel ſcribere propoſitionem hæreticam. Denique aliàs nullus ſermo erit certus, ſed quilibet quod vult, loquetur; quod eſt contra omnem fidem humanam & Societatem.

CAPUT XI.

Quale peccatum ſit uti amphibologiâ præſertim mentali, ſine rationabili cauſa?

1 Primò. Mendacium non eſt uti amphibologiâ, quando verba habent ambiguam ſignificationem, ſive per ſe, ſive propter occurrentes circumſtantias, quibus conjuncta & interrogationi in debito ſenſu accommodata, verum aliquem ſenſum recipiunt. Nam aliud eſt occultare veritatem, aliud falſum dicere. c. *Humanæ*, 22. q. 5. Et licèt quis teneatur in uno ſenſu verba proferre, hæc tamen non amittunt alterum: ergo in vero ſenſu proferri poſſunt citra mendacium. Addito autem Juramento, ſi deeſt juſta neceſſitas ſic loquendi ſubdolè & aſtutè (aſtutiam enim vocat S. Thom. 2.2. q. 55. a. 3. & 5. ad 2.) clara erit irreligioſitas, quia deeſt Judicium, vel etiam Juſtitia propter injuſtitiam erga proximum, quæ ſæpe adjungitur.

Secundò. Si ſenſus verborum ſuppletur merè internè & voluntariè, non excuſatur proprium mendacium & perjurium. Nam locutio eſt contra virtutem Veritatis juxta Ariſt. 4. Eth. c. 7. S. Tho. 2.2. q 109. a. 1. Nec propter bonum finem deſinit eſſe mendacium c. 1. c. *Cùm humilitatis* : cum ſequentibus. 22. q. 2.

CAPUT XII.

An Aſſertorium, cui Judicium vel Juſtitia deeſt, ſit mortale?

1 Primò. Si adſit veritas ſufficienter conſiderata & cognita, ſolúmque deſit utilitas, nunquam in individuo mortale eſt, ſi abſit contemptus. Eſt communis omnium Theologorum & Summiſtarum. Nam per talem

invo-

invocationem non agitur contra aliquod Dei donum, ita ut macula in eo ponatur, quantùm eſt ex parte jurantis. Nec obſtat, injuriam fieri ſic regẽ &c. evocando ad rem levẽ; nam ſolùm ſequitur committi irreverentiam ſuperioris ordinis erga Deum, qui tamen non adducitur ut homo; & orando ſine attentione, etiam agitur contra Majeſtatem Dei, non tamen quaſi deſtruendo illã, ut in perjurio. Non ergo fit contemptus formalis, de quo ſonat exceptio concluſionis, ſed mate ialis tantùm.

2 Secundò. Si deeſt tantùm juſtitia, quatenus contra Religionem eſt, regulariter eſt veniale, quamvis ex circumſtantiis mortale eſſe poſſit. Narratio enim talis de ſe poteſt eſſe ſine culpa, vel otioſitatis tantùm, ſi deſit utilitas; ſicque cùm dicitur, Juramentum *vanum* eſſe ex genere ſuo mortale, intelligitur de vano genericè ſumpto, non ut determinato ad meram otioſitatem. Licèt autem narratio ſit mortalis propter infamationem, complacentiam in malo &c. Juramentum per ſe non cadit in illam ut malam, ſed ut veram, niſi aſſumatur, ut inſtrumentum malitiæ v. g. ad augendam probabilitatem aſſerti: tunc enim gravis injuria Deo fit, abutendo ejus nomine ad graviter nocendum proximo.

CAPUT XIII.

An peccatum ſit inducere ad jurandum, quando alter per falſos Deos juraturus eſt?

1 Primò. Non licèt directè inducere ad ſic jurandum. Nam eſſet directè alterum tentare; ſicut qui petit vel conſulit malum, tentator eſt & cauſa mali: qui autem cauſa peccati eſt, malè agit. Denique non licet ab aliquo petere, quod alter licitè præſtare nequit, ut dictum eſt in caſu Malefici. Nec de his diſſenſio eſſe poteſt, niſi ſolùm in modo loquendi, ut infrà dicetur.

2 Secundò. Per ſe peccatum non eſt petere Juramentum ab Idololatra, ſed ut ſine peccato fiat, debet intercedere neceſſitas vel moralis utilitas. Ita Aug. ep. 154. & cum S. Thom. Theologi & Summiſtæ omnes. Nam talis petit rem licitam; ergo ei non debet imputari malitia alterius, magìs quàm in caſu uſurarii, malefici. Secluſâ autem neceſſitate, datur ſcandalum ſeu occaſio peccati; quod intrinſecè malum eſt quia contra Charitatem, & DEI reverentiam. Nec refert, alterum paratum eſſe ad ſic blaſphemandum, quia ſatis eſt, quòd ſine hac occaſione non multiplicaret peccata.

Requiritur ergo, ut alter ſaltem in confuſo ſciat verum Deum; aliàs petitur quidem res poſſibilis in ſe, ſed non alteri hîc & nunc, juxta dicta ſuprà de Malefico. Sícque Gentiles ſemper peccant tam petendo, quàm exhibendo Juramentũ, quia determinatè id petunt vel exhibent per Idolum, Supponitur autem cognitio veri Dei, tanquam per ſe ſfacilis volenti; & in aliquo caſu neceſſaria eſſe poterit petitio jurandi per verum Deum. Et ſi poſtea alter neget, ſe jurare poſſe niſi per Idolum; viâ bonâ jam oſtensâ, non fit cooperatio acceptando, quia ſufficit me uti Jure meo, & ex cauſa.

Dices. Idem eſſe tacitum & expreſſum; ergo cùm ſciatur alterum eſſe juraturum per Idolum, tacitè id petitur: ergo & expreſsè peti poteſt. R. cavendam eſſe nimiam licentiam, & occaſionem ſcandali, quæ ex ſolis verbis inordinatè prolatis naſci ſolet. Nam aliud eſt, verba dici per modum inductionis; aliud per modum permiſſionis ſeu acceptationis, & conſequenter hanc conteſtari, ut in uſuris. Quamquam nec neceſſitas moralis ſit, nec ſimilitudo quoad præſens: non neceſſitas, quia ſufficit dicere: *Jura.* Non ſimilitudo, quia abeſt periculum approbandi uſuram: præſens autem materia pertinet ad Dei cultum, Confeſſionem Fidei &c. quibus derogandum non eſt.

CAPUT XIV.

An ſemper ſit peccatum, petere Juramentum ab eo qui pejeraturus eſt?

1 Primò. Non licet inducere ad jurandum modo indebito. Nam intelligitur inductio, quæ directè fit ad exigendum Juramentum tali modo: ergo erit gravis vel levis pro ratione dicti modi prohibiti, & per ſe loquendo. Si enim fit ex contemptu, intentione mortali, prævidendo nocumentum grave &c. mortale erit, maximè ſi Pater, Superior &c. ſic inducat ad conſuetudinem jurandi, ex officio obligatus ad inſtruendum, corrigendum &c.

Sic ſemper peccatur, petendo Juramentum ſine neceſſitate. Sola enim petitio hanc non inducit, niſi honeſtam cauſam ſupponat, cùm poſſit & debeat negari. Jdem eſt, ſi ſine cauſa quis deneget fidem, & ſic cogat ad jurandũ, quia licèt actus, ut eſt à jurante, vanus non ſit, vanus eſt, ut eſt à cauſa altera; nec enim minus 2

ma-

malum eſt inducere ſine cauſa in talem neceſſitatem, quàm ſine hac jurare. Similiter ſemper peccatum eſt, petere Juramentum, quod ſine injuſtitia fieri nequit. Unde mortalis eſt petitio, ſi Juramentum fieri nequit ſine perjurio aut periculo ejûs; imò inducens graviùs peccat, quia contra Religionem, & Charitatem proximi &c.

3 Secundò. Poteſt peti Juramentum, quando neſcitur vel dubitatur, an alter non ſit pejeraturus. Scrupulus enim, quem aliqui injiciunt, eſt contra Aug. S. Thom. communem uſum, & ſenſum omnium. Nam eoipſo, quòd neſcio peccaturum, poſſum & debeo præſumere, rectè acturum; aliàs vix poſſent peti Juramenta, loquendo ordinariè. Controverſia ſolùm eſt, an petitio liceat, ſi moraliter ſcitur vel præſumitur perjurium? nam Communis negat licere, propter Auguſt. c. *Ille qui.* c. *Qui exigit.* 22. q. 5.

4 Tertiò. Intrinſecè malum non eſt, in dicto caſu petere Juramentum. Nam urgent exempla de Uſurario, Idololatrâ Dein Judex poteſt & debet uti malo alterius ad bonum ſatisfaciendi muneri, reipublicæ, Parti petenti, non obſtante ſcientiâ privatâ, quia aliàs multò majora mala ſequerentur. Unde & actor rectè proſequitur *Jus* ſuum, quia expedit, ne debitores pejerando lucrentur, ut contra ſe inſtari nequeat; quod eſſet maximum abſurdum, ſempérque ſpes aliqua eſt, metui fore perjurium. Denique etiam in Aſſertorio juvat habere vel veritatem, vel occaſionem convincendi perjurum: ſicque ex pœna Jus conſequendi.

Duo tamen, ut dicta petitio liceat, neceſſaria ſunt. Alterum, ne determinata ſit, ſed indeterminata, *Jura an ſolveris, nécne.* aliàs petens eſſet directa cauſa perjurii. c. 1. 22. q. 5. Alterum, ut ſubſit cauſa, & Jus, quo quis uti poſſit Nam aliàs datur alteri occaſio lapsûs gravis contra Religionem, & Charitatem. Differentia etiam eſt inter præſens & caſum Idololatræ; nam hujus actus per ſe facit ad confirmandam veritatem. Sic etiam Judex per ſe habet cauſam petendi ratione officii, ſecùs ac privatus; quamvis & ille, ſi ſalvo officio poſſit, teneatur vitare perjurium. Unde etiam promiſſorium non facilè exigi debet à fragili, c. *Clericos.* de cohab. Cler. idémque inculcatur Confeſſoribus. Rectè autem petitur, ubi agitur bonum commune, ut in fœderibus pacis &c. ſemper tamen in omnibus prudenter ſervando regulam Charitatis, & Juſtitiæ. Tandem ſolus Superior petere actum poteſt coactivè; privatus autem per ſimplicem tantùm inductionem, ſeu petitionem, utique ſi actus licet &c. 5

CAPUT

CAPUT XV.

An violare Promiſſorium quoad Veritatem, ſit mortale ex genere ſuo?

1 Primò. Si deſit Veritas de præſenti, ſemper eſt mortale. Ut ſi deſit intentio exequendi, mendacium eſt: ergo perjurium mortale, juxta dicta de Aſſertorio.

2 Secundò. Non ſemper eſt novum peccatum, non implere Promiſſorium. Conſtat in impoſſibilitate facti vel juris; nam tunc eſt falſitas neceſſitatis, non voluntatis, imò poteſt licitè non impleri, propter defectum conditionis incluſæ. Si autem vanus fuit actus, vanitas eſt in Aſſertorio quà tali, conſequenter cavenda, propter præceptum negativum, *Non aſſumes* &c. neceſſitas enim implendi eſt ex affirmativo, *Reddes Domino*, utique *ſi placet.*

Tertiò. Conſtat, non implere Promiſſorium tunc quando obligat, eſſe mortale ex genere ſuo. Nam eſt de Fide. 3

CAPUT XVI.

An violare Promiſſorium ut tale, poſſit eſſe veniale ex levitate materiæ?

1 Primò. Formaliter loquendo, non eſt conſtituenda differentia inter materiam totalem & partialem, ut Cajet. vult. Nam ſi DEUS per Promiſſorium ut tale, adducitur in teſtem, ut prætenditur; perinde in hoc repugnatur ejus Veritati, ac in Aſſertorio: at in iſto nunquam cogitata eſt differentia, an materia totalis ſit falſa, an partialis, cùm ſicut in uno, ita in altero repugnet Deo mentiri: & in Promiſſorio, ſi defuit intentio recitandi vel unicum Ave Maria, jam eſt perjurium mortale. Dixi, *Formaliter loquendo*; nam cauſæ extrinſecæ, ut quòd creditor contentus ſit accipiendo 99. quòd promiſſio intellecta ſit moraliter &c. ad rem non ſunt, quia ſuppoſitâ remiſſione, vel intentionis limitatione neç veniale eſt omittere quid.

Secundò. Secluſo contemptu formali, non eſt mortale, non implere Promiſſorium in materia levi. Nam promittere ſine intentione implendi, eſt mentiri: at intentionem mutare, eſt infidelem eſſe. S. Thom. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5. ergo licèt propoſitio de futuro falſa ſit, non tamen ex intentione loquentis, ſed quaſi materialiter, imò non fit, ſed jam fuit à principio vera vel falſa. 2

Qui

Qui autem eſt cauſa falſitatis, infideliter agit, & à veritatis perfectione aliquo modo deviat, non tamen formaliter mentitur: quod intrinſecè malum eſt, non tamen mutatio animi.

3 Tertiò. In Promiſſorio, ut tali, Deus non adducitur, ut teſtis, ſed ut Fidejuſſor. Nam teſtimonium propriè non fertur, niſi de veritate præſenti vel præteritâ; ut autem ad futura contingentia applicatur, ſolùm eſt, ut vel conſtet de pacto præſenti, vel ut det authoritatem obligationi per modum Fidejuſſoris: ergo ſimiliter Deus invocatur propter Authoritatem afferendam, non propter teſtimonium. Nec obſtat metaphora; nam etiam Rex non aſſiſtit ſponſalibus v. g. ut Fidejuſſor propriè, nec etiam ut teſtis futuræ executionis, ſed qualificando obligationem, quatenus in ſe, & velut pro reverentia ſibi debitâ talem conventionem aſſumit, fitque ei injuria per fractionem pacti. Pertinet enim ad reverentiam perſonæ, ut promiſſio facta coram illa eo fine, ut propter ejus dignitatem cum majore fiduciâ & rectitudine recipiatur, obſervetur; aliàs contemnitur.

4 Confirmatur. Quia ſecluſâ præſcientiâ per impoſſibile, adhuc ſtat dicta invocatio, ut patet in humanis, & uſu ipſo; nec enim Deus inducitur ut præſciens futura, ſed ut præſens his quæ fiunt, & potens punire. Gen. 31. Dein propoſitio de futuro ſæpe in ſe & materialiter non erit vera; ergo Deus non adducitur ut teſtis propoſitionis habentis materialem veritatem, ſed formalem in præſenti propoſito, ut patet in Promiſſorio illicito. Denique votum eſt capax levitatis materiæ; quia non deſtruitur attributum Dei, ſed fit contemptus tantùm materialis: at gravius eſt non dare centum contra votum, quàm contra Juramentum: ergo ſignum eſt, Deum non adduci in teſtem; aliàs perjurium eſſet gravius, juxta dicta ſuprà.

Cavendum tamẽ eſt à falſis exemplis, ut Juramenti metu extorti, facti uſurario &c. quaſi in materia gravi non obliget graviter. Quamvis enim Eccleſia non ita puniat violationem, propter excuſationem humanam, c. *Verùm.* de Jurejur. utique in re mortalis eſt, ut ſupponitur c. *Debitores* eod. quia licèt metus minuat obligationem reſpectu hominis, non tamen reſpectu Dei. Accidentarium autem eſt, ſolutionem non eſſe alteri utilem, cùm ſtatim repeti poſſit; ſpectari enim debet materia ſecundùm ſe. 5

CAPUT XVII.

An Promiſſorium ſine veritate factum, ſemper ſit mortale?

1 Primò. Si deeſt intentio jurandi, ex genere ſuo mortale eſt contra Religionem, & aliquando eſſe poteſt contra juſtitiam, quamvis non ſemper. Nam nomen Dei aſſumitur in vanum (quid enim vanius fallaciâ?) & abuſus ad decipiendum cedit in gravem irreverentiam Dei, & evacuatur finis Juramenti. Quæ maximè tenent in juratione falſi; nam deceptio de ſe eſt nociva, & valde pernicioſa ſocietati humanæ: ſicut autem proferre verba blaſphemiæ ſine ejus intentione, mortale eſt propter gravem inhonorationem Dei, ita etiam apparens perjurium, loquendo ex genere. Nec ſimile eſt de maledictione, quia dæmon, non Deus invocatur; & ſi Deus, non tamen ad teſtandum, ſed ad operandum.

2 Si autem juratio vera eſt, vel fit ex obligatione, ut Superioris, contractûs &c. vel ſine illa? Si 1mum, ergo ut eſt gravis inobedientia & injuſtitia (in re gravi) ita & irreligioſitas gravis, tum propter abuſum Divini Nominis; tum propter evacuationem finis Juramenti, quod pro nihilo habetur, ſi credatur ſine gravi peccato ſic fingi poſſe in negotio gravi. Si 2dum, nec mendacium pernicioſum eſt, nec gravis læſio finis actûs, cùm obligatio ſufficiat proportionata materiæ, nec denique irreverentia gravis erga Deum.

Secundò. Si deeſt intentio implendi, quod juratum eſt, ſemper eſt mortale. Nam licèt defectus extra Juramentum levis eſſe poſſit, in illo non ſtat ſine perjurio, & deſtructione veritatis primariæ actûs. Conantur tamen ferè omnes excuſare ordinaria Juramenta, ut comminatoria vel promiſſoria parentum, ut quòd deſit intentio jurandi. 2. Subintelligendo, niſi melius judicavero; niſi nimiùm reſtiteris. 3. Sæpe ſunt de re impertinente. 4. Nec obligant graviter. Et Aug. apud Grat. poſt c. *Unum.* d. 25. §. *Nunc.* in fine, inter venialia peccata numerat Juramentum incautum. 3

Tertiò. Si deeſt intentio promittendi, ſolùm eſt mortale, quando eſt falſitas aſſertionis, aut injuſtitiæ; aliàs veniale, vel nullum peccatum. Nam ſi actus cadit in promiſſionem ſatis expreſſam, ergo perjurium fit; injuſtitia autem, ſi promiſſio ita debita ſit, ut in ſponſalibus. Sin cadit in factum tantùm, per ſe & vi religionis fieri utique poteſt de aſſertione tantùm. 4

Quartò. Juramentum ſimulatum, licèt Promiſſorium, intrinſecè non continet perjurium, nec peccatum grave, ſi abſque injuſtitia fit, & ex cauſa 5

cauſa honeſta. Nam licèt alter aliter accipiat, tamen verum juratur: ergo ſi actus injuſtè petitur, ſimulatio nequit eſſe mortalis. Sin ex obligatione fit, vel ſponte; ergo loquendum eſt ſine amphibologia, quia oppoſitum eſt contra juſtitiam ex genere ſuo, & conſequenter mortale, ut in ſponſalibus, contractibus &c.

CAPUT XVIII.

An Promiſſorium de materia incapaci, ſemper ſit peccatum mortale?

1 Primò. Si de re non mala, ſed incapaci, ſemper eſt peccatum, & ex genere mortale. Nam inordinatum eſt formam applicare materiæ indebitæ, ſacrum profano, ſanctum canibus. Dein ideo actus non obligat, quia eſſet vinculum iniquitatis & vanitatis: ergo ſemper repugnat Bonitati Divinæ. Quando autem urgente metu ſubintelligitur, *Si potuero*, ut cùm fœmina jurat accedere non ſuum, putatum ſuum; actus eſt conditionatus; qui ſtante conditione, poſſet obligare, & conditio non eſt omnino impoſſibilis.

2 Secundò. Hoc peccatum poteſt eſſe veniale in individuo ex levitate materiæ. Nam ſeclusâ falſitate non repugnat levitas, ut *Non jejunabo hodie* &c. quia non juratur reflexè obligatio, ſicut nec Juramentum, ſed ſimpliciter & directè promiſſio: ergo non fit mendacium, nec etiam evacuatio finis juramenti virtualiter vel ſecundùm ſe, cùm alii actus obligent. Unde mortale non eſt, jurare quid contrarium conſiliis parvis vel magnis, quia in neutris eſt malitia ſecundùm ſe, ſi omiſſio juratur: incapacitas autem obligationis de ſe non ſufficit ad grave. Secùs eſt, ſi juretur impoſſibile cognitum, ut ab opifice vel debitore obligante ſe in diem &c. niſi excuſet levis negligentia advertendi.

CAPUT XIX.

Quale peccatum ſit Juramentum de peccato committendo?

1 Primò. Juramentum de veniali committendo, non eſt mortale, vi materiæ & per ſe loquendo. Ita Cajet. Soto, Ant. Sylv. Tab. Covar. Licèt enim deſit comes Juſtitia, Deus non adducitur, ut approbator mali, ſed ſolùm ut confirmator veri: abuſus autem tantæ Authoritatis non ſufficit ad grave in re levi. Sic cùm juratur præteritum factum turpe, ſolùm

ſolùm profeſſio ſit, quòd non liceat Deum invocare in teſtem falſi, qualiscunque ſit materia, non quòd ei materia ſecundùm ſe placeat. Idem ergo eſt jurando futurum; nam ſolùm attenditur formaliter ad rationem veritatis ex generali conceptione, quòd id quod juratur, immutabile ſit.

2 Confirmatur. Quia quòd cogat reverentia Dei ad propoſitum peccandi, coactio ſolùm eſt ex hypotheſi inordinatæ voluntatis, quæ ſe perplexitati immiſcet; non verò ex Juramento ſecundùm ſe; nec huic id tribuitur vi actionis. Sicut autem jurans mentiri, peccat contra Religionem, ita & mentiens quaſi ex adſtrictione Juramenti: tamen ſic operari ex vulgari ignorantiâ & ſimplicitate, non eſt gravior culpa, quàm in jurando fuerit, utpote quaſi repetitio tantùm ſeu continuatio. Denique differentia eſt inter præſens & impoſſibilitatem facti; nam hæc excludit intentionem cum defectu veritatis, non ſolius juſtitiæ.

Secundò. Promiſſorium de mortali, ſemper eſt mortale. Ita omnes Doctores, imò & Patres relati 22. q. 4. per tot. Nam propoſitum in malo firmare per authoritatem Dei, irreverentia eſt: ergo mortalis in materia gravi. Rurſus quò gravior eſt neceſſitas non faciendi verum quod juratur, eò gravior eſt deordinatio: ergo mortalis, ſi dicta neceſſitas ſit ſub mortali. Conſtat ergo addi novam ſpeciem c. *Sicut noſtris*. de Jurejur. c. *Unusquisque*. c. *Inter cætera*. 22. q. 4. 3

CAPUT XX.

De Pœnis Eccleſiaſticis Perjurio impoſitis.

1 Primò. Præter Infamiam, nulla pœna Eccleſiaſtica impoſita eſt ipſo facto. Non enim cenſura, non irregularitas, non inhabilitas ad Beneficium, non amiſſio hujus, quia difficiliùs quis privatur, quàm acquirat: & nec eſt jus apparens, quod afferatur de dictis pœnis, ſed Rebuff. ſolùm allegat conjecturas & ſimilitudines. Denique ſimpliciter nulla pœna eſt pro Juramentis per metum, injuriam &c. extortis, nec præſtitis à Reo in judicio; eſto propter alia perjuria incurratur infamia, cùm omnes excipiant dicta Juramenta.

Secundò. Civilis infamia non inducitur per omne perjurium; ſecùs Canonica. De Canonica ſupponunt omnes ex c. *Siquis convictus*. 22. q. 5. c. *Conſtituimus* 4. q. 5. *Infames*. 6. q. 1. de Civili autem nec extat lex, ut patet. l. 2. Cod. de reb. cred. nec legitur aliqua Canonizata: quia cit. Canones non de ſolo perjurio agunt, ſed etiam aliis criminibus, 2

bus, per quæ rigoroſam Infamiam afferri, improbabile eſt. Rigoroſam, inquam, ſeu quæ nonniſi diſpenſatione tolli poſſit: alia enim aboletur mutatione vitæ & opinionis inter homines, c. ult. de Temp. ord. c. *Teſtimonium* de Teſtib. Excipiunt tamen omnes Juramentum metu extortum à reo in judicio &c.

3 Tertiò. Propter nullum Perjurium omnino occultum incurritur infamia Canonica, ſed neceſſaria eſt notorietas facti vel juris. Sufficere enim hanc, ſatis colligitur ex d. c. ult. utique ſuppoſitis cit. Juribus de nota infamiæ: per occultum autem perjurium hæc non incurritur d. c. *Teſtimonium*, quod apertè ſupponit per aliquod non incurri. Soto addit, idem eſſe de quolibet crimine occulto, etiam Hæreſis: oportet autem exceptionem ſatis expreſſam eſſe in Jure.

4 Quartò. Infamia Civilis ſeu indelebilis de ſe, ſolùm incurritur per ſententiam, & in his tantùm perjuriis, in quibus pacta humana violantur. Nam l. *Siquis major.* Cod. de Transact. ſolùm loquitur de violatione Pacti jurati, & requirit ſententiam, juxta particulam, *Notetur infamiâ:* alii autem caſus remittuntur Divinæ ultioni. d. l. 2. jun. l. ult. ff. de Crim. ſtellion.

Quintò. Repulſio à teſtificando & jurando non obligat, niſi ſuppoſitâ exceptione vel accuſatione in Foro externo. Nam inprimis dicta repulſio ſolùm intelligitur reſpectu Juramenti utilis Juranti, non de oneroſo ipſi, ut eſt Juramentum Fidelitatis, Calumniæ &c. c. *Parvuli.* 22. q. 5. c. *Quicunque.* 6. q. 1. Dein nullibi imponitur ipſo jure, ſed requiritur actio, ut *non recipiantur* &c. d. c. *Quicunque.* d. c. *Siquis convictus.* c. *Non poteſt.* 2. q. 7. d. c. *Teſtimonium.* Solùmque jura fundantur in præſumptione lubricitatis. Deníque dicta pœna maximè intelligitur de Perjurio Judiciali, & ſolemnis pacti. 5

Quoad pœnas per hominem inferendas agitur. c. *Depoſitio.* c. *Presbyter.* d. 81. c. *Cùm non ab homine.* de Judic. c. *Pervenit.* de Fidejuſſ. c. *Querelam.* de Jurejur. Et c. ult. 22. q. 1. pœna imponi jubetur non minor, quàm pro adulterio & homicidio. Plura videri poſſunt 22. q. 5. per tot. & quomodo Jejunium petatur. c. *Quicunque.* 6. q. 1. 6

 LIBER IV.

LIBER IV.

De Adjuratione.

CAPUT I.

An Adjuratio ſit proprius actus Religionis, vel quid ſit?

1 Primò. Significat dicta vox obteſtationem vel imprecationem per ſacram invocationem. Conſtat uſu Scripturæ & Patrum. ut Tertull. Lactant. eſto à Latinis adjurare pro jurare ſumatur; interdum etiam idem ſignificat, ac inducere ad Juramentum. Igitur præter adjurantem interveniunt duæ aliæ perſonæ, nempe quæ & per quam adjuratur; ſed prior habet ſe quaſi objectum materiale, altera verò, ut formale.

2 Secundò. Actus adjurandi in ſuo genere honeſtus eſt, ſiquidem fiat circa debitam materiã & cum debitis circumſtantiis. Patet ex Gen. 24. & 50. Num. 5. & uſu Eccleſiæ. Tria autem poſcit inductio perſonæ adjuratæ, ut ſcilicet ſit ad actionem de ſe bonam; ut debito modo fiat, rogando vel imperando; & ut fiat ex cauſa rationabili. Unde actus de ſe non eſt Religionis reſpectu perſonæ adjuratæ, quia & Dæmon adjuratur, & homo titulo amicitiæ, miſericordiæ, obſervantiæ, Juſtitiæ: ut autem actus ſit ad Sanctos aut Deum, non diſtinguitur ab Oratione.

Tertiò. Adjuratio reſpectu perſonæ, propter quam ſit, ſcilicet DEUM, eſt actus Religionis, & ſpecie diſtinctus ab aliis ejus actibus. Nam actus attendi poteſt vel materialiter, ut petitio eſt; vel formaliter ratione cultûs: hoc autem modo eſt actus Religionis, quia eoipſo profitemur, Authoritatem Dei ſufficere ad obtinendum quod petimus: & cùm aſſumatur nomen Dei, urget illud: *Non aſſumes &c*, ſicque Exorciſmi computantur inter actus Religionis. Conſtat autem dictum actum diſtingui ab Oratione & Juramento. Nam per illam petimus *à Deo*, non autem ſolùm *propter Deum*; & per hoc adducitur Deus ad confirmandum *juratum*: per adjurationem verò ſolùm ut objectum amoris vel timoris, atque adeò movens ad præſtandum quod petitur. 3

Juxta uſum Scripturæ aliquando ſola petitio Juramenti vocatur adjuratio, ut Joſ. 2. aliquando eidem petitioni adjungitur propriè dicta adjuratio. ut Gen. 24. & 47. Num. 5. & 1. Reg. 14. Conſtat autem quotidie peti 4

Jura-

Juramenta in pactis, quin fiat vera adjuratio . ergo hæc & adeſſe poteſt, & abeſſe petitioni Juramenti.

CAPUT II.

Quæ res poſſint ſanctè & Religiosè adjurari?

1 Primò. Poteſt Deus aliquo modo ab homine adjurari, quamvis actus ille inter partes orationis collocetur, & ſit obſecratio. Solùm enim locum habet adjuratio deprecativa, cùm Dei ſit imperare, non imperari; ut in orando interponi poteſt vel ipſe Deus, *propter Temetipſum*; vel qui potior ſit, quàm nos, ut Eccleſia ſolet *per Chriſtum &c.* ſicque actus in re idem eſt, quod *obſecratio*; quamvis adjuratio dicatur, quatenus eſt actus peculiaris reverentiæ erga perſonam, per quam Deus adjuratur.

2 Secundò. Tam viatores, quàm Beati adjurari honeſtè poſſunt. Nam etiam circa Beatos locum non habet imperium, ſed deprecatio: ergo obſecratio, ſeu adiuratio deprecativa, ut dictum eſt. Similiter & deprecativa, & imperativa fieri poteſt circa Viatorem 2. Cor. 5. & 10. & 1. Theſs. 5. & 2. Tim. 4. & Caiphas ſic ſibi poteſtatem arrogavit in Chriſtum, quamquam cum intentione homicidæ. Suppoſitis autem quæ debent, actus per ſe rationabilis eſt, quia commemoratio DEI eſt optimum medium conſequendi intentum.

Tertiò. Dæmones ſanctè adiurari 3
poſſunt. Conſtat ex uſu Eccleſiæ, fundato in Mar. ult. Luc. 10. & peculiari Ordine Clericali; nam exorzizare & adiurare idem ſunt. Oportet autem, ut actus fiat ex fine per Chriſtum præfixo, fugandi nempe Dæmonem, coërcendi ne noceat. Nam plus non poſſumus, quàm Chriſtus dederit, & iuxta limites dati; & aliàs periculum foret & ſocietatis pravæ & nocumenti. Dein actus eſſe debet imperativus tantùm, quia rogare jam eſſet ſocietas cum hoſte, & vanum; cùm nil operetur propter Deum, ſed ſemper in eius & hominum odium. Nec Sancti quid petunt rogando, nec niſi cum confuſione Dæmonis, & fructu Fidelium, & Gloriâ Dei, ut Chriſtus coëgit ad numerum dicendum, ut granditas virtutis pateret. Miſcere verò in Exorciſmo, quæ non conferunt ad expulſionem, vel ædificationẽ, à ſuperſtitione non excuſatur, quamvis propter levitatem materiæ à mortali. Supponitur denique poteſtas legitima.

Nam ex naturali agere ſtultum 4
eſt; ex pacto, ſuperſtitioſum. Sin ex virtute Divinâ, debet eſſe non uſur-

uſurpata, ut Act. 19. utique loquendo de actu ſolemni iuxta formam ab Eccleſia præſcriptam, conſequenter Ordinis. Secùs enim eſt de virtute miraculorum, ut olim fiebat à quolibet Chriſtiano, teſte Tertull. & Juſtin. ſupponendo inſtinctum ſpecialem, & Fidem à Spiritu S. inſpiratam. Secùs etiam eſt de modo occulto & privato adiurandi hoſtem, ut diſcedat à tentando; non quòd quis de hoc certus ſit, ſed quia probabiliter ſperat, fundatus in fide, & virtute Nominis ac Crucis Chriſti, ſimul contemnendo Dæmonem, qui propter ſuperbiam ferre nequit exprobationem; de quo pluribus Athan. in vita S. Antonii.

Quartò. Irrationalia ſecundùm ſe adiurari propriè non poſſunt, ſed in alio, ſeu per modum cuiusdam efficaciæ miraculoſæ. Nam nec petitionis, nec præcepti capacia ſunt; ergo ut nocent ex permiſſione & ordinatione Dei, actus eſt deprecativus; ut circa aquam, ſalem &c. Quia verò immediata efficacia directè & per ſe circa illa verſatur, dicitur *Imperium*, utique phyſicum; & *adjuratio*, ut includit deprecationem per Chriſtum, inſinuando huius voluntatem, non ut ſenſum habeant, ſed efficaciam eius prodant, ut Mat. 8. *Qualis eſt hic, quia venti &c.* 5

CAPUT III.

Poſſúne Adjuratio fieri per creaturas, vel fieri debeat per ſolum DEUM?

1 Primò. Deus adiurari poteſt, & per Deum ipſum, & per Sanctos tam Beatos quàm viatores, qui putantur Juſti, non verò per inferiores creaturas. Patet ex ratione obſecrationis; & Deus ipſe iurat per ſemetipſum, non utique propter ſe, ſed propter nos, ut ratio credendi diſtinctiùs pateat, magiſque moveat: ergo ſimiliter fit adiuratio, *Propter nomen tuum.* Sicut etiam Chriſtus per opera in humanitate facta adiuratur & obſecratur, aut per Virginem, Sanctos &c. Aliæ verò creaturæ vel opera nullius momenti ſunt apud Deum; ſicque ut Juramentum per creaturam, ita etiam adiuratio tacitè revolvitur in Deum (propter effectum ab eo participatum) ergo ut Authorem, qui ob ſuum honorem, verbum, miſericordiam inducitur ab uno ad aliud opus faciendum.

Secundò. Sancti adiurari poſſunt & per DEUM, & propter rationem creatam; excellenti tamen modo ſolùm propter DEUM. Sicut enim in Juramento aliud eſt teſtimo- 2

teſtimonium probabile, aliud infallibile; ita in adjurando per aliquid quod ſummam habeat authoritatem ad movendum, eſt proprium Dei; ſicque ordinariè fit, cùm petimus per Chriſtum, ejus vulnera, recepta Beneficia: conſequenter adjuratio perfecta eſt actus Religionis. Si autem fit per inferiorem rationem, erit vel Hyperduliæ, vel Duliæ, vel purè humana, ut per vitam patris &c. quod illicitum non eſt, ſi debito modo fit.

3 Tertiò. Dæmones per Deum tantùm adjurandi ſunt expreſsè vel tacitè. Per Crucem enim fit, quia ut inſtrumentum Divinitatis, habet virtutem contra hoſtem; Sancti autem eam non habent, præciſè vi ſanctificantis gratiæ, niſi Deus peculiarem virtutem illis ac Eccleſiæ addat, *quia non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei.* Job. 41. Virtus verò Angelorum naturalis etiam non ſufficit, comparando cum proportione, ut maximum ad maximum, multitudinem ad multitudinem.

CAPUT VI.

Quibus modis peccari poſſit circa adjurationem, & quam obliobligationem illa ſecum trahat?

1 Primò. Obligatio quoad exercitium, non eſt vi Juris naturalis, ſed interdum vi Juris Eccleſiaſtici. Nam ſunt alii actus colendi Deum, & per ſimplicem orationem obtineri poteſt, quod neceſſarium eſt: quod autem illa perficiatur per obſecrationem, non ſufficit ad obligandum. Rurſus ſicut Eccleſia obligat ad Miſſam celebrandam, Sacramenta ſolemniter celebranda, aliáve Miniſteria, ita etiam ad adjurationem deprecativam, quæ in iis ſæpe recurrit. Idémque eſt de Coactiva, nam Miniſtri tenentur ſubvenire gravibus neceſſitatibus per remedia convenientia, & ab Eccleſia inſtituta.

Secundò. Obligatio quoad ſpecificatioonem eſt, ut in actu deprecativo ſervetur debita reverentia ad Deum, & conſequenter ut adſint tres comites, Veritas, Juſtitia, & Judicium. Veritas quidem, ne fiat actus Idololatricè, ut per Jovem; nec ſine juſto & vero deſiderio: *Non aſſumes in vanum &c.* Juſtitia petitur, quia inducere ad ad turpe, ex genere ſuo mortale eſt, juxta dicta de Juramento promiſſorio; nam hic facilius datur levitas materiæ. Denique Judicium petitur, ne ſine utilitate, atque adeò in vanum actus fiat. 2

Unde mortale eſt, uti deprecativo actu erga Dæmonem, aut impera- 3

perativo obſequii vel miniſterii tendentis in utilitatem hominis. Nam eſt ſocietas impia, nec homo habet Jus aut poteſtatem, ſeclusâ miraculosâ operatione; quæ non fit, niſi ob publicam & ſpiritualem utilitatem, ſempérque in confuſionem Dæmonis. Similiter imperativâ adjuratione uti erga hominem non ſubditum, Irreligioſitas eſt, & ex genere gravis, propter uſurpationem Divini Nominis ad violentiam injuſtam. Adjuratio denique irrationalium, quia vaniſſima (ſi propriè ſumitur) peccatum eſt, leve tamen, niſi ex errore vel ſuperſtitione procedat.

4 Tertiò. Ex ſola adjuratione non ſequitur propria obligatip in adjurato, niſi per eam exigatur *Juramentum*, & in eo ſenſu ſatis clarè fiat. Vel enim eſt deprecativa, vel imperativa? Si 1mum, ſicut deprecatio non obligat, ita nec ipſa, quia nec addit præceptum, nec promiſſionem, nec Juramentum, Si 2dum, obligat quidem ex *Juſtitia*, obedientia &c. ſuppoſitâ poteſtate imperandi, non tamen intra virtutem Religionis, ſecluſo Juramento, quod Judex aliquando exigit. Nam aliàs Prælatus, dicendo, *Fatere &c.* poſſet extorquere Confeſſionem Fidei de Dei præſentia &c. quod ridiculum eſt. *Juramentum* enim petitur, quia inſtitutum ad confirmationem veri: adjuratio autem ſolùm eſt, ut alter commemoratione Dei moveatur; & aliquando præmittitur, ut ſit timor pejerandi.

Gen. 47.

TRACTATUS VI.

De Voto.

LIBER I

De Eſſentia & Honeſtate Voti.

CAPUT. I.

An Votum rectè & convenienter Deo fieri poſſit ?

1 PRimò. In actu vovendi nihil eſt homini impoſſibile, aut contra rationem, aut Dei cultum. Sermo eſt de Voto, non ut merum propoſitum vel pium deſiderium ſignificat, Ex. 36. Prov. 31. & in Canone Miſſæ, ſed promiſſionem Deo factam. Hæc verò eſſe poteſt & de obſequio Dei, & de Donatione eidem in templo, Miniſtris &c. faciendâ. Falsùm que eſt omnia præcipi, 1. Cor, 7. Mat. 19. aut Charitatem ad omnia bona obligare, ſed ſolùm ad nihil ei contrarium agendum propter ullam creaturam; nam hoc eſt diligere Deum ſuper omnia, Similiter Gratitudo ſolùm obligat ad vitandam omnem offenſam Benefactoris. Dein etiam ſervus obligare ſe poteſt Domino, ſaltem ex fidelitate; & ad idem eſſe poteſt obligatio ex diverſis titulis. Denique evidens uſu eſt, plura honeſta occurrere quæ nec ratio dictat, ut ſimpliciter neceſſaria, nec Lex præcipit.

Secundò, Veritas Catholica eſt, Deum eſſe ad quem vera Vota funduntur, & rectè quidem, ut in Veteri ita nunc in Lege gratiæ. Patet ex pſ. 75. Eccle 5. Deut. 23. Gen. 28. Unde evidens eſt, non eſſe rem ceremonialem, ſed probatam pro omni ſtatu. Idem enim prædixit Iſa 19. pro Lege Gratiæ, & violatio Voti arguitur. 1. Tim. 5. quin illud ullâ Scripturâ, Traditione, aut Lege prohibitum ſit, 2

ut conſentiunt Patres; probando uſum à temporibus Apoſtolorum. Nec enim locus Col. 2. obſtat, nam pro *Superſtitione* Græcus legit *Religione voluntaria*: aliud autem eſt, eſſe voluntarium quoad executionẽ ſine obligatione præcepti, aliud, inſtitutionem ſeu inventionem ex proprio Judicio eſſe. Poſterius ſuperſtitioſũ eſt; prius conſonum voluntati Dei conſulentis, rationi, Legi approbanti pro omni ſtatu.

CAPUT. II.

An Propoſitum abſolutum faciendi quid in DEI honorem ſufficiat ad Votum &c.

1 Primò. Certum eſt non ſufficere, nec inducere obligationem Voti. Ita Theologi, Summiſtæ &c. Nam obligationem Voti nemo contrahit ſine voluntate obligandi ſe: at diverſa ſunt, facere & ad faciendum obligare ſe: ergo ex objecto differunt propoſitum & promiſſio. Conſtátque uſu, quia nemo proponeret, ſi vi propoſiti ſtatim obligatur. Facit c. *Litterarum.* de Voto, ubi Abb. & alii.

2 Secundò. Ex propoſito per ſe non ſequitur aliqua alia obligatio, ſive gravis, ſive levis. Nam nec ponitur à Superiore, nec à propria voluntate, nec à Lege aliqua, ut eſt communis omnium ſenſus, quia nemo auderet proponere. Dein vel eſſet obligatio omnium virtutum, vel virtutis certæ tantùm? Non 1mum, quia contra propoſitum non audiens Sacrum, erit irreligioſus; comedens temperantiſſimè, & non jejunans, intemperans &c. quin ſive unius, ſive alterius virtutis medium & debitum transgrediatur. Non 2dum, quia Conſtantia eſt conditio generalis omnium virtutum, & ponitur inter effectus prudentiæ, cujus defectus non habet ſpecialem rationem culpæ, ſed culpabilis eſt juxta obligationem ſeu debitum voluntatis. Nec Veritas ſeu Fidelitas læditur, quia nec propoſitum aſſertio eſt, nec hæc obligat, ſed vera eſt, ſive in præſens cadat, ſive in futurum in cauſa præſenti.

Dices. Propoſitum in ſuſcipiente Habitum Religionis ſufficere ad obligandum. c. ult. eod. c. *Conſulti.* c. *Statuimus.* de Regul. c. *Non ſolùm.* eod. in 6. R. oppoſitum ſumi & ex Trid. ſeſſ. 25. c. 15. & 16. de Regul. & ex natura rei. Nam inchoatio operis nec auget voluntatem nec cauſam, quæ poſſit inducere obligationem ad perſeverandum, ſed ſolùm eſt effectus propoſiti. Opus autem externum per ſe non ſufficit, cùm radix totius obligationis ſit voluntas. Igitur Jura objecta intelligenda ſunt, non de mero propoſito, ſed firmato promiſſione ſaltem tacitâ. 3

Ter-

4 Tertiò. Ex omiſſione propoſiti ſequi per accidens poteſt peccatum. Patet ex Luc. 9. de *Reſpiciente retrò* &c. Nam metaphora ſumitur ab exemplo artificiali, ut actu ſcribendi &c. qui viſûs directionem & vigilantiam requirit; ſícque reſpiciens vel penitus non ſcribit vel perperam. Ad eundem ergo modum ſequens Chriſtum, & ſollicitus de rebus domeſticis, non eſt aptus ad Regnum cœlorum, quod per ſequelam Chriſti comparatur, conſequendum, expugnandum, propugnandum, excolendum: patet enim accipi pro Eccleſia vel triumphante vel militante.

5 Particula autem *Non aptus* intelligi poteſt vel negativè vel contrariè. Negativè quidem, quia ſic reſpiciens, licèt non ſe reddat indignum, etiam nec dignum aptúmve ſe facit. Imò cauſaliter ſeu per modum ſigni accipiendo, facilitas reſiliendi utique cauſa eſt non creſcendi in virtute, propter animum tepidum quem quælibet difficultas terret, aut quodvis commodum attrahit. Et à fortiori ineptus fit ad Evangelium prædicandum, & Crucem Chriſti (nomine *Aratri* intellectam, quia dura pectora ſubigit) faciendo ea opera ſine fructu proprio & aliorum, imò ſæpe cum ſuo & aliorum detrimento; quod eſt contrariè reſpicere.

6 Vel ergo opus diſſonum propoſito fieri poteſt ſine violatione præcepti & diſcrimine ſalutis propriæ aut alienæ, vel ſine tanto malo, non tamen cum utilitate ſpirituali, ad quam Munus ordinatur? Si 1mum, ſimpliciter eſt ineptitudo ad Regnum cœlorum. Si 2dum, regulariter res non fit ſine nova culpa, eſto opus non eſſet ſub obligatione ſuſceptum; poſtquam tamen ſuſceptum eſt, debet rectè fieri, non reſpiciendo retrò. Similiter ceſſatio à propoſito quolibet pio, intelligi poteſt negativè vel contrariè: & priori modo de ſe ſolùm dicit ceſſationem à meliore opere, quæ mala non eſt, ſi ſiſtitur in bono minore; at poſteriore modo reſpicitur ad malum, ut c. *Qui bona*, 17. q. 1. nam in originali Gregorius loquitur de Voto, non mero propoſito.

CAPUT III.

An Intentio obligandi ſe ſit de neceſſitate & eſſentia Voti?

1 Primò. Certum eſt, requiri voluntatem promittendi Deo, conſequenter voluntatem obligandi ſe. Nam promiſſio eſt de ſubſtantia Voti, ut fatentur omnes, ex Eccle. 5. ubi idem priùs *Votum*, poſtea *Promiſſio* dicitur: at de ratione Voti eſt, eſſe ſpontaneum. Rurſus Lex & Votum ſecundùm omnes æquiparantur in hoc, quòd de neceſſitate &

& ſubſtantia ſua petant voluntatem obligandi; nam obligatio per promiſſionem inducitur: ergo ut voluntas promittendi, ita & obligandi ſe requiritur.

2 Secundò. Ceſſat in foro interno obligatio Voti in volente promittere, & nolente obligari, utique ex ignorantia, ſive culpabilis ſit ſive non. Non enim quæritur de culpa, ſed de voluntate facti neceſſariâ: at in dicto caſu vult quis promiſſionem quæ non obligat, ergo nullam, ſiſtendo in verbo tantùm; ſicut ſi Lex ſic feratur ignorando propriam vocem. c. *Humanæ.* 22. q. 5. l. *Obligationem.* 1. ff. de Action. & Oblig. c. *Tua nos.* de Sponſal. Deeſt enim anima & forma intrinſeca, quia univerſim moralis efficacia cujusque actûs pendet ex intentione, ut in Sacramentis & ſimilibus omnibus. Secùs foret, ſi non apponeretur, *Nolo obligari*; quia licèt quis ignoret naturam actûs, vult tamen illum, ut in ſe eſt, præſertim propter intentionem generalem faciendi, *ut teneor, et alii ſolent*, ut in Matrimonio, Sacramentis &c.

3 Tertiò. Licèt in Foro interno votum fictum non obliget; ſecùs eſt in externo. Nam qui ſic finxit, fatetur ſe mentitum: at veriſimilius eſt nunc mentiri ad vitandam obligationem, quàm cùm liberè egit; & aliàs nulla pacta eſſent firma. Facítque à fortiori. c. *Per tuas.* de Probat. c. *Si verò.* de Jurejur. Quod quidem generaliter verum eſt, loquendo per ſe, & ſecluſis conjecturis aliis. Obligatio tamen non erit Voti, ſed præcepti Eccleſiæ, vel ratione injuriæ, ut in fictis ſponſalibus, Profeſſione, Voto Ordinis ſacri &c. Eccleſia enim poteſt cogere etiam ad vovendum, propter vitandam novam culpam, præſertim priore ſuppoſitâ.

CAPUT IV.

An propoſitum implendi Votum ſit de ſubſtantia ejus?

1 Primò, Non eſt de ſubſtantia. Ita Cajet. Gutier. &c. ut in ſimili de Juramento dictum eſt. Nam aliud eſt dare jus ad rem, aliud dare rem ipſam promiſſam: quod eſt poſterius, & à priore ſeparabile, ut patet in præcepto occidendi Iſaac, concubinario ſuſcipiente ſacrum Ordinem, vendente & nolente tradere, homine promittente & nolente ſervare. Quæ exempla, utpote quotidiana, nil habent inintelligibile. Nam voluntas obligandi ſe, & voluntas non implendi, contrariæ non ſunt: prior autem eſt abſoluta & efficax: ergo facit effectum ſuum, utpote non impedita per contrariam. Solùm ergo ſequitur, promiſſionem eſſe mendacem, non quoad directè & immediatè ſignificatum, ſeu voluntatem obli-

obligandi, ſed quoad conſequenter ſignificatum, ſcilicet fideliter promitti.

2 Secundò. Ut honeſtè fiat Votum, propoſitum implendi neceſſarium eſt. Nam aliàs fit grave & pernicioſum mendacium, exhibendo ſignum ſufficiens futuri effectûs, quantùm eſt ex vi præſentis cauſæ, ut dictum eſt de perjurio. Rurſus contrarium propoſitum eſt de violando Voto. Tamen non requiritur formale propoſitum ſervandi, ſed virtuale ſufficit, ſeu in cauſa; quia qui promittit, virtute vult facere vel dare, quamdiu virtualitas non excluditur per formale propoſitum contrarium.

CAPUT V.

An Voluntas vovendi debeat eſſe recta ſeu ex honeſto motivo, ut valeat?

1 Primò. Valet Votum, licèt fiat propter malum finem, dummodo materia voti non promittatur, ut ordinata vel ordinanda in talem finem. Conſtat in Baptiſmo, Profeſſione Ordinis Militaris, ſuſceptis ob finem humanum, & voto eleemoſynæ facto publicè ob vanam gloriam; & cùm quis dicit mulieri, ſi permiſeris fornicationem, voveo Religionem &c. Nam tales malè quidem voverunt, ſed bene implere poſſunt; quod ſolum attendi debet, applicando cum proportione, quæ dicta ſunt de Juramento.

2 Ratio eſt, quia vis obligandi in Voto, promiſſione &c. non habetur ex honeſtate, quam actus in individuo habere debet, ſed ſimpliciter ex deliberata voluntate obligandi ſe, dummodo materia ſit capax, ſeu accommodata obligationi reſpectu Promiſſarii: ergo quamdiu finis vovendi non mutat conditionem vel capacitatem materiæ, non obſtat, quia aliud eſt promittere, aliud exequi promiſſum.

Secundò. Licèt Votum per ſe ſit actus Religionis, non tamen ſemper in individuo. Nam actus internus, ſi non ſit proximè ob motivum & honeſtatem virtutis, non eſt actus ab hac elicitus, nec ejusdem ſubſtantiæ & ſpeciei cum vero actu virtutis. Aliud ergo eſt loqui de actu, ut eſt vinculum obligans; aliud, ut eſt opus hominis: priori enim modo non attingit finem pravum, quia ad illum non obligat, & eatenus placet Deo, ſicut conſecratio ut talis, facta à peccatore. Secùs erit, ſiquis promittat facere aut dare ob malum finem, ut enſem ad occidendum: nam tunc finis eſt velut pars objecti promiſſi, & movet non tantùm ad promittendum, ſed etiam exequendum; ſempérque finis pravus ex parte materiæ, ſupponit vel inclu- 3

includit pravum ex parte rei promiſſæ, quin è converſo qui ob malum finem promittit, etiam ob illum facere promittat, ut patet exemplis adductis.

CAPUT VI.

An ſit de ratione Voti, ut voluntas promittendi perfectè voluntaria & libera ſit?

1 Primò. Loquendo ordinariè & ex natura rei, votum eſt actus ab obligatione liber, quamvis hæc libertas non ſit de intrinſeca ratione ejus. Nam ordinariè fit de Supererogatoriis; & ſi ſecùs, ſaltem obligatio eſt ſupererogatoria, & ideo votum dicitur *Lex privata*, c. *Licèt*, de Voto, ubi rectè diſtinguitur inter *Vovere* & *reddere*. Pſ. 75. Deuteron. 23. Eccle. 5. Tamen Deus ſi vult obligare, poteſt; ſicut homo voto Religionis ſe obligare poteſt ad vovendum: & aliquando charitas obligare poteſt ad ſuſcipiendum Clericatum; ſicut ex fictione præterita ſequi poteſt obligatio vovendi, quia aliter vitari non poteſt ſcandalum, aut reparari injuria &c.

2 Secundò. Libertas indifferentiæ eſt de intrinſeca ratione Voti, ſaltem talis quæ ad peccandum mortaliter ſufficeret. Ita communis Theologorum & Canoniſtarum. Nam Votum eſt quaſi pactum inter Deum & hominem, quo homo ſemet obligat, ergo per actum moralem proprium obligantis, & non ex ſola lege extrinſeca. Unde non ſufficit motus primò primus, ut eſt certiſſimum, nec ſecundò primus, ſeu cum imperfecta advertentia, quia nec ſub mortali obligare poteſt, ut certum eſt, nec etiam ſub veniali. Nam nec Lex ſic imponi poteſt, nec ſuppoſitâ ſemel vi obligandi, obligatio levis foret, ſed gravis, quia quantitas ejus ex materia oritur: plus ergo libertatis requirit votum, utpote actus virtutis, quàm lapſus venialis, conſequenter actum ſimpliciter & perfectè humanum.

CAPUT VII.

An Libertas à coactione ſeu metu neceſſaria ſit ex natura rei ad valorem voti?

1 Primò. Votum ex quocunque metu proveniente ex cauſis naturalibus, tenet. Eſt certa, & patet exemplis conſtitutorum in periculo naufragii, mortis &c. & Num. 21. Pſ. 65. c. *Sicut*, 1. & 2. de Regular.

c. *Lis-*

c. *Litteraturam*. de Voto. conſequenter ex ſenſu communi Eccleſiæ. Ratio eſt, quia metus nec libertatem tollit, nec voluntarium ſimpliciter. c. *Meritò*. 15. q. 1. l. *Si mulier*. §. pen. ff. quod met. cau. Falſúmque eſt, Deum non acceptare obſequia ſic extorta, univerſim loquendo: imò communis hæc ejus Providentia eſt. Trid. ſ. 6. c. 6. & ſ. 14. c. 4. & per ſe accommoda naturæ noſtræ, quæ nunc metu, nunc amore trahitur. Nec obſtat c. 1. 17. q. 2. quia agit de Profeſſione: & fortè renuntiatio Beneficii non tenuit, quia facta in manu Notarii, & ordine perturbato.

2 Secundò. Idem eſt, ſi metus provenit ex actione injurioſa, non tamen directè factâ ad extorquendum Votum. Eſt certa ex Num. 21. & ex uſu, ut captivorum inter Infideles. Vel enim obſtaret ratio injuriæ, vel ratio involuntarii? Non 1mum, quia impertinens eſt ad Deum, qui utitur Jure ſuo, ſive cauſas naturales ſive liberas ordinando, ut vult: patétque in Juramento, quod Deus acceptat, non obſtante ullâ injuriâ hominis: & aliàs etiam levis metus ſufficeret, ſi injuria gravis eſt. Non 2dum, quia ſtat voluntas abſoluta, conſequenter efficax.

Tertiò. Idem eſt, ſi metus provenit ex actione injurioſa, directè factâ ad extorquendum votum. Sequitur ex facto dilemmate pro concluſ. ſuperiore. Nec enim DEUS approbat injuriam, ſed eâ utitur, ut in Juramento, cujus vis utique non impeditur coactione morali; eſto ſacrificia ſimpliciter coacta reſpuat. c. *Non eſt quod*. 15. q. 1. & ſicut metus non impedit offenſam Dei, ita nec acquiſitionem Juris à Deo intenti. Multáque malè fiunt, & facta tenent, præſertim ſi malitia tantùm eſt cogentis ad actum conſilii: ergo licèt huic repugnet coactio ſecundùm ordinem Juſtitiæ, non tamen valori ejus. Frivolè ergo quoad præſens comparatur DEUS cum homine, cui ex injuria jus accreſcere nequit: éſtque difficile, ſine ratione ſufficiente negare dictum valorem. 3

CAPUT VIII.

An Vota ex gravi metu facta ſint Jure Eccleſiaſtico irrita?

1 Primò. Eccleſia poteſt ſic irritare. Ita omnes ſupponunt ex irritatione Voti ſolemnis, & quia Eccleſia poteſt certam ætatem præſcribere, & in omni voto diſpenſare. Subeſt enim actus internus juriſdictioni ejus, ſive ut adjungitur externo, ſive quia in his quæ ad ſalutem animæ ſpectant, poteſtas extenditur ad Forum internum, ut in Indulgentiis. Duo autem poſcit metus gravis, & ut malum judicio pru-

dentùm grave ſit, & ut gravi ſeu probabili ratione metuatur ut imminens.

2 Secundò. De facto Eccleſia non irritavit Votum ſimplex. Ita Sylv. dicens, nullibi authenticè legi talem irritationem. Non enim c. 1. de his. q. vi. quia juxta contextum & communem intellectum, agit de Profeſſione. Non c. *Dilectus.* eod. quia argumentum tantùm eſt à contrario ſenſu, & retorquetur in Juramento: ſolúmque ibi intenditur negatio diſpenſationis. Non in c. *Abbas.* & c. *Ad audientiam.* eod. quia agitur de actione inter homines, & infirmâ tantùm. Non in c. *Cùm locum.* de Sponſal. quia textus non poteſt accipi abſolutè de conſenſu ob metum, ut patet in peccato, ſed juxta ſubjectam materiam de libero à coactione gravi: & ideo quia morale periculum ſubeſt fictionis, creditur allegan̄ti defectum conſenſûs. c. *Conſultationi.* §. *Sanè.* eod. & fortè impedimentum ob eam cauſam poſitum eſt.

Tertiò. Votum ſimplex Religionis metu gravi extortum, probabiliſſimè nullum eſt. Sumitur ex d. c. *Cùm locum.* Nam ſi promiſſio valet; ergo & Matrimonium ac Profeſſio facta: at nemo obligatur ad faciendum actum invalidum: invalidus autem eſt contractus, ſi ut metus ad promittendum, ita promiſſio facta cogit ad illum: ergo & promiſſio nulla eſt, quia aliàs velut falſificaret ſeipſam, ſeu obligando redderet impoſſibile ſuum complementum, ſcilicet Matrimonium vel Profeſſionem validam, tanquam ſine metu factam, cujus contrarium ſupponitur. Secùs enim eſt, ſi contractus non fit vi & neceſſitate promiſſionis, & hæc nihil operatur. 3

CAPUT IX.

An Voluntas vovendi debeat eſſe plenè & exactè deliberata?

1 Primò. Neceſſaria eſt, & ſufficit deliberatio, quæ ſufficit ad actum abſolutè humanum, & conſequenter ad peccandum mortaliter. Ita Theologi, Summiſtæ, Abbas, & alii Canoniſtæ. Sumitur ex c. *Sicut ex litteris.* de Jurejur. c. *Dudum.* de Conv. Conjug. c. 2. de Voto. c. *Sunt, qui opes.* 16. q. 4. Nam deliberatio, quæ ſufficit ad ſe ligandum reatu gehennæ, etiam ſufficit ad obligandum ſe Deo, nec eſſentia Voti plus poſtulat, quàm actum ſufficienter humanum, ut in ſimili Juramentum, perjurium, violatio Voti.

Confirmatur, quia aliàs nulla erit certitudo obligationis; datur enim major & minor conſideratio, & etiam poſcitur, prout gravius vel levius eſt votum. Idémque erit in aliis negotiis, imò peccatis, quò graviora ſunt. Attendetur etiam ut 2

iræ,

iræ, ita amoris &c. paſſio, licèt nec in Juribus reflexio fiat, nec moraliter fieri poſſit. Idem erit de ratione ætatis, & ſimilibus. Igitur licèt Deo non placeat Votum quoad imprudentiam, malitiam &c. placet quoad voluntatem ſufficienter deliberatam, ut fatentur oppoſiti Doctores Canoniſtæ, excipiendo Donationem piam, cùm negant Vota calore iræ facta valere. c. *Siquis iratus*, 2. q. 3. c. *Divortium*, d. 1. de Pœnit. Solùm enim probant, in talibus remedium poſſe & debere impendi à Prælato, non verò quòd vel ipſo facto irrita ſint, vel cujusque arbitrio relinqui poſſint: quod utique periculoſius foret.

3 Secundò. An fuerit nécne ſufficiens deliberatio, ex prudenti arbitrio ſumendum eſt, ſpectando maximè advertentiam rationis. Nam ſi ob paſſionis vehementiam homo non attendit, quid ageret, utique cadit valor actûs. Sin nec ſubita paſſio, nec brevitas temporis abſtulit advertentiam cum aliqua collatione ejus quod agebatur, cum actu oppoſito, citra ſignum perturbati diſcursûs, deliberatio eſt ſufficiens. Sermo enim eſt de modo ordinario operandi, qui ut diſcurſum, ita tempus requirit, quantùm ad totam deliberationem, ſcilicet inquiſitionem, conſultationem &c. eſto concluſio ſeu judicium momento, uti & ſequens voluntas, habeatur. Alii pro ſigno allegant pœnitentiam. Sed hæc ſolùm indicat, actum non fuiſſe ex habitu, ſed ex paſſione vel repentinâ occaſione, ut patet in peccato.

CAPUT X.

An ad Votum neceſſaria ſit formalis deliberatio Voti in ſe, aut ſufficiat virtualis, & in cauſa?

1 Primò. Sufficit virtualis, ſi præceſſit formalis deliberatio, licèt actu non exiſtat, cùm fit votum. Nam juxta ordinarium modum vix fieri poteſt, ut homo aliter operetur; ergo nec ad votum exigi debet modus præter humanam conditionem exquiſitus, ut nec ad Sacramenta aliáque negotia per Procuratorem geſta. Sícque multi, imò ferè omnes in ſuſceptione Ordinis ſacri non cogitant actu de Voto, nec de Ordine; idémque eſt de Profeſſione, & cujuslibet Voti conceptione externâ.

Secundò. Si non præceſſit formalis deliberatio, & formale propoſitum Voti in ſe, non ſufficit virtualis deliberatio in cauſa, ſeu per moralem imputationem. Nam obligatio Voti non eſt ex his quæ involuntariè oriuntur, ut in homicidio, detractione &c. ſed debet eſſe omninò voluntaria: ergo neceſſaria eſt vo- 2

 lun-

luntas formalis obligandi ſe, quæ & in ſe formaliter libera ſit, & ad illud objectum in ſe terminetur cum ſufficiente notitia illius, ſive illa actu duret, cùm fit Votum, ſive tantùm virtus ejus.

3 Dices. Voluntarium ſufficiens ad peccandum mortaliter, etiam ſufficit ad Votum: ergo voluntarium in cauſa. ℟. Axioma intelligendum eſſe in ordine ad voluntatem internam, non ad meram denominationem actûs externi; itémque comparando voluntates quæ aliàs ſufficiunt ad peccandum vel vovendum. In objectis enim utique differentia eſt, quia ad peccandum ſufficit velle id quocum conjungitur malitia, quin hæc formaliter intendatur: at Votum poſcit voluntatem non verborum tantùm, ſed aliquo modo ſub ratione obligationis, conſequenter perfectiorem voluntatem ac directam, ut patet in caſu ebrii.

4 Vel enim per id quod prævidet, vult obligari, vel non vult, ſed negligit? Si 1mum, tenet votum, ut aliis conditionibus appoſitis; v. g. ſi occidero, non bibam vinum. Idémque eſt, quoties votum fit cum ordine & dependentia ad futurum actum externæ prolationis verborum; quia tunc & non antè, fit illud (licèt ſine actuali advertentia) in vi deliberationis præviæ, à qua naſcitur tota vis obligandi, tanquam à voluntate formaliter deliberatâ, ſed quaſi conditionatâ, & ſuſpendente obligationem. Si 2dum, impoſſibilis eſt obligatio, quia ad ſummum eſt virtualis voluntas proferendi verba, cùm tamen nec formalis ſufficiat, niſi quid addatur, ut ſit voluntas proferendi verba ut obligatoria. Nec dici poteſt voluntarium etiam indirectum, niſi quis teneatur vitare cauſam. Idémque eſt de conſuetudine jurandi opus pium, niſi formalis voluntas præceſſerit. Aliquando tamen potiùs excitat advertentiam: & hæc utut breviſſimo tempore facta, ſufficere poteſt ad deliberandum.

CAPUT XI.

An de ſubſtantia Voti ſit, ut conſenſus in illud ſit ſine dolo, ignorantiâ &c. &c.

1 Primò. Votum quod fit ex ignorantia conditionum & proprietatum ejus ſubſtantialium, nullum eſt, niſi vovens eâ non obſtante, velit promittere eo modo quo alii promittunt. Patet ex dictis de volente vovere, ſed non obligari. Nam votum non vult in re, ſed nomine tenus, niſi confusè id velit, & ut alii faciunt, quia intentio generalis ſufficit, non obſtante errore privato, ut in Sacramentis.

2 Secundò. Ignorantia circa materiam, ſi ſit circa conditiones ejus ſub-

ſubſtantiales, vel circa res adeò graves, ut moraliter cenſeantur pertinere ad rei ſubſtantiam, impedit valorem. Ita Soto, Aragon. Lopez &c. potiùs ſupponendo quàm diſputando. Nam aliud eſt, eſſe quid de ſubſtantia actûs in ordine ad conſtituendum Statum Religioſum v. g aliud, eſſe de ſubſtantia actûs, ut hîc & nunc eſt materia Voti. Tota enim hæc obligatio pendet ex intentione voventis, nec hanc excedit, l. *Si per errorem*, ff. de Jurisdict. omn. Jud. ut ſi voves peregrinationem Hieroſolymitanam &c. putans pedeſtri itinere confici, aut locum proximè diſtare. Sic conſiderans inopiam Petri, non vovet eleemoſynam ut ſic, ſed hanc in individuo; idémque eſt de Voto Religionis hujus, non ut ſic.

3 Tertiò. Si ignorantia eſt circa conditiones impertinentes vel levioris momenti, non obſtat qualiscunque ſit. Nam parum pro nihilo reputatur: nec ſufficit involuntarium ſecundùm quid. Quando autem ſit, nécne talis ignorantia, in particulari judicandum erit, conſideratâ qualitate materiæ & circumſtantiarum, quia certior regula generalis dari non poteſt.

Quartò. Si conditio ignorata non pertinet ad materiam Voti, ſed ad cauſam hujus, tunc impedit valorem, quando fuerit propria & finalis cauſa, & quaſi ratio formalis movens in tali materia ad eam Deo promittendam; ſecùs, ſi tantùm ſit occaſio, ſeu ratio ſecundariò movens. Ita communiter Canoniſtæ. Nam prior cauſa pertinet ad ſubſtantiale objectum, conſtituítque vel finem univerſalem Voti, vel proximum: & conſequenter eſt de objecto formali: ut ſi vovi dare huic eleemoſynam; & eſt dives. 4

Poſterior ſeu impulſiva cauſa non refert, quia non eſt de ſubſtantia Voti, niſi fortè ſit conditio, quæ formaliter vel virtute cadat actu ſub intentionem operantis, juxta dicta ſuprà. Exemplum eſt in c. *Ex parte.* 2. de Conv. Conjug. ibi: *Cùm ſine qualibet tali cauſa* &c. ſeu occaſione & motivo valde extrinſeco. Idem habetur c. *Magnæ*, de Voto. ubi Doctores diſtinguunt cauſam Finalem & Impulſivam. 5

CAPUT XII.

Expediuntur tria dubia circa ignorantiam impedientem valorem Voti.

1 Dubitatur, an hactenus dicta procedant 1. de ignorantia vincibili. 2. concomitante? 3. ignorantiâ puræ privationis? ad 1mum R. non ſufficere voluntarium indirectum, cùm votum ſit res meri facti. Imò, quia obligatio non eſt adhibendi tantam diligentiam, quanta eſt in vitan-

vitandis aliis, ignorantia ſolùm eſt permiſſa; ſi verò directè voluntaria eſt, ſtat quidem votum, non tamen neceſſariò. Qui enim vult quid ignorare, jam de eo directè cogitat; ergo & velle id poteſt; poteſt tamen inquiſitio omitti ex alia cauſa, ut ex reſpectu humano &c. cum intentione non ſe obligandi, niſi juxta exigentiam materiæ ſub tali conditione propoſitæ; & ideo examinanda eſt intentio.

2 Ad 2dum ℞. concomitantem poſſe eſſe vel cum diſpoſitione purè habituali, vel cum actuali propoſito vovendi; eſto peregrinatio v. g. per mare ſit. Si 2dum, ignorantia nec eſt cauſa voti, nec excludit ſufficientem cognitionem. Si 1mum, impertinens eſt, quia præter Deum nemo ſcit hæc conditionata: nec homo obligatur per hoc quod facturus fuiſſet, ſed quod actu facit, vel fecit. Dein propoſitum præteritum potuit mutari, uti & conſuetudo.

Ad 3tium ℞. ignorantiam ſic præciſivam non ſufficere, per ſe loquendo, ut rectè Cajet. Soto. Valent. Lop. Nam ignorantia poſitiva magis cauſat involuntarium, quàm privativa. l. *Cùm Teſtamentum.* ff. de Jur. & facti ignor. Et cum hac ſtat judicium verum, quia abſtrahentium non eſt mendacium: & illa ſolùm ſe habet, ut removens prohibens. Conditionalis autem incerta eſt, nec valor actûs pendere poteſt ex conjecturis tam incertis de futuris, nec hæc mutant præſentem voluntatem, ſed relinquunt abſolutam. Dixi, *per ſe*; nam ſecùs eſt tam ſi exprimitur limitatio, quàm ſi ex materia & modo proponendi moraliter conſtat, ſilentium conditionis æquivalere negationi. Judicium autem de his multùm pendet ex deliberatione & intentione voventis. 3

CAPUT XIII.

An præter voluntatem obligandi ſe Deo, neceſſaria ſit promiſſio quæ ſit actus intellectûs?

1 Primò. Promiſſio non eſt quid diſtinctum à voluntate obligandi ſe. Conveniunt omnes, votum conſiſtere in promiſſione Deo factâ, juxta dicta ſuprà: ſolúmque difficultas movetur, quòd non ſint idem, *Promitto & volo promittere.* At duplex ſenſus eſt, cùm dicitur, *volo obligari:* unus, ut ſit propoſitum de futuro: alter, ut ſit voluntas effectiva vinculi de præſenti, *volo ex nunc eſſe obligatus.* In hac ergo poſteriore voluntate, utpote abſolutâ, efficaci, & operante pro ſtatim, conſiſtit promiſſio.

Confir-

2 Confirmatur, quia quod præcedit ex parte intellectûs dictam voluntatem efficacem, evidenter non ſufficit; & quod ſequitur, vel ſolùm eſt reflexio ſpeculativa, vel locutio, conſequenter impertinens in præſenti, & ſupponens obligationem jam contractam. Unde etiam inter homines, quod ultra requiritur, ſolùm eſt in ratione ſigni; ut in Donatione, Matrimonio &c. & ideo Jura dicunt, ſolùm requiri conſenſum mutuum. c. *Cùm locum.* de ſponſal. c. *Sufficiat.* 27 q. 2. quia ſolus eſt propria & per ſe cauſa vinculi. Per accidens autem eſt, in Voto externo peti ſignum; quod ſolùm ſe habet ut conditio neceſſaria conſenſûs, in quo ſubſtantia eſt voti.

Secundò. Ad rationem Voti non requiritur actus intellectûs, qui ſit imperium vel impulſus. Nam proprium imperium cadit in actum humanum, qui imperatur: vel ergo imperatur executio Voti, vel obligatio? Si 1mum, effectus eſt Voti. Si 2dum, Votum ſumitur vel pro ipſo actu vovendi, vel pro vinculo, ut eſt objectum dicti actûs: & hoc poſito, illud per ſe reſultat. Nam alia obligatio eſt ex Jure, ut Naturali vel poſitivo; alia ex facto, ut furto, contractu &c. Promiſſio autem non conſtituit Jus vel Legem, magis quàm Teſtamentum, Matrimonium &c. ſed ejus obligatio oritur ex facto. 3

CAPUT XIV.

An Promiſſio ſit tantùm Promiſſio, vel etiam Traditio DEO facta?

1 Primò. Votum, ut Votum eſt, ſolâ promiſſione validâ ad Deum factâ perficitur; neque ullum eſt Votum ſimplex, quod in ſua ratione eſſentiali Traditionem includat. Nam Doctores per ſolum genus promiſſionis definiunt Votum: pro differentia autem addunt ordinem ad Deum, mediante materiâ capaci. Dein omnes fatentur, dari Votum quod dictam rationem tantùm includat: ergo differentia illa eſt ſpecifica & ultima. Non enim in rerum natura reperiri poteſt differentia generica cum ſola negatione omnium differentiarum eſſentialium: nec differentia ultima eſt ulteriùs determinabilis per eſſentialem; differentiam, ut patet & in phyſicis ſpeciebus rerum & actuûm, & in ſpeciebus boni & mali moralis.

Secundò. Impoſſibile eſt ex ſolis materiis diſtinguere Vota ſimplicia in ratione puræ promiſſionis, & mixtæ cum Traditione. Nam promiſſio & Traditio non diſtinguuntur ex materiis ſeu rebus, circa quas fiunt, ſed ex rationibus formalibus 2

ſeu

ſeu propriis rationibus; quia per Promiſſionem puram non fit Donatio, & utraque circa ſingulas materias eſſe poteſt. Nulla enim eſt materia Voti, quæ non poſſit purè promitti, quia id pendet à libertate, & Promiſſio eſt prior Traditione: ergo in effectu ſeparabilis, ut conſtat in Voto Caſtitatis, Paupertatis &c. non enim eo ipſo fit incapacitas aut ſpoliatio divitiarum &c.

3 Confirmatur, quia licèt Votum ſit de re præſenti in ordine ad futurum uſum, non propterea ſit traditio, ut patet in Voto eleemoſynæ dandæ ex pecunia præſente: & vovens Caſtitatem tradit corpus, ut rem promiſſam, non tamen ut alienam. Quòd verò tale Votum obliget ſtatim ac ſemper, eſt ex qualitate materiæ quæ eſt negativa, & intentione, ut in Voto non furandi, non mentiendi, non nubendi: at Votum Religionis eſt affirmativum. Et in utroque Perſona ſeu res circa quam, eſt de præſenti, & manet ſub dominio voventis: uſus autem ſeu actiones ſunt plures in uno quàm altero, ut in futurum promittuntur: nulla ergo eſt differentia Traditionis ac Dominii à promiſſione, ut ex materia ſumitur.

4 Tertiò. Ex intentione & actione voventis fieri poteſt, ut cum Voto ſimplici conjungatur aliqua Traditio; non tamen ut hæc ſit de eſſentia Voti talis, aut differentia per ſe illud contrahens, vel ut Traditio ſit Promiſſio aut è converſo. Patet exemplis, ut tradendo rem, & promittendo non retractare, ut fit in Congregationibus approbatis & non approbatis ad ſtatum Religioſum, in quibus tradit ſe Perſona, & promittit ſervire. Sempérque quæ hîc conjunguntur, cadunt ſuper diverſa, quia quod realiter & in ſe traditur, ut ſic non poteſt promitti, cùm promiſſio ordinetur ad Traditionem, nec eſſe poſſit de re jam factâ.

Unde unum vinculum non poteſt eſſe differentia contrahens alterius, quia non verſantur circa idem ſecundùm idem, ſed ex materiis & primis actibus diſtinguuntur ad modum potentiarum, habituúm & actionûm. Nam unum eſt de futuro, alterum de præſenti; & ideo de eo quod immediatè & formaliter promittitur, non poteſt eſſe traditio. Et Promiſſio in ratione Voti jam habet ultimum complementum, conſequenter non poteſt in eadem ulteriùs determinari per ſe, ſed ſolùm accidentaliter & denominativè; ſicque pro libertate voventis poteſt Traditio ſeparari à promiſſione & è converſo. 5

CAPUT

CAPUT XV.

An Votum ſit actus à Religione elicitus?

1 Primò. Votum ex ſe eſt actus à Religione elicitus. Nam de intrinſeca ratione Promiſſionis eſt, ut quod promittitur, ſit aliquo modo bonum Promiſſarii; aliàs eſt comminatio, vel actus impertinens, non acceptabilis: ergo tendere debet in honorem, vel commodum alterius. Deus autem non eſt capax alterius boni, quàm honoris: ergo hic ſolus in Voto intendi poteſt.

2 Dices. Sicut Promiſſio eſſe poteſt de amando Deum, ita ex affectu Charitatis tantùm: aut ſi promittere amorem, non eſt amare: ergo nec promittere colere, eſt colere, R. promiſſionem ſervare communem ſuam rationem colendi Deum, ſeu reſpiciendi bonum Promiſſarii: at Charitas non eſt bonum Dei niſi ut cultus: ergo ſicut Caſtitas non poteſt promitti ex puro affectu Caſtitatis, ita nec Charitas ex puro affectu ejus. Licèt autem opus promiſſum tantùm ſit aptum ad cultum, Promiſſio, eoipſo quòd in opus non cadat niſi ſub dicta habitudine, jam eſt cultus, ſéque ipſam quaſi donat in cultum: ſicut promiſſio boni utilis, jam eſt utilitas aliqua, utique *ex ſe*. Quòd enim peregrinâ, vel etiam pravâ intentione fiat, non obſtat, quin actualis obligatio (pro qua ſupponit votum) ſicut in ſe intrinſecè continet cultum, ita ex ſe poſcat ejus voluntatem.

Secundò. Implere Votum eſt actus Religionis, non tamen per ſe elicitus, ſed imperatus. Nam materia Voti non eſt, niſi ordinabilis ad cultum Dei: at ſervare Deo fidelitatem, Religionis eſt, ſicut violare Irreligioſitatis. Duobus autem modis impletio fit, formaliter & materialiter: licèt ergo poſterius ſufficiat ad vitandum peccatum, non tamen ad fructum & utilitatem, quem actus ex Voto habere poſſet: at prius non fit ſine intentione cultûs, & conſequenter imperio Religionis. Vel ergo Votum eſt de actu Religionis, vel alterius Virtutis? Si 2dum, actus non extrahitur è ſua ſpecie, v. g. temperantiæ. Si 1mum, vi Voti non eſt actus elicitus Religionis, ſed ex ſua natura; nec enim repugnat, eundem actum elici ab aliqua virtute, & ab eadem imperari, mediante alio actu. 3

CAPUT XVI.

An omne Votum ſit actus Religionis, & conſequenter ſoli Deo fiat?

1 Primò. Poteſt fieri promiſſio Sancto, vel ſola vel juncta Voto ad Deum. Idem enim fit in alio cultu, ut Oratione &c. & in promiſſione eleemoſynæ fides poteſt adſtringi pauperi, vel Deo, vel utrique. Cultus autem Sancti eſt Duliæ, quia per eum non colitur Deus propriè ut objectum quod adoratur, ſed honor fundatur in Excellentia creata Sancti. Nec poſſumus huic promittere quid, niſi ſub ratione cultûs, nec cum defuncto communicatio aliàs eſt, ſed quatenus Sanctus noſtra cognoſcit, curat, & acceptat.

2 Secundò. De modo tantùm loquendi eſt, an Promiſſio facta Sancto dicenda ſit Votum. Nam poteſt abſtrahi conceptus univocus, ut in ratione cultûs & adorationis, ita etiam in ratione promiſſionis, ut fit Deo vel Sancto, quia utraque tendit tantùm in cultum, eúmque altioris rationis, quàm purè Civilis; & favet modus loquendi: *Voveo B. Virgini*; quamvis nemo audeat dicere: *Sacrifico Virgini.* Cautè tamen loquendum eſt, quia Scriptura ſtrictiùs ſumit Votum, ut factum in recognitionem Benefactoris ſupremi &c. nec illud juxta uſum Eccleſiæ tribuitur Sancto, niſi materialiter, quatenus promiſſio ad illum conjuncta eſt promiſſioni ad Deum, à qua illa firmatur & denominatur Votum.

3 Tertiò. Vota, quæ Sanctis fieri dicuntur, aliquando & ſæpe ita fiunt, ut verè & propriè ſoli Deo promiſſio fiat, quamvis quod promittitur, cedat in cultum Sancti. Nam ſæpe actio quæ verſatur circa unã perſonã, promittitur alteri, ut Petro dotatio filiæ; pendet enim à libertate promittentis obligare ſe uni, & non alteri, quamvis circa alterũ, ſicut circa vinea, agrum &c. Unde in Voto eleemoſynæ pauper ſe habet, non ut terminus Promiſſionis, ſed ut materia tantùm, ut l. *Quoties.* Cod. de Donat. quæ ſub modo &c. Idémque modus frequens eſt in Votis ad Sanctos, ut ad Teſtes verba dirigendo; ſicut cùm coram multis ſolemniter promiſſio fit; *Promitto Petro, & omnibus adſtantibus*; utique ut teſtibus obligationis, quæ uni principaliter nominato fit.

CAPUT XVII.

An opus ex Voto factum melius ſit, magíſque meritorium?

1 Primò. Opus factum ex Voto, melius eſt, ſaltem extenſivè quàm ſine Voto factum; & interdum etiam intenſivè. Ita Scholaſtici omnes.

Nam

Nam Scriptura conſulit Votum: ergo melius eſt præceptum & conſilium ſimul implere quàm illud tantùm; aliàs fruſtra fierent Vota. Dein additur ſic in opere honeſtas extrinſeca honeſtati intrinſecæ, ut temperantiæ, & conſequenter major etiam intenſivè, utpote Religionis; quamvis ſecùs ſit in actu Charitatis, Fidei &c. facto ex Voto. Unde rectè ait Anſelm. opus Monachi (utique quà talis) eſſe melius opere Laici, quod de ſe ſiſtit in Juſtitia in communi, cùm ille donet arborem, non tantùm fructus.

2 Nec refert, etiam Laicum poſſe opus ſuum referre ad cultum; quia adhuc ſtat, opus ex Voto factum eſſe melius, cæteris paribus, quia eſt ex altiore ratione virtutis, & cum majori ſtabilitate, eâque propriâ Voti, cùm in ſolo propoſito non ſit. Unde quâ neceſſitate nova ſpecies malitiæ additur in violatione Voti, eâdem eſt nova ſpecies bonitatis in obſervatione Voti, utique formaliter talis, & non merè materialiter. Nec eſt ſimile de præcepto, quia non addit novam honeſtatem; & comparatio operis perfectionis præcepti cum opere imperfectiore Conſilii non eſt ad rem, cùm eſſe debeat de eodem omnino opere, & cæteris paribus.

Secundò. Actus ex Voto factus,
3 cæteris paribus, magis meritorius eſt quàm factus ſine Voto. Nam bonum opus, ſi aliæ conditiones concurrunt, eſt meritorium: ergo eò magis cæteris paribus, quò melius eſt, ſaltem quantùm ad accidentale prœmium, ut certiſſimum eſt ſic indiſtinctè loquendo de merito; & oppoſitum, ut erroneum damnat S. *Thom.* Idem autem eſt de prœmio eſſentiali; quia incredibile eſt, non plus mereri promiſſionem Caſtitatis quàm eleemoſynæ, nec obſervationem prioris Voti quàm poſterioris formalem (ſtatus enim ſolus Monachi non facit opus dignius) ſi Charitas par ſit, quá Votum utrumque elicitur.

Dices. Minuitur libertas. 2. Sequitur diſplicentia. 3. Opus ex præcepto erit minus bonum quàm opus Conſilii. 4. Jurare melius erit quàm oppoſitum. Ad 1mum, R. Votum relinquere indifferentiæ libertatem, quia obligatio non determinat potentiam, ſed plus movendo auget voluntarium. Additur etiam novus uſus libertatis in fidelitate ſervandâ, ultra temperantiam &c. ſempérque addi pôteſt uſus reflexus. *Licèt non voviſſem, adhuc facerem.* Ad 2dum, R. diſplicentiam, cæteris paribus, facere, ut opus tepidè fiat, contra 2. Cor. 9. *Non ex triſtitia &c.* At voluntas poteſt tantâ fortitudine reſiſtere triſtitiæ, ut meritum inde creſcat: quod maximè fit, quando triſtitia non eſt ex tepiditate aut habitu, ſed ex cauſa extrinſeca vel involuntaria. 4

5 Ad 3tium. R. opera præceptorum ex genere eſſe meliora, cæteris paribus, propter majorem connexionem cum Charitate, neceſſitatem & honeſtatem virtutis, fructúmque obedientiæ. Igitur opus Conſilii dicitur de meliore, vel comparando ad opus repugnans, vel cum incluſione, non præciſione, quia utrumque ſervari præſtat; & Conſilia ordinantur ad ſervanda præcepta; vel denique comparatio fit reſpectu diverſorum operum, quia reſpectu ejuſdem Præceptum, quantùm eſt de ſe, auget bonitatem Ad 4tum, R. opus juratum non ita ordinari ad cultum, ut opus Voti; quamvis ut ſervatur ex Religione, utique creſcat.

CAPUT XVIII.

An Votum ſit per ſe expetendum, & expediens?

1 Primò. Votum ita eſt ſecundùm ſe honeſtum, & per ſe appetibile, & ad perfectionem expediens, ut ſimpliciter cadat ſub conſilium. Eſt de Fide juxta Authorem, quia Scriptura laudat & conſulit pſ. 75. Lev. 17. Num. 6. & 10. Deut. 12. & 23. Iſa. 19. Mat. 19. & 1. Tim. 5. junctis Patribus Aug. Hier. Chryſ. Fulg. Tertull. & aliis de Votis Monaſticis. Faciúntque exempla Legis Naturæ, Veteris, & Novæ. Ratio evidens eſt, quia per Votum firmatur voluntas, ſícque cernitur & magna honeſtas & ſumma utilitas, ut ob liberalitatem erga Deum per oblationem ſtabilem. 2. Quia Votum ſuo modo eſt principium meliorum operum, juxta dicta cap. ſup. 3. Quia eſt ratio ſæpius & certiùs bene operandi. 4. Quia Deus maximè colitur vel honorando vel agendo gratias vel ſe illi ſubmittendo. Unde ſtatus Religionis ſub conſilium cadit, ut de Fide eſt, & Votum Religionis, ſeu vovendi eſt optimum; omnéque Votum eſt de meliore bono.

Armacanus ergo, ut circa perfectionem Voti, ita hîc circa utilitatem ejus graviter erravit. 2 Nam conſtat de differentia Juramenti & Voti, quia licèt Scriptura Vetus jungat utrumque, tamen Chriſtus non ampliat declarationem ejus ad utrumque. Nam in illo ſupponi debet neceſſitas confirmandi veritatem, de ſe utique non ordinata ad cultum Dei, ſicut nec actus propter hunc inſtitutus eſt per ſe: at Votum vi intrinſeci finis conſulitur. Nec ex hoc naſcitur morale periculum, quia ſi ſola obligatio ad hoc ſufficit, ergo tollatur præceptum omne, contractus omnis, uſus oculorum (ut ait Ambr.) in eo, *qui timet lapſum incontinentiæ*. Porro *Felix neceſſitas, quæ ad meliora compellit,* uti-

utique voluntariè ſuſcepta, ſecluſo metu &c. nam involuntaria dicitur *laqueus*, 1. Cor. 7. non voluntaria, quæ *præbet facultatem ſine impedimen- Dominum obſecrandi.*

3 Secundò. Licèt Votum de ſe expediat, tamen in praxi ſervanda eſt prudentia. Nam licèt bonum per ſe conveniens ſit, loquendo ſecundùm ſe, ſecùs eſſe poteſt de applicatione ad talem perſonam, materiam &c. Prius autem ad Doctrinam ſpectat, poſterius ad prudentiam: vel ergo timetur periculum ex generali tantùm mutabilitate perſonæ, vel ſpes eſt frequentiùs ſervandi Votum, quamvis cum probabilitate lapſuûm, vel lapſus creditur fore frequentior? Si 1mum, ceſſat difficultas, quia abeſt morale periculum. Si 2dum. Votum & licet & expedit, quia periculum morale non eſt, ſive in particulari, ſive ex Voto. Si 3tium, Votum erit laqueus. 1. Cor. 7. quamvis nemo de ſe id præſumere debeat, niſi experientia certa ſit. *Quòd ſi non ſe continet &c.*

4 Similiter ex parte materiæ attendi oportet, an periculum ſit. Nam quò Votum eſt de perfectiore, univerſaliore, & perpetuo bono, eò plures circumſtantiæ perpendendæ ſunt; eadémque proportione, ſi major ſit frequentia actuûm, diuturnitas temporis &c. Quòd ſi Votum ſit ad unum actum, utique proportionatum voventi, ac eo facto finiatur, rarò eſſe poterit periculum.

CAPUT XIX.

Quæ ſint Diviſiones Votorum ex parte actûs, & an aliqua eſſentialis ſit?

1 Primò Votum (miſſis variis diviſionibus, quæ ad illud propriè ſumptum non pertinent) dividitur in conditionatum & abſolutũ. Quorum hoc ſit ſimpliciter & ſine conditione, illud verò cum conditione ſuſpenſivâ obligationis, utique poſitâ ex parte objecti, non ſolius actûs. Nam dicens, *Si Petro viſum fuerit, promitto Caſtitatem*, non promittit, ſed aſſerit vel proponit conditionatè: ergo promiſſio, eſto conditionata, debet eſſe de præſenti. Unde non ita ſuſpenditur obligatio, ut Votum nullo modo obliget ſtatim, ſed quoad executionem, ita ut opus non ſit novo conſenſu, ſed conditione impletâ Votum eoipſo tranſeat in abſolutum.

2 Soto conditionatum Votum deſcribens vult, quòd quoties homo ad aliquam rem affectus eſt, ſed obſtat impedimentum, aut non ſuppetit facultas, vovet conditionatè. Sed hæc deſcriptio nec convenit omni conditionato,

nec ſoli. Non omni, ut patet in Voto pœnali, vel facto tempore naufragii, morbi gravis &c. Non ſoli, ut patet in exemplis, quæ Soto ponit de ingredienda Religione poſt mortem matris, ſtudia abſoluta &c. nam abſoluta Vota ſunt, niſi conditionatum eſſe velit omne affirmativum, quod non obligat ad ſtatim. Nec refert dici, *Si facultas ſit*; nam licèt ſonet ut conditio, in re ſolùm eſt determinatio & limitatio materiæ, perinde ac ſi dicas, ſi commodè potuero; quod intrinſecum eſt omni Voto, eſto ad tollendam dubitationem aliquando exprimatur.

Duo ergo poſtulat Votum conditionatum; alterum eſt, ut conditio ſit de futuro contingente, non de præſenti vel præterito, & ut ſupperaddita ſit ſpecialiter per voluntariam intentionem. Nam conditio generalis intrinſecè includitur in omni Voto; conſequenter hoc non diſtinguit ab abſoluto. Dein ſi conditio eſt præſens vel præterita; ergo ſuſpendit notitiam & executionem tantùm, non obligationem; idémque eſt de conditione futurâ neceſſariâ, *ſi cras ſol oriatur:* nam tempus tantùm deſignatur, perinde ac ſi dicas, *cras faciam.*

4 Alterum eſt, quòd dictum Votum in proprio objecto includere debeat conditionem, quæ conſenſum reddat aliquo modo ſuſpenſum. Sumitur ex c. un. §. *ille* de ſponſal. in 6. & à pari cum aſſenſu hypothetico. Nam Votum peregrinationis &c. ſi abſolutum eſt, ſimpliciter terminatur ad peregrinationem; conditionatum verò non ſimpliciter, ſed juncto addito, *Si ſanitas reſtituatur*, quaſi reſervando obligationem ad eventum, & eo ſecuto, ſimpliciter ad peregrinandum. Et hæc propriiſſima differentia eſt utriuſque Voti. Nam ſine dubio multùm intereſt inter animum differendi tantùm executionem pro tempore, quod opportunum videtur, & animum obligandi ſe ſub conditione futura contingente, ut patet in pactis inter homines, quæ non fiunt conditionata propter limitationem temporis, magis quàm loci, & circumſtentiæ alterius. Sed quia verba ſæpe ambigua ſunt, ſpectanda eſt intentio, an fuerit de obligando ex tunc ſimpliciter, cum dilatione ſolùm temporis propter meliorem opportunitatem; an de non obligando ſimpliciter, ſed ſtante conditione?

Secundò dividitur votum in Pœnale, & non Pœnale. Quorum prius vel eſt purè Pœnale ſeu unicum, vel mixtum directivo; ut eſt abſolutum de non ludendo, & conditionatum de eleemoſyna danda, ſi ludas. Regulariter tamen fit purè 5

quan-

quantùm eſt vi verborum: in dubio autem ſtandum eſt intentione, & ſi hæc explicari non poſſit, proprietate verborum. Aliquando autem pœna intenditur, ut coërcitiva tantùm; aliquando ut medicinalis contra recidivam.

6 Dictis diviſionibus adde. 1. quòd aliud votum ſit mentale & internum, aliud externum & ſenſibile; quod propriè tale eſt, cùm & actus & materia ſenſibiles ſunt. 2. Aliud expreſſum, aliud tacitum eſt: quæ eſt ſubdiviſio externi, nec ferè locum habet in ſimplici, niſi quando ſignum aliquod eſt appropriatum ſtatui, ut in Cruce ſignatis, veſte Devotarum. c. *Licèt*, c. *Magnæ*, c. *Quod ſuper.* de Voto. 3. Aliud eſt occultum, aliud publicum; quod propriè eſt, cùm fit coram pluribus, & loco publico: nam ſi coram duobus tantùm, probabile ſolùm eſt. 4. Aliud denique ſimplex, aliud ſolemne eſt. c. un. de Vot. in 6. ſolemne autem ſubſtantialiter tale & debet eſſe omnino abſolutum, conſequenter perpetuum, & reddere inhabilem ad matrimonium, vel divitias &c.

LIBER II.

De Materia Voti & Diviſionibus ejus ex parte materiæ.

CAPUT I.

An materia Voti debeat eſſe poſſibilis, & quotuplex illa ſit?

1 Primò. Materia proxima neceſſariò eſſe debet aliquis actus humanus. Ita omnes ſupponunt, tanquam per ſe clarum. Nam materia debet eſſe in poteſtate voventis: ſolus autem actus ejus humanus eſt in poteſtate immediatè: ergo ſolus eſt, in quem proximè & immediatè cadit votum. Sic qui promittit, promittit dare vel facere; & his verbis ſignificantur actiones humanæ, utique ſub actione comprehendendo omiſſionem. Repugnat ergo Votum eſſe de actu neceſſario abſolutâ neceſſitate, cùm obligatio non ſit niſi moralis & præcepti: ergo ſi hæc deſinit, cùm actus fit impoſſibilis, à fortiori non naſcitur in principio ad impoſſibilem, ſed nullum eſt votum, promiſſio, contractus, præceptum &c. c. *Nemo.* de R. J. in 6. l. *Impoſſibilium.* ff. eod.

Secun-

1 *S*ecundò. Materia remota complectitur res omnes, quibus per actus humanos ad Divinum cultum uti poſſumus, ut ſunt materia usûs talis. Nam materia remota eſt res omnis, quæ vel cadit ſub materiam proximam, vel ad illam neceſſaria eſt, ſive cadat ſub votum, ut efficienda, aut poſitivè donanda, ſive ut vitanda. Unde debet eſſe poſſibilis ut in ſe, ita in ordine ad uſum hominis, quia prior poſſibilitas ſola eſſet impertinens. Quòd autem neceſſaria ſit, non refert, ſi uſus ejus liber eſt, ut morbi, ſitis &c. quia eatenus tantùm cadit ſub votum patienter ferendi, non vindicandi injuriam; ut David libavit DEO aquam. Igitur quisque promittere ſolùm poteſt, quæ & quatenus ſub ſua poteſtate ſunt, quia votum eſt de poſſibili reſpectivè; ſcilicet voventi, ut de procuranda actione aliena.

CAPUT II.

An in materia impoſſibili pars poſſibilis ſit materia voti?

1 *P*rimò. Reſolutio pendet ex materia & intentione. Nam ab illa pendet capacitas obligationis, & ab iſta obligatio actualis. Unde pars quæ manet poſſibilis, debet manere utilis & honeſta, juxta R. J. 37. in 6. aliàs deeſt capacitas. Dein debet actus qui manet, eſſe ejusdem rationis, ſub qua promiſſus eſt. Non enim Votum fit de quolibet honeſto, ſed ſecundùm rationem & ſpeciem, quæ verbis ſignificatur. Ut ſi Confeſſio, jejunium, ædificium templi &c. fieri nequit, Votum non obligat ad contritionem, formam aliam jejunii &c.

2 Secundò. Quoties materia non eſt totum aliquod, moraliter & ſecundùm uſum ordinarium indiviſibile, ſed ſolùm eſt vel ſpecies actuûm, vel multitudo aut collectio eorum, perſtat obligatio ad partem poſſibilem, ubi de contraria intentione non conſtat. Ita communiter Theologi & Summiſtæ. Nam quando votum eſt de materia tota per modum unius confuſi ſeu potentialis vel aggregati; vitium partis unius non afficit alteram, ſed ſingulæ per ſe promittuntur, & omnes quaſi diſtributivè; ſicque virtute fiunt vota ſingula pro ſingulis partibus, ut rectè Gl. l. *Siquis ita.* 2. ff. de condit. Jnſtit. & ſumitur ex c. un. §. *Idem.* de Deſpon. Impub. in 6. c. *Ad noſtram.* 3. c. *Quemadmodum* de Jurejur. c. *Quidam.* c. *Placet.* de Conv. Conjug.

Unde neceſſe non eſt, ut ſit major ratio unius partis quàm alterius, ut Soto vult. Nam juxta omnes ſufficit in voto jejunii, prudenter poſſe determinari numerum dierum, quia determinatio ad tales potiùs 3

eſt

eſt materialis & libera, ſicut in aliis in quibus materia definita non eſt in individuo. Quod verò Soto affert de pravo fine, ad rem non eſt, quia finis & actus promiſſus, non comparantur, ut duæ partes promiſſæ per ſe ſeparabiles, ſed finis eſt tota ratio operandi. Secùs ergo eſt de partibus ſeparabilibus, ut in Officio Canonico &c. Optima enim regula eſt, ut votum intelligatur obligare, ſicut præceptum in eadem materia, quia eadem eſt ratio utriusque; & votum intelligitur fieri, juxta morem communem Eccleſiæ, ergo ut actus præcipi vel conſuli ſolet.

4 Tertiò. Quoties impoſſibilitas materiæ provenit ex modo acceſſorio actui principaliter promiſſo, Votum obligat ad ipſum actum ſecundùm ſe, ſecluſo modo; niſi hic propter minuendam difficultatem additus ſit, aut de contraria intentione voventis conſtet. Sic juxta S. Thom. & omnes, valet votum eundi Jeroſolymam flexis genibus, quia defectus accidentalis non deſtruit ſubſtantiam, nec impedimentum acceſſorii redundat in principale c. un. de Conſ. Eccl. in 6. Virtualiter enim concurrunt duæ voluntates; una ad actum principalem, altera ad modum ejus: & illa fuit abſoluta, non ſub conditione modi. Et è converſo impoſſibilitas in principali redundat in acceſſorium; ut ſi peregrinari nequeo, non teneor ſacco indui.

Unde clara differentia eſt inter modum arduum, & alium facilitandi gratiâ appoſitum voto, nam impoſſibilitas prioris non mutat voluntatem actûs principalis: at notabilis difficultas, licèt acceſſorius ſit modus in ordine ad actum, tamen in ordine ad conſenſum cenſetur de ſubſtantia eſſe. Quia verò liberum cuique eſt, connectere non connexa ſecundùm ſe, & principale nolle niſi ſub conditione modi, in foro interno credendum eſt aſſerenti, quòd addiderit, *Sic & non aliter.* 5

Sin vovens neſciat, ſpectandum eſt motivum principale, an pendeat, nécne ex modo vel circumſtantia. Nam conſtat ex fine pendere totam voluntatem: ergo tunc modus reſpectu motivi eſt materia principalis, licèt reſpectu actûs cenſeatur acceſſorius, ut in voto Religionis ex affectu ad talem locum; aut ſi quis vovit confiteri præcisè ratione Jubilæi, hoc ceſſante, ceſſat obligatio. Denique ſi nec ex fine nec ex circumſtantiis conſtet ſatis de intentione, ſtatur dictis regulis. Nam conſtat & de voto, & de modo ordinariæ intentionis; & non conſtat de extraordinaria intentione: ergo non poteſt allegari poſſeſſio libertatis, utpote dubia. 6

CAPUT III.

An fieri poſſit Votum non peccandi, & ad quid obliget?

1 Primò. Valet votum nunquam peccandi mortaliter. Nam licèt regulariter ſit imprudens, quia plus periculi eſt quàm utilitatis regulariter; tamen actus eſt de re moraliter poſſibili per Gratiam: nec ſufficit difficultas in ſubjecto ad annullandum, ſicut nec difficultas reddendi facit contractum nullum. l. ult. ff. de Action. empt. l. *Continuus.* §. *Illud.* cum ſeqq. ff. de V.O. ubi Gl. notat, ſatis eſſe, quòd res per alium fieri poſſit: quod enim per amicos poſſumus, ſimpliciter poſſumus.

2 Secundò. Votum nunquam peccandi venialiter ex plena advertentia valet, quamvis minùs conſulendum quàm prius. Nam quod requirit moralem deliberationem, etiam includit moralem poteſtatem faciendi & non faciendi. Dein Gratia hæc non pendet ex ſpeciali Privilegio, quod ſit præter Legem ordinariam, ſed ex majore benevolentia Spiritûs S. dividentis ſingulis prout vult. Et ita multis perfectis vel ad perfectionem tendentibus, conceditur pro aliquo vitæ tempore.

3 Tertiò. Votum de non peccando ullo modo, non obligat ad ſui obſervationem, quoad totam illam materiam. Ita omnes. Nam ſecluſo privilegio ſpecialiſſimo, eſt de impoſſibili; itémque ex ſe inutile, ſempérque nocivum, ſi obligaret: ergo veroſimile non eſt, quòd acceptetur. Dein ſicut deliberationem moralem requirit Votum, cùm fit; ita etiam in executione, loquendo per ſe, nam poſcit materiam ſibi proportionatam: ergo ut ipſum, ita & materia debet eſſe plenè deliberabilis.

Dices. Lex Divina obligat ad vitandum motum ſecundò primum. 4
2. Si propoſitum ita extendi poteſt, ergo & votum. 3. Motus ſecundò primus non eſſet tranſgreſſio Voti. Ad 1mum ℞. Objectum dictæ Legis non eſſe phyſicè impoſſibile; dici autem abſolutè tale, quia humano modo nunquam fit ſine ſpeciali Privilegio. Lex autem Divina poteſt ſic extendi, quia eſt à ſuprema voluntate, cùm Lex humana præcipere nequeat nimis ardua. Dein obligatio vitandi dictum motum, eſt velut proprietas naturalis, conſequens ad lumen rationis, cui accidentaria eſt moralis impoſſibilitas, ex appetitu ſentiente orta, quia eſt obligatio per ſe neceſſaria & ſufficiens ad rectitudinem morum & Legis naturalis. At obligatio Voti nec eſt naturalis, nec in dicta materia utilis vel expediens ad honeſtatem morum.

5 Ad 2dum ℟. propoſitum abſolutum & efficax eſſe non poſſe de omni veniali vitando, ſed ſolùm de faciendo quod homo poteſt: ergo de objecto valde confuſo, & cujus executio vix diſcernitur humano modo. At votum eſſet debet de re determinatâ, quæ moraliter loquendo cognoſci poſſit, ſaltem probabiliter, cùm impletur: quis autem ſciet, an fecerit quod in ſe eſt, in vitanda ſubreptione? Ad 3tium ℟. aliud eſſe, actum indeliberatum per ſe aſſumi, ut materiam; aliud, illum eſſe transgreſſionem Voti. Sicut enim Lex quæ eſt de re per ſe deliberabili, connaturaliter prohibet Votum ſubreptitium, ita etiam Votum in determinata materia: quod non eſt inconveniens; eſſet autem maximum, ſi in omni materia.

Quartò. In dicto Voto obligatio eſt vitandi omnia peccata deliberata, ſaltem mortalia. Oppoſitum tenent Soto, Nav. Aragon. Valent. Sanch. Rodriq. quòd votum ſit de toto per modum unius integræ materiæ; eò quòd non ſit major ratio de unis quàm aliis. Sed inprimis pars poſſibilis non eſt per ſe connexa cum impoſſibili: & utique major ratio eſt de deliberatis & de mortalibus; aliàs ſimiliter dicetur votum de Virginitate, vitandis mortalibus &c. fieri de toto per modum unius; quod negat Sanchez de Voto Jejunii l. 9. D. 35. Et Votum confitendi omnia venialia obligat ſaltem de his, quæ poſt diligens examen occurrunt. Idémque intellectus probatur c. *Ad noſtram*. 3. de Jurejur. 6

CAPUT IV.

An Actus moraliter malus poſſit eſſe materia Voti?

1 Primò. Non poteſt dictus actus eſſe materia Voti. Nam eſſet obligatio ad contradictoria, & fieret comminatio Deo; ſícque evidens eſt non acceptari. c. *In malis*. 22. q. 4. l. *Generaliter*. cum ſeqq. ff. de V.O. l. *Juris Gentium*. §. *Si ut maleficium*. ff de Pact. Nec refert, an Lex ſit Divina vel humana, quia vel ſupponitur perſtare, vel ceſſare? Si 1mum, conſtat impoſſibilitas Voti. Si 2dum, ſuppoſitio falſa eſt, quia privata voluntas non habet efficaciam contra Superiorem, *Melior eſt obedientia* &c. Similiter non refert, an malitia ſit venialis, an ex objecto talis vel ex circumſtantiis, an contra Juramentum, Votum, Promiſſionem ſimplicem &c. Semper enim actus eſt de materia incapaci, & ſicut non acceptatur, ſi eſt de aliena ſubſtantia. Eccli. 34. ita nec de re alteri promiſſa. Denique non refert, unum vinculum obligare graviùs altero, quia quodlibet debet eſſe de materia capaci.

2 Secundò. Idem eſt de actu indifferenti. Nam & in individuo malus eſt, & tanquam impertinens non acceptabilis. Nec refert poſſe actum fieri bene per relationem ad bonum finem, quia talis relatio non debet fieri ex mera libertate aut falsâ apprehenſione, ſed ſupponendo utilitatem vel proximam vel mediatam ad dictum finem: aliàs actus ut in ſe & in re eſt, manet inutilis & impertinens, ut *volo ire in agrum propter Deum* &c. Relatio enim in re eſt ſuperſtitioſa, non ſuppoſitâ dictâ utilitate. Rurſus qui vovet actum indifferentem, ita vovet, ut ſi fiat ut promiſſus eſt, maneat inutilis in individuo: at in individuo debet eſſe acceptabilis. Nec enim ſe obligat quis ad apponendum bonum finem, maximè ſi movet delectatio &c. vel cùm non niſi multis mediis interpoſitis, deberet reperiri dictus finis. Quòd ſi actus immediatè ad illum confert, conſulenda eſt intentiô, ut non ludendi cum Petro tantùm, non ingrediendi domum hanc, quidquid ſit de aliis; nam etiam minuere occaſiones, honeſtum eſt, utique intendendo fugam earum, ut talium.

Tertiò. Si actus ineptus eſt ob finem malum vel indifferentem, qui ex parte materiæ ſe tenet, poteſt valere votum, ſi rejecto inutili, ſtet utile. Si enim primariâ intentione fertur quis in malum, non volendo actum, niſi affectum tali fine vel circumſtantiâ per modum ur ius objecti; conſtat nullitas Voti: quia non attenditur, quid potuerit, ſed quid voluerit quis vovere; cùm menſura obligandi, ſuppoſitâ poteſtate, ſit voluntas voventis. Sin intentio ſolùm ſecundaria ſit dicti finis vel circumſtantiæ, ergo ſubſtantia voti eſt ſeparabilis à modo, quia virtute fiunt duo vota, juxta dicta de Voto Impoſſibilium. 3

CAPUT V.

An actus honeſtus ſub conditione turpi poſſit eſſe materia Voti?

1 Primò. Votum pœnale in odium mali tenet. Conſtat enim per ſe valere Votum disjunctivum, *aut non peccabo, aut ſic me puniam.* Finiſque actûs optimus eſt, ſcilicet vitatio mali: vindicta autem non poteſt per ſe intendi, ſed ex hypotheſi admiſſi peccati.

2 Secundò. Votum pro bono effectu tenet, ſiquidem illud nullo modo ordinetur ad actum turpem. Ita Communis. Nam juxta dicta de Oratione, poteſt ſpirituale ordinari ad temporale bonum impetrandum, ut quotidie fit: ergo ſecluſo ordine ad turpem actum v. g. fornicationis, ordinari Votum ad filium impetrandum, bonum eſt. Excluditur autem

tem ordo ad turpe, quantùm eſt ex forma & intentione vovendi; quia licèt actus turpis præcedat, ut duellum, tamen intentio eſt quaſi conditionata, ſi peccavero, peto ut DEUS concedat tempus pœnitendi. Nec enim effectus ſequitur ex actione, ut turpis eſt, ſed ut naturalis eſt; éſtque effectus valde poſterior & extrinſecus.

3 Tertiò. Votum factum ad obtinendum auxilium pro facto turpi, nullum eſt. Nam finis non tantùm eſt actûs vovendi, ſed etiam materiæ, ut ſi eleemoſyna vovetur pro obtinenda victoria injuſta. Movet enim hæc obtentio non tantùm ad vovendum, ſed etiam ad executionem Voti, imò priùs ad hujus propoſitum quàm ad Votum, quia aliàs non ſperaretur obtentio, nec eſt ratio vel occaſio apponendi talem conditionem, niſi ſit ſub habitudine cauſæ ad obtinendum intentum. Dicere enim, quòd apponatur pro mero arbitrio ſine alio titulo vel ratione, nec verum eſt, nec morale, & ideo finis turpis ſuſcipiendi Ordines &c. non movet ad Caſtitatem, Obedientiam &c. Nec refert, Votum impleri poſſe ſine relatione turpi, quia ſatis eſt, quòd vi intentionis ordinetur opus ad finem pravum, & hunc maximè poſtulet, quia non vovetur ſub ratione ſolâ eleemoſynæ, ſed ſub ratione quaſi mercedis, ſeu ſtipendii pro auxilio ad pravum: ergo eatenus finis ſe tenet ex parte materiæ, formaliter iſtam ſpectando.

Dices. Peti quod DEUS dare ſanctè poteſt, quin homo intendat illum facere Authorem peccati, quia ſolùm cupit victoriam eo modo, quo concedi poteſt etiam injuſtè militanti. ℟. Aliud eſſe, ſolùm deſiderare permiſſionem mali; aliud petere à DEO. Poſterius ſacrilegum eſt, quia non petitur bonum, niſi ut medium ad actum pravum: & DEUS malè ac contra Bonitatem ſuam faceret, ordinando permiſſionem, ut medium ad finem peſſimum petentis. Nec enim hujus intentio poteſt ſeparare materiale à formali; quia tale bonum reſpectu hominis ſemper eſt finis pravus, vel quia per ſe eſt contrarium rationi, ut voluptas in fornicatione, vel quia obtinendum per medium iniquum, ut honor per injuſtam vindictam. 4

Quartò. Votum factum in gratiarum actionem pro victoria injuſtâ jam partâ, aut ſimili termino actionis turpis jam factæ, valet, ſi alioqui ſit de materia capaci. Nam Votum, utpote ſubſequens, non reſpicit permiſſionem Divinam, ut medium, ſicut fit in Voto Impetrativo: ergo ſiſtitur in effectu, qui bonus eſt. Oportet autem, ut gratiarum actio pura ſit; quia ſi votum præceſſit, & ſola ejus executio ſequitur obtentionem dicti termini, ergo jam fit profeſſio, quòd 5

quòd impetratum fuerit quod quis voluit. Fítque ſolutio tanquam pretii iniquo pacto comparati; quod quidem non repugnat homini, ſed Divinæ Bonitati: ergo in agendis gratiis præſcindi debet à Voto, quia aliàs non præſcinditur ut ab Impetrativo.

6 Similiter neceſſe eſt, ut bonum pro quo fit gratiarum actio, ejusmodi ſit, ut etiam retentio ejus licita ſit. Nam ſi perſtat injuſtitia occupati Regni, ergo per actionem gratiarum tribueretur DEO injuſtitia, cum virtuali petitione conſervationis, & gaudio de iniquitate: ergo eſt impia gratiarum actio. Duo ergo ſunt in victoria injuſta; unum, immunitas à propria cæde; alterum, offenſio alterius. Poſterius quia injuſtum eſt, nec petitionis nec gratiarum actionis capax eſt: prius verò utriusque, quia non petitur ut medium ad offendendum, ſed ut per ſe bonum eſt; ut ſi Votum fit eleemoſynæ, ſi incolumis evadas è duello.

Quintò. Si conditio turpis habet rationem puræ conditionis, non cauſæ, finísve &c. non obſtat Voto. Nam ſicut non obſtat conditio indifferens, *Si ſoror nupſerit* &c. *ingrediar Religionem*, ita nec turpis, ſi pura conditio ſit voti, quia neque materiam hujus inficit, nec ipſummet actum vovendi, tanquam circumſtantia prava. Aliunde verò, quòd turpis ſit, non habetur pro non adjecta, ut ex præſumptione Juris fit in favorem matrimonii. c. ult. de condit. appoſ. Nam in præſenti cùm deſit Jus poſitivum, ſolùm agimus ex Jure naturali. 7

CAPUT VI.

An actus boni, qui de præcepto ſunt, poſſint eſſe materia Voti?

1 Primò. Vera & Catholica ſententia eſt, actus præceptos poſſe eſſe materiam Voti propriiſſimè dicti. Oppoſita enim Gerſon. quòd Religioſus fornicando non violet Votum, erronea eſt, & contra ſenſum ac praxin Eccleſiæ, ex qua conſtat voveri Caſtitatem etiam præceptam; aliúdque eſt votum Caſtitatis, aliud non nubendi: idémque patet ex profeſſione Fidei, *Voveo ac Juro*. Nec enim per hoc arguitur inefficacia Legis in obligando, ſed voluntas noſtra mutabilis firmatur, vinculum vinculo addendo, ut quotidie fit inter homines. 1. Eſdr. 10. Pſal. 118. *Juravi* & *Statui* &c. l. *Scire*. §. *Si à fure*. ff. de V. O. Quia ergo lex in facto inefficax eſt ad extorquendam obedientiam, & quia nova honeſtas additur ex novo titulo, dicta materia utique placet DEO,

Secun-

2 Secundò. Non obſtat votum dici opus ſupererogationis & de meliori bono. Non enim ſupererogatoria dicitur materia propria, ut diſtinguitur ab impropria, ſed contra communem omnibus; nec etiam quia adæquata ſit, ſed præcipua, & de ſe magis proportionata ſpontaneæ obligationi. Dein etiam actus præcepti computantur inter meliora bona, quia præferri debent omnibus non præceptis, & repugnantibus. Quòd verò Votum ſit ita de meliori, ut per hoc ſolùm intelligatur, quod ad melius eſſe conſulitur; nec Jure, nec ratione, nec authoritate probari poteſt. Nam c. *Quia circa.* de Bigam. c. *Presbyter.* d. 28. agunt de fornicatione in ordine ad Bigamiam, ut retinet nomen ex parte complicis; ſacrilegium verò alibi ſatis exprimitur, ut c. *Impudicas.* c. *Virgines.* c. *Sciendum.* 27. q. 1. & per multa capita d. 81. & c. 3. de Conv. Conjug. c. *Rurſus.* Qui Clerici &c.

Tertiò. Si votum repetitur circa eandem materiam, ſolùm fit confirmatio. Nam obligationes quæ ejusdem omnino rationis ſunt, non multiplicantur circa idem, ut ſi denuo vendam, denuo promittam, denuo donem &c. quia primus actus efficit totam obligationem: & ideo etiam Lex humana cùm naturali ſuperadditur in eadem materia, non multiplicat obligationem, ſi quidem ſecundùm eandem rationem ſeu motivum procedatur. Secùs autem eſt, ſi ſit ſub diverſa ratione, ut in furto ſacrilego. Similiter ergo votum, quoad factum conſtituit actum ſuum in materia fidelitatis, & eatenus multa quæ lex non poſſet, reddit neceſſaria. Unde etiam neceſſariis ex Religione, ut auditioni Miſſæ &c. addit novam ſpeciem. 3

CAPUT VII.

An actus Virtutis impediens meliorem, eſſe poſſit materia Voti?

1 Primò. Votum ut valeat, debet eſſe de meliori. Nam juxta definitionem Antiquorum, Votum eſt propoſitum melioris boni, promiſſione firmatum: obligatio autem eſſe nequit ad omittendum melius; quia DEUS non acceptat, ſed ejus voluntas eſt ſanctificatio noſtra; ſecùs ac homo, qui quidem optat melius, ſed acceptat etiam minùs utile. Aliud autem eſt operari minus bonum; aliud, obligari ad hoc cum impedimento majoris. Prius acceptat DEUS, quia non tollit poteſtatem in futurum.

Secundò. Per bonum melius non intelligitur, quod de conſilio tantùm 2

2 tùm eſt, ſed comparando ad repugnans tantùm. Duplex autem repugnantia eſt, alia actu tantùm, alia etiam aptitudine & in futurum. Prior non obſtat abſolutæ obligationi, ut in Voto ducendi pauperem, dandi quid templo &c. quia accidentarium eſt ex parte ſubjecti, non poſſe ſimul præſtari & bonum & melius: & ſi terminus non eſt præfixus, utique executio minoris differri poteſt propter majus Dei obſequium, quia pro tunc tempus executionis non poteſt prudenter judicari opportunum. Simpliciter etiam minus omitti poterit per commutationem in melius, quia conditio intrinſeca nec facit actum conditionatum, nec obſtat firmitati, cùm ſolùm mutatio fiat ad arbitrium Creditoris; ſicque Votum maneat & abſolutum & ſimpliciter firmum.

CAPUT VIII.

An omnis actus virtutis, qui non reddit inhabilem ad opera Perfectionis, poſſit eſſe materia?

1 Ratio dubitandi eſt, quia tres ſunt ordines bonorum, in quæ cadit Votum, ſcilicet præceptorum, ſtatûs perfectionis ſeu inſtrumentorum univerſalium ad Perfectionem, & ſuperogatorium aliorum. Alii ergo actus medii ſunt, ut delicatè comedere, ire ambulatum &c. qui nec mali ſunt nec boni, quamvis bene fieri poſſint. At ridiculum videtur eſſe Votum delicatè comedendi. In contrarium tamen eſt, quia omnia in Gloriam Dei fieri poſſunt, & in melius commutari poſſe, generale eſt. Adde, dictos actus ſaltem mediatè cadere poſſe ſub Votum obedientiæ, & à Superiore præcipi immediatè: cur ergo non etiam voveri?

2 Primò. Actus medii poſſunt eſſe materia Voti, ſi non abſolutè, ſed quoad ſpecificationem voventur, ut ſi luſero, ludam honeſtè. Nam actus reſolvitur in negationem peccati, ut vitationem otioſitatis in loquendo: ergo quantùm eſt ex honeſtate materiæ, valet, quidquid ſit de impoſſibilitate, nimietate &c.

Secundò. Regulariter Vota abſoluta de dictis actibus non valent. 3
Nam aliud eſt, comparari actum unum cum alio; aliud, cum omiſſione ſui. Quòd alius ſit melior; ſtat adhuc, Votum eſſe abſolutum, quia melius eſt facere alterutrum quàm neutrum. At ſi etiam omiſſio eſt melior, non ſtat abſoluta obligatio actûs: illa autem regulariter eſt melior, propter remotionem impedimenti ad melius; ſicut paupertas, licèt per ſe bona non

ſit

ſit, tamen ut inſtrumentum Perfe- ctionis bona eſt.

4 Tertiò. Poſſunt dicti actus eſſe materia Voti, etiam quoad exercitium, ſi abſolutè & quaſi formaliter ſpectentur, & comparentur ad totalem omiſſionem; & conſequenter nullus eſt actus Virtutis Moralis, qui ſecundùm ſpeciem ſuam non poſſit aliquando eſſe materia Voti. Nam ſicut poteſt eſſe neceſſitas ſubjecti, ut præceptum obliget ad relevationem naturæ, ita poteſt eſſe aliquando magis conſonum rationi: & qui vovet relaxationem, quando judicaverit magis conſentaneam rationi, certè obligatur, tanquam ad melius omiſſione.

Dixi. *Quaſi formaliter*, quia materialiter ſpectando actum, non poteſt cenſeri tanquam neceſſarius ad melius eſſe animæ, ſed in genere relaxationis ſemper licebit ab uno ad alium actum tranſire, quo æquè bene vel meliùs obtineatur dictus finis. Denique multa honeſtè fieri poſſunt, quæ ex Voto offerri nequeunt propter impedimentum ſpiritûs, quod afferunt: ſi autem Superior interveniat; jam certiùs proponitur materia melior, & accedit honeſtas Obedientiæ. 5

CAPUT IX.

An actus moraliter bonus, inducens inhabilitatem ſtatûs Perfectionis poſſit eſſe materia &c?

1 Primò. Matrimonium non eſt materia Voti, loquendo per ſe. Nam quoties omiſſio actûs eſt melior, non ſtat obligatio ad actum: at Votum contrahendi matrimonium, nec ad omiſſionem Religionis, nec cœlibatûs obligat. Idémque eſt, licèt Votum eſſet de Matrimonio Rato tantùm, quia ſeclusâ revelatione, conſuli nequit ignorante Parte; & adhuc excluditur cœlibatus; ſtátque periculum mutationis. Secùs autem eſt de Juramento addito promiſſioni; nam in republica hæc firma eſſe debet, quidquid ſit de bono promittentis.

Quòd ſi apponitur Voto conditio, niſi aliter Deus diſpoſuerit; vel intelligitur ordinaria diſpoſitio, vel extraordinaria? Si 1mum, conditio jam extat, quantùm ad conſilium; & ita deſtruitur Votum. Si 2dum, fit tentatio, & præfigitur Deo tempus certum, ut Judit. 8. Aliunde tamen neceſſitas eſſe poteſt vel præcepti, vel ad meliùs eſſe, ut Voto locus ſit; priori modo, ſi urget bonum Regni vel parentum cui conſulendum eſt; poſteriore, ſi hîc & nunc ſimpliciter melior eſt tali perſonæ contractus quàm ingreſſus Religionis. Utroque enim caſu 2 abſolu-

abſolutè & definitè obligat Votum; nec commutatio remedii erit in melius reſpectu talis Perſonæ. Si verò contractus nec ſimpliciter neceſſarius, nec optimus ſit, ſed ſolùm aptus Perſonæ, obligat votum ſub conditione, niſi melius elegeris, conſequenter vel Religionem vel alia media ſpiritualia.

3 Secundò. Valet Votum ducendi pauperem, vel in periculo conſtitutam, ſi ſit intuitu pietatis. Nam recidit in hunc ſenſum, *aut ducam, aut ingrediar Religionem*, quia hæc exceptio per ſe ineſt, ut ſenſus ſimpliciter abſolutus eſſe nequeat. Nec refert, illam non eſſe cogitatam, quia error non excludit intentionem generalem obligandi ſe ad opus pium, quo modo poteſt; nec ille minuit, ſed auxit voluntatem obligandi ſe ad poſſibile ſeu per ſe conveniens pietati: ſicque ut in Juramento, ita hic, ſi non valet, quod ago, valet ut valere poteſt. Modus enim illicitus, quando non eſt præcipua ratio vovendi, non reddit aliquem actum nullum; & ideo qui vovet minus bonum per ſe, ſimpliciter obligatur, quamvis cum facultate eligendi melius: ergo ſimiliter interpretandum eſt Votum, cùm in eo videtur præcludi aditus ad Perfectionis ſtatum.

Tertiò. Tenet Votum aſſumendi ſtatum quemcunque pium, qui ſolùm actualiter impedit perfectiorem, non tamen inhabilitando ad illum. Nam eoipſo quòd is ſtatus aliquomodo elevet hominem ſupra communem, Votum eſt de meliori bono; ut ſi ſit ingrediendi Religionem laxiorem, utique abſolutè obligat ad dictum ſtatum, quamvis retentâ libertate tranſeundi ad meliorem. 4

CAPUT X.

An Objectum includens bonum & malum, ſit materia capax Voti quoad partem?

1 Primò. Quando materia actu includit malum, Votum obligat ad bonum, ſeclusâ malitiâ, niſi principalis ratio vovendi fuerit pravitas materiæ, ſeu motivum turpe; vel niſi conſtiterit de intentione non obligandi ſe ad unam partẽ, ſine connexione alterius, vel quaſi ſub conditione illius. Nam eadem, quæ de poſſibili & impoſſibili, ratio eſt de bono & malo, comprehendendo etiam ſub hoc impertinens ad cultum Dei. Exemplum eſt in Voto peregrinandi nudo corpore; nam conditio nuditatis rejicitur, ſi ſit aut creditur per ſe turpis aut valde noxia ſaluti: quamquam Conimbricæ quotannis quidam populus in Proceſſione veniat nudus quoad totam ſuperio-

perio-

periorem partem corporis; quod nec indecens habetur, nec à Religione alienum, ſed deſervire poteſt ad oſtenſionem humilitatis, macerationem corporum, & devotionem populi.

2 Secundò. Si materia commune tantùm objectum eſt, ſub ſe continens & licita & illicita; Votum ex natura ſua includit determinationem ad illa tantùm. Nam connexio nulla eſt inter partes, niſi fingatur in intentione voventis; nec etiam obſtat generalitas Voti, quia obligare debet ad particularia; ergo capacia, ut ad eleemoſynam ex lucro juſto tantùm. Nec denique obſtat error volentis obligari ad amplius, quia adhuc manet obligatio ad poſſibile.

Quantùm ad factum Jephte, loquendo de Jure ordinario, promiſſio & temerè facta fuit & impiè impleta; nec ignorantia invincibilis dici poteſt in re tam clara. Confugi autem nequit ad motionem Spiritûs Sancti, quia quantùm nos conjicere poſſumus, in ejus Voto nil apparet excellens, prudens, ac dignum tali motione. Nec executio fuit niſi ex putato vinculo, & per modum valde humanum; nec licèt motio fuerit ad vovendum, determinatio bona fuit, ſed prava. Ad locum Hebr. 11. ſatis eſt, quòd Jephte & in præſenti magna ſigna virtutis dederit, & deinceps facilem habuerit pœnitentiam ob dictam devotionem, ut meritum de congruo. 3

CAPUT XI.

An omiſſiones bonorum actuûm poſſint eſſe materia Voti?

1 Primò. Omiſſio boni ſupererogationis ex genere ſuo non eſt materia Voti. Nam opus eſt de meliori, & omiſſio ad ſummum eſt indifferens: de indifferente autē ſtulta promiſſio fit, ut non filandi ſabbato, non eundi hac via &c. ſecùs ob vacandum Deo, vitandam occaſionem &c. Dixi *ex genere*, ad excludendos caſus accidentales, ut ſuprà de Juramento. Unde nullum eſt Votum non vovendi, quia vovere eſt de conſilio; ſecùs erit, ſi prudens limitatio fit, ut non ſe obgandi, donec ſcripto expreſſum ſit. Idem eſt de Voto non ſuſcipiendi Ordines, per ſe loquendo: nam privativè oppoſitum eſt de meliori: utrumque autem oppoſitorum non poteſt eſſe melius comparativè.

Secundò. *V*alet votum non admittendi Epiſcopatum, Beneficium, Regimen animarum. Nam & de ſe eſt utile ad refrænandam ambitionem &c. & non impedit majus bonum ſive Perſonæ, ſive commune. Non illud, quia ſtatus non confert Perfectionem, ſed periculis 2

expoſitus eſt. Non iſtud, quia non excluditur caſus neceſſitatis, ſive præcepti poſitivi, ſive Naturalis, cùm ſcilicet conſtat de neceſſitate populi, & quòd non occurrat moraliter alius, qui habeat qualitates Paſtoris hîc & nunc neceſſarias.

3 Tertiò. Negatio operis boni, quod neque in Conſilio nec Præcepto eſt, poteſt eſſe materia voti. Conſtat de non nubendo, de negationibus bonorum inferioris ordinis. Nec enim attenditur omiſſio, ut eſt negatio impedimenti majoris boni; nec ad debitam materiam neceſſe eſt, eſſe intrinſecè & ex objecto bonum, quia ſufficit bonum eſſe ex relatione ad aliud bonum, ut conſtat de voto paupertatis. Sic quia regulariter ludus fructuoſiùs omittitur, votum de non ludendo tenet, loquendo ſimpliciter, ut de rebus moralibus judicandum eſt. Tandem votum non petendi diſpenſationem, ex cauſis determinandum eſt; valet enim, ſi ſenſus eſt, *non ſine cauſa &c.* Semper tamen, ut in Juramento reflexo, ultimum aperiri poteſt, quia aliàs non eſſet de re utili ad ſalutem: & aliquo modo in præjudicium Superioris.

CAPUT. XII.

De aliquibus diviſionibus Votorum ex parte materiæ?

1 Prima Diviſio eſt in Reale & Perſonale. Reale eſt, quod eſt de pecuniâ vel de re æſtimabili pecuniâ, ita ut non ſit actio voventis. Perſonale enim de perſonali actione vel omiſſione voventis eſt. Alii addunt votum mixtum. Sed ſine cauſa; quia mixtio vel per ſe eſt, vel per accidens tantùm? Si 1mum, ut in ſumptibus peregrinationis, votum eſt formaliter Perſonale, & ſolùm virtute Reale. Si enim actio eſſe poſſet ſine ſumptibus, executio liceret ſine illis, utpote directè non promiſſis; quia autem actio ſine illis non fit, onus eorum tolli nequit, relicto perſonali; ſed è converſo, cum iſto etiam illud tollitur. Si 2dum, ergo votum duplex eſt: alterum peregrinandi; alterum offerendi quid.

Malè verò inter Realia ponitur votum Religionis, quia non includit diſpoſitionem piam de bonis, ſed relinquit liberam: Reale autem votum non dicitur, niſi propter expenſas in obſequium Dei præſtandas. Idem à fortiori eſt de voto non ludendi, quia ſi ideo putatur mixtum, quia parcitur ſumptibus; ergo ſimiliter mixtum eſt votum temperatè comedendi, non fornicandi. Denique differentia non eſt inter Reale & Perſonale, quòd hoc Deum tantùm, illud proximum etiam reſpiciat; nam etiam Perſonale cedere poteſt in hujus utili- 2

utilitatem, ut ſerviendo in Hoſpitali: neutro autem confertur
3 jus proximo, ſecluſâ promiſſione.

Secunda Diviſio Voti eſt in Affirmativum & Negativum, ad eum modum quo in præceptis diſtinguitur. Quamquam negativum in Reale non cadat, quia ut eſt de non dando, solùm reſpicit bonam diſpoſitionem voventis, non verò hujus gravamen & alterius commodum: quod tamen maximè attenditur in Reali. Quòdſi formaliter vel virtute includatur diſpoſitio pia bonorum, eatenus Votum eſt Reale, ſed affirmativum.

Tertia eſt in Perpetuum & Temporale. 4 Perſonale autem non poteſt excedere vitam voventis; ſecùs Reale: & ideo hoc eſt de re utiliſſima Eccleſiæ, & quæ vix poteſt compenſari, niſi per aliud æquè perpetuum: ac ſubinde difficilem habet diſpenſationem vel commutationem. Eadémque proportione difficiliùs tollitur Perſonale perpetuum.

LIBER III.

De Perſonis, quæ vovere poſſunt.

CAPUT. I.

An ſolus homo poſſit Votum emittere, & illo obligari?

1 Primò. Chriſtus ut homo, eſt capax Voti. Nam ſi Deus, ut Deus poteſt ſe obligare homini; cur non Deus, ut homo Deo? ſic enim capax eſt cultûs Religioſi, imò etiam Præcepti: ergo ex ordinaria potentia vovere Deo potuit Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam, non utique ob firmandam tantùm voluntatem, ſed titulo alterius honeſtatis, majoris ſubjectionis. Faciúntque illa, *Vota mea reddam &c.* item pſ. 21. qui ſecundùm omnes Evangeliſtas, & Paulum, & ſenſum Eccleſiæ eſt in perſona Chriſti. Sic etiam maximè explicatur libertas Paſſionis, quia ſi hæc præcepta fuit, etiam Chriſtus ſic ſe obligare voluit; ſi non præcepta; ergo non tantùm propoſito, ſed etiam promiſſione acceptata eſt.

Secundò. Uſus Voti non fuit in 2 Angelo Viatore. Quamvis enim nec capacitas cultûs, nec materia ſupererogationis, nec honeſtas vovendi defuerit; tamen & via fuit breviſſima, & loco Voti ſufficit voluntatis inflexibilitas in ſemel electo

cùm illud tantùm ſit propter ipſum voventem : ſecùs ac eſt de Juramento Dei, quod (licèt mera tantùm aſſertio ſit) tendit ad nos firmandos. A fortiori autem ceſſat uſus voti in Patria, quia eſt proprius Viæ propter futuras actiones, ut ad majorem perfectionem vel meritum tendant: in Chriſto autem ſuffecit finis exempli noſtri.

CAPUT II.

An omnes homines Viatores ſint capaces Voti?

1 Primò. Ante uſum rationis homo non eſt capax. Nam ſine voluntario conſenſu votum non fit. c. *Sicut.* de Regul, & c. *Licet.* de Vot. arg. à contrario ſenſu ex particula *Sponte ſuſceptum.* ubi notant Canoniſtæ, actum eſſe omnino Perſonalem. Et patet ex dictis de Juramento; quia ſicut quis mendax non eſt propter dicta alterius, ita nec infidelis propter promiſſionem non ſuam. Fidelitas enim conſiſtit in adæquatione facti ad verbum proprium, ſicut veritas in adæquatione dicti ad mentem loquentis. Prov. *6. Verbis oris tui &c.* Jud. 11. *Aperuiſti os tuum &c.* Deut. 23. *Propria voluntate & ore tuo &c.*

2 Dices. Votum fieri in Baptiſmo &c. ℞. propriè eſſe propoſitum, ſeu liberam acceptationem Legis Chriſtianæ, ſicut cùm contritio Catechumini dicitur Baptiſmus in Voto. Nec enim in ſuſceptione Baptiſmi verbum eſt, quod ſignificet votum, nec hoc præcipi conſtat Authoritate vel Traditione aliquâ: eſſétque in laqueum, & omnia peccata Chriſtiani eſſent ſacrilegia: quod probabile non eſt, & contra omnes. Chriſtus ergo ut Legislator potuit & voluit inſtituere, ut infans alienâ voluntate baptizetur, ſícque obligetur, quin voti obligationem impoſuerit. Multò minùs pater filium, Communitas ſubditum &c. ſic ligare poteſt, quamvis ex voto Principis &c. oriri poſſit obligatio in aliis, non quidem Religionis, ſed Juſtitiæ & Præcepti.

Secundò. Omnis homo Viator, ſufficiente ratione utens, quantùm eſt ex parte ſua, capax eſt voti, ſi aliunde non ſit impeditus. Sermo enim eſt de valore; & ita etiam in hæretico tenet votum Caſtitatis v. g. & ſine dubio obligat. Aliunde autem obſtare poteſt tum incapacitas materiæ, tum Lex vel Superior irritans factum, quia votum non poteſt eſſe nullum, niſi vel de materia illicita ſit, vel irritatum Jure: ergo quia omnia Vota irritata non ſunt, quivis vovere poterit ratione utens. 3

CAPUT

CAPUT III.

An Eccleſia poſſit aliquas Perſonas inhabiles reddere ad vovendum?

1 Primò. In Votis ſolemnibus datur dicta poteſtas. Haberi debet de Fide, propter ſenſum & uſum Eccleſiæ, & quia Concilia & Pontifices utuntur eâ poteſtate ut certâ, ut conſtat in Profeſſione factâ ex metu ante ætatem legitimam &c. Intervenit enim contractus &c. at hic irritari poteſt, ut conſtat Jure Civili, & in Matrimonio; ergo idem eſt in præſenti, cùm poteſtas Religionis non ſit niſi ab Eccleſia.

2 Nec refert contractum diſtingui à Votis, nam ſatis eſt, hæc irritari ut *Solemnia*. Et Trid. S. 25. c. 15. de Reg. ſimpliciter negat obligationem talis Profeſſionis. Deficit enim intentio, quæ virtute includit, *Si fuero Religioſus*, & determinatur ad talem ſtatum: nec etiam paupertas aut obedientia promittuntur, niſi ſecundùm Regulam, nec voventur niſi ut acceſſoriæ ſtatui, loquendo per ſe (quia aliquando aliud præſumitur de Caſtitate, ut c. *Quidam*. c. *Placet*. de Converſ. conjug) in foro tamen interno ſtatur intentione voventis. Exemplum etiam eſt in Votis ſimplicibus Societatis; nam quoad obedientiam & paupertatem, deeſt materia: quoad Caſtitatem intentio vovendi ſolitariè. R. J. 42. in 6. Et probabile eſt, eadem per mutationem ſtatûs evaneſcere in Profeſſo tranſeunte ad Carthuſiam v. g.

Secundò. Poteſt Eccleſia directè 3 & per ſe inhabilitare voluntatem, etiam quoad vota ſimplicia. Doctores ſupponunt potiùs quàm diſputent. Nam duplex eſt poteſtas Juridictionis Eccleſiaſticæ; altera gubernativa in Foro externo, altera immediatè ordinata ad Forum animæ, ut in abſolutione à peccatis, in Indulgentiis &c. Sicut ergo Eccleſia per diſpenſationem voti remittit Jus Deo acquiſitum, ita habet poteſtatem acceptandi illud loco Dei; cùm ejuſdem rationis ſit, acceptare & acceptatum remittere. Sicut autem diſpenſatio non tenet ſine cauſa, ita nec inhabilitatio: tenet autem ex cauſa, quia non eſt contra Jus naturæ niſi latè, ut ſervitus eſt contra Jus dans libertatem, non verò contra Jus prohibens ejus privationem.

Tertiò. Poteſtas ſic inhabilitandi 4 ſolùm eſt in Pontifice. Non enim pertinet ad Regimen particulare, nec ex uſu colligi poteſt; facítque c. *Majores*. de Baptis. cúmque aliàs non competat Epiſcopo omnis poteſtas, ſufficit hanc nulli-

nullibi legi conceſſam, præſertim quia fortè univerſim verius eſt, Epiſcopum non poſſe ferre Legem irritantem.

CAPUT IV.

An Vota ſimplicia aliquarum Perſonarum ſint nulla ob inhabilitatem Jure Eccleſiaſtico factam?

1 Primò. Nullum Votum ſimplex eſt irritum vi Juris Eccleſiaſtici, ita ut ſi cætera de Jure naturæ neceſſaria concurrant, ipſum non teneat. Conſtat, neminem eſſe inhabilem ad omnia Vota; quia nec exſtat Jus, nec eſſet utile. Solùm ergo dubitatio eſſe poteſt, an ſaltem ad aliqua ſimplicia inducta ſit inhabilitas, ut variis exemplis agitur. Tamen de nullo convincitur, ut de Voto ex metu dicetur infrà. Idem eſt de Voto peregrinationis c. *Magnæ*. de Voto. Nam commutatur, ergo tenuit. Nec obſtabat obligatio reſcindendi c. *Ex parte*. 2. de Cler. non reſid. nec ſatis probatur neceſſitas conſenſûs Capituli, & datâ illâ, defectus ſolùm fuit in modo; ſicut ſi licentiâ Papæ opus eſt, Votum de ſe tenet, utique ſi ille annuat. Denique ad ſummum nullitas eſſet materiæ, ut ſi votum eſt de abſentia longa non neceſſariâ Eccleſiæ.

2 Secundò. Similiter tenent vota alia, quæ quoad executionem pendent à conſenſu Superioris. Sic tenet Votum renuntiandi Epiſcopatui, quia non eſt de renuntiando ſine facultate, eſſet enim de illicito. c. *Inter*. de Tranſlat. Epiſc. c. *Sicut*. cum aliis 7. q. 1. Idem eſt de Voto peregrinationis Clerici, per ſe loquendo. Nam c. *Non oportet*. de Conſ. d. 5. agit juxta ſtatum antiquum, quo paucitas erat Miniſtrorum. Et nunc ſeclusâ obligatione Beneficii vel Officii, propter ſolam abſentiam neceſſaria non eſt licentia Epiſcopi. Sic etiam tenet Votum Religionis in Parocho, licèt opus ſit licentiâ petitâ. c. *Admonet*. de Renunt. c. *Duæ*. 19. q. 2. c. Licèt de Regular.

3 Tertiò. Idem eſt de Voto facto ante Epiſcopatum vel Beneficium. Nam ſi tempore libero impleri poteſt, utique tenet: ſin ſecùs, & ſuperior renuit, ſtatus perperam ſuſceptus eſt, ſicut ſtatus Matrimonii poſt votum Caſtitatis. Tamen ſicut in iſto, ita in illo fit mutatio ex parte materiæ, quæ redditur illicita. Hoſtiens. excipit Votum Hieroſolymitanum, quaſi Pontifex abſolutè id impleri velit. Sed rectiùs negat Abb. & conformiùs d. c. *Magnæ*. Nam c. *Ex multa* eod. impertinens eſt; & c. ult. eod. ſpecialiter loqui-

nens eſt: & c. ult. eod. ſpecialiter loquitur de quibuſdam Prælatis Regularibus; ſicque reſtringendum eſt ad occaſionem conceſſionis,

CAPUT V.

An Perſonæ ſpecialiter aliis ſubjectæ, ſint prohibitæ, ne vovere poſſint?

1 Primò. Subjectis, ſeu juxta conditionem vivendi proximè conſtitutis ſub poteſtate alterius, ut filiofamilias, uxori, Religioſo, ſervo quà tali, non eſt illicitum Votum in materia ſibi licitâ, non obſtante ſubjectione. Nam Impuberis Votum de Caſtitate vel Religione non tenere, falſum eſt, & ſine fundamento, & contra Doctores Theologos, Canoniſtas, & Summiſtas: at non eſt major ratio de uno Voto ſimplici quàm alio. Dein vel Jus naturæ obſtaret, vel poſitivum? Non 1mum, quo enim principio? Non 2dum, nam c. *Monacho.* 20. q. 4. agit de via perfectionis, non de neceſſitate: & verba *ſine antiſtitis ſententia* ſano modo intelligenda ſunt, ſcilicet contrariè.

2 Axioma enim, quòd Religioſus non habeat velle &c. intelligi nequit, quòd nihil poſſit, niſi poſitivè ordinetur; quia neque id vovit, neque eſſet conveniens, aut humano modo poſſibile: ergo intelligi debet, ne quid agat contra voluntatem Prælati, & ſubintelligendo, *niſi is prohibeat.* Eatenus enim non habet Monachus dominium ſuæ voluntatis, utique quoad ſtatum & diſpoſitionem vitæ vel actionum contra voluntatem Superioris, non verò ut præter illam nil poſſit. Nec propterea onus ſit intolerabile, imò poteſt eſſe idem, ſed ſub novo tantùm titulo. Extinctio autem priorum votorum ſolùm fit titulo comutationis in perfectius, Eccleſiâ ſic facilitante Profeſſionē.

Secundò. Vota ſubditi valent, quamdiu per Superiorem non tolluntur, nec ſunt de materia ipſi prohibitâ. Colligitur apertè de Impubere ex Num. 30. Sine ratione autem & Jure fit exceptio ſolius Voti Caſtitatis, vel Religionis, cùm Jus indifferenter loquatur, & Lex vetus; nec potior ratio ſit unius ac alterius Voti. Et ideo d. c. *Monacho.* dicitur, *frangendum* ſeu irritandum eſſe. Sequitur etiam ex præcedente Regula; nam ſi actus licet, ergo nec ex parte materiæ illicitus eſt, nec ob prohibitionem perſonæ; nec etiam intentare liceret actũ irritum. Falſum auem eſt, actum non obligare, donec manifeſtetur Prælato, quia obligatio non eſt manifeſtandi. 3

CAPUT VI.

Quomodo in Perſonis ſubjectis Vota Perſonalia valere poſſint ex parte materiæ?

1 Primò. Votum de materia neceſſaria ſeu præcepta valet abſolutè, & obligat quamdiu non tollitur. Nam valor ex parte materiæ evidens eſt; ex parte verò voluntatis ſubjicitur Religioſus quoad generalem tantùm diſpoſitionem vitæ, non quoad omnes & ſingulos actus poſitivè. Quòd enim ſubintelligatur, *Si Superiori placuerit* per conſenſum expreſſum, vel tacitum, vel præſumptum; fingitur ſine Jure, ratione, authoritate, quæ talem neceſſitatem oſtendat. Aliunde Superior nec poteſt tollere præceptum, nec diſpenſando cogit aut cogere poteſt ad acceptandum. Sin declaret, Legem non obligare; ergo jam mutatur materia.

2 Secundò. Votum Religioſi de executione Regulæ, valet abſolutè. Nec enim eſt de re tantùm conſilii, ſed neceſſariâ ad Perfectionem voventis, ſeu profitentis ſtatum, ùt viam perfectionis ſuæ acquirendæ. Stante autem obligatione Regulæ, Superior actum prohibere non poteſt, quia non habet poteſtatem in deſtructionem, nec cogere poteſt ad acceptandam diſpenſationem. Quòd ſi caſus eſt, ut non ſit melius, Regulam materialiter ſervari; conditio, *niſi res mutetur*, eſt intrinſeca actui: ergo non reddit conditionatum.

Tertiò. Votum de actu conſilii præter Regulam valet, & ſtatim obligat, quamvis ſub conditione negativa, *Si Prælatus non prohibet*. Nam licèt hujus voluntati tanquam poſitivæ Regulæ, non ſubdantur actu omnia, ſubduntur tamen poteſtati ejus, quia nullum eſt tempus, quo non poſſit poſitivè diſponi, quid Religioſus agere debeat, ubi per præceptum vel Regulam diſpoſitum non eſt: ergo includitur dicta conditio in actu; aliàs hic vel non liceret, vel eſſet de minore bono. Nec propterea ſuſpenditur obligatio, quia conditio ſolùm ponitur pro ea excipienda vel tollenda pro tempore quo Superior aliud voluerit. Quòd ſi juxta Regulam aperiendum eſt votum, ſilendo imperfectio fit; cujus tamen nec cauſa eſt votum, nec ad illam obligat: ergo impleri poteſt ſine imperfectione: ergo valet. 3

Quartò. Votum de actu fieri prohibito ſine licentia, valet, ſed non obligat, niſi impletâ conditione affirmativâ, *Si Superior contentus fuerit.* Nam hac poſitâ, actus eſt de meliori, quia Regula actum non vetat, ſed modum præſcribit: at illâ non poſitâ, 4

ſitâ, votum eſt contra Regulam, quantùm ad executionem. Vi voti autem obligatio eſt petendi licentiam, per ſe loquendo; nam aliàs eſſet ridiculum; & qui vult finem, vult medium neceſſarium moraliter: & ita in Voto Religionis, *ſi Pater conſentit*, conſenſus ſine dubio procurandus eſt.

5 Dices. Votum conditionatum ſolùm obligare ad exſpectandum eventum conditionis. ℟. ita eſſe, cùm conditio non includit actionem voventis præviam, honeſtam, & per ſe neceſſariam, ut materia ſit capax Voti. Ut ſi pendet à cauſis extrinſecis, vel ab actione voventis, ſed incapaci voti, ut ludo, vel ſi aliunde ſupponitur. At ſecùs eſt in caſu ſuperiùs poſito, quo petitio eſt correlativa quaſi conditionis; niſi fortè alia intentio fuerit ſive expreſſa de non petendo, ſive tacita, ùt ſi licentia generaliter dari ſolet; ſi credebatur non neceſſaria; ſi noviter poſitum eſt tale gravamen.

6 Quintò. Licèt petitio licentiæ in dicto Voto neceſſaria ſit, non tamen manifeſtatio Voti, niſi expreſſum ſit. Non enim petitio aliter includitur, quàm ut neceſſaria eſt fini: ergo multò minùs manifeſtatio Voti, utpote ſæpe moleſtiſſima, ut ſi uxor aperire debeat Votum eleemoſynæ marito. Debet enim hoc intelligi cum minore onere, quo poteſt, l. *Si ita ſtipulatus.* 109. ff. de V. O. nec ad ſummam diligentiam quis tenetur, ſed eam quam vovit expreſsè vel virtute; præſertim quia manifeſtatio ſæpe avertit à dando conſenſu, & ita ſcrupuli erunt, an aperire, nécne convenientius ſit?

*S*extò. Votum de actu ſimpliciter prohibito per Regulam, eſt nullum. Nam nec obligat abſolutè, 7 nec ſub conditione, *Si diſpenſetur.* Non 1mum, quia non eſt de meliori, ſed regulariter malum, non ex motivo virtutis &c. Non 2dum, quia obligatio Regulæ eſt abſoluta, cùm dicta conditio ſolùm generalis ſit: ergo ſeclusâ diſpenſatione, regula obligat. At melius eſt per ſe, ſervare regulam quàm diſpenſatione uti, quia oppoſitum vel eſt minùs idoneum ad perfectionem, vel hanc aliquo modo impedit, vel ſi de commoditate corporis agitur, principalis reſpectus eſt ad profectum ſpiritualem, & maximè ad commune bonum, quod poſcit omnia ordinatè & convenienter fieri: præſtat autem commune privato bono.

Nec obſtat, uſum diſpenſationis 8 in caſu particulari poſſe eſſe meliorem; nam attendimus, quod regulare eſt: tunc autem reditur ad caſum alium, quo regula non abſolutè obligat, ſed modum, licentiam, & Judicium Superioris poſcit, juxta dicta ſuprà de Voto Religionis facto ab Epiſcopo. Quod utique differt à voto jejunandi die Dominico, bis in die celebrandi, ſi Papa diſpenſet; nam ſimpliciter melius eſt, ſequi legem communem abſolutè obligantem.

tem. Imò multi idem tenent de promiſſione, propter l. *Si ſtipulor.* 35. jun. l. *Inter ſtipulantem.* 83. §. *Sacram.* & l. *Continuus* 137. §. *Cùm quis.* ff. de V. O. Tamen contrarium probabilius eſt, ut latè Sanch. l. 5. D. 5. claráque eſt differentia, quia voto intrinſecum eſt, eſſe de meliori; aliàs poſſet eſſe de tranſitu ad laxiorem, ſi Papa diſpenſet; at de ratione promiſſionis ſolùm eſt, eſſe de re honeſta & poſſibili ſecundùm rectam rationem, ſalvâ juſtitiâ.

9 Septimò. Votum de bono ſuperante Regulam, ut de tranſitu ad ſtrictiorem, obligat abſolutè & independenter à conſenſu Prælati. Nam contra regulam non eſt, ſed ſuprà: nec in hoc quis ſubditur Superiori, niſi quoad petitionem licentiæ, quin requiratur obtenta, quia non ponitur obex perfectioni: ergo non includitur conditio pendens ab alio. Ubi autem Pontifex prohibet Tranſitum, regulariter prohibitio fundatur in æqualitate ſtatuûm, vel ſaltem quòd omnibus penſatis, præſtet immobilitas. Sin in ſola pace Communitatis fundetur, non intelligitur, ut abſoluta, ſed ne tranſitus fiat, inconſulto Pontifice, omnia accipiendo juxta ſubjectam materiam.

10 Octavò. Vota uxoris, *filiifamilias*, ſervi, famuli valent ut omnino abſoluta in his, in quibus ſunt ſui juris; in aliis, ſolùm ut conditionata, ſi conjux, parens, dominus non prohibeat vel conſentiat. Nec enim uxor pendet à marito, niſi in his quæ pertinent ad uſum matrimonii, & externam gubernationem. Idémque eſt cum proportione in cæteris; imò infra Pontificem nemo eſt in omnibus plenè ſui Juris, ut notatum eſt de Epiſcopis & Clericis. Dices, ergo tenet votum non reddendi debitum, ſi conjux conſentiat. ℞. Directè repugnari fini Matrimonii, & pugnantia involvi, quia debitum non negatur, niſi petenti & repugnanti.

CAPUT VII.

An Vota realia poſſint eſſe valida in Perſonis ſubjectis?

1 Primò. Votum reale ſupponit vel dominium pecuniæ reíve æquivalentis cum adminiſtratione, vel adminiſtrationem proprio ac prudenti judicio faciendam. Nam aliàs votum, ſi abſolutum ſit, erit de furando. Igitur dicti voti incapax eſt, qui nec pecuniam habet, nec ejus adminiſtrationem. Secùs eſt de voto conditionato, ſi habuero; nam in his qui ſui juris ſunt, accidentaria eſt paupertas.

2 Secundò. Religioſus non poteſt facere dictum Votum, niſi habeat adminiſtrationem; vel ſub conditione, *Si concedatur.* Unde in Prælato

propter

propter adminiſtrationem, ſolùm includitur conditio negativa, *niſi Superior impediat*, dummodo non excedat facultatem ordinariam, in particulari vel generali concedi ſolitam; nam tunc opus eſt conditione affirmativâ, ut in aliis Religioſis.

3 Tertiò. Votum eleemoſynæ de his quæ in proprium uſum Religioſi converti poſſunt, obligat privatum ad petendam licentiam. Nam materia eſt optima, nec indecens ſtatum: ergo procedunt cum proportione dicta de voto Perſonali cap. ſup. Sin materia non pertinet ad privati uſum vel adminiſtrationem, Votum regulariter impertinens eſt; quia non tam eſt de eleemoſyna facienda, quàm de Superiore monendo, ut ipſe faciat: hoc autem per ſe ſumptum ſine aliis circumſtantiis, non eſt expediens, dempto caſu neceſſitatis &c. Tunc enim ſicut apud alium rectè procuratur eleemoſyna, ita etiam in præſenti valere poteſt actus, quem ratio ita dictat: ſecùs autem votum pro inepto & indiſcreto habetur.

De Voto uxoris, filiifamilias & ſimilium conſtat cum proportione ad dicta, quando & quatenus valere poſſit. Nam uxor, ut conſtat, diſponere non poteſt de bonis communibus vel dotalibus, niſi juxta conceſſionem mariti vel ſpecialem vel generalem, aut juxta conſuetudinem. Idem eſt de filio quoad bona paterna; ſecùs autem quoad Caſtrenſia vel quaſi Caſtrenſia. 4

LIBER IV.

De Obligatione Voti.

CAPUT I.

An ex Voto oriatur obligatio in Conſcientia?

1 Primò. De Fide eſt, oriri obligationem in conſcientia. Ita Patres, & omnes Catholici contra Hæreticos. Nam ſi promiſſio humana obligat, à fortiori quæ eſt ad Deum: at evidens eſt, promiſſionem honeſtam, & acceptatam obligare in conſcientia, ut ad minimum poſcit veritas humana, ac fides, *quâ fit quod dicitur* (ut notant Cicero & Ambroſ.) tanquam per ſe neceſſaria ſocietati humanæ. Eámque vim agnoſcunt ut Canones c. 1. & 3. de Pact. ita etiam Leges Gentilium circa reos voti. l. 2 ff. de Pollicit.

Secundò. Votum inducit obligationem Fidelitatis ad Deum, quæ in ſe & Veritatem & Cultum Deo debitum 2

bitum complectitur ; & ideo dici poteſt & Juſtitiæ ad Deum, & Veritatis. De Fidelitate fatentur omnes Theologi ex 1. Tim. 5. *Primam fidem* &c. juncto communi intellectu Patrum. Si enim implere promiſſum Fidelitatis eſt, ergo & obligatio implendi ; nam quælibet virtus obligat ad actum ſuum, & præceptum tale eſt, qualis eſt materia & ratio virtutis, in qua fundatur.

3 Similiter conſtat de Veritate; nam hæc formaliter eſt in dicto, ut habet conformitatem ad rem promiſſam, quam ut terminum, à quo menſuratur, reſpicit : ergo impletio dicti eſt actus conſtitutivus Veritatis, quaſi ex parte termini, obligatione tendente ad hoc, ut fiat quod dictum eſt. Hinc Infidelitas dicitur *Defraudatio*, & *Mendacium*. Act. 5. & c. *Ananias*. 17. q. c. *Dilectiſſimus*. 12. q. 1.

4 Similiter conſtat de Cultu & Juſtitia Dei. Nam mendacium eſt injurioſum Spiritui ſancto, & quaſi pernicioſum, quantùm eſt ex parte mentientis: & l. 1. & 3. ff. eod. Pollicitatio quæ fit ob honorem, obligat ; ergo à fortiori facta in Cultum Dei. Sicut autem promiſſio eſt quid genericum, ita Veritas ac Fidelitas ; ergo ſi eſt ad Deum, Religionis eſt, quæ quodammodo eſt Juſtitia ad Deum.

5 Dices. Tota ratio promiſſionis quoad obligationem eſt, ut fiat verum quod dictum eſt. 2. Dictum non variatur, quòd ſit ad Deum vel hominem, nec etiam relatio virtutis. 3. Juſtitia fundatur in Jure alterius : at promiſſio nec ſupponit illud, utpote liberalis; nec dat, quia non eſt donatio. Ad 1mum ℟. æquivocè argui, quaſi una ſit virtus Fidelitatis. Nam ut obligat ad Deum, rationem ſuam ſumit ex Divina Excellentia, & conſequenter eſt debitum altioris rationis. Ut autem ad hominem eſt, varias ſpecies continet, ſicut ſunt plures rationes Societatis humanæ, ut eſt Fidelitas Obſervantiæ, Obedientiæ, Gratitudinis, Juſtitiæ, vel puræ Veritatis, ſeu ex titulo Veritatis neceſſariæ ad eam Societatem, ſic applicando nomen generis ad ſpeciem minùs perfectam.

Ad 2dum ℟. non agi de ratione 6
merè phyſicâ locutionis vel relationis, ut talis, ſed de ſpecifica ratione debiti & obligationis, quæ utique multiplicis ſpeciei eſſe poteſt. Ad 3tium ℟. puram liberalitatem tenere reſpectu hominis, non Dei, cui honor debetur Jure naturali. Licèt autem vi hujus non determinetur debitum ad caſtitatem v. g. tamen poſitâ promiſſione, eoipſo jus illud poſcit obſervationem, ut neceſſariam ad Divinam reverentiam. Non ergo homo confert Deo Jus, loquendo propriè, ſed quaſi determinat materiam Cultûs ; ſicque mentiri Deo, ex genere ſuo graviſſimum eſt, quia includit quendam contemptum ejus ; ſecùs ac eſt in voto ficto, quia homini tantùm fit mendacium.

CAPUT

CAPUT II.

An in Voti obligatione intercedat acceptatio Dei?

1 Primò. Poſſibilis eſt dicta acceptatio. Non enim, ut Barbat. objicit, ſequitur mutatio Dei, magis quàm ejus intellectione, volitione, complacentiâ noſtrorum operum, acceptatione meritorum, *Sacrificii Juſtitiæ &c.* pſ. 50. Patétque ad hominem in Donatione; nam quòd Eccleſia illam acceptet nomine Dei, jam ſupponit voluntatem Principalis. Quare autem Eccleſia mediet, dicetur agendo de Voto ſolemni.

2 Secundò. Neceſſaria eſt dicta acceptatio. Nam conditio intrinſeca eſt Promiſſionis, ut valeat, *Si placet*; nec antè illa obligat quàm acceptetur. Licèt autem erga abſentem obligaret, ut aliqui volunt, ad non recedendum; Deus non eſt abſens: ergo ſi ſtatim obligatio non eſt, revelatio non exſpectatur. Conſtat autem quòd acceptet; nam præcipit impleri: & de Fide eſt, opera conſilii eſſe Deo accepta. Non ergo fit nuda pollicitatio, ſed pactum; imò ſuo modo veſtitum propter Dei authoritatem, magis quàm pactum ſimplex juratum. Nec myſterium eſt in c. *Scimus.* 12. q. 1. quoad verbum *pollicitationis*, ut ex contexu conſtat; nam ex communi uſu, & in rigore Latino ſumitur pro promiſſione; quidquid ſit de l. 3. ff. de Pollicit.

CAPUT III.

Quàm gravis ſit obligatio Voti.

1 Primò. Obligatio ex genere ſuo gravis eſt, & conſequenter ſub gravi, ſi Votum ſit de actu gravi. Nam pertinet ad primum vel ſecundum præceptum Decalogi; éſtque virtutis graviſſimæ, ſcilicet Religionis. Regula autem generalis eſt, conſiderando obligationem in individuo, gravem eſſe ad actum gravem.

2 Secundò. Regula generalis dari nequit, an Lex vel Votum obliget graviùs, ſive reſpectu ejuſdem actûs, ſive reſpectu diverſorum. Nam præceptum Fidei magis obligat, quàm Votum eleemoſynæ; & ludere 10. aureos poteſt in tali perſona eſſe veniale reſpectu legis, cùm reſpectu Voti ſine dubio mortale ſit: & è converſo Lex non apoſtatandi obligat graviùs quàm Votum; quia præceptum Fidei

dei eſt altioris rationis quàm præceptum Religionis, majoriſque neceſſitatis.

3 Vel ergo actus ſecundùm ſe, & præceptum illius eſt altioris virtutis & honeſtatis, vel inferioris quàm Votum? Si 1mum, obligatio præcepti major erit ex genere ſuo, ut in Præcepto Fidei, Spei, Charitatis. Si 2dum, major erit obligatio Voti, quia Præceptum accommodatur materiæ, & manet ſub inferiori virtute. Nec refert obligationẽ Juſtitiæ præferri aliquando Voto; non enim id eſt, quia major ſit obligatio Juſtitiæ, ſed quia materia reddita eſt incapax Voti, ut patet in promiſſione dotis factâ pauperi, & voto ejuſdem. Quòd ſi materia voti & Præcepti eſt Religionis, materiæ gravitas ſpectanda eſt. Nam ſine dubio gravius eſt præceptum Baptiſmi quàm votum ejuſdem.

CAPUT IV.

An Obligatio Voti ex intentione voventis poſſit non eſſe proportionata materiæ?

1 Primò. Qui intendit non eſſe obligatus ſub mortali, non eſt ita obligatus. Nam Votum & Lex conveniunt, quòd neutrum obliget ſine intentione obligandi: ergo quàm eſt impoſſibile, Legem obligare contra Voluntatem ferentis illam; tam repugnat, Votum obligare contra intentionem voventis. Vel ergo eſt poſſibile ſic vovere, vel non? Si 1mum, ergo maximè fit per dictum actum. Si 2dum, ergo nihil fit, ſicut ſi voveretur, nolendo obligari. Rurſus qui ſcit vel putat impoſſibilitatem, intendere impoſſibile nequit; ſin ignorat, ignorantia cauſat involuntarium, maximè circa conditionem tam ſubſtantialem: & quia voluntas obligandi ſe tam eſt abſoluta, quàm voluntas vovendi; ergo æquè reſiſtit, ne fiat Votum.

Secundò. Probabilius eſt, dictum Votum valere. Ita Sanch. l. 1. D. 9. Henriquez & alii de Lege. Nam voluntas obligationis recipit magis & minus, ut in Lege. Nec eſt quod neceſſitet, ut me obligem, quantùm poſſum vi materiæ: ergo ſtat, dari Votum non plenum, ſed tantùm ſecundùm quid in ſua materia, & conſequenter diverſum ab alio, non ſpecie ſed gradu, ſicut in ſimili ex parte materiæ infrà diſtinguendum erit. 2

Sed objicit Soto, quia factâ promiſſione, Lex obligat & juxta hanc illa regulatur, ut in Juramento: & fatentur omnes, cùm quis non reflectit, obligationem eſſe juxta materiam; & aliàs poſſet eſſe obligatio ad Caſtitatem ſub levi, ut & in Sponſalibus & Matrimonio. R. obli- 3

obligationem Juris non eſſe ultra obligationem facti, quando quis tantùm diminutè vovet, nec materiam ſimpliciter offert Divino obſequio, ſed tantùm ut diſpoſitionem ad illud. Sic Caſtitas voveri poteſt, non conſtituendo illam, ut ſimpliciter neceſſariam ſibi ad cultum Deo debitum, ſed ſolùm promittendo in eo gradu, in quo ſolent eſſe debitæ diſpoſitiones removentes impedimenta Venialium. De Juramento autem conſtat secùs eſſe, cùm ejus ſubſtantia non conſiſtat in obligando ſe.

4 Secùs etiam eſt de Voto ſolemni, & in ſponſalibus; nam fieret fictio pernicioſa alteri, conſequenter nihil. In matrimonio autem traditio non recipit magis & minus: ſi autem ſemel facta eſt, ſequitur ex illâ obligatio graviſſima. Denique ferè omnia argumenta Soti & Vaſq. retorquentur in Lege. Dices. Ergo ſicut Lex poteſt eſſe purè pœnalis, quin obliget in conſcientia; ita etiam Votum purè pœnale. R. Differentiam eſſe, quia in illa exſpectatur ſententia Judicis: at Votum non fundatur in vi coactivâ ſed directivâ, ejuſque obligatio ſolùm eſt ex Jure naturali. Poteſt tamen illud, ſicut Lex, vel eſſe abſolutum quoad actum, vel conditionatum tantùm & disjunctivum; quin utraque pars disjuncti omitti poſſit ſine culpa.

Tertiò. Probabile eſt, ſi materia omnibus penſatis, levis eſt, Votum non obligare ſub gravi. Nam exceditur poteſtas, quia non poteſt quis ſe Deo obligare, plus quàm ipſe velit, aut materia patiatur, ſicut nec homini in materia leviſſima; & in hoc tenet ſimilitudo cum Lege. Nec enim Deus exactor durus eſt, nec ei placet ſtulta promiſſio, & ad profectum animæ impertinens, & tendens in laqueum: ergo licèt materia quæ gravioris obligationis capax eſt, etiam minoris poſſit eſſe, non tamen è converſo. Dixi, *omnibus penſatis &c.* Nam materia, quæ de ſe levis eſt, poteſt reſpectu Perſonæ habere ſpiritualem utilitatem; ſicque Votum irrationabile non erit, præſertim cùm graves Doctores teneant, Votum etiam de levi obligare ſub gravi. 5

CAPUT V.

De Obligatione Voti, de quo dubitatur, an factum ſit?

1 Primò. Dubium formidinis contra Judicium poſitivum de Voto facto, non ſufficit. Eſt certa. Nam probabilitas tunc facit certitudinem moralem, quando non eſt alia ſimilis in contrarium, quia in humanis non poteſt exigi major certitudo, cùm vix aliquid per infallibilem e-

 viden-

videntiam cognoſcamus. Neque diſtingui poteſt inter Judiciū magis vel minùs firmum, cum majore vel minore formidine, ſi oppoſitum non eſt probabile. Inter utrinque autem probabilia poteſt quis ſequi quod vult, ut ferè omnes authores conſentiunt; éſtque certum, ſi probabilitas utrinque æqualis ſit.

2 Secundò. Negativè dubius poſt factam diligentiam moralem (quam temporis anguſtiæ, & capacitas hominis admittat) expellendi dubium, non obligatur Voto. Ita Soto, Med. Angl. s, Lop. Rodriq. Henriq. Sanch. contra Cord. Vaſq. Azor. Dixi, *poſt factam diligentiam*; aliàs agitur cum magna temeritate, & ſic operans exponitur evidenti periculo errandi, ut rectè ſumitur ex principio oppoſitæ ſententiæ, quòd in dubiis tutius ſequendum ſit: malè autem hoc extenditur, ſi dubium poſt factam dictam diligentiam perſtet; nam clarè retorquetur in materia Juſtitiæ, in quo certum eſt, meliorem eſſe conditionem poſſidentis.

3 Nec enim Jura reſtringunt dictum principium ad Juſtitiam, ut patet in R. J. *66.* nec fingi poteſt ratio reſtringendi, ſed omnes rationes, quæ faciunt in materia Juſtitiæ, procedunt etiam in alia, cæteris paribus. Ut prima eſt, quia cæteris paribus, juvat Poſſeſſio, conferens Jus aliquod: at hæc eſt & in Voto Reali circa rem, & in Perſonali propter Jus morale liberè utendi potentiis, quia ſicut libertas eſt generalis conditio in omni materia virtutis, ita etiam Poſſeſſio, ſaltem ut ſuo modo eſt circa incorporalia. Dicere autem illam ſolùm juvare contra hominem, petitio principii eſt; quare enim non juvat, ſi eſt poſſeſſio in materia Voti? an quia major eſt obligatio Religionis? At & incertum eſt, loquendo de Religione Fidelitatis, & ſupponitur obligatio, de qua quæritur.

Altera ratio eſt, quòd propter ſolum dubium res non ſint mutandæ à ſtatu quo erant; & ideò in foro externo favetur Reo, licèt aliud non præſtet, juxta R. J. 11. in *6.* At ubi non proceditur ex præſumptione, idem eſt Jus conſcientiæ, & Judicii Eccleſiaſtici; cur enim quod in uno juſtum eſt, in altero non ſit? Sic cùm opponitur Impedimentum Voti, & non probatur, abſolvitur reus. 4

Alia ratio dicti principii eſt, quia intervenit ignorantia invincibilis, cùm ad hanc ſufficiat negatio ſcientiæ; aliàs nemo ignoraret votum, niſi qui per errorem putat, ſe non habere, cùm habeat; quod apertè falſum eſt. Dein *ſi præſumitur ignorantia ubi ſcientia non probatur.* R. J. 47. in 6. multò magis excuſatur, ubi probatur neſcientia: ergo ſufficit ad impediendam obligationem. 5

Ultima.

6 Ultima Ratio eſt, quia obligatio, utpote odioſa, aſſeri non debet ſine fundamento moraliter certo, præſertim ubi cætera paria ſunt; cur enim obligatur ſolvere, qui non probatur debitor? aut quomodo probatur, non probato fundamento debiti, ſcilicet promiſſione? Ibi autem & in eo foro probari debet, in quo cogitur ad ſolvendum. Igitur ſicut in Juſtitia reſtringitur Præceptum, *Redde quod debes &c.* ad debita moraliter certa, & quæ probari poſſunt; ita ſimiliter Lex, *Redde Vota &c.* & ſi in illa ſufficit certitudo practica non detinendi alienum formaliter, nec cùm periculo culpæ formaliter, juxta R. J. 31. in 6. ergo etiam in præſenti; nam certitudo eſt quaſi privatio totalis, nec recipit magis & minus in ſe formaliter, licèt reſpectu materialis periculi poſſit eſſe tutius, ut patet ex c. *Ex parte* de Cenſib.

7 Nec enim Deus eſt tam rigidus exactor etiam incertorum; & aliàs quis auderet deliberare de vovendo? Favet ergo benignior interpretatio Religioni, vitando periculum tot vinculorum. Nec propterea ſequitur, ſemper poſſe agi cum dubio ſpeculativo; ſed tunc ſolùm, quando omnibus penſatis ſecundùm rectam rationem retineri poteſt dictum judicium practicum, propter meliorem conditionem poſſidentis. Igitur principium *Tutius ſequendum eſt*, in dubio practico ſemper tenet: in ſpeculativo autem aliquando eſt Conſilii tantùm, aliquando Præcepti, cùm ſcilicet cæteris paribus, nec poſſeſſio adeſt, nec peculiare Jus, aut ratio quæ practicè inferat certitudinem; ſecùs autem impropriè ponitur *tutius*, quod à periculoſo, non à practicè tuto diſcernitur.

8 Neque dictis obſtant Jura, quæ in dicto principio, *Tutius ſequendum eſt*, fundantur, ut c. *Ad audientiam* de homicid. c. *Juvenis* de ſponſal. cum ſimilibus. Nam quantùm ad irregularitatem, Jura fundantur in dicto principio, ut ratione movente ad Legem ferendam, non ut titulo per ſe ſufficiente ad obligandum, ſecluſâ tali Lege. Et in caſu d. c. *Juvenis.* dubium fuit practicum ſine poſſeſſione bonæ fidei; ſicut deeſt, ſi dubium præceſſit contractum Matrimonii, non verò ſi ſupervenit. Tamen in caſu impotentiæ uſus eſt licitus, quia eſt medium neceſſarium ad expellendum dubium.

CAPUT VI.

De Obligatione Voti dubii quoad valorem.

1 Primò. Stante dubio de irritabilitate Voti ob rationem ætatis, Votum pro infirmo habendum eſt. Nam puer eo ipſo eſt in poſſeſſione parentis; & ſicut reſervatio caſuûm reſtringenda eſt in dubio, ita exemptio Voti à poteſtate irritandi, cùm ſit favor & perſonarum & Religionis ob fragilitatem violationis.

2 Secundò. In dubio de intentione, ſi verba promiſſionem tantùm ſignificant, obligatio eſt moraliter certa, licèt poſitivè non conſtet de intentione. Nam hanc verba ſatis ſignificant, niſi contrarium conſtet. l. *Labeo* de Supell. leg. & c. 2. de R. J. aliàs Vota innumera eluderentur, ſi opus foret recordatione poſitivâ intentionis. Dein poſſeſſio eſt pro Voto, cùm vovens jam ſe ligârit verbis oris ſui, nec præſumi poteſt fictio; ſicque hæc pars non tutior, ſed ſola tuta eſt. Dixi, *promiſſionem tantùm*; ſi enim in proprietate propoſitum tantùm ſignificatur, ſecùs erit; ſicut etiam ſi & propoſitum & promiſſio ſit, mitiori intellectui locus eſt, ob dicta cap. ſup.

3 Tertiò. In dubio de uſu rationis pueri, præſumitur defectus in primo tantùm ſeptennio, loquendo per ſe. Nam falſum eſt quod vult Soto, Votum impuberis non obligare, niſi vovens ita ſit certus, ut nulla apud prudentes dubitatio ſit, cùm contrarium conſtet ex c. *Juvenis.* de ſponſal. c. *Litteras.* c. *Acceſſit.* de deſponſ. impub. & ex præcepto Confeſſionis & Communionis. Vel ergo deſunt ſigna uſûs rationis, qui ſufficiat ad peccandum mortaliter, vel ita adſunt, ut moraliter cogant contra præjudicium ætatis? Si 1mum, tenet regula, Votum dubium non obligare. Si 2dum, major certitudo exſpectanda non eſt in moralibus, nec eſt ratio ſpecialis pro caſu d. c. *Juvenis*, imò facit c. *Puberes*, de Deſpons. Imp.

Quòd ſi dubium ſit uſûs rationis ob impedimentum de ſe durans, ut eſt ſomnus, ebrietas &c. ille non præſumitur. Patet à ſimili de pollutione nocturnâ; non enim præſumitur mortale, nec eſt ratio præſumendi, ſed contrarium, quia ad rem non eſt facultas naturalis, cùm etiam impedimentum ejus naturale ſit, & de ſe durabile. Et ſaltem in odiis non procedit præſumptio oppoſiti, juxta R. J. *Quod in gratiam* in 6. Secùs autem eſt, ſi impedimentum ſit merè ſubitaneum, ut calor iracundiæ; nam quod rarum eſt, non præſumitur: at ra- 4

rum

rum eſt, ſic impediri ſufficientem libertatem ad mortale: ergo ſicut in foro externo, ita in interno ſtandum eſt præſumptione usûs rationis.

5 Quartò. In dubio de valore Voti ex parte materiæ, obligatio eſt ad non transgrediendum, ſervatâ tamen prudentiâ. Nam conſtat de voluntate obligandi ſe, & ſolùm dubitatur de acceptatione Dei: ergo hujus Vicarius conſulendus eſt, ut declaret vel diſpenſet, juxta dicta in ſimili de Juramento. Conditio enim intrinſeca eſt, ſi poſſibile vel licitum ſit: ergo ſolùm eſt dubium, ut Votum conditionatum. Unde opus eſt prævio Examine diligenti; aliàs operatio fit cum dubio practico, ſecluſo Superiore. Si autem dubium perſtat, rectè concluditur, quòd ſicut Deo non placent prava, ita nec obſequia, in quibus periculum eſt pravitatis.

Quintò. In dubio de impletione Voti, Poſſeſſio favet Creditori. 6 Nam debitum eſt certum; ergo quamdiu non conſtat, ſaltem probabiliter de facta ſolutione, obligatio adhuc urget, ut patet in Juſtitia. Colligitur ex dictis, valde diſtincta eſſe hæc duo, *an Votum dubium obliget*; & *an Votum ſit, nécne dubium?* quòd ſi poſt votum certum oritur dubium ex mutatione materiæ, remedium in Superiore erit, ſi dubium facti vel Juris tolli aliter nequit; ſi autem is adiri non poteſt, cavendum eſt periculum peccandi, juxta dicta num. ſup. eadem enim omnium ratio eſt, & hæc ſola pars tuta cenſenda eſt, ut ſine dubio eſt communis Theologorum.

CAPUT VII.

Quomodo Votum interpretandum ſit, quando materia non eſt certa & determinata?

1 Primò. Siquis determinatè & ſatis expreſsè intendit omnes circumſtantias, ad illas obligatur, & tantùm, loquendo per ſe. Conſtat ex Deut. 23. c. *Cùm Dilecti.* de Donat. In his enim voluntariis ſola voluntas eſt efficax ad inducendam & definiendam obligationem, ſtante poſſibilitate materiæ. Vel ergo circumſtantia impoſſibilis eſt principaliter intenta, vel non? Si 1mum, ergo intentio ſubſtantiæ non eſt abſoluta, ſed ſub tali conditione: ergo ſi hæc non tenet, nec obligatio. Si 2dum, ergo tenet principale, rejecto acceſſorio. Exemplum prioris eſt, ſi Votum Religionis fit, principaliter intendendo tale Monaſterium.

2 Secundò. Si intentio formaliter & expreſsè non præſcribit circumſtantias, ſed ſimpliciter fertur in actum, determinandæ illæ ſunt juxta exigentiam materiæ, conſideratâ ejus naturâ vel inſtitutione. Ita Communis Theologorum & Summiſtarum. Nam acceſſoria ſequuntur principale: at materia eſt, in quod primò fertur intentio: ergo hæc fertur in circumſtantias, ut ſequuntur vel comitantur materiam, cùm quamdiu intentio eas non mutat, cenſeantur promiſſæ, ut materia poſtulat.

3 Sic Votum Virginitatis juxta communem conceptionem omnium, intelligitur negativum omnis actûs Venerei; & jejunium intelligitur, ut præceptum eſt: ergo votum quoad carnes intelligitur negativum ſimpliciter, non verò de abſtinentia à lacticiniis, nec de negatione pluries comedendi, ſi ſemel violatum eſt. Sic Votum de Miſſa &c. non obligat ad audiendam bis in feſto, niſi expreſſum ſit. Nec Votum Religionis obligat ad Caſtitatem, Paupertatem &c. ſicut nec Votum Ordinum ad Horas, quia materia ſolùm eſt ſtatus, & finis legis ſive publicæ ſive privatæ non cadit ſub Legem.

4 Tertiò. Si intentio & materia non ſufficiunt ad declarandas circumſtantias; verba in omni proprietate ſervanda ſunt, quâ ſalvâ, & non repugnante materiæ qualitate vel aliis circumſtantiis, poſſunt in favorem voventis exponi. Nam Deuteron. 23. *Illaqueatus verbis* intelligitur, non quaſi materialiter ſumptis, ergo ut indicant mentem: ergo ſumptis juxta ſignificationem propriam. Quòd ſi juxta hanc verba ſunt ambigua, conſuetudo perſonæ, regionis, & aliæ circumſtantiæ obſervandæ ſunt ad judicium ferendum de ſenſu intento. arg. l. *Si ſervus plurium*. §. ult. ff. de Leg. c. *Ex parte.* de Cenſib. c. *Litterarum.* de Voto.

Servatâ autem dictâ proprietate, 5
& decentiâ Divini cultûs, votíque dignitate, ne ridiculum ſit &c. favetur, ut poteſt, voventi, juxta dicta de Juramento. Nam obligatio eſt ſtrictæ interpretationis, & ſi Eccleſia benignè intelligit Gratuita, à fortiori DEUS; quia facit ſalus animarum, & vitatio laquei, & rigor redundat in odium Religionis, ac retardat fervorem. Denique in dubio quisque præſumitur minùs ſe gravare voluiſſe, quàm potuerit; nec extenſio quoad obligationem eſt tutior, ſed quoad executionem.

Nec obſtat l. *Titia.* §. *Seia.* ff. de Auro &c. legat. ſed confirmat dicta, cùm 6
pro regula arbitrii aſſumit conſuetudinem loci, *Secundum ea, quæ proponerentur, argenteum* (ſignum) *eſſe ponendum.* Sic ubi non ſunt Calices niſi argentei vel aurei, argentei intelliguntur promiſſi, maximè quia accedit decentia Divini cultûs. Similiter confirmantur dicta ex d. c. *Cùm dilecti.* quia ibi ſtatur intentione donantis, propter verba clara inſtrumenti.

menti. Sin intentio dubia ſit, vovens non eſt benefactor, nec obſequium & Dei cultus beneficium, quia benefactor Superiorem dicit; ergo licèt dignitas & ratio obſequii ſit menſura extendendi, tamen ut illud obligatorium eſt, reſtringitur ne nimis liget.

7 Quartò. Si neque per intentionem facta eſt determinatio certæ circumſtantiæ, nec ex materia vel verbis colligi poteſt, tenetur quis implere votum modo aliquo determinato, quamvis modus determinationis arbitrarius ſit. Nam Votum tenet, utpote de re honeſta &c. ergo obligat ad modum aliquem poſſibilem executionis, non utique in abſtracto, cùm actiones ſint circa particularia. Dein votum virtute obligat ad id, ſine quo obſervari nequit, cùm ſemper interpretandum ſit, ne ſit vanum, indecens &c. ergo ſicut Jus naturale cultûs Divini determinatur per Legem communem; ita in hujus defectum ſuccedit determinatio privatæ Legis ſeu arbitrii, ut d. c. *Ex parte.* Unde eadem regula tenet etiam in Foro Civili in Legatis & promiſſionibus. l. *Legato generaliter.* ff. de Leg. 1. l. *Sicui.* ff. de Ann. Leg.

CAPUT VIII.

Quomodo ſingulæ circumſtantiæ in Voto non expreſſæ, determinandæ ſint.

1 Primò. Votum per ſe obligat Deo vero, & illi ſoli. Nam per ſe fit Deo; ergo ſaltem implicitè, eſto, non cogitetur, niſi conſtet, per inadvertentiam adhibitum eſſe verbum, aut ſine intentione utendi propriè. Soli Deo autem fieri, conſtat ex dictis de Juramento Idololatræ à fortiori, quia votum fit in obſequium; utique turpiſſimum, ut Idolo fit. An verò addatur promiſſio ad Prælatum, Sanctos &c. vel ſumendum eſt ex conſuetudine conjungendi, ut in Profeſſione; vel ex verbis & circumſtantiis, ſi conjunctio accidentalis eſt.

Secundò. Circumſtantia *Quid*, ſi ex verbis vel intentione determinari nequit, relinquitur optioni inter ea de quibus eſt dubitatio, vel incertitudo æqualis. Nec enim tunc conſtat de obligatione ad partem magis rigoroſam; & quòd *Tutius ſequendum* ſit, ut eſt de præcepto, intelligitur reſpectu non tuti: conſilium autem eſt reſpectu tuti, extra caſus Jure expreſſos. Nec ea Regula habetur in c. *Juvenis.* de ſponſal. ſed hæc, quòd *in his, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus*: ergo non intelligitur de dubio, quo in neutram partem definitum 2

Judi-

Judicium ferri poteſt, ſed quo conjecturæ pro una tantùm faciunt Judicium probabile, conſequenter practicè & moraliter certum, licèt quia in ſe incertum, dicatur certius reſpectu partis alterius.

3 Sic in Voto Caſtitatis ſimul & Religionis, ſi dubium eſt, an ſit de illa abſolutè, an ſub conditione poſterioris, ſpectandum eſt, an pro una tantùm parte judicium ferri poſſit &c. Et ſi verba abſolutè ſignificant Caſtitatem, ita tenendum eſt, niſi ex conjecturis probabile ſit, intentionem non fuiſſe adæquatam verbis. Rurſus in Voto Religionis, ſi dubium eſt, an promiſſa ſit in communi, an in particulari; ſtandum eſt certo, relicto incerto, propter gravamen pulſandi multipliciter &c. In eodem verò non excluditur libertas Probationis, tum ob dicta ſuprà, tum quia nemo cenſetur renuntiare juri ſuo per jus commune firmato.

4 Tertiò. Si qualitas rei promiſſæ non poteſt determinari ex verbis vel materia, relinquitur optioni, dummodo quis bonâ fide & ſine fraude plenè ſatisfaciat ſubſtantiæ & verbis voti. Nam conſtat, non eſſe promiſſam certam qualitatem: ergo relinquitur ſpontanea, ſive accidentaria ſit, ſive etiam ſpecifica. Sic obligatio non eſt, dandi optimum vinum pro ſacrificio, nec pro pauperibus panem optimum, ſed uſitatum, nec hanc Religionem intrandi, ſed quæ ſimpliciter Religio cenſetur.

Quartò. Si quantitas nec ex verbis, nec materiâ ſecundùm ſe ſpectatâ, vel attentâ conſuetudine determinari poteſt, relinquitur optioni, dummodo ſufficiens judicio prudentûm. Ita c. *Ex parte.* de Cenſib. & probat ratio facta pro ſuperiori Regula. Sylv. vult eligendam eſſe, quæ fuit cogitata, vel quæ fuiſſet electa. Sed conditionalis jam ſæpe rejecta eſt, ut impertinens; cogitatio autem & fervor prior non ſufficit, ſine progreſſu ad obligandum: at ſæpe eſt ſine hac intentione, & ſæpe excitat cogitationem vovendi aliud ſimile ſpecie vel genere, non tamen omnino æquale. 5

Quintò. Idem eſt de circumſtantia *ubi.* Nam locus debet eſſe accommodatus, ut impleatur ſubſtantia Voti, & probabilis intentio voventis; ùt ſi eligat Religionem, in qua non vivatur religiosè juxta modum intentionis; aut ſi in loco orationis non poſſit moraliter attentus eſſe. Tamen ſicut propter indifferentiam Voti relinquitur optio, ita ſequitur neceſſitas, impedito uno, eligendi locum vel Religionem aliam. 6

Sextò. Finis Voti non cadit ſub obligatione ejus, niſi ſit finis intrinſecus, id eſt, objectum ipſius materiæ ſeu actûs promiſſi. Patet, loquendo de fine voti, ut intrandi Societatem propter Miſſionem ad Indos &c. ſi ſit diſtinctus à fine actûs promiſſi, & maximè in voto ex pra- 7

vo fine. Si autem eſt finis materiæ, non ſufficit, eſſe extrinſecum ſeu operantis, niſi ſit intrinſecus etiam operis. Nam & lex tunc obligat ad eum finem tanquam partem materiæ; imò virtute fiunt duo vota, ut de eleemoſyna, & relatione ejus. Cultus autem Dei magis eſt finis vovendi, quia ex parte materiæ ſufficit, eſſe de ſe aptam ad illum, quin promiſſum ſit, ſic actu ordinare: ſicut præceptum obligat ad obediendum, ſed non formaliter ſub ratione obediendi, quia ſufficit impleri materialiter.

8 Septimò. Modus implendi non cadit ſub obligationem Voti, niſi vel ad ſubſtantiam actûs promiſſi pertineat, vel directè ac formaliter promiſſus ſit; & ita relinquitur arbitrio voventis, quantùm eſt ex vi voti. Nam nec modus actûs præcepti cadit ſub Legem; nec votum obligat niſi ad id, quod formaliter vel virtute promittitur: at modus non promittitur, niſi vel in actu includatur, vel directè intendatur. Conſtátque inductione, ut in modo operandi ex charitate, in ſtatu gratiæ, vel quòd actus ſit ſtudioſus &c. quia licèt votum ſit de meliori ex genere ſuo, non tamen ſemper obligat ad excludendam omnem malitiam ab actu.

CAPUT IX.

An Votum obliget ſolum voventem, ita ut ejus obligatio perſonalis tantùm ſit?

1 Primò. Votum non poteſt obligare alium obligatione propriâ Religionis & Fidelitatis ad Deum. Ita in ſimili ſuprà de Juramento. Nam votum dicit reſpectum ad propriam voluntatem & conſenſum. Deuteronom. 23. Pſal.65. c. *Licet.* de Voto, ubi votum alterius facit quis ſuum, ſicque alieno materialiter obligatur, ſeu ad exequendum idem quod alter promiſit, non formaliter, ſed voto ſuo proprio, ùt notatur particulâ *Crucis ſignaculo.*

2 Secundò. Quoties quis onus alterius ſponte ſuſcipit, non tantùm humanam, ſed etiam Religioſam obligationem ſuſcipit, conſequenter Voti. Nam aliud eſt promittere eleemoſynam pro altero, quam ille non debet; aliud, quam debet ex voto: in hoc enim caſu ſuſcipitur obligatio alterius, ut eſt intentio petentis, conſequenter eſſe debet etiam reſpondentis. Et qui in Jus alterius ſuccedit, eodem, quo ille, uti debet. R. J. 46. in 6. ergo etiam cùm ſponte ſuſcipit obligationem ejus; quia ſubrogatum ſapit naturam ejus, cui ſubrogatur. Gl. c. *Eccleſia.* Ut lite pend. Everard. à Loco *Subrogationis.*

Tertiò. Populus, cùm votum ſit 3

nomine ejus, non obligatur voto, ſecluſo ſuo conſenſu, ſed præcepto Rectorum, conſequenter violando peccat vel contra obedientiam, vel contra propriam virtutem, in qua eſt materia voti. Nam actus perſonalis non fit in Perſona ficta, niſi ut fit à ſingulis, ſicut nec ſinguli obligari poſſunt vi Fidelitatis & Veritatis, ſed vi pacti præcedentis Juſtitiæ, vel præcepti. Rurſus nec pactum cum Deo, nec inter homines vi dicti voti intelligi poteſt; aliàs eſſet obligatio Juſtitiæ: nec ſucceſſio in Votis Perſonalibus locum habet ullo modo, nec etiam in Realibus quoad obligationem *Voti.*

4 Quia verò in Republica poteſtas eſt obligandi præſentes & futuros in vi præcepti, vel ad acceptandum votum quoad vim formalem, vel ſaltem quoad executionem ejus; hinc eſt, quòd ex voto priorum dimanet obligatio ad ſucceſſores. Oportet autem, ut in præſenti accedat conſenſus Prælatorum Eccleſiæ, quia licèt ſiſtendo in terminis Juris naturalis, poteſtas ſit præcipiendi quæ ad Religionem & bonos mores pertinent, penes Laicos; tamen nunc Cultus Dei elevatus eſt ad ſuperiorem ordinem, & cura ejus commiſſa eſt Prælatis, maximè Petro. 5

Quartò. *Votum* fieri poteſt per Procuratorem, utique quoad exteriorem tantùm prolationem. Nam nec ex natura rei repugnat hic modus, nec Jus eum impedit univerſim; quidquid ſit de Profeſſione. Neque tunc ligor voto alieno, quia quod per alium facio, ipſe facio, víſque tota eſt in meo conſenſu o- & actio alterius eſt velut conditio, ut ex meo conſenſu oriatur obligatio, cùm nemo dare poſſit conſenſum niſi per ſeipſum; ſícque intelligendum eſt c. *Sciendum.* 27. q. 1.

CAPUT X.

An poſſit vel teneatur quis Votum implere per alium?

1 Primò. *Votum* perſonale nemo tenetur implere per alium, ſi per ſe non poteſt. Ita Communis Theologorum, Summiſtarum, Canoniſtarum. Ratio eſt ex definitione dicti Voti; nam eſt de actu ipſius voventis: ergo non obligat ad actum alterius. Dein nemo propriè promittere poteſt actum alienum, ut proximam materiam Voti, ſed tantùm, ut quaſi objectum ſeu materiam circa quam actûs promiſſi; ut cùm voveo procurare, ut alius pro pro me jejunet, peregrinetur &c. Alter enim tantùm materialiter implet promiſſionem, juxta obligationem quæ ab altero impoſita eſt, aut ſpontaneam.

Sequitur 1. nec Jure, nec facto 2 impleri dictum Votum poſſe per alium. Non Jure, quia plus vovi, ſcilicet facere per mémet. Non facto,

ćto, quia non vovi facere, ut alius jejunet, ſed jejunare: ergo licèt jubeam alium jejunare, res eſt impertinens ad Votum. Et ſi vovi procurare, rurſum impleo per me ipſum, procurando id per me. Semper ergo dictum votum includit hanc quaſi intrinſecam habitudinem ad actionem voventis.

3 Sequitur 2. idem eſſe, etiamſi per culpam neglecta fuerit executio voti. Nam culpa non obligat ad id quod non promiſi, nec etiam ad compenſationem, ut falſa quorundam ſententia ſupponit: & licèt obligaret, adhuc eſſent alii modi compenſandi, quàm implendo per alium. Solùm ergo obligatio eſt ad pœnitentiam; nam quod diſponit l. 2. ff. ſiquis caution. pertinet ad Forenſia & punitionem.

4 Sequitur 3. idem eſſe, etiamſi impotentia implendi ab initio extiterit, & præſcita fuerit, dummodo eadem fuerit intentio. Præſumitur quidem, ſi ſcivit, voluiſſe vovere irriſoriè; tamen potuit nolle rogare alium, ſed temere & arroganti confidentiâ promittere. In foro autem interno ſtatur veritate; ſatiſque eſt, quòd probabiliter judicare quis nequeat, quòd voverit procurare &c. Votum enim indiſcretum fuiſſe potiùs ſumitur ex dicto modo vovendi: ex verbis autem, ut ſupponitur, nullum eſt fundamentum contrarii, nec impedimentum ſuperveniens operari plus poteſt, quàm præexiſtens, ſtante eâdem intentione, ut patet, ſi à neſciente impedimentum promiſſio facta eſt.

Sequitur 4. Votum procurandi per alium opus pium, ſatis impleri, exhibendo actionem accommodatam Voto, quam per ſe quis facere poteſt. Aliquando enim eſt actus rogandi tantùm; aliquando præcipiendi, vel ordinandi; aliquando cum incluſione pacti, ut dando ſtipendium peregrinationis &c. Nec Superior tenetur votum exprimere, aut ratione hujus cogere ſuos; eſto, aliqui omiſſuri ſint. Similiter nec alius alteri Sacerdoti tenetur dare ſtipendium aliud pro Miſſa, quia jam implevit actionem, quam promiſit, rémque dedit. Secùs foret, ſi eam recuperâſſet. 5

Secundò. Idem dicendum eſt de Voto Reali, citra formalem differentiam inter illius & Perſonalis impletionem. Nam duo ſunt in voto Reali; exhibere pecuniã promiſſam, & exequi opus, ad quod illa promiſſa eſt. Prius iſtorum nec de alieno fieri poteſt, nec etiam debet, procurando vel petendo, ut alius de ſuo faciat; vel ſi id promiſſum eſt, duo Vota ſunt, Perſonale de petendo, & Reale de expendendo. Sic cùm hæredi vel famulo præcipitur, jam quis implet de ſuo, & præcipiendo facit, quod ad ſe ſpectat. 6

Quoad executionem verò operis intenti, id quod eſt Perſonale, non poteſt delegari, ſcilicet præcipere, & diligentiam adhibere, ut fiat executio. At quod eſt Reale, ut 7

diſtributio eleemóſynæ, poteſt committi famulo, non quòd ſit ſpecialis proprietas dicti voti, ſed quia non eſt materia voti, ut quis per ſe diſtribuat. Si enim id promiſit, ùt ſuis manibus ædificare Templum &c. non ſatisfacit præcipiendo tantùm. Solùm ergo differentia eſt, quòd ubi quis Reale exequi poteſt per alium, ſufficiat præcipere; ſecùs in Perſonali.

8 Tertiò. Votum mixtum quoad actionē Perſonalem, non poteſt impleri per alium: quoad Reale poteſt & debet, ſi mixtio per accidens eſt; ſecùs, ſi per ſe ſit. Nam ſi per ſe connexio eſt, ergo acceſſorium ſequitur principale, & cum eodem ruit, ùt obligatio expenſarum peregrinationis; nec enim hæ tam ex voto debentur, quàm ex naturali conditione perſonæ & neceſſitate. Sin mixtio per accidens eſt, conſtat, Oblationem v. g. tamen deberi, uti & ſumptus pro templo; eſto laborem promiſſum præſtare nequeas: idémque eſt de eleemoſyna propriis manibus diſtribuendâ. Per ſe enim ſermo eſt, & conſideratâ naturâ materiæ, quia ſi ambo, quaſi in voto conditionato colligantur, ſecùs utique erit; ſicut quæ in per ſe mixto ſunt, diſſolvi ſic poſſunt, ut ſi ire non poſſum, ſumptus tamen dabo.

CAPUT XI.

An obligatio Voti ipſo facto vel Jure tranſeat ad Hæredem?

1 *Primò.* Obligatio voti Realis tranſit ipſo facto ſeu Jure, ac vi hæreditatis receptæ; eſto defunctus nil præceperit. Ita Abul. Palud. Suppl. Gabr. Soto, Antonin. Summiſtæ, & Canoniſtæ communiter. Sumitur ex c. *Ex parte.* de Cenſ. c. 1. de Solut. l. 2. ff. de Pollicit. Differentia enim inter Perſonale & Reale eſt, quòd per illud actionem, per hoc rem debeam; & hæc tranſeat cum onere, propter obligationem ex quaſi contractu cum defuncto, & conſequenter Juſtitiæ ratione rei acceptæ, cum onere generali ſolvendi debita ejus; utique pro viribus hæreditatis, & habitâ ratione aliorum onerum hæredis.

Sed quidſi Teſtator nolit ligari hæredem? ℟. præſumi quòd Votum fuerit ita reſtrictum, ut conſtat etiam in promiſſione humana, ut latè Gomez. to. 2. de Controv. c. 11. Quòd ſi dicta declaratio maniſeſtè contraria ſit verbis ſcripturæ aut promiſſionis coram teſtibus factæ; liberatio nulla eſt, cùm ſicut ſeipſum liberare non potuit, ita nec hæredem aut bona ſua, éſtque per ſe notum, ſi dixit, *per me* vel *hæredem*, ut ſuprà Gomez. de promiſſione: ergo ſicut in aliis, ita & hîc dictum onus hæredis eſt independens à voluntate defuncti, niſi ut pendet ab inſtitutione. 2

Secundò.

3 Secundò. Vota per ſe mixta, & quaſi per intrinſecam connexionem partis Realis cum Perſonali, non tranſeunt; ſecùs, ſi ſunt mixta per accidens. Nam prius votum eſt ſimpliciſſimum (non duo, ut poſterius) & acceſſorium ruit cum principali: ergo ſicut vovens excuſatur à reali, ſi à perſonali; ita à fortiori hæres, ut in voto tradendi ſe ſuáque Religioni, in quo per ſe ſupponitur Perſonale à reali, hæres nec ad prius nec ad poſterius tenetur. Nec obſtat c. *Licèt.* de voto. Quia nec dicitur, nec fuit obligatio, nec poteſtas onerandi filium per Perſonale, nec fortè per Reale; quia pater non potuit Jus primogenituræ onerare pro libitu in ſucceſſore neceſſario: ergo ſolùm fuit *onus ſponte ſuſceptum.*

Ad c. *Quòd ſuper his.* eodem. R. votum Terræ Sanctæ duobus modis fieri, vel ùt ſacræ peregrinationis tantùm, vel in ſubſidium belli. Priori modo impotentia eundi excuſat etiam ab expenſis: ſi autem difficultas tantùm ſit, in commutando juſtè earum habetur ratio. Poſteriore modo votum eſt mixtum per accidens; ſive promiſſum fuerit ſubſidium pecuniarum, ſive operarum ſeu militum aliorum. Si autem quis vovit per ſe militare, eatenus votum eſt Perſonale, quia tale dicitur à perſona propria, non ab aliena; nec quòd ſit in ſubſidium Terræ Sanctæ, vel ob Dei cultum, mutat naturam ejus; multóque minùs urget, operam eſſe pretio æſtimabilem. 4

CAPUT XII.

Pro quo tempore Votum obliget?

1 Primò. Negativum abſolutè factum, ſtatim ac fit, ex vi formæ ſuæ obligare incipit, ſempérque & pro ſemper ac perpetuò obligat, quantùm materia patitur, niſi ex intentione voventis limitetur; quod ultimum ſemper ſubintelligendum eſt, tanquam Regula obligationis quoad initium, durationem, & terminum. Negativum autem dicitur obligare pro ſemper, ita ut nullo momento temporis, pro quo obligat ſeu durat, liceat agere, quod vi voti prohibitum manet. Negatio enim abſoluta naturâ ſuâ omnia, quæ poſt ſe invenit, deſtruit; & in prohibitione diſtributionem totius temporis ſubſequentis continet reſpectu actûs, de quo eſt; utique pro capacitate materiæ, quam excedere nequit votum.

Sic ſi ſit de non ludendo, quaſi continuè urget: ſi verò de non ſtudendo, quatenus impedimento eſt 2 orandi &c. non pro ſemper abſolutè obligat, ſed pro tempore, quo po-

teſt eſſe impedimentum. Idem eſt, ſi ſit de non ingrediendo talem domum, obligat enim ſolùm pro tempore, pro quo eſt occaſio peccati; quia non fit de ſua materia abſolutè ſpectatâ

3 Secundò. Affirmativum ſtatim ac fit, obligat, non tamen pro ſemper, ſed hoc determinandum eſt vel ex intentione & verbis voti, vel ex prudenti arbitrio. Affirmativum enim intra tempus ſuum ſemper obligare dicitur, ſed non pro ſemper, quia in qualibet parte ejus ſufficienter impleri poteſt, ſi ex parte actûs promiſſi non repugnet; ſempérque homo tenetur eſſe in præparatione animi ad præſtandum actum pro aliqua parte ejus temporis. Quia verò non pro qualibet parte temporis ſignatâ neceſſariò implendum eſt; hinc non obligat pro ſemper, utique eâdem proportione, quâ Præceptum Affirmativum explicatur.

4 Ratio ergo concluſionis eſt, quia votum eſt cauſa obligationis: at hanc quaſi naturaliter & neceſſariò inducit, quia facere quidem votum, liberum eſt, non verò, ut cùm factum eſt, non obliget. Idémque eſt de voto Negativo, imò & Conditionato; nam ſtatim obligant, ſaltem ad præparationem animi, ſeu virtuale propoſitum. Obligatio autem pro ſemper eſſe nequit, quia affirmatio non continet diſtributionem, ut negatio; nec ulla operatio continua eſſe poteſt, ut omiſſio, ſed poſcit opportunitatem temporis.

Tertiò. Affirmativum, quod fit 5
ſine determinatione temporis, obligat ad ſtatim, ſeu pro prima opportunitate, moraliter accipiendo, non phyſicè. Ita communis Theologorum, Summiſtarum, Abbatis &c. ex l. *Promiſſor.* §. 1. ff. de conſt. pecun. Votum enim eſt cauſa efficax obligationis: ergo ſi non impeditur, ſtatim hanc operatur; aliàs non eſſet ratio diſtinguendi initium, ut in Præceptis ex neceſſitate vel occaſione determinatio fit. Quòd ſi dies certa determinatur, jam major dilatio non licet, *quia in eo, quod tempore, atque facto finitum eſt, nullus eſt conjecturæ locus*, l. *Continuus* §. 2. ff. de V. O. Et è converſo ſi intentio eſt de non obligando ad ſtatim, ſed poſt tempus commodum juxta prudens arbitrium, votum erit conditionatum ſeu ſuſpenſum: idémque eſt, si quis dubitet, vel aliquo modo præſumat de animo differendi.

Dixi, *moraliter*: quia omnes re- 6
quirunt prudens arbitrium, juxta d. §. 1. ibi: *Modicum tempus ſtatuendum eſt, non minùs decem dierum.* & l. *Ratum*, & l. *Quod dicimus* ff. de Solut. declaratur, *ſtatim eſſe cum aliquo temperamento temporis intelligendum.* Moraliter enim loquendo, intentio hæc eſt omnium, & neceſſaria ad prudentem modum operandi, ut per illud, *quam primum commodè potuero*, concedatur

mora,

mora, qualis in ſimilibus negotiis judicio prudentûm exſpectari ſolet; ſicque quod reſpectu unius commodum eſt, reſpectu alterius non eſt. Vix ergo differentia eſt inter votum ſic indefinitum, & aliud expreſſum *ad ſtatim*, quia non tenetur quis ſolvere, niſi juxta voluntatem Creditoris: DEUS autem non eſt tam rigidus exactor, ut nullam temporis commoditatem concedat, ſecluſâ determinatione certæ diei &c. ad quam quis ſe adſtrinxit.

7 Cajet. duabus conjecturis definit, moram non eſſe nimiam: unâ, ſi non eſt remorſus conſcientiæ cogitantis de voto; alterâ, ſi mora ſit juxta aſſuetudinem voventis. Sed prior non procedit in ignorante obligationem Voti, aut negligente res animæ. Altera etiam fallit, ut ſi votum fit, ut moroſus adſtringatur ad opera virtutis. Solùm ergo procedit intellecta de conſuetudine, quæ non eſt ultrà limites prudentiæ dictantis, ne ſimus in agendo præcipites.

Quartò. De duratione & fine obligationis voti judicandum eſt iisdem modis, quibus de initio ejus. 8
Si enim conſtat de intentione, hac ſtandum eſt. Secùs verò conſideranda eſt natura & materia Voti, nam aliqua ut Caſtitatis, Paupertatis &c. per ſe habent perpetuitatẽ quaſi connaturalem; imò per limitationem temporis in Voto ſolenni nihil fieret, ſed ſimplex tantùm. Alia verò, etiam Negativa, non ita ſunt perpetua ex parte materiæ. Affirmativum denique non habet majorem durationem, quàm poſcat opus promiſſum; quia de ſe non eſt univerſale, vel particulare ex parte temporis, vel repetitionis actuûm, niſi juxta intentionem: ergo ſi per hanc non explicatur, accommodatur materiæ.

CAPUT XIII.

An Votum tempore præſcripto non impletum deſinat obligare?

1 Primò. Tempus præſcribitur vel ut terminus differendi, non finiendi obligationem, vel ut opus ſit onus diei, ut in Præcepto Horarum. Poſteriori modo deſinet obligatio; quia materia principalis redditur impoſſibilis, ut in d. exemplo, arg. c. *Sicut.* de Sponſal. Priori autem modo fit quaſi duplex Votum, arg. c. *Cùm dilecti.* de Dolo & Contum. l. *Celſus.* ff. de Recept. Arbit. Quòd ſi ex intentione non conſtat de alterutro modorum, conjectanda illa erit ex verbis & materia.

Ut in Jejunio Sabbatino, ſi in 2
devotionem diei principaliter fertur intentio diei, ita ut veneratio diei ſit cauſa totalis, vel conditio ſine qua non; onus erit diei. Secùs eſt in Voto ingrediendi Religionem in Vigilia Virginis; aut ſi Jejunium in Confeſſione præſcri-

ſcribitur; non enim principalis & quaſi unica ratio ſe habet per reſpectum ad talem diem, ſed alia movet, quæ per ſe ſufficit, ut Satisfactio. Aliquando autem ratio eſt non cultus diei, ſed vitatio gravaminis: ut in Voto ter jejunandi per hebdomadem, aut ingtediendi Religionem ſaltem uſque ad 30mum annum ætatis, non poſtea. Tamen potiùs ſic eſt terminus finiendi, quàm onus diei: & ideo vix poteſt diſcerni à termino differendi tantùm, niſi expreſſum ſit; quod rarum eſt, & ideo ſi de oppoſito non conſtat, præſumitur terminus differendi tantùm. Quando autem fundamentum actûs eſt circumſtantia & Religio diei, faciiè colligitur ex materia eſſe onus diei proprium.

3 Secùndò, In Voto Reali non præſumitur, quòd ratio diei ſit principaliter intenta. Nam licèt de poſſibili ſecùs ſit, ut in elemoſyna quotidiana, & in dando quid ad Solemnitatem Sancti &c. tamen connaturale eſt Perſonali, ad inſtar Præcepti attendere diem ſpecialiter, juxta communem uſum Eccleſiæ. At in Reali res eſt permanens, & ſemper poteſt cum eodem fructu expendi; & hic eſt finis principalis, & ratio diei tantùm ſecundaria, ut patet in Promiſſione humana. l. *Continuus.* §. *Cùm ita.* ff. de V. O. ſempérque d. Votum fit in utilitatem humanam. Secùs eſt in Voto mixto, ut in expenſis pro ſolemnitate, vel Jubilæo lucrando, quia voventur ut pars cujuſdam actionis Perſonalis.

Tertiò. Tranſacto termino differendi tantùm, obligatio eſt ad ſtatim & præcisè citra aliam moram. 4
Nam obligatio erat in d. termino: ergo durat cum eadẽ præciſione; imò intenſivè augetur ex mora: ergo continuè urget modo morali, ut Præcepta Negativa ad reſtitutionem, ſolutionem debiti &c. ergo per ſe non requiritur arbitrium prudens in præſenti, licèt requiri poſſit, ne onus intolerabile ſit. Sic qui omittit Jejunium bis quâlibet ſeptimanâ anni, cogi non debet ſequenti ad jejunandum 50. diebus continuè in pane & aqua; nec qui omiſit eleemoſynam, ad ejus erogationem ſimultaneam nimis gravem; nam eo ipſo eſt extra intentionem voventis.

CAPUT XIV.

An qui non poteſt implere Votum tempore præfinito, teneatur prævenire?

1 Primò. Si opus eſt onus proprium diei, non tenetur quis prævenire. Patet à ſimili in præcepto Jejunii, Miſſæ; eadem enim eſt ratio poſtpoſitionis & antepoſitionis, nec poteſt impleri promiſſum, cùm habitu-

habitudo diei ſit conſtitutiva obligationis: compenſatio autem etiam non debetur. Imò præventio eſt impertinens ad ſolvendum, utpote non promiſſa; ſicque idem eſt, etiamſi terminus ſolùm ſecundariò fuerit intentus, ut in Communione Paſchali; nam licèt prævenias, denuo cõmunicandum erit, ſi poſſis.

2 Secundò. Idem eſt, ſi terminus poſitus ſit, non ad differendam ſolutionem, ſed ad obligationem ſuſpendendam. Ut ſi Votum ſit de jejunando in menſe bis ab initio anni ſequentis &c. Conſtat à ſimili de Voto conditionato; quia terminus talis eo ipſo poſitus eſt ad inchoandam obligationem abſolutam: ergo ſolùm obligatio eſſe poteſt quoad præparationem animi &c. &c.

3 Tertiò. Secùs eſt, ſi terminus tantùm eſt ad differendam ſolutionem. Nam quantùm ad totum tempus, obligatio eſt determinata & abſoluta: disjunctiva verò, quantùm ad partes ejus, ut in Præcepto Confeſſionis annuæ, Miſſæ, Horarum. Nec refert, impedimentum eſſe temporale, quia non ſequitur, licere poſtpoſitionem, cùm in tempore habili præveniri poſſit, & etiam debeat, niſi difficultas aliqua excuſet; ſolutio enim ſi poteſt, tempore præſcripto fieri debet.

Quartò. Si terminus eſt ad finiendam obligationem, nec opus eſt 4 onus proprium diei; anticipari debet ſolutio. Exempla eadem ſunt in Præceptis, & ratio eadem; quia totus menſis v. g. eſt tempus abſolutæ obligationis ad jejunandum quater: hæc verò impleri debet, præviſo impedimento, in parte poſſibili. Et ſi quid facere vovi in vita, præviſo impedimento ſenectutis, debeo prævenire; aliàs non faciam ante mortem, cùm tamen poſſim.

Quintò. In prædictis caſibus debet adhiberi moralis providentia 5 vitandi impedimentum implendi. Nam ſi hoc ex induſtria affectatur, infidelitas clara eſt; aliàs ſi non eſt obligatio intrinſecè incluſa agendi bonâ fide, ceſſat effectus prioris obligationis, & hæc redditur inefficax & ficta: ergo eſt neceſſaria obligatio d providentiæ, non quidem extraordinariæ, ſed moralis, non exponendo ſe periculis ſine cauſa rationabili: conſequonter nec directè volendo impedimentum, nec indirectè, ſeu negligendo cùm vitari poteſt ſine magno diſpendio.

CAPUT XV.

An qui non implet Votum tempore præfixo, teneatur ad Compenſationẽ?

1 Primò. Non debetur compenſatio, ſi ſine culpa abiit terminus poſitus ad finiendam obligationem, vel ſi impotentia interceſſit. Ita

omnes, ùt quòd ſi non admittor ad Religionem, quam vovi, non tenear ad aliam: idémque eſt de promiſſione humanâ redditâ impoſſibili. Nam nec Votum obligat ad aliud, nec Juſtitia, ſive ratione acceptionis ſeu non ſolutionis, utpote inculpabilis; ſive ratione rei acceptæ, quia non ſum factus ditior. Et in Voto Reali per accidens eſt commodum retinendi eleemoſynam, quam vovi pro Vigilia S. Laurentii, ut onus diei; nam cum hac tranſit obligatio.

2 Secundò. In Voto Perſonali utut violato, non eſt obligatio compenſandi. Ita communis à ſimili de Præceptis Miſſæ, Horarum, quia ſicut Præceptum obligat ad actum Religionis, non ad compenſationem; ita Votum. Dein ſi opus eſt onus diei, impoſſibibilis eſt obligatio compenſationis, quia nec eſt ex Voto, ut per ſe conſtat; nec ex Lege Divinâ, quæ ſolùm obligat ad reddendum Votum; nec ex ratione Juſtitiæ, quia hæc non obligat ultra intentionem. Denique in voto Pœnali additur ſpecialis obligatio: ergo extra illud vel ſimile obligatio nulla eſt. 3

Tertiò. Idem eſt in Voto Reali. Ita communis, conſtátque exemplis. Nam Votum Religionis, ſi attentè conſideretur, eſt Reale: quid ergo debet quis poſt uxorem ductam? quid pro ſervo occiſo, quem vovit dare Hoſpitali? quid pro expenſis non datis ad ſolennitatem diei? Eo enim ipſo, quòd poſitus ſit terminus finiendi, voluit quis, ut tunc ceſſet obligatio. Solùm ergo culpa obligat ad pœnitentiam, quia Deus non magis læditur in bonis per Reale, quàm per Perſonale violatum, nec læditur in bonis ſibi utilibus, ut homo; ſed ſolùm offenditur per denegationem cultûs debiti, non contra propriam Juſtitiam commutativam, ſed contra Fidelitatem ei debitam, citra damnificationem in bonis.

CAPUT XVI.

An quæ fiant contra obligationem Voti, valeant, & firma ſint?

1 Primò Omnis promiſſio facta contra prius Votum validum & obligans, eſt & illicita & irrita. Nam conſtat eſſe de materia illicita, juxta dicta de Juramento promiſſorio, vel Voto facto contra prius Votum, vel etiam promiſſionem. Sic Sponſalia contra Votum Religionis, Caſtitatis, non nubendi &c. nulla ſunt; minùs enim prævalere poteſt promiſſio facta homini contra factam Deo, quàm è converſo.

Secundò. Acta contra Voti obligationem valent, licèt malè fiant, loquendo præcisè; quidquid ſit de Voto ſolenni. Conſtat de matrimonio. 2

monio. c. un. de Vot. in 6. acceptatione Epiſcopatûs &c. contra Votum &c. Licèt enim voluntas uti prohibeatur poteſtate, tamen hanc non amiſit, ſive quoad libertatem naturalem, ſive per ablationem materiæ, ſed retinet dominium: ergo ſicut in matrimonio contra Votum ſimplex diſtinguitur, quòd hoc ſit promiſſio, illud tráditio; ita dicendum eſt de omni ſimili largitione, ſeclusâ Lege irritante. l. *Quoties* Cod. de rei Vendic. ſícque ceſſat fundamentum negandi valorem.

3 Confirmatur. Quia talis largitio non obligat ad malè agendum, ut promiſſio una contra aliam; nec vovens intendit ſe reddere inhabilem, nec poteſt, niſi aliunde privetur, quia ſemper poſterior voluntas eſt efficax contra priorem; ſicut Pontifex non poteſt dare gratiam irrevocabilem à ſe. Unde ſic acta non tantùm valent, ſed firma ſunt, ſine obligatione reſcindendi, quantùm eſt vi voti; quidquid ſit de Prælato. Patet de Matrimonio, Profeſſione in laxiore Religione. c. *Qui poteſt.* de Regular. in 6 & in donatione, quia Votum non obligat ultra intentionem; nec intendi reſcindere, nec poſſum, ùt donationem factam ex vero dominio, & acceptatam citra injuriam.

4 Tertiò. Non ſequitur ex dicta violatione onus recompenſationis. Nam Regula poſita c. 14. eſt univerſalis: ergo & hîc tenet, quantùm ad partem, quâ Votum ruit. Secùs enim eſt quoad partem, quâ etiamnum tenet, ut in Voto læſo Virginitatis; éſtque maximè diſtinguendum in Voto Reali. Si enim ſolùm fuit de re in genere, ſeu ſecundùm valorem ejus, debet impleri in ſimili; eſto fuerit de dando ex pecunia præſenti, quia deſignatio ſolùm fuit ad accelerandum, non ut principaliter intenta, ut regulariter Votum tale intelligitur, niſi contrarium conſtet ex declaratione expreſsâ, aut conditione materiæ, ut ſi equus aut res in individuo, quæ ipſo uſu non conſumitur, promiſſa eſt. Tamen equo v. g. ſacrilegè vendito, debetur Deo pretium, non ut compenſatio, ſed ut materia partialis, quia vovens intendit dare omnem utilitatem ejus.

Quartò. Procedunt dicta etiam 5
reſpectu acceptantis, quod contra Votum agitur. Si enim qui vovit, non tenetur compenſare reſcindere &c. ergo nec alter; ſive ratione Voti, ſive Juſtitiæ; quia ſeclusâ culpâ, nec ob acceptionem, nec ob rem acceptam, ut conſtat. c. *Nos novimus.* 17. q. 2. & c. 1. de eo. qui duxit &c. Idémque eſt de cooperante violationi, ut ſi induxit habentem Votum; nam poteſt per re debitum, & dicta violatio non obligat ad compenſationem. Idem ergo eſt in Voto Reali, quia ſi principalis ad eam non tenetur, minùs cooperator; vel

ſi ille tenetur, ergo det rem aliam: quod impertinens eſt ad alterum.

6 Dices. In ſpiritualibus d. l. *Quoties* non procedere, quia obſtat c. *Si tibi abſenti.* de Præb. in 6. 2. Eccleſiæ acquiritur jus ante traditionem. l. *Ut inter.* Cod. de SS. Eccl. idque maximè, ſi agitur de re certa. l. 2. ff. de Pollicit. & ideo Eccleſia acquirit ex Voto jus cogendi. c. *Ex parte.* de Cenſ. 3. Saltem quando injuria fit priori creditori, non tenet traditio, cùm d. l. *Quoties* intelligi poſſit de acceptante bonâ fide.

7 Ad 1mum ℞. Quamdiu reſtat dominium, nec Lex irritat uſum rei propriæ; hunc eoipſo tenere, licèt injuſtum. Diſpoſitio enim Canonis nullibi extenditur ultra collationem beneficii, in qua collator non dat rem ſuam, ſed quia ut publicus diſpenſator, jam functus eſt officio, rectè arctatur. R. J. 21. in 6. Secùs ergo eſt de donatione, quam quis facit de ſuo, ut notat Bartol. Bald. Caſtrens. Idémque eſt de Profeſſione; nam alia traditio, quamdiu non acceptatur, Religioni non confert jus. arg. c. un. de Voto in 6.

8 Ad 2dum. R. Legem loqui de donatione, Legato, contractu facto loco pio; ſicque ſecùs eſſe de Voto puro. Nullum enim Jus illi inde accreſcit magis quàm pauperi ex Voto eleemoſynæ, aut aliàs ex Juramento per ſe ſtante. Eccleſia tamen duplici titulo exigit ſolutionem: uno, ut jus Dei, cujus vices gerit in adminiſtratione ſpiritualium; altero, ut ſervetur præceptum Divinum de reddendo voto &c. Sícque re non ampliùs integrâ, ſolùm exigi poteſt compenſatio nomine pœnæ. Quòd ſi Voto addita eſt promiſſio, Eccleſia acquirit quidem jus, ſed non dominium, ut patet de matrimonio poſt promiſſionem factam Religioni.

Ad 3tium R. Loquendo per ſe, 9
& ſecluso nocumento alio, emptorem ſecundum fortè ad nihil teneri; & minùs, ſi pura promiſſio præceſſit, non venditio vel donatio. Quòd ſi tenetur, ergo quia injuſtitia obligat ad reſtitutionem: at cooperans ad fractionem Voti non tenetur compenſare. Solùm difficultas eſt, cur non ſimiliter valeat voluntas ſacrilega nolentis onerare hæredem. Sed ſtandum eſt c. 1. de ſolut. & d. l. 2. conſequenter adminiculo Legis ita ſtatuentis in favorem Religionis, magis quidem reſpectu hæredis quàm Donatarii; ſive quia cum defuncto una perſona reputatur hæres, in quo ille ſine dubio puniri poteſt, quantùm ad bona; ſive quia hæreditas per ſe complectitur omnia bona defuncti, ex quibus debita ſolvenda ſunt. Quod autem in foro externo decerneret Judex, in interno per ſe neceſſarium eſt practicè, præſertim quia nullus author contrarium aſſeruit.

CAPUT

CAPUT. XVII.

Quando & quomodo obligent Vota conditionata?

1 Primò. Non ſuſpenditur omnis obligatio in dicto Voto. Patet de præparatione animi, ſeu propoſito implendi, ſi evenit conditio: idquod in principio haberi debet, & manet in virtute, quamdiu non retractatur, repetitio enim ejus non vovetur. Rurſus obligat dictum votum, ne quis ſe reddat inhabilem in eventum conditionis, quia ſine rationabili cauſa admittere impedimentum, clarè eſt contra fidem. Conditione autem impletâ, conſtat, Votum ex tunc eſſe abſolutum: unde dicta de hoc, applicanda ſunt; nam in præſenti tota difficultas eſt, an teneatur quis procurare eventum conditionis, aut non impedire &c.?

2 Secundò. Si Votum eſt pœnale, licet vitare conditionem. Nam aliàs obligatio eſſet ad illicitum. Dein directè intenditur coërcitio à luſu v. g. Nec contra Votum eſt timore pœnæ abſtinere. Falſa autem & abſurda opinio eſt Catharini non habentis pro Voto obligante, ſi dicas: *Si pecco, fiam Religioſus.*

3 Tertiò. Si vovetur ſub conditione gratificandâ &c. *ſi non peccavero &c.* non eſt contra Votum, vitare conditionem. Nam aliàs Votum eſſet abſolutum, quia & impletâ & non impletâ conditione, frangeretur, quæ eſt natura voti abſoluti. Sin dicas, ceſſare obligationẽ conditione everſâ, ſolúmque peccari, quia non feci, quod in me erat, ſalvatur quidem conditionalitas: at ſtat, quòd non voverim vitare peccatum, nec facere, quod in me eſt; nam ſi facerem, eoipſo vitarem.

Quartò. Improbabile non eſt, 4
propriè non eſſe transgreſſionem Voti, cùm ex directa intentione vitatur obligatio ejus, ad Religionem v. g. contrarium tamen probabilius eſt, & certius, committi gravem abuſum Voti. Nam ſenſus conditionis eſt, *ſi Deus efficacem gratiam det:* at ſi non facio, quod in me eſt, non eſt illa efficax: ſpeciale autem beneficium volui: ergo non ſufficiens tantùm, quod nulli deeſt. Nec votum obligat, ad faciendum, quod in me eſt; aliàs obligatio erit ad orandum &c. & quis ſcit, an præſtet omnia neceſſaria pro impetranda gratia efficaci? ergo ut non ſit Votum vitandi peccatum, ita nec curandi omnia media &c.

Tutior tamen eſt ſententia com- 5
munior, ut ſaltem fraus intelligatur excluſa. Conſtat enim de abuſu voti ſeu rei ſpiritualis, ex qua ſumitur occaſio peccandi, & intenditur peccatum, ut reſiſtatur Spiritui ſancto: at contra legem naturalem eſt ſic abuti rebus Divinis ad Dei offenſionem: ergo bonâ fide procedi debet & modo ordinario, ac ſine dolo.

6 Quintò. Si ſit pura conditio libera, & quaſi indifferens, poteſt voluntariè vitari. Nam nec vovetur, nec ponitur, ut ſit occaſio vitandi vel faciendi actum, ſed tantùm ad ſuſpendendam obligationem; nec vi formæ aut ex verbis colligitur ſpecialis intentio, ſed reflexione eget: ergo hac ſeclusâ, non eſt cur dicta conditio vitari nequeat, ut *ſi domo exiêro, dabo eleemoſynam.* Abeſſe autem debet fraus juxta priùs dicta, ut *ſi demum promitto Petro, ſi ad me inviſerit*, & venienti occludo fores.

7 Sextò. Si conditio pendet à conſenſu & libero arbitrio alterius ſine alio reſpectu; violatur votum, impediendo eam vi vel fraude: ſecùs verò ſi morali tantùm modo & non injuſto, ut precibus. Nam ſic vovens, alterum virtute conſtituit electorem ſuæ obligationis: ergo obligatur ad relinquendam optionem liberam; quia ſi tertius vim afferret, utique conditio non eſſet impleta, utpote intellecta de aſſenſu libero. Per preces &c. autem non tollitur libera electio; nec votum fuit de procurando aut non procurando eventu conditionis: ergo filius poteſt patri deſiderium non intrandi Religionem oſtendere, niſi de contraria intentione conſtet. Idémque cum proportione dicendum eſt, ſi conditio conſtituitur per modum prudentis conditionis; quia pœnitentia voti, ſi ſtat cum voluntate id implendi, non eſt contra Votum: at ſtat dicta voluntas, ſecluſo dolo, vi &c.

8 Septimò. Si conditio pendet à cauſis naturalibus, non eſt obligatio ſimpliciter non impediendi eam, ſed tantùm procedendi bonâ fide, non utendo extraordinariis modis, præſertim illicitis. Nam conditio non poteſt eſſe effectus ſimpliciter neceſſarius, ſed contingens; aliàs eſſet inepta: quatenus autem aliunde pendet, locum non habet Concluſio, ſed ſolùm quatenus pendet aliquo modo à vovente, ut eſt ſanitas. At vovens non intendit mutare ſuum modum ordinarium vivendi, aut obligari ad ſpecialem curam ſanitatis, cavendo omnem intemperantiam: ergo ſolùm obligatur ad cavendam fraudem, ſtudioſè ſe debilitando &c. ergo ſaltem ad bonâ fide exſpectandum eventum, ut ſubeſt Providentiæ Divinæ &c.

9 Octavò. Conditione non impletâ vel quomodolibet impeditâ, non eſt obligatio implendi votum. Conſtat ſecundùm omnes, ſi abfuit culpa. At propter hanc non cedit quis conditioni, imò ideo hæc impeditur, ne ſequatur onus: ergo intentio non fuit niſi conditionata. Vel ergo conditio ſimpliciter everſa eſt pro tempore præfixa, vel eſt cum tractu ſucceſſivo? Si 1mum, nec Votum, nec transgreſſio ligat ad actum promiſſum. Si 2dum, ſolùm obligatio eſt vel ad tollendum impedimentum, vel ad faciendum; quod

quod ad voventem ſpectat, ut conditio eveniat (v. g. ad aperiendum votum patri, cujus conſenſus exſpectatur) non autem, ut ante ejus eventum obliget Votum. Nec c. *Sicut.* de Sponſal. ad rem eſt; nam agit de Juramento abſoluto: & promiſſio humana obligat ad reſtitutionem; quod ſecùs eſt de Voto.

CAPUT XVIII.

An ceſſante causâ Voti, ceſſet obligatio?

1 Primò. Ceſſante fine, non ſolùm remoto, ſed etiam proximo Voti, ceſſat hujus obligatio. Nam Communis Canoniſtarum & Summiſtarum tenet, ceſſante fine ceſſare obligationem actûs: at intelligi hoc nequit de ſolo fine remoto, ut ſi materia ſit illicita, indifferens &c. quia etiam proximus per ſe intentus eſt, & non ſolus Cultus Dei in abſtracto, ſed ſub ratione miſericordiæ, jejunii &c: ergo ſublato illo, actus jam non eſt ejusdem ſpeciei ſub qua vovi. Sic ab omnibus receptum eſt, quòd donatio non tenet facta paupertatē fingenti, quia deficit intentio dantis, deficiente proprio & principali motivo dandi, ſimúlque ruit ratio eleemoſynæ.

2 Secundò. Votum tenet, licèt deficiat cauſa impulſiva. Conſtat ex c. *Magnæ.* de Voto. c. *Ex parte.* 2. & c. *Dudum.* de Conv. Conjug. & in exemplis, ut ſi cauſa eſt prava vel indifferens, ut fuga paupertatis &c. Nam per dictam cauſam intelligitur omne motivum ſecundarium, quod non eſt intrinſecum actui promiſſo, nec pertinet ad proximum ac per ſe objectum ejus, ſed adjungitur ex parte voventis ad impellendam voluntatem: ergo ceſſante tali causâ, adhuc ſtat principale motivum, honeſtas materiæ &c. nec ſi expreſſum non eſt, præſumitur, per modum conditionis adhibitam eſſe dictam cauſam, cùm ſit quid valde extrinſecum & ſecundariū; & ſeclusâ conditione aut mutatione finis vel materiæ, impoſſibile eſt ceſſare per ſe obligationem ob voluntatem mutatam.

Tertiò. Sive una, ſive plures cauſæ impulſivæ, ſive omnes ceſſent, nihil refert, ſtante causâ principali; ſi autem hæc ceſſet, impertinens eſt, ſtare cauſas impulſivas. Solas enim has dari impoſſibile eſt, quia non poteſt dari intentio, quæ non habeat aliquod proprium motivum, & quaſi ſpecificativum ſui actûs. Quòd ſi plures ſint honeſtates, quæ per ſe primò videntur ſumi ex parte objecti, recurrendum eſt ad intentionem, quæ vel à vovente explicatur, vel ex verbis, quibus vovit, ſumitur. Ut ſi votum eſt de dando Calice Eccleſiæ pauperi, finis 3

eſt

eſt Religio, at miſericordia vel Juſtitia, ſi dicitur: dabo Eccleſiæ, *quod ſuum eſt* &c. vel dabo Clerico *neceſſitatem patienti*; nam particula *neceſſitas*, *reſtituo* &c. limitant intentionem. Similiter ſi plures ſunt fines operis de ſe indifferentis, conjiciendum eſt juxta dicta, quis voventi fuerit præcipuus: & in dubio, ſi ſtat finis, propter quem ſervari poteſt Votum, hoc implendum eſt, ut dicetur, cap. ult.

CAPUT XIX.

An ex mutatione materiæ ceſſet interdum obligatio Voti?

1 Primò. Si tanta eſt mutatio ex parte materiæ in ordine ad poteſtatem voventis, ut in principio ſufficeret ad impediendum valorem; ſufficit ad tollendam obligationem. Conſtat per ſeſe. Vel ergo impotentia eſt perpetua ſeu adæquata pro toto tempore habili, vel temporalis tantùm? Si 1mum, ſimpliciter ruit obligatio. Si 2dum, ſolùm ſuſpenditur. l. *Pluribus.* 140. §. *Etſi placeat.* ff. de V. O. l. ult. Inſt. de Actiòn. l. ult. ff. de Act. empt. Idémque eſt de impotentia adæquatâ, vel inadæquata reſpectu materiæ; nam pars poſſibilis, ſi ſit dividua, præſtanda eſt. Nec refert, an impotentia ſit, nécne, ex culpa; quia non iſta, ſed illa excuſat, nec votum obligat ad compenſandum.

2 Secundò. Si mutatio facta non reddit abſolutè impoſſibilem obſervationem Voti, non ſufficit ad tollendam obligationem; eſto, tanta ſit, quòd ſi à principio extitiſſet, homo non voviſſet, niſi etiam moraliter credatur, intentionem voventis non fuiſſe extenſam ad illum ſtatum. Ita Communis Cajet, Soto, Nav. Armil. & ſequuntur moderni omnes. Ratio prioris partis eſt, quia non ſufficit mutatio, ſive ex parte intellectûs ob experientiam difficultatis, ſive ex parte voluntatis; nam aliàs nulla eſſet firmitas ſive voti, ſive contractûs cujuſcunque; & tota difficultas eſt ex ſola diſpoſitione ſubjecti, & lubricitate ad lapſum, odio in perſonam &c. & dando in his licentiam, ſequerentur infinita mala & ſcandala.

Confirmatur. Quia conditionalis, *Si à principio interrogaret, nollem* &c. & incerta eſt, & inſufficiens ad effectus morales. Nemo enim obligatur, meretur &c. ex his, quæ vellet, ſi hoc cogitâſſet, ſed ex his, quæ vult ſecundùm ea, quæ repræſentantur, quando deliberatè vult. Ut ſi aliud occurriſſet, tentationi non reſtitiſſet; non propoſuiſſet amare proximum &c. Denique vel ipſe vovens eſt cauſa inimicitiæ, vel alter, cui eleemoſynam dare vovit? Si 1mum, nunquid propria iniquitas patrocinatur? Si 2dum, quid pertinet ad Deum? 3

Pars

4 Pars altera concluſionis eſt communis S. Thom. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5. & omnium; & patet ex dictis de Juramento & R. J. in 6. c. *Si Epiſcopus* de Pœn. & Rem. Nec enim Deus eſt magis rigidus exactor quàm homo, nec iſte promittit, niſi ut homo & juxta conditionem humanam: oportet ergo conferri impedimenta cum re promiſſa, penſatis conditionibus locorum, perſonarum, temporum & negotiorum, an ſit, necne impotentia moralis; tunc enim rectè applicatur regula: *ſi à principio quis in-*
5 *terrogaretur &c.*

Tertiò. Sufficientia mutationis ad deobligandum ſumitur tum à ſimili de Lege humana, tum ex d. R. J. tum ex communi hominum conſenſu & uſu. Nam ſi ægritudo v. g. excuſat à Lege, ergo & à Voto; quia parificantur obligationes utriuſque, & quiſque præſumitur ſe obligare juxta conſuetudinem Eccleſiaſticam. Rurſus facit ſpecialitas, quæ judicio prudentûm ſufficit, ut caſus non intelligatur comprehenſus ſub generali conſenſu. Denique quisque intelligitur vovere, ut alii ſolent: at nemo vovet eleeſynam quotidianam, cùm vix habet neceſſaria; neque ingreſſum Religionis, cùm jam ſenex eſt. Quòd ſi in ſpeciali conſideratur difficultas, & fit Votum, utique tenet: at ſecùs eſt de difficultate noviter ſuperveniente, & exiſtente quidem, ſed ignoratâ.

CAPUT XX.

Duæ Dubitationes ex præcedenti Doctrina corrollariè expediuntur.

1 Difficultas una eſt de abſtinentia Carthuſianorum à carnibus, etiam cum periculo vitæ; altera de jejunii Voto quâvis feriâ ſextâ. Nam Votum non obligat cum periculo magnæ jacturæ in bonis temporalibus famâ, ſtatu, ſalute corporis, ut patet ex æquiparatione cum Lege, & c. 2. de R. J c. 2. de Obſerv. Jejun. c. *Querelam.* de Juram. Rurſus ſicut omni Voto ineſt conditio *ſi commodè poſſum;* ita excipitur ſpecialitas caſûs: ergo in dicto Voto jejunii non comprehenditur Natalis Domini.

Ad 1mum R. Regulam procedere, ſi Votum generale ſit ſine ſpeciali reflexione, aut intentione circa dictum periculum; nec enim pro tali neceſſitate obligat, niſi ex certis conjecturis de oppoſita intentione conſtet. Quòd ſi ſit formalis vel virtualis intentio comprehendendi caſum; ſupponi debet eſſe rationabilem, quia ſine cauſa non licet prodigere vitam &c. Aliquando autem 2

periculum adire, eſſe poteſt obligationis ex Lege naturali vel humana; aliquando autem ſupererogationis tantùm; ſicque votum perpetuò ſerviendi Hoſpitali, utique obligat ſine dicta conditione, *ſi commodè poſſum.* Denique Carthuſia Votum non habet dictæ abſtinentiæ, ſed ſtatutum; nec in eo mentio fit periculi, ſed conſuetudine ſervatur.

8 Ad 2dum, R. Votum de perpetua abſtinentia utique comprehendere dictum Natalem. Idémque eſt, ſi reſtringitur ad feriam ſextam, ſed pro ſemper, quia non poteſt non comprehendere dictum diem, quaſi non occurrat: & ita ſupponitur c. ult. de Obſer. Jejun. & exponunt omnes, ſermonem eſſe de ſtatuto ſimpliciter poſito de feria ſexta: ergo idem eſt de intellectu Voti ſimilis. Secùs verò erit, ſi occaſio & ratio vovendi fuit ſpecialis, ut propter crebram fractionem Jejunii inter Hæreticos; nam Votum ſolùm eſt de obſervantia Præcepti. Sic ſi Votum tantùm eſt pro uno alteróve anno, ſine reflexione ad dictum caſum, poteſt hic haberi pro ſpeciali ſine ſcrupulo, juxta aliorum principium; quamvis oppoſitum communius ſit, & Juri conformius.

LIBER V.

De Peccatis contrariis Voto ſeu obligationi ejus.

CAPUT I.

Quando, & quàm graviter peccetur in vovendo modo indebito?

1 Primò. Vovere temere & ſine debita conſideratione, peccatum eſt, rarò tamen mortale, niſi cùm quis morali & gravi periculo ſe exponit. Nam Votum eſt actus Religionis graviſſimus, & graviter ligans: ergo prudentiam poſcit, ne quâ facilitate fit, eâdem violetur: ſicut temere jurare malum eſt, quia in vanum aſſumitur nomen Dei. Vel ergo deeſt libertas ſufficiens ad peccandum mortaliter; vel licèt nec illa, nec valor actûs deſit, ordinariè non cogitatur defectus majoris advertentiæ, ſed per bonam intentionem prorumpitur: ſicque res valde excuſabilis eſt. Tamen aliquando ſecùs eſt ob periculum, quod advertitur, vel facilè adverti poteſt propter experientiam incommodorum facilitatis; ſicque in periculo voluntario peritur.

Secun-

2 Secundò. Vovere fictè quoad ſubſtantiam, ſeu ſine animo ſe obligandi, peccatum eſt, non tamen mortale, per ſe loquendo, ſeu ſecluſo ſcandalo, injuſtitiâ, contemptu &c. Nam fit abuſus Divini Nominis, & *diſplicet ſtulta promiſſio.* Non tamen fingitur reſpectu Dei, ſed hominum; & nolle vovere, peccatum de ſe non eſt: prolatio autem verbi vovendi, nec infidelitas eſt, nec derogatio directa attributi Divini: ergo vanitas tantùm eſt, ut ſi in adulterio deprehenſus, fingat Votum Religionis. Secùs autem eſt in voto ſolemni; fit enim magna injuria Deo & Eccleſiæ; & vix abeſt ſcandalum graviſſimum.

3 Tertiò. Vovere ſine animo ſervandi, ſed cum contrario, mortale eſt ex genere ſuo. Nam non implere promiſſum peccatum eſt: ergo & propoſitum non implendi; ergo tale, quale transgreſſio. Licèt enim propter conjunctionem cum Voto, augeatur; non tamen multùm, quia ut ſupponitur, non fit cum contemptu Dei, ſed ex inconſideratione, vel paſſione aliâ.

Quartò. Vovere ex pravo fine eſt contra Religionem. Nam ſemper prava intentio corrumpit actum de ſe bonum, & in præſenti eſt irreligioſitas abutendi voto ut medio ad pravum finem, ultra propriam malitiam finis. Si tamen animus eſt ſervandi votum; ergo & fit fideliter, & ſervari rectè poteſt: ſicque irreligioſitas ex eo capite non videtur gravis. Secùs eſt, ſi intentio ſit contraria obligationi voti, ut intentio majoris libertatis ad luxuriandum; quia eoipſo redundat in Infidelitatem in propoſito conceptam, de qua dictum eſt. 4

CAPUT II.

Quale peccatum ſit, vovere materiam Deo indignam?

1 Primò. Vovere impoſſibile, veniale videtur. Nec enim ſciens impoſſibile, id vult aut obligari ad illud: ignorantia autem vel inadvertentia voluntaria ad impoſſibilitatē ſiquidem intentio bona ſit, non redundat in gravem Dei injuriam, aut detrimentum proximi, loquendo per ſe.

2 Secundò. Vovere graviter illicitum, mortale eſt contra Religionem. Ita omnes. Nam Deo comminatio fit, & profeſſio blaſphema, quòd Deo placeat mortale. Dein vel eſt animus implendi, vel non? Si 1um propoſitum mortale eſt, non tantùm in ſe, ſed quia habetur ut neceſſarium ad bene vovendum. Si 2um, ergo promiſſio infidelis eſt & ſtulta in materia gravi: imò licèt abſit animus promittendi, ad blaſphemiam ſufficit proferre deſiderium inferen-

ferendi Deo malum, ut erga Regem (ultra ſcandalum) attenditur temeritas, & contumelia verborum.

3 Tertiò. Idem eſt, ſi votum ſit de veniali, loquendo per ſe. Nam licèt excuſare poſſit inconſideratio dicti, vel inadvertentia, quòd vovendo ſignificetur opus Deo gratum eſſe; Blaſphemia nunquam eſt venialis ex levitate materiæ, juxta S. Thom. quia directè repugnat ſummæ Bonitati, ut perjurium; nec Deus eſſet, ſi veniale ei placeret: at quod offertur in cultum, in cultum blaſphemum offertur. Nec obſtat, veniale jurare, eſſe veniale; quia diſparitas eſt inter aſſertionem mali & comminationem.

4 Quartò. Secùs eſt de voto rei indifferentis. Nam licèt actus otioſus ſit, imò cultus ſuperſtitioſus; tamen non vovet quis poſitivè facere opus indifferens ſine debito fine; aliàs voveretur veniale, ſed negativè ſe habet circa finem: omiſſio autem finis debiti pro valore actûs, non eſt defectus gravis: conſtátque, Deum poſſe eſſe authorem rei indifferentis. Unde in hoc non occurrit difficultas.

Quintò. Votum non ſequendi conſilia, ut Religionis &c. non continet blaſphemiam &c. Suppono enim, offerri ſub ratione boni, licèt non melioris: at neceſſe non eſt, ut offeratur, ut magis placens; aliàs eſſet hæreſis. Licèt ergo non fiat ſine errore, putando votum placere; tamen error humanus eſt, & non continet ſive contemptum DEI, ſive blaſphemiam. 5

CAPUT III.

An contra Voti obligationem agere, peccatum ſit, & cujus malitiæ?

1 Primò, De fide eſt, violationem voti eſſe intrinſecè malam. Conſtat ex Deut. 23. Eccle. 5. pſ. 75. ubi particula *reddite.* juxta omnes præceptum ſignificat. Lex enim Divina & naturalis obligat ad ſervandam promiſſionem: at peccatum eſt dictum, factum &c. contra Legem Dei

2 Secundò. Malitia dicti peccati unica eſt, per ſe loquendo, & formaliter conſiſtit in perfidia, ſeu infidelitate ad Deum, quæ mendacium & ſacrilegium quodammodo virtute continet. Ita omnes intelligunt locum. 1. Tim. 5. *Primam fidem &c.* Sicut enim in voto unica eſt honeſtas & obligatio, ita privatio proportionem ſervat ad habitum. Nec violans illud, affirmat vel negat: ergo proprium mendacium non fit, omittendo terminū materialis veritatis, quia ad illum non obligat, niſi fidelitas ad Deum: ſícque dicta veritas eſt circumſtantia generica; quamvis Act. 5. mendacium fuerit formale, & irreligioſum quidem, quia ordinatum ad violationem voti, ut ſignificat particula *Deo.*

Sic

3 Sic etiam ſacrilegium latè ſumitur in præſenti pro irreligioſitate; quia nec ſacra ſit materia Voti, l. 2. ff. de pollicit. nec eſt bonum Eccleſiaſticum: at ſacrilegium propriè tale, eſt contrectatio rei. ſacræ, vel converſio ejus ad uſum profanum. Denique nullo Canone probatur malitia ſpecie diverſa ab infidelitate, quantùm ad votum ſimplex; quidquid ſit de ſolemni. Citat Alexand. in addit. ad Bart, d. l. 2. c. *Mulier.* 23. q. 2. ſed id nullibi reperitur.

4 Tertiò, Peccatum dictæ violationis, aliquando eſt commiſſionis, aliquando omiſſionis, ſpeciei tamen ejusdem, quamvis materiæ diſtinctæ ſint. Conſtat enim Votum aliud eſſe affirmativum, aliud negativum, ut præceptum Juſtitiæ, alteriúsve virtutis: inde autem non ſequitur differentia ſpecifica, ut patet in voto obediendi. Malitia enim Infidelitatis, ſive in actione, ſive omiſſione ſit, eadem eſt: & voluntas, in qua formaliter eſt dicta malitia, illam ſecundùm ſpeciem ſumit ab objecto, ſive hoc ſit poſitivum, ſive negativum.

Confirmatur. Quia votum non eſt Lex, nec vovens, utpote carens Jurisdictione in ſe, poteſt ſibi imponere obligationem, niſi ratione fidelitatis proportionatæ Promiſſario, conſequenter Religionis tantùm erga Deum. Sola enim poteſtas Jurisdictionis ſufficit ad determinandam materiam neceſſariam virtutis, ut temperantiæ, miſericordiæ &c. ut tenent omnes. Dices: ergo ſufficit confiteri; *Violavi Votum* in materia gravi. ℞. Confitendam eſſe ſpeciem, non nudam, ſed ut in re committitur per talem actum, quando multùm variari poteſt judicium Confeſſarii, delicti gravitas, neceſſitas medicinæ: ſæpe etiam ex parte materiæ latet alia malitia.

CAPUT IV.

De gravitate peccati contra Votum; & an poſſit eſſe veniale?

1 Primò. Conſtat de Fide ex conſenſu Canonum, totius Eccleſiæ, & Doctorum omnium, dictum peccatum ex genere ſuo eſſe mortale. Conſtat ex *Pſal.* 75. Prov. 20. & 1. Timoth. 5. Quibus locis exaggeratur gravitas, conſequenter mortalis, c. 2. 17. q. 1. c. *Licèt.* de Voto. Nam dictum peccatum eſt contra præceptum graviſſimum, ſive primum, ſive alterum ſecundæ tabulæ, & gravius quàm transgreſſio Juramenti Promiſſorii. Plus enim eſt eſſe infidelem Deo ipſi, quàm homini, aſſiſtente Deo; & quò gravior eſt perſona Promiſſarii, eò gravior eſt perfidia, arg. l. 1. ff. de conſtit. pecun.

Secundò. Ex parte materiæ poteſt dicta infidelitas eſſe Venialis, licèt cum ſufficienti deliberatione fiat. 2

Ita communior, maximè Recentiorum. Nam Regula, quòd mortale ex genere, fiat veniale ex levitate materiæ, non habet exceptionem formalem, ſed in materia, quæ de ſe levis apparet, ſemper reperitur ſpecialis ratio gravitatis, ut in perjurio, Hæreſi, odio Dei &c. At in præſenti nec detrahitur Divino attributo, ut in dictis peccatis; nec extrinſeca injuria, ſeu denegatio debitæ Deo reverentiæ, ſemper gravis eſt, ſed ſuſcipit magis & minus, ut in præcepto orationis, decimarum.

3 Nec refert, dictam injuriam graviorem eſſe qualibet illatâ homini; nam ſolùm ſequitur, quòd ſit altioris ordinis, non verò, quòd levis infidelitas erga Deum ſit peccatum gravius infidelitate gravi erga hominem, quia unaquæque augetur vel minuitur in ſuo ordine, juxta proportionem materiæ. Idem enim argumentum fieri poſſet de quolibet veniali ex levitate materiæ, ut comparatur ad peccata alia inferiorum ordinum.

4 Tertiò. Poſita Regula procedit non tantùm in partiali, ſed etiam totali materia Voti. Negant Cajet. Cord. ſed ferè ſingulares; & Corduba quidem quartam partem argentei contra votum paupertatis damnat peccati mortalis contra omnes, & contra ſeipſum, quia dicta materia eſt partialis reſpectu Voti paupertatis. Ratio autem Cajet. eſt, quòd magnum & parvum dicantur reſpectivè: at materia totalis non habet reſpectu cujus dicatur levis: quod ſecùs eſt in præcepto non furandi &c. materia enim lata eſt.

Sed hæc explicatio habitudinis parvi & magni, & eſt voluntaria & ſine dubio falſa. Patet, cùm Confeſſor, aut Superior injungit Pater & Ave, aut cùm Promiſſio humana obligat ad quid leve. Nec enim materia dicitur gravis vel levis reſpectu promiſſæ actu, ſed alterius quæ promitti vel præcipi poſſet: ſicque vana eſt differentia inter Votum & præceptum, ut patet tum in præceptis generalibus (quod Cajet. fatetur) tum particularibus, tum etiam in contractibus. Adde gravitatem vel levitatem ſpectari etiam reſpectu Perſonæ, ut in contumelia, injuria. Luc. c. 21. ſicut pondus viro leve, puero grave eſt. Denique planè materialis eſt habitudo totius & partis ad moralem mutationem Judicii in ordine ad Divinam reverentiam. 5

Quartò. Regula unica ſive pro his, ſive pro aliis materiis ad definiendum grave vel leve, ſumenda eſt ex prudenti judicio de levitate & gravitate, penſatis conditionibus perſonarum & aliis circumſtantiis reſpectu talis materiæ. Nec enim certior Regula aſſignari poteſt, quia cùm dicitur actum gravem eſſe, ſi contrarius eſt charitati Dei vel proximi, ex prudenti judicio ſumi debet, an graviter necne offendatur charitas. Similiter in præſenti judicandum eſt ex gravitate actûs, qua- 6

quatenus gravem vel levem Dei Cultum continet ſecundùm communem æſtimationem prudentûm; non utique ſiſtendo in eo, quid actus ſit ſecluſo voto, ut ludus, matrimonium &c. ſed conſiderando actionem ut in ordine ad Cultum Dei, vel humana pacta poteſt eſſe res gravis: id autem pendet ex judicio prudenti.

CAPUT V.

Quando ſit mortalis transgreſſio Voti, quæ ſit per plures actus leves?

1 Primò. Quando quod neglectum eſt, licèt ſecundùm ſe & ſolitariè ſumptum leve ſit, reſtat ſupplendum, tandem mortalis fit transgreſſio. Nam hæc non verſatur circa materiam ut levis eſt, ſed ut gravem complet. Ut ſi votum eſt de argenteo quotidie erogando, omiſſio, quæ frequentatur, poſt dies aliquot jam non eſt argentei, ſed omnium qui dandi reſtant, quia obligatio priorum dierum non eſt finita, ſed aggravata magis. Quæ omnia ſine controverſia ſunt, & tenent omnes de furtis minutis frequentatis.

2 Secundò. Si materia levis eſt onus diei, non fit mortale propter frequentiam transgreſſionum. Nam ſi hæ nullo modo uniuntur ad unum actum componendum, evadere non poſſunt mortale, cùm hæc ſit ratio generalis, cur collectio venialium, utut maxima, non ſit mortalis. Et oppoſita Valentiæ eſt ſcrupuloſa, nec in ea occurri poteſt difficultatibus gravibus; nam ſequitur, transgreſſionem voti de non mentiendo jocosè vel officiosè, fieri mortalem ſucceſſu temporis: at quæ ratio de voto tali potiùs quàm de Lege prohibente mendacium? Simili ſucceſſione omiſſio quotidiana levis de parte Roſarii, Officii, formæ jejunii, erit mortalis; quod dictu abſurdiſſimum eſt.

Vel ergo actus voventur ut onus diei, citra unionem ad invicem, ut frequens eſt in Voto perſonali; vel voventur, ut moraliter conſummari poteſt una actio vel omiſſio gravis, ut ordinariè fit in Voto reali? Si 2dum, conſtat, perveniri ad mortale juxta dicta ſuprà. Si 1mum, ſecùs eſt. Nam licèt Votum ſit unum quid ex parte actûs animi, ex parte objecti æquivalet pluribus, ut præceptum Officii applicatum ad plures dies: ergo non eſt de uno actu gravi ex multiplicatis compoſito, ſed mero cumulo actuûm: conſequenter grave eſt extenſivè, ſeu complectens plures obligationes leves, non grave intenſivè, ſeu obligans ad unum actum gravem, ut neceſſariò diſtinguendum eſt in præcepto ſimilium; nam votum & præceptum actuûm æquiparantur ſecundùm omnes. 3

CAPUT

CAPUT VI.

Quibus modis peccari poſſit contra Votum, & quando multiplicentur peccata talia?

1 Primò. Per omiſſionem peccatur vel differendo tantùm, vel abſolutè violando & extinguendo obligationem Voti. Nam mora imputatur peccato. Deut. 23. c. *Non eſt.* c. *Per tuas*, de Voto, utique peccando contra votum affirmativum. Hoc autem ſemper habet tempus determinatum, pro quo obligat, ſive id ſit ad accelerandam tantùm ſolutionem, ſive ſubſtantialiter poſitum pro implenda obligatione, ita ut poſt illud impletio quoad ſubſtantiam fieri nequeat.

2 Unde violatio contra poſteriorem modum eſt gravior, quàm contra priorem, quia eſt omnino contra ſubſtantiam Voti: ſecùs ac fit ſolâ dilatione ſolutionis, ut patet in reſtitutione, & ſolutione debitorum ex Juſtitia vel promiſſione. Nec enim in poteſtate privati eſt, prorogare obligationem in tempus aliud, quàm in Voto determinatum fuerat: ſicque quod poſtea fit, voluntatis eſt, non obligationis. Ex parte verò moræ brevis poteſt peccatum veniale eſſe, licèt actus, qui differtur, gravis ſit. Idem eſt in aliis obligationibus Juſtitiæ, ut ſolutione mutui &c. nec præſumitur intentio rigidior.

3 Vel enim terminus non eſt præcisè definitus, vel indiviſibiliter præfixus? Si 1mum, pendet ex prudenti arbitrio, cum latitudine tum in licito, tum in illicito, ita ut prius judicetur transgreſſio levis, & aggravetur, donec mortalis fiat. Si 2dum, ceſſante impedimento, quod per ſe excuſet, locus non eſt epiickiæ, nec ſubintelligitur, *ſi commodè poſſum*. Tamen transgreſſio ſtante bonâ fide, & causâ ſaltem apparente cum certitudine brevis moræ, poteſt eſſe venialis tantùm: ſicut in præcepto vel juramento comparendi, vel ſolvendi tali termino, ſi nec mora eſt gravis, nec animus contumax, in conſcientia excuſatio eſſe poteſt.

Quòd ſi determinatio ſit prudenti arbitrio, major commoditas voventis eatenus excuſat, quatenus 4 confert ad conjecturam de intentione habita, vel de majore obſequio Dei. Sic qui differt aliquantulum ingreſſum Religionis propter Litteras neceſſarias uſui Religionis, in qua addiſci nequeunt, facilè excuſari poteſt, ſi conſulat prudentem. 5

Secundò. Per commiſſionem non peccatur contra Votum ob ſolam dilationem, ſed per violationem directæ obligationis, quæ tamen ea propter non ſemper extinguitur. Nam per

per commiſſionem violantur ſola Vota negativa: hæc autem obligant pro ſemper, vel ſimpliciter vel juxta intentionem voventis: ergo ex quo obligant, nullam dilationem permittunt; támque peccat, qui poſt annum, quàm qui ſtatim violat Votum caſtitatis. Rurſus votum fit vel de negatione actûs talis ſpeciei ſimpliciter, vel de uno actu ſtatim transeunte, vel de uno quidem, ſed habente tractum ſucceſſivum, ut non ingrediendi domum, vel de actu, ut eſt primus in tali ordine; ut de virginitate præcisè. Dempto ergo primo modo, non eſt locus repetitioni peccati; quamvis quoad ultimum regulariter votum intelligatur abſolutè, ſecundùm ſpeciem actûs, niſi de contraria intentione expreſsè conſtet.

Tertiò. Multiplicato Voto circa idem, non multiplicatur obligatio, loquendo per ſe. Nam ſolùm fit repetitio Voti; ſicut nec per promiſſionem, Legem, Juramentum additur quid rei priùs promiſſæ, præceptæ, juratæ; quia idem tantùm iteratur, quamvis verbis aliis. Denique quoad dilationem exequendi Votum, peccatum omiſſionis externæ durat continuò, non tamen moralis malitia ejus, niſi actu ſit voluntaria: ad hoc autem neceſſe eſt, ut actu veniat in mentem obligatio vel in ſe, vel in ipſo actu promiſſo, & ut poſſibilitas implendi hîc & nunc duret. 6

CAPUT VII.

An dolere ſeu pœnitere de voto facto, ſit contra Votum vel aliud præceptum?

1 Primò. Pœnitentia efficax Voti facti in ordine ad obſervationem ejus, mortalis eſt contra idem Votum. Nam ſi eſt efficax in ordine ad obſervationem; ergo eoipſo eſt propoſitum frangendi votum. Quòd ſi ſit de diſpenſatione efficaciter procuranda; ergo ſolùm eſt de non obſervando, voto jam ablato, imò non formaliter de non obſervando, ſed materialiter de non exequendo, quando jam tranſiit: quæ erat conditio intrinſeca, niſi per Superiorem

2 tollatur.

Secundò. Pœnitentia inefficax non eſt peccatum, per ſe loquendo. Nam nec contra Votũ eſt, nec contra aliud præceptum. Non 1mum, quia non vovi non pœnitere. Non 2dum, quia actus, *nollem voviſſe*, nulli præcepto directè opponitur; ſicut ſi dolet jejunium, eleemoſyna, omiſſio laboris præcepta &c. Non enim diſplicet, impleſſe præceptum, ſed præceptum occurriſſe tali die. Tamen dicta pœnitentia de ſe ad malum vergit, & ſecluſâ imprudentiâ Voti, difficilè habet bonum finem: éſtque inuti-

inutilis, niſi agitur de diſpenſatione. Aliquando autem conſtituit in morali periculo, quia & cum deliberatione omittitur, quod diſplicet, & difficile ſit integrè & ſicut oportet.

LIBER VI.

De Irritatione, Diſpenſatione, & Commutatione Voti.

CAPUT I.

An Votum poſſit irritari; & quid ac quotuplex ſit irritatio ejus?

1 Primò. Votum validum aliud eſt ſimpliciter firmum, aliud infirmum. Prius eſt, quod non pendet niſi à vovente: poſterius, quod pendet ab altero, ſive ratione materiæ, ſive ob ſubjectionem voventis. Unde votum irritabile dicitur, quod quoad obligationem ſive in fieri, ſive in conſervari, per ſe pendet à voluntate tertii, involvendo pro conditione conſenſum ejus poſitivum, vel ſaltem non repugnantem. Quòd enim vovens apponat pro mero libitu talem conditionem, extra ſcientiam eſt.

2 Secundò. Irritatio alia eſt indirecta ſeu comunis, alia directa. Prior ſolùmſe habet ex parte materiæ, cùm ſubtrahitur vel mutatur; éſtque ſimilis ceſſationi Voti, quæ ex parte materiæ contingit, juxta dicta ſuprà: & ideo ſolùm ſuſpendit obligationem pro tempore, quo durat prohibitio, vel ſtatus prohibentis: ſícque ſæpe reviviſcit, ut in uxore, ſervo &c. liberatis à ſubjectione. Poſterior propria eſt, quia directè cadit in Votum, id ſimpliciter & totaliter tollendo.

Tertiò. In quolibet infra Pontificem dari poſſunt Vota irritabilia indirectè, non tamen directè irritabilia. Nam quoad ætatem ſolus impubes, quoad ſtatum ſolus Religioſus habet voluntatem per ſe ſubordinatam poteſtati alterius. At quisque Superiorem ſe habet, à quo præcipi ſaltem per Jurisdictionem poſſit, non quidem quidlibet, ſed quod ad bonum comune convenit. Unde poteſtas hæc irritandi, nec eſt ſemper ſpiritualis, nec Jurisdictionis, ſed aliquando dominativa: interéſtque, quia hæc non requirit cauſam; ſecùs verò, ſi eſt Jurisdictionis, quamvis conſecutivè tantùm, quatenus cauſam poſcit ipſa æquitas Legis vel præcepti. 3

Quartò. An liceat irritatio, pendet ex natura poteſtatis. An liceat, inquam, nam quantùm ad valorem, ſufficit reſiſti executioni Voti, quia intuin- 4

intrinſeca hujus conditio eſt, niſi repugnet Superior. Vel ergo poteſtas eſt data in favorem ſubditi, vel irritantis, aut utriusque? Si 1mum, irritatio debet eſſe utilis Religioſo, vel Religioni, vel certè ad majus DEI obſequium: aliàs fit abuſus poteſtatis, raró tamen mortalis, ſecluſo nocumento Religioſi, & directâ malitiâ. Si 2dum, ſpectari poteſt utilitas irritantis, ſervando tamen generalem circumſtantiam honeſtatis ex parte finis, & ne quid contra charitatē debitam famulo, familiæ &c. fiat.

5 Quintò. Non tenetur Superior intentare commutationem potiùs quàm Irritationem, loquendo per ſe, & vi Voti. Nam alter non vovit, niſi hoc in ſpecie, nec cogi poteſt ad acceptandam commutationem, ut nec ad denuo vovendum: & poteſtas commutandi eſt Jurisdictionis Voluntariæ. Quòd ſi petitur, commutatio fieri poterit potiùs quàm diſpenſatio, ut in c. *Magnæ*, de Voto: quamvis ſtet libertas integrè ſervandi Votum. Unde in Voto per accidens mixto, Perſonale de peregrinatione v. g. irritari poteſt, & Reale commutari. Denique Superior uti poteſt ſuâ poteſtate irritandi absque alia cauſa: nec votum ſi impleri nequit, ad compenſandum ligat.

Sextò. Irritatio differt à diſpenſatione. Nam licèt etiam hæc tollat integrè Votum, non tamen cadit in hoc, niſi ut pendet ab acceptatione Dei, conſequenter à poteſtate ſpecialiter à Deo conceſsâ, quia ſpectatâ conditione naturæ humanæ, pernicioſa eſſet immutabilitas obligationis. Rurſus diſpenſatio ſemper reqnirit cauſam; éſtque beneficium, quod invito non fit, nec in gravamen voventis, juxta R. J. 61. & 69. in 6. Secùs autem eſt de Irritatione, ut dictum eſt. Denique commutatio convenit cum diſpenſatione quoad dictas proprietates: differt verò, quia eſt mutatio inter terminos poſitivos, non mera privatio quaſi, ut diſpenſatio. 6

CAPUT II.

An Pontifex, Prælati, aut Principes poſſint irritare Vota ſubditorum?

1 Primò. Pontifex non poteſt directè irritare vota; minúsque alii per poteſtatem Jurisdictionis, & ut Superiores per eam quà tales. Ita Doctores ſupponendo potiùs, quàm diſputando ex tit. de Voto per tot. Semper enim requiritur cauſa, falsúmque eſt, includi in voto conditionem, *Si Papa velit*, magis quàm in Juramento, ſed ſolùm cùm materia illum concernit. Nec dependentia talis vel neceſſaria eſt, vel expediens ad Regimen Eccleſiæ; nec quòd poſita ſit, ſcriptum vel traditum eſt: aliàs nec homo homini obligari poſſet per pacta. Multóque minùs Epiſcopus vel Princeps tollere poteſt pro mero arbitrio vel obligationem contrahentis, vel jura privatorum; niſi ſolùm ex juſta cauſa, & per modum punitionis.

 Secun-

2 Secundò. Poteſt Pontifex indirectè irritare vota Fidelium cujuscunque ſtatûs. Nam in his, quæ Jus Pontificis (Epiſcopi vel Principis) concernunt ex parte materiæ, locus eſt dictæ irritationi; ſecùs in aliis, quæ abſolutè licent, & ſine ejus facultate, ut docent omnes. c. *Magnæ.* c. *Scripturæ.* eod. Solùm ergo differentia eſt, quòd Pontifex omnibus & ſingulis præcipere vel prohibere poſſit in proportionata materia; alii verò in alios crebriùs exerceant Jurisdictionem, in alios rariùs: tamen in his, quorum executio non poſcit licentiam, Jurisdictio nihil poteſt, ut in Epiſcopo, ſive ejus votum anteceſſerit ſtatum, ſive ſecutum ſit; quia ſolius executionis dependentia ſpectari debet.

CAPUT III.

Au Domini irritare poſſint Vota ſervorum?

1 Pimò. Non competit Domino directa irritatio. Nam ſervus non eſt ei ſubjectus in ſpiritualibus, ſed tantùm in his, quæ ad uſum actionum, & rerum corporalium pertinent: quia non eſt ſervus ſecundùm animam, ſed corpus. Et major dependentia nec eſt à natura, nec ex voluntate vel pacto ſervi, nec ex Jure ſervitutis, ut Civili & Gentium Jure inductum eſt. Nec enim reperitur tale Jus, nec eſſet Juſtum, nec fortè poſſibile intra latitudinem ſervitutis Civilis, quia eſt longè inferioris rationis. Nec in l. *Siquis ſervus.* ff. de Pollic. fit æquiparatio cum impubere, ſed ſimplex commemoratio diverſorum membrorum; quæ non oportet eſſe ejusdem rationis, aut ex eadem radice quoad impotentiam obligandi ſe.

2 Secundò. Competit Domino irritatio indirecta, ſeu ex parte materiæ, ita iſtam prohibendo, ut ſervo non liceat executio Voti. Nam ſervus eſt Domini quoad uſum actionum, quas illi ex Juſtitia debet; nec placent Deo obſequia, quaſi ex alieno: ergo invito Domino non poteſt ingredi Religionem, peregrinari, jejunare &c. quatenus obſtat ſervitio. c. *Si quis ſervum.* cum ſimilibus. 17. q. 4.

Tertiò. Non poteſt Dominus irritare omnia vota perſonalia ſervi, ſed ea tantùm, quorum executio eſſet contraria juri, quod habet in ſervum. Nam alia vota fieri poſſunt cum relatione ad tempus libertatis; alia pro tempore ſervitutis, ſed ſine præjudicio Domini, ut votum ſervandi præcepta caſtitatis, brevis Orationis &c. conſtat autem in neutro genere Votorum dependere ſervum à Domino. 3

Quartò. Dominus irritare poteſt ferè omnia vota realia ſervi. Nil enim hic habet proprium, per ſe loquendo. l. *Si quis rem.* ff. de Pollic. quamvis ex conventione cum Domino habere poſſit, ſicque vovere. Gl. in l. *Quod attinet.* 33. ff. de R. J. 4

Nec

Nec refert eſſe minimum quid, quod ſervus ſibi ſubtrahit ex victu &c. nam abſolutè contradicere poteſt Dominus: & ita quod fit, ex præſumpta tantùm voluntate ejus fieri poteſt. Idémque eſt de famulis, debitoribus aliis, &c. Nam ante omnia Juſtitia ſervari debet, ne quid voveatur cum præjudicio creditoris; ut ſi poſt votum contracta ſunt debita, ſolvi illud ex alieno nequit.

CAPUT IV.

An unus conjugum poſſit irritare Votum alterius?

1 Primò. Marito non competit irritatio directa, minùs uxori. Non enim poſſunt eſſe duo capita, ſed vi vinculi inter utrumque ſequitur per ſe ſubjectio unius ad alterum, tanquam per ſe neceſſaria & conveniens ſtatui ad educationem liberorum, gubernationem familiæ; aliàs nec pax, nec ordo eſt: ſícque ſuppoſitâ diverſitate ſexuûm clara eſt ſubjectio uxoris. Gen. 3. Epheſ. 3. Col. 3. & 1. Cor. 14. At major ſubjectio, quàm in ordine ad dicta, fingi nequit, quia media ſunt proportionata fini, & effectus commenſuratur cauſæ: ergo quia ſubjectio non eſt abſoluta in omnibus (ut per ſe conſtat) continetur intra dictos limites, cùm alio modo rationabiliter definiri nequeat, niſi cum proportione ad ſtatum, qui per ſe non ordinatur immediatè ad finem ſpiritualem, ſed humanum & quaſi corporalem, ut in ſervo. Nec refert, mulierem eſſe imprudentem; nam aliàs vota omnium eſſent infirma: ergo ſubjectio ſolùm eſt propter debitum ordinem ſtatûs.

2 Secundò Marito non competit irritatio indirecta, niſi illorum votorum, quæ ipſi, familiæ, vel gubernationi præjudicium afferunt. Patet exceptio Votorum de rebus præceptis, caſtitate conjugali, brevi oratione, eleemoſyna ex propriis: itémque pro ſtatu viduitatis. Nec pro oppoſito fundamentum ſatis probabile eſt; quia ex naturali Jure deduci nequit, & ſi Num. 30. omnimoda ſubjectio fuit, nunc non tenet. Quòd verò non teneat votum moderatæ abſtinentiæ, quando vir acerbè fert, non eſt vi irritationis propriè, ſed quia ob mutatas circumſtantias, perturbationem pacis &c. non eſt de meliori. Adde conditionem, *ſi commodè poſſum*, deficere; ſícque datur, quod Soto vult, quamvis ex fundamento, quod non probat.

Tertiò. Etiam uxori competit irritatio indirecta. Nam ſi votum mariti cedit in præjudicium uxoris, evidens eſt, eſſe iniquum, ut ſi ſit de copioſa eleemoſyna, diſpenſando vel alienando ex dotalibus. Idem eſt de Voto perſonali mariti; nam ſicut dotem minuere nequit, ita nec debilitare corpus, quod ſuum non eſt, aut ejus uſu privare per longum peregrinationem, aut adjutorio ad vitam neceſſario. 3

4 Dices. Ergo æqualitas eſt inter conjuges. R. quoad uſum Matrimonii judicari ad paria. c. *Gaudemus* de Divort, & 1. Cor. 7. ſicque æqualitas eſt, non abſoluta, ſed proportionalitatis, ne alter alteri præjudicet. Irritatio enim alia eſt ex dominio ſeu æquivalente jure Juſtitiæ; alia ex poteſtate Superiori, Gubernativâ, vel adminiſtratice. Prior æqualis eſt, & de ſe communis æquali & inferiori; poſterior competit viro, & eatenus appropriatur illi, Num. 30. & ideo poteſt quà Superior prohibere exitum è domo, peregrinationem brevem, jejunium, non ſolùm ut obſtat matrimonio, ſed ut perturbat ordinem & adminiſtrationem domûs.

5 Quartò. Votum Transmarinum competit marito ſoli, & quatenus Jure conceſſum eſt. c. *Ex multa.* c. *Quòd ſuper his.* de voto. Nam propter commune bonum Lex potuit uxorem privare Jure ſuo: at ſolùm in dicto caſu id factum eſt, nec extendi debet ad puram peregrinationem, ſecluſo ſubſidio belli Hieroſolymitani: ergo niſi ad bellum denuo ſit, non eſt locus dicto voto, nedum alterius longæ peregrinationis. Sola enim Hieroſolymitana excipitur, & cum addito, niſi mulier ſit juvenis &c. ut jure naturæ vir tenetur evitare periculum incontinentiæ, nec cogere uxorem poteſt ad comitandum ſe, cùm res graviſſima ſit. d. c. *Quod ſuper his*, ergo quod indefinitè dicitur, mulierem obligari Voto &c. intelligendum eſt ſecundùm Jus, conſequenter cum viri conſenſu.

Quintò. Irritari poſſunt vota dicto modo, etiam quæ præceſſerunt ſtatum. Nam hoc mutato, mutatur materia: ergo votum, invito ſocio jus ſuum poſſidente, ſine injuſtitia ſervari non poteſt: ergo licèt ſit reale, imbibitam habet conditionem, *Niſi ſtatum mutavero.* Aliàs votum non eſſet prudens, nec juſtum, ſed præjudicans liberæ adminiſtrationi bonorum, quæ data ſunt ad ſuſtinenda onera. Quòd ſi votum factum eſt directè ad perpetuò ſe obligandum, debuit explicari conditio; aliàs deceptio injuſta ſit, & maritus, illâ non explicatâ, utitur jure ſuo; nec Deus vult coli de alieno. 6

Sextò. Irritatio reſtringitur ad ſtatum præſentem, niſi de oppoſito conſtet ex verbis, vel materia poſcente ſtatum liberum, ut eſt Caſtitas, Religio. c. *Quidam.* c. *Placet.* de Convers. conjug. Licèt enim quædam vota mortificentur tantùm, non moriantur: tamen regulariter non diſponitur de futuro ſtatu infelici, niſi expreſsè cogitetur; quia ille & ſimpliciter incertus eſt, & magis quoad circumſtantias ætatis, virium, facultatum: ergo rectè in dubio reſtrictio fit ad ſtatum præſentem. 7

Septimò. Valet retractatio licentiæ ſemel datæ. Ita omnes. c. *Scriptu-* 8

ptura. de voto. Nam in Reali vir retinet liberam adminiſtrationem, ſaltem in rigore Juſtitiæ; quod ſufficit, ut factum teneat. Quoad Perſonale non poteſt ille abdicare poteſtatem gubernativam. Nec quoad licitum regulari is debet ex Num. 30. ut eſt jus poſitivum, quia poteſt ſuſpendere aſſenſum, quamdiu vult, aut determinare tempus, pro quo valeat licentia, cùm id nec contra rationem ſit, nec contra Legem obligantem. Præſumptio autem, ſi materia ſolùm pertinet ad debitam gubernationem &c. & abeſt præjudicium, ſufficit & obligat ad exequendum, urgente voto: ubi autem præjudicium fit viro, taciturnitas non eſt approbatio.

Denique vel ex rationabili cauſa 9
ſit retractatio, vel ſine illa? Si 1um, ergo cùm poteſtas non deſit, uſus ejus juſtus & licitus eſt. Si 2dum, peccatum non eſt mortale, quia neque eſt contra Juſtitiã, neque contra votum, ſive irritantis, ſive voventis: aliunde abeſſe poteſt contemptus, ſcandalum &c. peccatur ergo propter inconſtantiam, & inurbanitatem, & inconvenientem gubernationem: portatúrque *iniquitas* voventis, utique materialiter ſumpta pro non obſervantia.

CAPUT V.

De Votis filiorumfamilias puberum, & poteſtate parentum ad irritanda.

1 Primò. Non competit Patri irritatio directa circa dicta Vota. Non enim ex contractu vel promiſſione Filii; non ex Jure poſitivo aliquo, cùm nullum extet; non ex naturali poteſtatis Patriæ; quia hæc commenſuratur Oeconomicæ gubernationi, & convenienti educationi filiorum, ad quem finem impertinens eſt votum filii, ſecluſo præjudicio Patris: aliunde autem quiſque ſui juris eſt à natura, quamdiu ex aliquo dictorum principiorũ non probatur ſubjectus. Denique ſi Paſtores Eccleſiæ, qui directiùs intendunt bono animæ, nil poſſunt directè, minùs Pater impedire poteſt opera ſupererogationis, ſecluſo præjudicio.

Secundò. Non competit Patri 2
irritatio circa omnia vota filii. Non enim circa Votum Religionis & Caſtitatis, ut fatentur omnes. c. *Ad noſtram.* de Regul. l. *Deo nobis.* §. *Hoc etiam.* Cod. de Epiſc. & cler. Quia in ordine ad Divinum obſequium, & maximè ad ſtatum ad illud pertinentem, quisque eſt ſui Juris. Idem ergo eſt de voto ſervandi præcepta, & quolibet perſonali, quod non præjudicat; & de Reali circa Caſtrenſia, vel quaſi. Nec

obſtat

obſtat Lex Num. 30. Quia non tenet, ut poſitiva: ex jure autem naturali evinci non poteſt incapacitas feminæ, quia præſumitur uſus rationis in pubere, & fœmina ſæpe magis capax eſt ob pietatem & moderationem affectuûm: & ſi voti Religionis capax eſt, juxta Jura expreſſa, multò magis minùs gravium actuûm. Denique particula *ætate puellari*, commodè intelligi poteſt in dicta Lege de impubere.

3 Tertiò. Competit Patri irritatio indirecta omnium votorum, quæ præjudicium afferunt Patriæ poteſtati, ſeu impediunt Regimen liberum & expeditum familiæ, vel nimiùm ſubtrahunt filium ab obedientia & cura Patris, ut in jejunio extraordinario, longâ peregrinatione, eleemoſynâ de bonis Patris, vel ejus adminiſtrationi ſubjectis. Pater enim poteſt hæc prohibere: ergo ut teneat Votum; ſubintelligitur, *ſi pater non repugnet*, juxta dicta de uxore, ſervo.

Quartò. Durat patria poteſtas, 4
quamdiu filius, etſi major 25. annis, non eſt emancipatus: & ſi minor eſt, licèt emancipatus, adhuc ſubeſt, ſi ſub tutela eſt Patris. Nam licèt ſubjectio mutetur, non omnino tollitur: ſtante autem illâ, nec donare quis poteſt liberè, nec exemptus eſt à gubernatione domeſticâ. Unde dubium eſt, an circa talem teneat diſpoſitiò, c. *Ex multa.* de Voto, ut de marito; quia videtur obſtare dicta ſubjectio; & ideo non fit extenſio ad Religioſum, ſervum &c. Aliunde vix fit præjudicium Patri: ergo Jure naturali filius independens eſt in voto ſubſidii pro Terra Sancta, in quo vitam conſecrat Deo, Patriæ &c.

CAPUT VI.

An Parentes poſſint irritare Vota filii impuberis: & quando ac quo modo?

1 Primò. Poteſt irritare. Ita omnes; conſtátque de irritatione indirecta voti, utut jurati, quia non poteſt eſſe vinculum iniquitatis. De directa ſumitur ex c. 1. & 2. 20. q. 2. & c. *Mulier.* cum aliis 32. q. 2. Nam Jure naturæ ita ſubeſt filius Patri, ut voluntas hujus cenſeatur voluntas illius ante uſum rationis: at poſt hunc judicium nimis imbecille eſt, & vinculum periculoſum eſt in futurum: ergo inſufficiens, ut pro omnino firmo haberi debeat.

Secundò. Votum, quod fit ante 2
14um. annum completum maſculi, vel ante 12mum fœminæ ſubjectum eſt dictæ irritationi, Ita omnes contra Hugonem argumento à fortiori ex Profeſſione. c. *Ad noſtram.* c. *Poſtulaſti*: de Regul. Nam non debuit

debuit res relinqui arbitrio parentum; & lex attendit, quod frequentius eſt, quin referat, in aliis citiùs matureſcere judicium; conſtaréque debet de dicto termino, quia aliàs pater in dubio poſſidet Jus ſuum, agitúrque favor debitoris: ut in ſimili dubio non habetur pubes quoad alios effectus, ut agendi in Judicio. Denique lex non ceſſat, ceſſante fine particulari, eſto ſecùs diſponat in ſponſalibus; nam Votum eſt magis ſpirituale, & requirit cogitationem altiorem.

3 Tertiò. Competit dicta irritatio reſpectu omnium Votorum ſimpliciter. Non enim fundatur in conditione materiæ, ſed ſubjectione voluntatis, ut conſtat in voto Reali; quia impubes nullam habet adminiſtrationem ullius rei. Idem eſt de Perſonali, quamvis neget Vival. ſine Doctore, & fundamento, & inconſtanter, ſolam irritationem indirectam admittendo, ubi præjudicium eſt; & tamen concedendo irritationem Voti Religionis, utique per poteſtatem directam.

4 Quartò. Competit Patri dicta irritatio etiam poſt pubertatem filii, ſi votum in eodem ſtatu permanet, ſeu nec à pubere, nec à Patre confirmatum eſt. Ita probabilior Cajet. Nav. Vival. Azor. Leſsij, Lopez, & modernorum communiter. Nam dictum votum retinet, quam habuit, infirmitatem, & ratio irritandi durat, & Lex non limitat poteſtatem ad tempus prius, & conditio, *niſi Pater contradicat* à principio ineſt: ſícque nec ratio, nec Jus (à quo ſolo res pendet) cogit ad dictum tempus ſubintelligendum. Facit à ſimili c. ult. de S. E. ubi Abb. generaliter concludit, beneficium inductum ratione minoris ætatis, poſtquam cœpit habere locum, non extingui, licèt quis evaſerit major.

Quintò. Secùs eſt de voto confirmato à pubere. Neceſſaria autem eſt voluntas, quâ quis deliberet, non ampliùs velle irritationem, ſed abſolutè obligari. Nec enim ſufficit ſive repetitio voti in impubere, quia ſemper perſtat eadem ſubjectio; ſive ſola voluntas ſervandi in pubere, quia non dat majores vires, quàm per ſe habeat obligatio. Requiritur ergo ſcientia infirmitatis, ſicut nullitatis in Profeſſione ad hanc confirmandam, quia error cauſat involuntarium: ſícque quamdiu præſupponitur fundamentum actuûm tanquam validum in cogitatione operantis, non intervenit tacita voluntas confirmandi, ſeu potiùs innovandi; nulláque executio voti eſt ſufficiens ſignum confirmandi. 5

Sextò. Ut à Patre confirmetur votum, neceſſaria eſt ſcientia ejus, & voluntas ratum habendi. Nam confirmatio debet eſſe voluntaria, nec ſufficit negativè ſe habere, quidquid ſit de præſumptione Num. 30. Quia Lex eatenus poſitiva eſt, & attenditur in foro animæ veritas. Quòd ſi durat confirmatio uſque 6

ad pubertatem, retractari nequit, aliàs nec millies repetita ſufficeret, quod abſurdum eſt; quia actus eſt potiùs declarativus; & tranſiit quaſi in rem judicatam, cùm pater uſus ſit poteſtate, quantùm potuit; nec ſermo ſit de confirmatione ex parte materiæ tantùm, ut ſuprà de marito, ſed de directa, quæ ſemel data probabiliùs retractari nequit, ut dicta probant, & dicenda de Prælato Religionis.

7 Septimò. Votum impuberis ſemel irritatum à Patre, nunquam reviviſcit. Nam irritatio directè cadit in votum: ergo deſtruit illud, ut patet in voto Religionis; aliàs illa nihil eſſet, cùm dilatio ad pubertatem per ſe neceſſaria ſit. Unde clara eſt differentia inter votum uxoris & filii, quia illud mortificatur tantùm, non moritur, cùm irritatio tantùm indirecta ſit.

8 Octavò. Solus Pater, dum vivit, habet dictam poteſtatem. Patet ex Num. 30. & §. *fœminæ* Inſt. de Adopt. Solus enim eſt caput totius domûs; nec mater naturales habet in poteſtate, nec de filio diſponere poteſt, offerendo Religioni, & quod Anna fecit, conſenſu mariti actum eſt. 1. Reg. 1. Quoad baptiſmum autem res eſt incerta, & differentia conſtat ex neceſſitate ejus. Igitur opinio contraria ſimpliciter falſa eſt, quia ſine ratione, & Jure, & non conſonè ad Jus naturale; ſolúmque matri competit irritatio indirecta, quatenus ſalvo jure patris, præcipere poteſt: ſícque indefinitè locutio fit de parentibus. c. *Addidimus* c. *Quiscunque.* 20. q. 1.

Nonò. Mortuo patre, dicta poteſtas competit Tutori pupilli. Conſtat ex Num. 30. Gal. 4. c. *Puellas.* 20. q. 1. Nam quia ſuccedit Patri, ſubordinatur voluntas Pupilli voluntati ejus, conſequenter & matris, cùm Jure ordinario habeat tutelam, uti & avus, deficiente propinquiore Aſcendente. At ſi deſunt, vel dicta poteſtate privantur, authoritate publicâ datur Tutor, conſequenter cum eadem poteſtate. Nec refert, ſi plures ſint, quia quisque ſufficientem poteſtatem habet, nec ab altero non ſuperiore impediri poteſt; éſtque melior conditio prohibentis. 9

Idem eſt de Orphano vel quaſi, ſaltem ſi ſit ſervus, quia vi Dominii competit Domino cura ejus, & per ſe conſonat pietati & rationi, ut ſit loco patris & Tutoris. Sin non Dominus curam pupilli ſuſcipit ex miſeratione, fundari poteſt in præſumpta voluntate Patris; quamvis tutius ſit ſuſcipere tutelam ex poteſtate publica. Ceſſat autem dicta poteſtas ceſſante tutelâ, quia non eſt commiſſa Perſonæ, ut patris, ſed muneri; aliàs pro ſemper competeret, contra exemplum Prælati aut Epiſcopi in caſu c. ult. de S. E. Denique ſponſus, vivente patre ſponſæ tutor eſt, ſi impubes eſt, & emancipata. c. *Noluit.* 33. q. 5. 10

CAPUT

CAPUT VII.

An Prælati Religionum directè irritare poſſint Vota Religioſorum?

1 Primò. Competit illis irritatio directa. De indirecta per ſe conſtat ex Voto Paupertatis & Obedientiæ: de directa autem tenet Soto. Arag. Lop. & à fortiori, qui pro invalido habent *velle & nolle* Religioſi, ut Angel. Rich. Roſel. Sumitur ex c. *Non dicatis*, 12. q. 1. ab omnibus recepto, & c. *Si Religioſus* de Elect. in 6. juncta conſuetudine omnium Religionum ſic interpretandi dicta Jura, ut Religioſus ſit inſtar pupilli & ſervi quoad vim obligandi ſe firmiter. Eſtque talis ſubjectio per ſe neceſſaria ad conveniens regimen dicti ſtatûs, maximè in ſpiritualibus: in his autem obligatio votorum maximè computatur.

2 Suppoſito autem pacto dictæ ſubjectionis, conſtat de impotentia vovendi firmiter. Nam Jus Religionis per Profeſſionem acquiſitum, eſt irrevocabile, imò in Religione approbatâ confirmatum authoritate Pontificiâ: ergo voto priori, quod fuit ſub conditione, *niſi Superior contradicat*, poſterius non poteſt eſſe contrarium. Oritur autem dicta poteſtas ex Jure Eccleſiaſtico, quatenùs ab inſtitutione Eccleſiæ ſtatus pendet quoad modum & determinationem: at quia ſemper intercedit traditio voluntaria perſonæ, ex natura rei conſequens eſt dicta poteſtas; nec enim quis ſine ſuo conſenſu compelli poſſet ad tantam ſubjectionem.

Secundò, Prælatus poteſt omnia vota irritare, quæ in illa Religione impleri poſſunt, & debent. Sequitur evidenter, poſitâ irritatione directâ. Nec excipi poteſt, ut Cajet. vult, materia præceptorum; aliàs redimus ad indirectam tantùm, nec irritari poterit votum ſilentii, non ingrediendi cellam &c. contra Cajet. Rectè autem ab omnibus excipitur tranſitus ad ſtrictiorem, quia ſtatus perfectionis impedire non debet melius; ſufficítque tantam eſſe ſubjectionem perſonæ, quantùm moraliter neceſſarium & opportunum eſt ad regulæ obſervationem ſecundùm cujuſque Profeſſionem. 3

Tertiò. Competit dicta poteſtas in omnes ſubditos, vi Profeſſionis & Obedientiæ. Nam Profeſſio eſt adæquata ratio dictæ ſubjectionis; ſicque ſine dubio ſufficit etiam in Scholaſticis Societatis. Similiter Vota Epiſcopi Regularis irritari poſſunt, non quidem à Prælato Regulari, cui non ſubditur, ſed à Papa; hujus tamen, ſi Regularis ſit, vota per accidens firmantur, quia non habet Superiorem. Secùs eſt de Novitio, cùm deſit fundamentum 4

niſi irritationis indirectæ; paratus enim eſſe debet obedire, ut probet Religionem, & probetur.

5 Quartò. Ut Votum ſimpliciter irritetur, debet aliquo modo innoteſcere Prælato; & ſic irritatum non redit. Nam voluntas irritantis non fertur niſi circa cognita aliquo modo, ut ſaltem conditionatè dicendo; *Si ſint Vota, quæ occultas &c.* Rurſus votum jam mortuum, non reviviſcit ſine voluntate ſubditi; ſecùs, ſi ſit mortificatum tantùm per irritationem indirectam. Nec enim Prælatus cogitur operari ſecundùm totam poteſtatem, ſed poteſt ſuſpendere obligationem, & negare licentiam pro hoc vel illo actu, aut tempore, relinquendo in futurum obligationem.

6 Quintò. Sine peccato petitur dicta irritatio, eſto, cauſa deſit ſufficiens ad diſpenſandum. Nam ſubditus utitur Jure ſuo; nec Votum fuit de non petendo irritationem, ſed conditionatum in ordine ad Prælatum: éſtque ſimpliciter melius, huic, quod factum eſt, innoteſcere. Denique propenſio ad ſolutionem, peccatum non eſt; quia nec eſt contra votum, nec Præceptum aliud: éſtque dubium, an ſolutio non magis conveniat.

Sextò. Quilibet Prælatus ordinarius à proximo uſque ad ſupremum, habet dictam poteſtatem, quamvis cum aliqua ſubordinatione. Nam quiſque Jus habet in voluntatem Religioſi ad dirigendum in ſpiritualibus: ergo cum ſubordinatione debita, quia multitudo ſine ordine confuſionem pareret. Secùs autem eſt de non Prælato, ut Miniſtro domûs, Vicario &c. quia non habent Jurisdictionem ordinariam, nec ſpiritualem, niſi delegetur, aut cùm vices abſentis gerunt cum tota Jurisdictione juxta uſum cujusque Ordinis. 7

Septimò. Vi Profeſſionis competit dicta poteſtas Pontifici, ut Prælato Religionis, & Epiſcopo, & Prælatæ ſeu abbatiſſæ. Nam Pontifex eſt, qui principaliter acceptat Profeſſionem, cùm alii in virtute conceſſionis, & approbationis ejus acceptent. Sic & Epiſcopus Prælatus eſt tum Monialium tum aliorum, qui im̃ediatè ſub ejus Obedientia verſantur. Sicut autem mater, cùm eſt Tutrix, ſolvere vota poterit, ita & Abbatiſſa citra Jurisdictionem, cùm ſufficiat ratio Obedientiæ Religioſæ ad impediendam firmitatem Voti. 8

CAPUT

CAPUT VIII.

An Votum factum de licentia Prælati, poſſit irritari ab eodem, vel alio Prælato?

1 Primò. Confirmatum à Superiore inferior irritare non poteſt; ſed è converſo confirmatum ab inferiore, Superior irritare poteſt. Nam poteſtas ſuperior, ſive Jurisdictionis, ſive dominii ſit, non pendet ab inferiore, ſed è converſo, ut eſt neceſſarium vi ſubordinationis debitæ: ergo conditio, *niſi Superior repugnet*, ut ad Rectorem v.g. applicatur, ſupplenda eſt per particulam, *ſi validè & efficaciter*, quia ille contra Provincialem nihil poteſt: ſicque etiam approbatio inferioris conditionata eſt, *niſi Superior reſiſtat.* Nec obſtat R. J. 73. in 6. quia approbatio eſt quidem legitimè facta, non tamen ut abſoluta & firma, ſed ſub conditione: ubi autem licentia Superioris non poſcitur, per conſenſum inferioris cæteri omnes intelliguntur conſentire expreſsè vel virtute, ut in eleemoſynâ, donatione &c. nam ita
2 intelligitur poteſtas data eſſe.

Secundò. Superior irritare poteſt votum à ſe confirmatum. Ita Major, ſupplem. Gabr. Cajet. Abul. Soto. Nav. Summiſtæ communiter. Nam confirmando Superior non ſe privat ſuo Dominio, nec alterum facit ſui juris, ſed ita concedit vel firmat, ut operatio & obligatio ſemper ab ipſo pendens ſit. Eadémque eſt ratio directæ irritationis in præſenti, quæ eſt indirectæ in marito, juxta dicta ſuprà; quia ſicut opus pendet à Superiore in fieri & conſervari, ita obligatio, ut poſcit religioſa ſubjectio; ſempérque hac conditione intelligitur dari licentia obligandi ſe. Non enim obligatio ad Deum comparari debet cum humana, quia ſemper reſpicit bonum melius, & ut convenit ſtatui Religioſo: nec etiam cùm obligatione pupilli, quia pater prudentiã ejus ſupplet unicâ confirmatione.

Tertiò. Succeſſor poteſt revocare votum, quod prædeceſſor confirmavit. Nam poteſtas eſt eadem, & diſtinctio perſonarum eſt quaſi materialis: ceſsántque ferè in totum rationes, quæ urgent conſentientem voto. Imò juxta Aug. q. 59. in Num. Sponſus votum puellæ à patre confirmatum poteſt irritare, quia hic non potuit illi ligare manus; & votum poteſt ei peculiare præjudicium afferre: ergo ſimiliter in præſenti. Juxta quæ dicendum eſt, vel Auguſtinum loqui de irritatione tantùm indirectâ, vel quòd etiam pater validè revocare poſſit confirmationem voti, ita ut ſolùm ſecùs ſit quoad obligationem civi- 3

 lem,

lem, quæ imitatur forum, & regulatur juxta mores humanos & fori.

4 Quartò. Revocatio confirmationis licita eſt, ſi fit ex rationabili cauſa. Conſtat, quia aliàs poteſtas eſſet futilis. Sempérque licèt licentia detur poſitivè, & ut irrevocabilis, ſubintelligitur, *ſine legitima cauſa*; quia ita poſtulat prudens ratio dandi licentiam. Raro autem, cùm ſic datur, vel pro certo actu, die &c. revocatur ſine peccato, ſeclusâ novâ causâ; quia eſt aliqua irreverentia erga Deum, & contemptus voti, ad quod Superior licentiam dedit. Secùs eſt, ſi hujus terminus lapſus eſt, c. *Chariſſimus* de Conv. Conjug. vel ſi data eſt indefinitè pro aliquo die hebdomadæ &c. c. ult. de Precar.

CAPUT IX.

An ſit in Eccleſia poteſtas diſpenſandi in Voto vel commutandi?

1 Primò. Conſtat, differre diſpenſationem ab interpretatione voti. Nam illa definitur eſſe Relaxatio Juris ab habente poteſtatem legitimè facta: at hæc ſupponit & merè declarat, obligationem non eſſe, nec poſcit Jurisdictionem (niſi quando per Legem fit) ſed doctrinam: sempérque eſt aut circa materiam aut intentionem, quia vel voluntas deeſt vel capacitas materiæ: & ſi neutra deficit, obligare votum, interpretatio certa eſt. Diſpenſatio autem & poſcit Jurisdictionem, & fit circa vinculum.

2 Secundò. Conſtat, eſſe in Eccleſia poteſtatem diſpenſandi. Nam uſus antiquiſſimus eſt, eſſétque error intolerabilis, & in re maximè neceſſaria ad bonos mores; nec Chriſtus defuit in neceſſariis: at multa mala & pericula ſequerentur, ſi non eſſet dicta poteſtas. Evidens autem eſt, non fieri meram interpretationē, ut ex facto conſtat, cùm ante diſpenſationem de obligatione conſtat: & reſervatio, quæ Papæ fit, ſignum eſt, eſſe actum Juriſdictionis. Idémque notat proprietas verbi *diſpenſandi*, *commutandi*.

Tertiò. Ex commiſſione Divina manat dicta poteſtas. Vel enim competeret vi conditionis Voti, *niſi aliud videatur Prælato*, vel quia vinculum humanâ voluntate contractum, ſolubile eſt per Superiorem? Non 2dum, quia ad diſſolutionem pacti requiritur Superior utriuſque contrahentis: hîc autem Jus agitur Dei; & Lex Divina eſt immutabilis. Non 1mum, quia dicta conditio à vovente non ſemper additur, cùm ſit liberum: & ad ſummum pertineret ad irritationem indirectam; poſsétque intelligi etiam reſpectu Parochi. Rurſus nec jure naturæ ineſt dicta conditio, quia nemo arctatur ad voluntatem 3

Pon-

Pontificis, magis quàm Confeſſarii in vovendo. Nemo etiam prohibere poteſt opera conſilii, per ſe loquendo, aut illis limites ponere, arctando, ut dictum eſt, ad voluntatem alterius: ergo nec Jure naturæ, nec Eccleſiaſtico intelligi poteſt, quòd dicta conditio inſit voto, nedum quòd à vovente ſemper addatur.

4 Neceſſarium ergo eſt fateri, quòd diſpenſans concurrat ex parte Dei, perinde ac officialis Regis in ordine ad remiſſionem debiti. Nec enim in præſenti fit mutatio Juris Divini, ut pro Lege ſumitur, ſed diſpenſatio fit in Jure, quod per Votum Deo acquiſitum eſt, & ut dicit Dominium, vel actionem ad debitum; ad eum modum, quo Paſtores dicuntur diſpenſatores Jurium & bonorum Dei. 1. Cor. 4. De nomine autem eſt, an quod fit, dicendum ſit remiſſio, vel abrogatio debiti: tamen quia Votum Caſtitatis v. g. non ab omnibus aufertur, non tam abrogatio dicitur, quàm diſpenſatio, & eatenus quidem, quatenus non immediatè fit à Deo, ſed per ejus Diſpenſatorem ſeu Vicarium; nec fit in Lege, ſed in Voto.

5 Dices. Unde conſtat de dicta poteſtate? 2. Cur non competit in pura natura, cùm nec in hac Deus deſit in neceſſariis? Ad 1mum ℟. ſatis contineri in verbo, *Paſce*, *Quodcunque ſolveris &c.* ſicut indulgentias. Poteſtatis enim, quam Chriſtus habet *in cœlo & in terra*, communicatio facta eſt largiſſima, ut notatur ex proprietate verbi, & ex vi diſtributionis *quodcunque*: & maximè probat continua Traditio Eccleſiæ; quæ eadem eſt & cum eadem neceſſitate, quæ eſt circa alia in dictis verbis comprehenſa, tanquam valde congrua ad ſpiritualem perfectionem Eccleſiæ.

Ad 2dum, R. ex nulla ratione naturali ſumi poſſe dictum conſenſum DEI in remiſſionem debiti. 6
Licèt enim jugum grave ſit in natura ſibi relicta; tamen non ſolùm præſenti difficultati, ſed aliis multis ſubjecta eſt, in quibus ei per gratiam Chriſti ſubventum eſt. Quamdiu ergo per rerum mutationem, conſequenter per interpretationem, non ceſſabat in ſtatu naturæ Voti obligatio, utique perſtitit, quia præſumi non poterat alia Dei voluntas. Quòd ſi inter Fideles tempore Legis naturæ aut ſcriptæ proviſum fuit, uſus diſpenſationis cœpiſſe debuit per revelationem, ut in aliis donis ſupernaturalibus.

CAPUT X.

CAPUT X.

In quibus Perſonis ſit poteſtas diſpenſandi, & commutandi.

1 *Primò*. In Pontifice dicta poteſtas eſt immediatè, & de Jure Divino, & in ſupremo gradu perfectionis. Eſt de fide: quia eadem ratio eſt de hac, quæ de tota ejus poteſtate, utpote unicâ & indiviſibili. Eadémque poteſtas ut eſt in Pontifice, & independens eſt & univerſalis quoad omnia vota, perſonas, loca, & ab eadem dependet & manat omnis alià poteſtas diſpenſandi, ſive ordinaria, ſive delegata.

2 Secundò. Epiſcopus poteſtatem ordinariam habet diſpenſandi & commutandi vota omnia non reſervata ſpecialiter. Eſt certa, & communis omniũ Sũmiſtarum, & Innoc. Hoſt. Abb. ex c. 1. de Voto, ubi particula, *ejus qui præſidet*, rectè tribuitur Epiſcopo & propter proprietatem vocis, & propter univerſalitatem deciſionis, ipsámque conſuetudinem ſic intelligendi & ſervandi: longè enim aliâ phraſi Jura loquuntur, cùm de Pontifice agitur. Adde, dictam poteſtatem eſſe valde neceſſariam ad ordinarium Regimen: ergo tenet regula, *concedi quidquid non invenitur probibitum*: ergo citra exceptionem aliquam quoad non reſervata, quia neque conſuetudo excipit, nec eſt ratio excipiendi hæc potiùs quàm illa.

3 Tertiò. Falſum eſt, commutationem tantùm competere Epiſcopo, ut vult Abb. d. c. 1. ſed non firmiter ſatis. Nam licèt d. c. 1. rectè congruat reſponſio quæſtioni, quæ de commutando fuit, adhuc additur in fine, *Diſpenſare*. Et meritò, quia nec commutatio ſemper ſufficit periculo voventis, nec ſi ſufficit, ſemper expedit uti rigore, propter cauſas extrinſecas occurrentes. Canones autem Decreti, ut c. 1. d. 25. c. *Quamvis*. d. 68. non ſunt ad rem, quia agunt de actibus Ordinis, non Jurisdictionis. Et de his in c. *Accedentibus*. de Exc. Præl. per occaſionem tantùm agitur factæ uſurpationis ab Abbate, cum addito *Et ſimilia*. Denique probaret ſententia etiam de Pontifice, quia nec ipſe poteſt diſpenſare ſine cauſa.

Quartò. Quamvis dicta poteſtas Epiſcopi proximè conferatur per Pontificem, dici tamen poteſt, quòd ſit Juris Divini. Pontifex enim poteſt illam moderari, ampliare &c. tamen ſuppoſitâ inſtitutione Divinâ muneris Epiſcopalis, per ſe ſequitur, atque adeò Jure naturali, ut conferri debeat omnis poteſt moraliter neceſſaria muneri. Unde Archi-Epiſcopo Viſitanti nec vi muneris competit dicta poteſtas, utpote non ordinaria Paſtori, nec vi Juris alicujus expreſſi, ut omnes fatentur, nec 4

con-

conſuetudine: ergo nec à ſimili de Indulgentiis &c. quia in his tantùm valet regula affirmativa. *Si conceſſum eſt* &c. c. *Paſtoralis*. & c. *Duo ſimul*. de Off. Ord. ſecùs eſt de Legato, Summo Pœnitentiario &c. quia poteſtas cenſetur ordinaria: & ideo ratione muneris, & Jure ordinario diſpenſant. Quoad Cardinales res eſt meri facti, & conſuetudinis.

5 Quintò. Parocho non competit dicta poteſtas. Ita communis & certa; nam exceptio levium Votorum, quam tenet Rodriq. ſine textu & conſuetudine fit. Argumentum à ſimili de Legibus retorquetur, quia ſolùm diſpenſare poteſt in quibusdam; idque ex ſpeciali conſuetudine: ergo extendi nequit ad vota.

6 Sextò. Idem eſt de Prælatis inferioribus Epiſcopo, ſine Epiſcopali Jurisdictione conſtitutis. Nam quia non ſunt ordinarii Paſtores, non regulantur per regulam affirmativam, *Quod conceſſum eſt* &c. d. c. *Duo ſimul*. cum ſimilibus. & c. ult. de Off. Archid. Unde ſi Archi-Diacono ex conſuetudine tantùm competit poteſtas circa perſonalia & levia, extenſio non tenet ad realia & ardua. Secùs eſt, ſi Prælatus ſecularis habeat Jurisdictionem Epiſcopalem, ut ſi habet velut ſuam Diœceſin & Tribunal; nam per ſe ſequitur dicta poteſtas, & Pontificis eſt diſtribuere Jurisdictiones, & inſtituere diverſos Miniſtros ex Officio & Jure ordinario.

Septimò. Competit dicta poteſtas etiam Prælato Regulari exempto. Ita notant Summiſtæ. v. *prælatus*. Nam quia exempti, nequeunt Regulares diſpenſari ab Epiſcopo: ergo à proprio Paſtore, etiam Conventuali, ut Guardiano, Rectore &c. nam participat Jurisdictionem Epiſcopalem, cùm ei plena cura ſpiritualis commiſſa ſit, conſequenter cum ſufficienti poteſtate. Dices, ſufficere irritationem. ℟. unam per alteram poteſtatem non tolli, cùm altera in ſubjectione voventis, altera in Jurisdictione fundetur, & ideo non competat Abbatiſſæ &c. 7

Neque otioſa eſt utriusque conjunctio. Nam Superior poteſt juſtè nolle irritare, nec etiam ſemper poteſt, ut in voto ſtrictioris Ordinis, & in confirmato à ſe vel alio. Nec enim per confirmationem privatur poteſtate diſpenſandi, quia neque à ſua voluntate, neque à voluntate Superioris. Quia confirmatio facit Votum firmum, non indiſpenſabile: & quæ cauſa dictæ privationis? an in pœnam factæ confirmationis? Solùm ergo per hanc extrahitur res à poteſtate dominativa Inferioris, non à Jurisdictione. 8

CAPUT XI.

Qui ſint ſingulorum Prælati in ordine ad diſpenſandum vel commutandum?

1 Primò. Pontifex per ſuam Jurisdictionem diſpenſari poteſt. Nam optimè committit Confeſſori: nec improbabile eſt, à ſémet diſpenſari poſſe, quia nec diſtinctio Perſonæ neceſſaria eſt ex ſpeciali inſtitutione, ut in Confeſſione, nec ex uſu Jurisdictionis voluntariæ, cùm agatur de ſuprema, quin ulli infra Papam id competat, juxta Gl. & Abb. c. *Magnæ*. de Voto. Sylv. Ang. arg. Clem. 2. de reb. Eccl. non alien. Imò nec per Confeſſorem Epiſcopi id fieri poteſt ipſo Jure, quia c. ult. de Pœnit. & Rem. agit de eligendo Confeſſore, non de diſpenſante, ut rectè in Jubilæis diſtinguitur: ergo ex ſola conſuetudine ſumi debet dicta facultas, ut fortè vi privilegii habent Reges, quantùm ad Confeſſorem.

2 Secundò. Idem eſt de Prælatis aliis. Non enim habent privilegium majus, quàm Epiſcopi: ergo Sæculares exempti recurrere debent ad Pontificem, Regulares ad ſuum Superiorem; & Supremus ad Confeſſarium, non ut eligens, ſed ut poteſtatem confert Religio vi Bullarum. Sæculares autem alii ſemper habent, cui immediatè ſubſint, per ſe loquendo; idémque eſt de Regularibus non Prælatis. Nec enim, ſi exempti ſunt, recurrere in voluntariis poſſunt ad Epiſcopum, cùm privatus renuntiare nequeat Privilegio, c. *Si diligenti* de Foro comp. & Pontifex per exemptionem abſtulerit Epiſcopo Jus in perſonam, transferendo in Religionem.

3 Tertiò. Prælatus ſuſpendere poteſt Votum Novitii. Nam quia hic commiſſus eſt Regimini Religionis in ordine ad finem probandi, eoipſo jurisdictio, ut ad dictum finem neceſſaria eſt, competit: at vota privata vel impedire poſſunt alia onera, vel aggravare, ſícque difficiliorem reddere perſeverantiam, vel impedire probationem aliorum onerum. Secùs ergo eſt de diſpenſatione per ſe & directè factâ: itémque in iis, quæ nil obſunt probationi, ut votum ſilentii, caſtitatis &c. quia non datur jurisdictio ſimpliciter in perſonam, quæ nec ſtatum, nec domicilium mutavit ſimpliciter, loquendo per ſe, & ſecluſis privilegiis.

4 Quartò. Itinerans non poteſt diſpenſari ab Epiſcopo loci. Nam nec huic ſubjectus eſt ſimpliciter, nec eſt conſuetudo, nec neceſſitas actûs, ut in Confeſſione, & Sacramentis neceſſariis. Idem eſt de habente quaſi domicilium, ut patet in aliis, quæ ſunt jurisdictionis voluntariæ, ut

Ordi-

Ordines. Neceſſitas autem non ſufficit ad invertendum ordinem Eccleſiaſticum, vel uſurpandam Jurisdictionem, præſertim ſi neceſſitas ſit ſolius commoditatis humanæ. Quòd ſi eſt ſpiritualis, conſulendum eſt viâ aliâ, ut non habenti Paſtorem v.g. per ſuſpenſionem Voti, quia hæc faciliùs admitti poteſt ex interpretativa voluntate proprii Epiſcopi quàm diſpenſatio.

CAPUT XII.

An poteſtas diſpenſandi delegari poſſit, & eoipſo intelligatur data ad commutandum?

1 Primò. Conſtat, dictam poteſtatem delegabilem eſſe. Idem enim eſt de qualibet Jurisdictione. Regulariter autem delegata non datur, niſi ab habente ordinariam, quia exprimi debet, quòd poſſit ſubdelegari. Rurſus oportet ut in ſpecie delegetur, quia privilegium plus non dat, quàm ſonet, nec aliter conſtat de conceſſione; quia illatio à diſpenſatione in Legibus, irregularitate &c. eſt à diverſis, & nulla.

2 Secundò. Conceſsâ poteſtate commutandi, non intelligitur conceſſa poteſtas diſpenſandi. Eſt communis, & traditur ut certa, loquendo de diſpenſatione, ut ſignificat totalem remiſſionem. Nam ſic diſtinguitur à commutatione, ut plus & totum à parte: ergo plus extenderetur privilegium quàm ſonet, contra rationem uſum Jurium, Indultorum, & Doctorum omnium condiſtinguentium duas illas remiſſiones. Differúntque poteſtas ordinaria & delegata diſpenſandi, quia hæc nititur ſolâ voluntate dantis, at illa in vi muneris, quod indiviſim poſcit & per modum unius, poteſtatem diſpenſandi & commutandi.

Dices. Vel intelligitur commutatio in æquale tantùm, & eſt nimis 3
rigoroſum; vel ſi in minus etiam, ergo jam eſt diſpenſatio. ℞. æquale intelligi non Mathematicè, ſed moraliter, ita ut prudenti arbitrio, aut nulla aut parva differentia videatur. Quando ergo dubium eſt, an ſit melius, imò an ſit minus, parva poteſt eſſe inæqualitas: ergo habetur pro morali æqualitate, parum pro nihilo reputando; éſtque credibile, quòd Delegans voluerit benignitatem aliquam concedere: ergo beneficium Principis ita largè interpretamur, ut tamen non egrediamur proprietatem verborum.

Tertiò. Sub poteſtate diſpen- 4
ſandi comprehenditur poteſtas commutandi. Eſt antiquior, & communior, nec contraria Nav. Sanch. Mor. Lopez. poteſt ſolidè & conſtanter defendi. Nam omnis commutatio eſt diſpenſatio ſecundùm quid,

quid, & ut hanc involvit, poſcit poteſtatem Superioris: Diſpenſatio autem ſecundùm quid continetur in diſpenſatione ſimpliciter, ut pars in toto; ſicque certa eſt regula, qui plus, etiam minus poteſt. Dein ſervatur proportio ad actionem & cauſam: ergo ſi cauſa non ſufficit ad diſpenſationem, ſed commutationem; hæc, non illa fieri poteſt, & debet, quia ſicut ſimpliciter ſe habet ad ſimpliciter, ita ſecundùm quid ad ſecundùm quid.

5 Denique vel commutatio eſt in melius, vel in minus, vel in æquale? Si 1mum, ergo quod privatâ authoritate fit, à fortiori publicâ; nam translatio vinculi in melius non Juriſdictionem poſcit, ſed acceptationem tantùm voventis. Si 2dum, concedunt expreſsè Azor & Sanch. quia regulariter melius eſt, non diſpenſare purè, ſervátque ipſe Pontifex: quomodo ergo cogit ad id vitandum, cùm cauſa DEI ſic meliùs agatur? Et qui habet facultatem eligendi Confeſſorem pro diſpenſatione, tamen commutationem petit; utique moderatiſſimè utitur Privilegio. Si 3tium, negari nequit, quin qui in minus, etiam in æquale commutare poſſit, cùm hæc duo ſub eodem genere commutationis contineantur: ſicque quod fit, non ad ſpecialem poteſtatem pertinet, ſed ad fidelem uſum unius & ejuſdem poteſtatis.

6 Dices. Conceſſio majoris non extenditur ad minus, ſi non ſe habet ut pars. 2. Difficilior eſt commutatio propter æqualitatem tangendam. 3. Qui privatur poteſtate commutandi, non excidit poteſtate diſpenſandi, quia privatio eſt odioſa. 4. Suſpenſus à collatione Tonſuræ, poteſt conferre Ordines: & ideo utraque privatio exprimitur, ut in x. *Quemadmodum.* de Pœn. & Rem. Ad 1mum ℞. dictos actus non differre, ut magis & minus diverſorum ordinum, ut conſtat, ſi delegatio generali verbo uteretur remittendi, comprehendi utique commutationem, ſicut cùm creditor pro equo pretium accipit, remiſſionem facit.

Ad 2dum ℞. Difficilius diſcerni ſufficientiam cauſæ ad diſpenſandum, quàm ut commutatio fiat, & hæc ſecurior eſt, ſi datur poteſtas diſpenſandi. Ad 3tium ℞. incredibile eſſe, quòd negetur optimus & moralis modus diſpenſandi (vix enim fit ſine commutatione) & relinqui diſpenſationem puram. Nam prohibitio generis comprehendit omnes ſpecies, ut patet in ſuſpenſione: & ſi hæc eſt à Diaconatu, intelligitur eſſe à Sacerdotio etiam. Jura autem rectè exprimunt, quid tacitè comprehendatur, ne obſtet ambiguitas opinionum. Ad 4tum ℞. rem eſſe dubiam. Dein differentia eſt, quia actus ex parte conferentis non habent eſſentialem ordinem, ſed tantùm ex parte recipientis: nec etiam comparantur, ut unus alterum includat, ſed ſupponat tantùm. 7

CAPUT

CAPUT XIII.

An facultas diſpenſandi vel commutandi reſtringatur ad vota emiſſa?

1 Primò. Conceſſio non reſtringitur ad emiſſa ante facultatem datam. Nam reſtrictio, quam Soto vult, eſt contra proprietatem verborum, Privilegio dicente: ut Pœnitens ſolvatur à Votis, quæ habet. Indefinita autem locutio in ſimilibus æquivalet univerſali, nec eſt major ratio de uno quàm altero; totáque conceſſio fieret incerta. Dein reſtrictio fit addendo quid verbis: ſi autem hoc licet, quisque pro libitu excogitabit incongruitatem aliquam. Denique locum non habet dicta reſtrictio, cùm privilegium datur Confraternitati, Religioni &c. idem ergo eſt de Cruciata, de qua agit Soto, nam eadem proportio eſt ad annum &c.

2 Secundò. Diſtingui nequit, an agatur de diſpenſatione, an de commutatione, ut Cord. & Lopez diſtinguunt, quòd poſterior faciliùs detur. Vel enim in privilegio expreſſio fit utriusque, vel non? Si 1mum, quomodo in eodem contextu indefinito limitatio additur uni, non alteri? Si 2dum, rationes ſuprà factæ de utraque procedunt. Dein licentiam vovendi ſumere ex ſpe relaxationis, per ſe malum non eſt; & ſi abuſus eſt, hominum eſt, ut circa Sacramenta, miſericordiam Dei &c. non vi beneficii. Nec in voto unquam additur talis exceptio, ſed aliquando in peccato, quamvis niſi expreſſum ſit, non ſubintelligatur, ut patet in privilegio abſolvendi à Reſervatis.

CAPUT XIV.

An dicta Delegatio etiam comprehendat Vota jurata, ſeu pia Juramenta?

1 Primò. Comprehendit pia Juramenta, quando per ſe ſtant. Eſt communis Cajet. Arag. Stunic. Rodriq. Vival. & ſine dubio practicè probabilis. Nam juxta communem æſtimationem dicta Juramenta pro votis habentur, & maximè in ordine ad finem ordinariè intentum à Delegante, favêtque communis modus loquendi, fundatus in c. *Pervenit.* 2. de Jurejure. Rurſus modus remittendi eſt unus & idem; & ſub

reſervatione Voti comprehenditur etiam Juramentum circa idem; & denique eadem neceſſitas, quæ in votis, quoad præſens eſt, ſpectando finem concedentis Jubilæum.

2 Secundò. Vota, in quibus Juramentum directè cadit ſuper votum, poſſunt per hæc privilegia relaxari. Quòd enim Votum firmetur, non impedit Delegatum, quia poteſtas eſt circa omnia non reſervata. At dictum votum, verum votum eſt, & non reſervatum. Dein nec jure, nec ratione probatur exceptio, quia vinculum voti non ſit intenſivè majus, ſed ad ſummum accidentaliter tantùm; ſicque diſpenſatur in irregularitate, licèt juncta ſuſpenſioni, vel ſimilibus. Ablato autem voto, per ſe ruit Juramentum, ſicut ſi illud eſt de ſervando præcepto audiendi Sacrum, ceſſante præcepto, ceſſat. Juramentum enim non eſt de actu ſecundùm ſe, ſed ut debito ex voto, conſequenter conditionatum, ſi votum, præceptum &c. duret: ergo non requiritur major cauſa, ſicut nec in tollenda promiſſione humanâ, ſi jurata eſt.

3 Dices. Tenet Juramentum de uſuris ſolvendis. ℞. illud cadere ſuper aſſertionem, ſeu promiſſionem merè externam citra dependentiam ab obligatione ejus. Solùm ergo eſt ſimilitudo, quando promiſſio ruit, quia non acceptatur, aut à creditore remittitur. Nam quia DEUS non acceptat Profeſſionem invalidam, nec jurata tenebit. Promiſſio autem jurata ideo non poteſt revocari, quia juramentum eſt de non revocanda promiſſione, quod in præſenti non fit.

Tertiò. Si Votum & Juramentum immediatè ſint de eadem materia pia, poterit vel votum remitti, vel Juramentum, vel utrumque. Nam additio unius ad alterum non facit actum reſervatum, nec propriè firmatum. Dein ſicut quodlibet ſucceſſivè tolli poteſt juxta dicta, ergo etiam ſimul; ſufficítque in Juramento promiſſorio, ſi creditor remittat, quia remiſſio & cauſa ejus non eſt reſpectiva in ordine ad hoc vel illud vinculum, ſed fundatur ſimpliciter & abſolutè in conditionibus materiæ, ſecundùm ſe hîc & nunc ſpectatis, ut conſtat ex S. Thom. 2.2. q. 88. a. 10. 4

Hinc relaxatio Voti, tacito Juramento, non fit ſubreptitia, ſi cauſa fuit vera, & ſufficiens, quia ut diceretur, nec ex natura rei neceſſarium erat, quaſi faciat difficiliorem diſpenſationem, nec in Jure præceptum eſt. In commutatione etiam Voti, id in quod mutatur, non retinet obligationem voti jurati, ut antè; quia nec Juramentum transfertur ad aliam materiam, c. *clericus.* de Jurejur. nec commutans debet neceſſariò commutare ſub utraque obligatione, quamvis ſi velit, poſſit. 5

Dices.

6 Dices. Extenſionem fieri extra terminos privilegii contra c. *Porro.* de Privil. quia R. J. 53. in 6. intelligitur de ſubordinatis. 2. Obſtat c. *Cui de non Sacerdotali.* de Præb. in 6. 3. Poſſet ſic è converſo extendi poteſtas circa Juramenta: at Pontifices, cùm utrumque volunt, exprimunt. Ad 1mum. R. Non fieri extenſionem, ſed interpretationem conſonam Juri, fini conceſſionis, & menti concedentis. Quòd ſi quid extenſionis fit, eſt in beneficio Principis, & ſpirituali, & non præjudicante ulli, nec per regulam à majore ad minus, ſed per æquiparationem Juridicam utriusque actûs.

7 Ad 2dum. R. agi de regula mandati. In hoc enim attenditur qualitas perſonæ, nec ſemper expedit, illam applicari ad inferiora: taléque mandatum exſpirat uno actu. Ad 3tium. R. exprimi utrumque propter claritatem, & non propter neceſſitatem. Vel ergo facultas eſt generalis, vel ad unum actum tantùm? Si 1mum, concedo idem fore. Si 2dum, locus non eſt directæ remiſſioni multiplicatæ; tamen ablato uno, conſequenter ceſſat alterum per modum irritationis, quia deficit conditio incluſa. Et practicè ac moraliter rem ſpectando, parùm refert ad vim obligationis erga Deum, an Votum comitanter ſe habeat cum Juramento, an hoc in illud cadat.

CAPUT XV.

An dicta Delegatio extendatur ad Vota facta in commodum tertii?

1 Primò. Si Votum eſt purum, æquè ac reliqua cadit ſub poteſtatem ordinariam. Ita Cajet. Sylv. Ang. Tabien. Armil. Piſan. Nav. Nam verum præjudicium, ſeu contrarium juri tertii non fit, eſto cedat in carentiam commodi; quod longè diverſum eſt, nec ſufficit, ut impediat Prælatum vel voventem, ne ille poteſtate, & hic beneficio utatur. Sed Sarmiento conqueritur de Cajet. dicente, materiam hanc potiùs ad Theologos ſpectare, quàm Juriſtas, cùm in cauſa pia Jus quæratur abſenti. l. *Illud.* Cod. de SS. Eccl. l. 2. ff. de Pollic. Deo Jus ſuum transferente in indigentem. Gl. c. *Ex parte.* de Cenſ. & Gl. c. *Scimus.* 12. q. 1.

2 Sed ſine fundamento fingitur translatio Juris Divini; cúmque nulla facta ſit obligatio tertio, cur ejus conſenſus requiritur? Dein eſto, eſſet jus aliquod, tamen nonniſi revocabile, ut ſi ſit donatio cum onere, ut poſtea quod datum eſt, detur Eccleſiæ, onus tolli poteſt juxta Bartol. Nec enim proprium Jus acce-

accedit Eccleſiæ, ſed conceditur actio Canonica, vel civilis utilis poſtulandi, ut Judex ex officio procedat; quod ad ſummum probat d. l. 2. ablato autem voto, ceſſat actio contra voventem. Secùs eſt contra hæredem, vel quando Jus acquiſitum eſt Eccleſiæ per præſcriptionem, aut donationem, ut d. c. *Ex parte.* & d. l. *Illud.* & negat Gl. tenere donationem in abſentia eorum, qui loco Eccleſiæ acceptare poſſunt: at Innoc. & Abb. d. c. *Ex parte.* colligunt, à tertio poſſe compulſionem voventis peti, utique in ſenſu declarato.

3 Secundò. Si adjungitur voto promiſſio validè facta, regulariter illud commutari nequit. Ita ſuprà de Juramento. Nam alter non poteſt privari ſuo, loquendo per ſe, ſeu niſi urgeat bonum commune, aut qui commutat, ſit diſpenſator Jurium Eccleſiæ: at ablato Voto, enervatur obligatio reſpectu tertii, ſecùs ac in voto Caſtitatis, & ſimilium; promiſſio enim ſemper ſervanda eſt ſecundùm rectam rationem. Nec eſt ſimile de Voto facto Sanctis, quia in eo non agitur de commoditate humana, ſed ſolùm de de cultu Religioſo: Vicarius autem Dei, ut in Chriſti, ita in Sanctorum theſauro poteſtatem habet diſpenſandi.

4 Tertiò. Idem eſt de poteſtate delegata, ſervatâ proportione quoad præſens. Nam vota pura & diſpenſabilia ſunt, & non reſervata; nec in præſenti ſpecialis ratio eſt excipiendi. Secùs eſt, ſi jungitur promiſſio humana; nam ut diſpenſetur Votum, ex ſe poſcit poteſtatem ordinariam, & aliquando ſupremam: neque unquam conceſſio alia fit, ſed cum ſolita clauſula: *ut non fiat in præjudicium tertii*, quæ etiam non addita eſſet ſubintelligenda.

CAPUT XVI.

De facultate eligendi perſonam, quæ poſſit diſpenſare vel commutare.

1 Primò. Conſtat per dictam facultatem non fieri commutationem ipſo facto. Vel ergo eſt particularis, ut cùm commiſſio fit *diſcreto Confeſſori*, vel eſt generalis, ut in privilegio perpetuo, Jubilæo, Cruciatâ &c. Si 1mum, gratia eſt odioſa. c. *Si cui nulla.* de Præb. in 6. & quia virtute ſi. diſpenſatio, quæ ſtricti Juris eſt. Si 2dum, ſecùs eſt, & ſequimur interpretando Regulam Gratiæ. Nam Jubilæum &c. eſt beneficium maximum S. Sedis, totúmque ordinatur ad pleniorem abſolutionem, nec ad bonum privatum, ſed publicum in neceſſitate comuni, citra præjudicium ullius, & in favorem tantùm animarum.

Secun-

2 Secundò. Standum eſt formâ præſcriptâ. Nam hæc eſt de ſubſtantia & valore actûs: ſumitur autem facilè ex verbis Reſcripti. Sic ſervanda eſt qualitas diſpenſantis, v. g. ut ſit confeſſor ab ordinario approbatus; noménque potiùs eſt muneris, quàm actualis exercitii, niſi addatur *auditâ confeſſione* Nec obſtat particula *pro foro conſcientiæ*, quia ſolùm condiſtinguit à foro externo, ut ſecuritas ſit conſcientiæ. Oportet autem præmitti examen cauſæ, quamvis ejus modus relinquatur arbitrio.

3 Tertiò. Poteſt diſpenſatio dari ante alia opera Jubilæi, ſi quidem bonâ fide procedatur. Nam nec ordo præſcribitur, nec eſt ratio diverſa, quàm ſit de abſolutione à peccatis, imò ad hanc illa conferre poteſt. Semper tamen intelligitur cum onere dictorum operum, quia non datur gratia, niſi in ordine ad effectum Jubilæi, & per modum præparationis ad illum: ergo neceſſarium eſt propoſitum implendi: ergo & impletio, tanquam vi pacti impliciti in eo propoſito; aliàs nec hoc requireretur, ſi ſine peccato mutari facilè poteſt.

4 Quartò. Tenet diſpenſatio obtenta bonâ fide, licèt opera non ſequantur ex negligentia. Nam quòd actus ſit conditionatus, nec Pontifex exprimit, nec de ſuo addit confeſſor, ſupponendo ſolùm, quod vi Jubilæi neceſſarium eſt, nec eſt ratio ſufficiens præſumendi aliud; aliàs non poſſet ſtatim non ſervari Votum: ergo ſufficit, addi onus, ut modum tantùm, quia *actus legitimi non recipiunt conditionem*, per ſe loquendo; aliàs vel ordo præſcriberetur, vel res tam gravis exprimeretur.

Quintò. Poteſt Confeſſor apponere conditionem, vel ſuſpendere diſpenſationem. Nam hæc non eſt ita neceſſaria ad obtentionem indulgentiæ, ut abſolutio à peccatis & cenſuris; quæ ab his fieri nequit ad reincidentiam extra caſus expreſſos. Conditio tamen, *ſi cum effectu lucratus fuerit Jubilæum*, nimis ſcrupuloſa & periculoſa eſt: & licèt hæc, *ſi reliquæ diligentiæ fiant*, in rigore liceat, tamen cavenda eſt, tanquam nimius rigor & ſcrupulis expoſitus. Dilatio ergo fieri poteſt, vel ſi non fit, gratia detur abſolutè, quamvis ſemper cum onere implendi opera reliqua. 5

Sextò. In Votum oblitum non cadit diſpenſatio, quidquid velit Henriq. & Salas. Nam illius ablatio requirit diſtinctam cognitionem cauſæ: ergo ſi intra tempus habile non fit, nec poſtea fieri poteſt. Reſervatio autem peccati per generalem abſolutionem tollitur, uti irregularitas per generalem diſpenſationem, quæ ideo, ut monet Nav. peti debet. Secùs etiam eſt quoad votum, causâ jam inchoatâ, quia natura eſt poteſtatis delegatæ, ut ita prorogetur, eſtque moraliter neceſſarium ad convenien- 6

tem ejus uſum; nam qui dat poteſtatem, cenſetur dare omnia neceſſaria. Oportet autem tunc impleta eſſe cætera opera; aliàs eoipſo nihil fit.

7 Septimò. Diſpenſatio, ſi denuo voveatur, intra tempus Jubilæi obtineri nequit. Nam argumentum in ſimili nihil probat in his, quæ regulanda ſunt ſecundùm formam Reſcripti: at hoc loquitur disjunctivè de utraque hebdomada, & ex toto contextu conſtat, intendi unicam tantùm indulgentiam cum facultate abſolvendi à Reſervatis &c. *hac vice tantùm.*

CAPUT XVII.

An ad diſpenſationem Voti ſit neceſſaria causa?

1 Primò. Diſpenſatio, quæ fit ſine cauſa, eſt nulla. Ita communis Theologorum, Summiſtarum & Canoniſtarum. Nam fit circa Jus Superioris, cujus voluntas pro libitu mutari nequit: nec iſte plus concedit, quàm ut alter ſe gerat, non ut Dominus, ſed ut diſpenſator fidelis Jurium Divinorum, ut in ſimili conſtat de Oeconomo, Mandatario excedente fines, & in Indulgentiis. Falsúmque eſt includi in Voto, *ſi Papa non repugnet*; aliàs poſſet hic irritare, ut cùm jus ejus agitur. c. *Veniens.* cum ſimilibus de Juram. Tamen ubi cauſa vera proponitur, quam quis putat ſufficientem, relinquendo rem arbitrio Prælati, ſemper pro hoc præſumi poteſt, arg. c. *In præſentia.* de Renunt. c. *Quid culpatur.* 23. q. 1.

2 Secundò. Sufficientia cauſæ prudenti arbitrio definienda eſt, nec poteſt certa alia regula præſcribi. Nam proportio eſſe debet inter cauſam & Votum: ergo quò hoc gravius eſt, etiam illa eſſe debet. Temeritas etiam vitanda eſt, ſi votum utile eſt, uti & ſcandalum verum, neglecto Phariſaico, quando res eſt juſta, & expedit. c. *Magnæ,* de Voto. Porrò cauſa remiſſionis ſumitur 1. ex indiſcreto & imperfecto modo vovendi, c. 2. eod. 2. ex parte materiæ, ſi moraliter ſit occaſio ruinæ, ſive ſecundùm ſe ſpectata, ſive reſpectu voventis. 3. Si votum non ſit de meliori reſpectu voventis, loquendo in dubio; nam aliàs per ſe rueret. 4. In dubio de ſufficientia difficultatis moralis, utique denuo ſubortæ vel cognitæ; aliàs omne votum de arduo ſine alia cauſa diſpenſari poſſet. 5. Si urget neceſſitas boni communis, vel etiam familiæ.

Tertiò. Poteſt dari cauſa diſpenſationis puræ, quamvis ſæpe ſufficiat ad commutandum tantùm. Nam omnes ſupponunt poteſtatem diſpenſandi: ergo non eſt otioſa. Poteſt enim quis ita eſſe oneratus, ut

non expediat addere onus; vel ita pauper, ut non expediat reale, & perſona ſit moraliter incapax perſonalium, maximè quando initio ſe ad hæc ſenſit ineptum, & ideo elegit reale. Denique ſi ex quolibet timetur periculum, & utilior putatur ſatisfactio aliqua. Tamen vix reperiuntur dictæ circumſtantiæ; ſicque fidelis diſpenſatoris eſt, non omnino dare, ſi rationabiliter & ſuaviter fieri poteſt compenſatio in cauſa Domini.

4 Aliquando autem poteſt eſſe cauſa ſufficiens disjuncta ad diſpenſandum & commutandum. Nam diſpenſatio poteſt eſſe debita. arg c. *Conſilium.* de obſerv. jejun. c. *Paſtoralis* de Appell. ſive ob bonum commune, ſive ob detrimentum ſpirituale voventis: ergo hic cogi non poteſt ad acceptandum onus, cùm habeat jus ad gratiam puram. Rurſus ceſſante caſu tam rigoroſo, poteſt licere diſpenſatio pura, non tamen debita, ſicut commutatio eſſe poteſt licita, & non debita. Igitur regulariter loquendo, conſilii eſt, non diſpenſare purè, ut patet ex dictis, & ex uſu tum Jurium c. 1. 2. & c. *Magna.* & ſequenti de Voto, tum Reſcriptorum.

CAPUT XVIII.

An ad commutandum in melius ſit neceſſaria poteſtas Prælati, & ſpecialis cauſa?

1 Primò. Commutatio in melius fieri poteſt propriâ authoritate, ſi evidens ſit exceſſus, & non obſtet ſpecialis prohibitio Eccleſiæ. Ita Cajet. Soto. Nav. & nunc communis contra Rich. Paluď. Major. Sylv. Abb. Felin. Vel enim melius eſt incompoſſibile, vel compoſſibile ſeu non impediens opus promiſſum? Si 1mum, fatetur Sylv. rectè præferri; negant tamen, tunc Votum obligare: quod & de modo loquendi eſt, & de rigore falſum, cùm abſolutè obligatio ſit, ſed non ad omittendum melius. Si 2dum, commutatio licet, cùm moraliter certa eſt acceptatio creditoris: at illa & conſona eſt fini Voti, & circumſtantiam ſeu bonitatem hujus retinet, quia nunquam cogor omittere melius, licèt nolim utrumque; eſsétque contra finem voti & Rationabilem voluntatem.

2 Confirmatur ex c. *Pervenit.* 2. de Jurejur. c. *Licèt.* de regularibus. c. *Scripturæ* de Voto. Nec obſtat c. 1. eod. quia procedit in caſu dubio. Nec refert, rem de ſe eſſe meliorem, niſi hîc & nunc ſit. Et Lev. ult. non eſt ſermo univerſalis, & ut Jus poſitivum eſt, nunc non ligat. Nec ad rem eſt §. 1. Inſtit. Quib. mo. toll. oblig, & l. 2. ff. Si cert. pet. quia Deus non compara-

paratur cum homine, qui ſuam tantùm utilitatem quærit, & aliquando voluntatem: ergo in præſenti propriè commutatio non fit, ſed rigoroſa ſolutio. Denique Lex abſolutè præcipit ſine conditione incluſa, ſempérque melius eſt, voluntatem Prælati ſequi.

3 Secundò. Si evidens eſt mutatio in melius, ſine cauſa licet; ſin dubia ſit, requiritur cauſa, quamvis levis ſufficiat. Ratio primæ partis conſtat ex conditione intrinſeca voti. Ratio alterius eſt, quia Deus poſſidet jus ſolutionis in ſpecie. Quantùm ad dubium, vel diſpenſans eſt certus, quòd non ſit in minus, cum probabilitate, quòd ſit in melius; vel eſt certus de æqualitate, cum dubio de meliore; vel dubius eſt, an non ſit in minus? Si 1mum, vel 2dum, opus non eſt ſpeciali causâ; quia vel ſequitur quis ſuum judicium, vel certus eſt, quòd rem Domini gerat cum ſpe lucrandi, & ſine periculo perdendi. Si 3tium, requiritur cauſa.

Tertiò. Si conſtat, comutationẽ eſſe in melius, poteſt hoc fieri propriâ authoritate, licèt votum tendat in utilitatem tertii, ſecluſâ promiſſione ad hominem. Si enim huic jus non acquiritur, ergo res penſanda eſt ſolùm in ordine ad Deum, juxta principia ſuprà poſita. Sin jus acquiſitum eſt, ergo nec Epiſcopus commutare poteſt. Exemplum prioris eſt in Voto Religionis determinatæ; imò licèt addita fuerit promiſſio, adhuc ſubintelligitur exceptio, niſi in melius. 4

CAPUT XIX.

An ad commutationem in æquale aut minus, requiratur authoritas Prælati, & cauſa?

1 Primò. Licèt evidens æqualitas ſit, neceſſaria eſt authoritas Prælati. Nam Jura ſemper inclinant, ut commutatio fiat in melius, propter difficultatem attingendi æquale, ut c. *1. 2.* & c. *Quod ſuper.* cum aliis de vot. Idémque eſt in Indultis ordinariis. Ratio eſt, quia Fidelitas obligat ad ſolvendum in propria ſpecie, ut conſtat de Juramento etiam pio; totáque ratio commutationis in melius eſt, quia incluſio evidens eſt talis conditionis. Quòd ſi idem eſt de exceptione æqualis; ergo votum nullum eſt de hac potiùs quàm illa materia: quod abſurdum eſt, & contra communem ſenſum promiſſionum.

Secundò. Non poteſt commutatio in æquale fieri ſine juſta cauſa, quamvis parva ſufficiat. Nam eo ipſo, quòd non conſtet eſſe in melius, debetur Excellentiæ Divinæ, 2

& Fidelitati erga eam, ut ſtetur verbo. At ſi Prælatus agit pro libitu, deeſt ratio ad interpretandum Dei conſenſum, quia ſemper includitur diſpenſatio aliqua in rigore Fidelitatis: ergo requiritur ſpecialis poteſtas, cùm ſine hac nec minima diſpenſatio fieri poſſit. Dein commutatio pro libitu non habet rationem honeſti: ergo non eſt, cur præſumatur Dei conſenſus: ſi autem cauſa poſcitur, ergo ſignum eſt, ex parte Dei fieri debere remiſſionem rationabilem: ergo cum poteſtate.

3 Tertiò. Delegatio in Jubilæo ſolo ſolùm intelligitur de commutatione in æquale, & ex cauſa. Nam commutatio plus non dicit, quàm æqualitatem. 5. Eth. c. 4. & aliàs fieri poſſet in notabiliter minus; quod adverſarii inconſequenter negant. Si enim delegatio ſemel comprehendit mutationem in minus, ergo quamlibet, quæ fit juxta ordinarium modum diſpenſandi; aut certè cujuſque arbitrio relinqui debet taxa. Nec intellectus eſt ſcrupuloſus, quia ſi delegatus bonâ fide procedit, putans eſſe æquale, ceſſat ſcrupulus, quia morales facultates poſcunt talem latitudinem, nec humano modo aliter exerceri poſſunt, ſed parum pro nihilo habendum eſt.

4 Quòd ſi dubium ſit de exceſſu & defectu, parùm aberrari poteſt; imò ſufficit, non conſtare de defectu, ſi aliàs ratio eſt non gravandi: nec certiùs quid requiri poteſt, cùm Privilegia in hunc finem dentur. Quia verò parva remiſſio fit, etiam parva cauſa neceſſaria eſt, ut interdum condeſcenſio fragilitatis, ut pœnitens cum gaudio, & non gemendo ſolvat, quando rectâ ratione creditur, Deum non urgere cum rigore promiſſorem liberalem. Facit etiam ipſa cauſa boni communis, & onerum Jubilæi, Cruciatæ &c. ſecùs ac in privata delegatione.

Fundamenta oppoſitæ ſententiæ non urgent; imò retorquetur, quod volunt de commutatione Voti Religionis in aliam; nam vix conſtat de æqualitate, niſi inter Monaſteria ejuſdem ordinis citra exceſſum in diſciplina; tunc enim diſparitas materialis eſt. Idémque eſt in Voto reali, quando res recipiunt functionem, ut triticum, vinum &c. Secùs verò eſt, quando ratione ſpeciei æſtimantur, ut equus, calix &c. juxta dicta de Juramento: ergo Vicarius Dei debet aſſentiri commutationi. Denique dicta ſententia paucos habet Patronos, ſi qui citantur, expendantur attentè. 5

6 Quartò. Mortalis eſt commutatio ex proprio arbitrio. Nam ſine poteſtate nihil fit: ergo Votum non impletur. Rurſus Prælatus ſine cauſa agens, abutitur poteſtate in re gravi, decipiendo ſubditũ. Sed hæc intelligenda ſunt ſeclusâ ignorantiâ, quâ quis adhæret opinioni alteri, ut probabili. Prælatus tamen morali-

liter ferè ſemper excuſari poteſt; quia parva cauſa ſufficit, ut ſolvendi alacriùs, oſtendendi gratitudinem ex parte Dei erga liberalitatem promiſſoris.

7 Quintò. Neceſſarium non eſt, ut præter æqualitatem etiam ſimilitudo ſervetur in commutando, neque à Doctoribus exigitur, niſi ubi Lex vel delegatio præſcribit. Sic ſecundùm omnes Votum Jejunii redimi poteſt per Reale, uti & peregrinatio d. c. 2. & è converſo Reale commutatur in Perſonale. d. c. *Quod ſuper.* & c. *Ex multa.* c. *Magnæ.* eod. Nec enim per ſe attenditur æqualitas vel ſimilitudo phyſica, ſed æſtimatio moralis in ordine ad virtutem, & ſpirituale bonum voventis. Semper tamen utile eſt miſcere eleemoſynam, cùm ita commendetur: éſtque rationabile, materiam & intentionem voti ſervare, quoad poteſt, ut in Cruciata, reſpiciendo ad utilitatem ejus temporalem, non tamen unicè; aliàs eſſet onus graviſſimum, & conſequenter præjudicium ejus, quia nemo vellet eâ uti.

8 Vel ergo Votum eſt purè reale, vel purè perſonale, vel mixtum per accidens, vel mixtum per ſe? Si 1mum, & urget paupertas, mutatio in reale repugnaret cauſæ: ſin facultas ſuppetit, optimè in reale mutatur, niſi perſonale evidenter melius ſit. Si 2dum, ferè ſemper redimi poteſt. Si 3tium, cum proportione de partibus agendum erit. Si 4tum, adhuc ratio habenda eſt ſumptuûm, ut d. c. *Magnæ.* quia augent æſtimationem Voti, & qui ſe obligat ad eundum aliquò, etiam expenſas reditûs computat in mercedem. In conditionato autem mutari poteſt vel conditio, vel materia in æqualem, vel votum in abſolutum, ut ad quinque, ſi conditionatum fuit de decem. In diuturna obligatione vel ſervari poteſt diuturnitas, vel remitti cum onere dandi nunc magnam quantitatem, quæ prudenti arbitrio cenſeatur æqualis.

Quia verò tota res eſt prudentiæ, attendi debent circumſtantiæ perſonarum, & qualitates operum. Primùm quidem in ordine ad Divinum cultum; dein bonum commune, maximè ſpirituale proximorum; multóque magis ipſius voventis in ordine ad meritum, ſatisfactionem, præcavenda peccata & occaſiones. Quibus omnibus penſatis, non erit admodum difficile reperire ſufficientem proportionem inter diverſas materias, & proprietates Votorum. 9

CAPUT

CAPUT XX.

Quam vim habeat commutatio ad tollendam obligationem circa priorem materiam.

1 Primò. Si commutatio fuit in melius, non licet reditus; ſecùs, ſi fuit in æquale. Nam non licet reſpicere retrò in contractibus, ſi poſterior cedit favori creditoris, quidquid dicat Sanch. in præſenti: nam aliàs non eſſet commutatio, ſi præcisè eſſet libertas ad melius, quæ nunquam tollitur, ut ſi fuit mutatio in minus. At ſi fuit in æquale; ergo conditionata fuit juxta communem intentionem commutantium. Cùm enim non fiat in favorem creditoris, intelligitur fieri modo magis favorabili erga debitorem, quia magni momenti non eſt libertas hæc reditûs & electionis, præſertim ſi probabile eſt, dictam mutationem fieri poſſe privato arbitrio.

2 Secundò. Si commutatio perperam facta eſt, impletio non tenet, ſervatâ proportione. Vel enim commutatio facta eſt proprio arbitrio, & in minus; vel authoritate Prælati, ſed ſine cauſa ſufficienti? Si 1mum, ſolutio nulla eſt, quia non ſolvitur, quod non debetur. Idêmque eſt, ſi mutatio fuit in æquale, ſed ſine Prælato, quamvis oppoſita opinio hîc magis quadrat. Nec dicas, à Superiore poſſe ratam haberi ſolutionem, Nam commutatio fieri debet in opus futurum; aliàs Voto ſatisfieri poſſet per opera jam facta, contra R. J. 9. in 6. Nec enim ſpes, vel intentio mutat naturam operis, ut ſit factum authoritate Prælati. Si 2dum, moraliter non defuit cauſa, ſi mutatio fuit in æquale, & ideo bonâ fide credi poteſt, eſſe ſatisfactum: ſin mutatio fuit in minus cum defectu cauſæ evidenti (aliàs ſcrupulus poni debet) & totali, conſtat, nihil actum eſſe. At ſi cauſa fuit ad æquale, ergo conſenſus tenuit ad illud; ſolúmque quod defuit ad æquale, ſupplendum eſt arbitrio boni viri.

Tertiò. Votum comutatum non reviviſcit, ſuperveniente impotentiâ implendi poſterius. Nam obligatio ſemel extincta, non redit, ut ſæpe dictum eſt. c. *Si illic.* 23. q. 5. l. *Qui res.* §. *Arcam. ff.* de ſolut. At commutatio juxta S. Thom. & communem, ſolvit ab uno, & ligat ad aliud, tanquam remiſſio obligatſonis ſpecificæ ad talem materiam ex conſenſu Creditoris, ut patet in contractibus. Et aliàs, licèt mutatio fuiſſet in meliùs, obligatio foret disjuncta cum duplici onere & neceſſariò faciendi melius, ſi poſſit, & ſi non poſſis, faciendi prius: quæ eſt nimia inæqualitas, & non præſumpta, niſi clarè conſtet de contraria intentione. 3

4 Igitur libertas redeundi ſtat, licèt obligatio non ſit disjuncta, ut patet in commutatione in minus. Nam illa ad favorem, obligatio ad rigorem pertinet, quæ non præſumitur, nec eſt purè alternativa, ſed per ſe, & directè eſt ad talem materiam; ergo ſi hæc ſit impoſſibilis, etiam illa per ſe ceſſat, licèt ex interpretativo conſenſu Creditoris poſſit per aliam impleri. Quòd ſi renuntiatio ſit commutationis in minus, virtute ſit novum votum de priore meliore, quia nec reditus per ſe licet, nec virtute commutationis, utpote non cadentis in votum ſubſequens. Idémque eſt de commutatione in æquale, ſi eodem animo renuntietur; nam ſimiliter non licet reditus, ſi quidem commutatio acceptata eſt cum definito animo ad unum.

5 Quartò. Actio, in quam commutatio fit, non ſervat omnes conditiones prioris voti. Nam votum, quod reſervatum fuerat, extinctum eſt per commutationem; & reſervatio non fit niſi ratione materiæ, ut è converſo, ſi commutatio fit in Votum Religionis: ergo ſubrogatum ſapit naturam prioris, quantùm ad id, quod per ſe & intrinſecè pertinet ad talem ſubrogationem, non verò quoad ea, quæ extrinſeca ſunt, & pendent à Lege vel voluntate extra Jus. § *Fructus*. Inſt. de Action. Quidquid enim ſit de pœna per præceptum Superioris poſitâ, an per inferiorem mutari poſſit, nécne; obligatio nova non fit ex abſoluto Imperio Papæ, cùm in meliorem mutari poſſit, ſatíſque firma eſt, licèt commutabilis ſit. Plus enim non poſtulat natura voti, & contrarium in particulari declaratum non eſt, ut ſupponitur.

Quintò. Votum pœnale quoad pœnam jam incurſam commutari poteſt. Nam ſi Votum fuit directum de eleemoſyna quotidiana, quæ multo tempore neglecta eſt, utique commutari poteſt, ut ex praxi conſtat. Idémque eſt de Compoſtellano ſic neglecto per multos annos; obligatio enim ſolvendi, quæ fuit, eadem reſtat, magíſque urget: at ſi fractio non impedit in directo, cur in pœnali Voto? Sive autem hoc ſit ſimplex, ſive duplex, utroque modo commutabile eſt, quia generalis facultas comprehendit etiam fracta vota; & pœna ſemper debetur vi voti, non præcepti, ut perperam Nav. diſtinguit pœnam contra Votum; cùm ſit Votum particulare, & obligans poſt culpam præteritam ad ſolutionem futuram. 6

Secùs eſt, ſi Papa in particulari caſu, poſtquam pœnam incurſam jam commutavit, remittit ad Delegatum; obſtat enim limitatio expreſſa. At inſtante Jubilæo poteſt vovens redire ad priorem obligationem, utpote de meliore, réque ſic integrâ denuo habere commutationem, quin referat diſpoſitio Papæ. Tamen cavenda eſt ſubreptio, apprehendendo in Voto pœnali, ſolùm futuram obligationem, non præ- 7

præterita debita. Quòd ſi & præterita & præſentia debita memorentur, impertinens eſt mentio prioris commutationis, quia poteſt quis illi cedere, & ſe gerere ac ſi non fuiſſet.

CAPUT XXI.

De Diſpenſatione & Commutatione Votorum, quæ Pontifici reſervata ſunt.

1 Primò. Quinque ſunt reſervata, ſcilicet Caſtitatis, Religionis, Hieroſolym. Romanæ, & Compoſtellanæ peregrinationis. Sumitur quantùm ad antiquitatem, potiùs ex Traditione quàm ex Jure ſcripto. Nam c. *Ex multa*, de voto. agit de ſolo Hieroſolymitano, eóque facto in ſubſidium, cùm nunc univerſaliter reſervatum ſit, ut uſu conſtat, & ex x. *Etſi Dominici*. de Pœn. & Rem. ubi ſolutio æquiparatur caſibus Cœnæ. Congruentia eſt, quòd cauſæ majores ſint reſervatæ. c. *Majores*. de Baptiſ.

2 Secundò. Improbabilis eſt exceptio vel limitatio dictæ regulæ. Nam clarè obſtat d. x. & uſus conſtans, ſtylúsque Curiæ, ut conſtat ex Cruciata, & Reſcriptis. Jus enim ſuper his nihil diſponit, ut ſuper Hieroſolymit. & Compoſtellano, quorũ exceptio intentata eſt. E converſo autem nullum aliud votum dictis reſervatis adnumerari poteſt, quia privatus non poteſt detrahere Juriſdictioni Ordinarii: reſervatio autem eſt diminutio dictæ Juriſdictionis: ergo quidquid intentet privati intentio, nihil fit, ſecluſâ diſpoſitione Juris. Aliunde autem neque perpetuitas voti ſufficit, neque arduitas.

3 Tertiò. Idem eſt de commutatione, quod de diſpenſatione circa vota reſervata. Patet ex d. x. & ex uſu & ſtylo Curiæ, ſolvi debere dicta Vota in propria ſpecie, ſecluſo arbitrio Pontificis. Imò ſæpe commutatio etiam aliorum votorum prohibetur, non quidem ſimpliciter, ſed ne fiat ſine licentia S. Sedis. Nec obſtat. c. *Scripturæ*. de Vot. Nam Votum conſtitutivum Religionis ſufficit ad commutandum; at promiſſivum ſolùm ad ſuſpendendum alia Vota.

CAPUT XXII.

De Votis conditionalibus, quando & quomodo reſervata ſint?

1 Primò. Quamdiu ſunt in ſtatu conditionati Voti, non ſunt reſervata. Ita Tolet. Vict. Ledeſm. Rodriq. Leſſ. Sanch. contra Arag. Valent.

lent. Soto, Nav. Gutier. Azor. Nam aliàs reſtringitur poteſtas ordinaria contra regulam negativam, *Quidquid non reperitur denegatam* &c. quia actus, qui requirunt abſolutum conſenſum ad perfectam obligationem, non cenſentur conſummati, nec ſimpliciter tales, quamdiu pendet conditio. Sic Sponſalia conditionata, non ſunt ſimpliciter talia; idémque eſt de aliis contractibus: at votum eſt contractus cum Deo, nec eſt Caſtitatis &c. ſimpliciter, pendente conditione. Sic cenſura non incurritur per matrimonium clandeſtinum, ſi conditionatum eſt; idémque eſt, ſi fertur contra voventem ire Hieroſolymam tali tempore, ſi conditionatum eſt.

2 Dices, eſſe verum Votum, & ſtatim obligare, quantùm ad vinculum, quamvis non quoad executionem: hujus autem ſuſpenſio non ſufficit, ut *ſi pater obierit*, *ſi frater habuerit liberos* &c. ℞. Votum eſſe verum, ſed non ſimpliciter Caſtitatis &c. nec ſemper fieri ex affectu ad rem promiſſam, ſed vitæ v. g. urgente metu mortis. Dein confunditur conditio cum ſuſpenſione executionis; nam hæc nón eſt contra rationem Voti abſoluti, ut ſi ſit poſt biennium. c. *Commiſſum.* de Sponſal. c. *Per tuas.* de Vot. quia adhuc ſtat abſolutus & reſolutus conſenſus ad Religionem &c. quamvis ne Pater affligatur, differatur executio.

3 Nec refert in conſcientia, an dies certa, an incerta ſit, quia utròque modo animus ſolùm eſt de termino addendo propter commodam executionem, non propter ſuſpendendam, vel minuendam determinationem conſenſûs, ſed particula æquivalet adverbio *Quando*, ut ſi attigero 16. annum, & conditio, *ſi ſupervixero*, eſt intrinſeca. Nec obſtat l. *Si cùm hæres.* ff. quando dies leg. & l. *Dies.* 75. ff. de condit. & demon. quia procedunt in ordine ad effectum Civilem non transmittendi legatum ad hæredem Legatarii, ut l. 1. ff. eod. diſtinguitur Legatum ad diem incertum à conditionato, quamvis poſtea in dicto effectu æquiparentur. Denique ſufficit dictum Votum eſſe abſolutum quoad ſubſtantiam, eſto, quoad temporis determinationem dicatur conditionatum.

Porro Votum, *ſi frater liberos habuerit*, regulariter imperfectum eſt, ſine animo abſoluto Religionis, ſed ſæpe cum deſiderio, ne impleatur conditio, ut vovens eſſe poſſit hæres, quamvis pro contrario eventu nunc deliberet, ſícque Votum non eſt reſervatum, ſicut cùm ſit ex puro affectu Religionis, quamvis etiam tunc oppoſitum poſſit defendi. Secùs eſt de Voto Caſtitatis, niſi frater ſine liberis obeat. Conſtat enim eſſe abſolutum, quia conditio non eſt ad ſuſpendendum, ſed terminandam tantùm obligationem, quamvis quia perpetuum non eſt, reſervatum non ſit. 4

Secun-

5 Secundò. Impletâ conditione, Votum fit verè reſervatum. Ita Communis, à qua recedere in re tam gravi & neceſſariâ ſine cogente textu vel ratione difficile eſt. Nam quilibet contractus ſic purificatur, & fit perfectus ſimpliciter, ut Sponſalium, Emptionis, Venditionis, Promiſſionis &c. l. *Potior.* ff. qui potiores in pign. Nec dicas, radidicem obligationis eſſe imperfectam, quia ſi obligatio, ergo & conſenſus perfectus eſt, cùm illa ſit hujus effectus formalis, vel in genere efficientis ita intrinſecus, ut non poſſit eſſe major perfectio in effectu quàm cauſa; nec diſpenſatio cadit in actum, quæ fuit, ſed in obligationem, quæ eſt: ergo gratis dicitur, in ſolo voto attendi originem, cùm omnes alii actus pariant effectus ſuos odioſos, impletâ conditione, ut Sponſalia. c. un. §. *Illi.* de Sponſal. & Simonia completa per pretium &c.

6 Dices. Actum à principio non fuiſſe perfectum, nec ex puro affectu ad Religionem. ℟. Votum fieri vel per modum contractûs, ut 1. Reg. 1. vel ſub ſimplici conditione, *ſi pater conſenſerit.* Priori modo nulla eſt imperfectio ex parte conſenſûs, præter ſuſpenſionem & imperfectionem contractûs, quæ tollitur poſitâ conditione. Et dictus conſenſus reſpicit & præſens & futurum tempus: at obligatio oritur ex illo, ut reſpiciente futurum tempus. Conditio autem de ſe non facit actum imperfectum, ut patet ſecundùm omnes, ſi ſit de præſenti vel præterito. Imò in dicta forma major obligatio eſſe videtur, quàm in promiſſione abſoluta, ut inter homines: ſi enim DEUS ex parte ſua implet contractum: ergo ut æqualitas ſit etiam ex parte alia, Votum perfectum eſt. Denique ad reſervationem impertinens eſt imperfectio ex parte motivi, quia non eſt imperfectio in proprio objecto, ſeu materia voti, nec in plenitudine conſenſûs, ſed in applicatione tantùm ad vovendum, ut fit in Voto etiam abſoluto.

Quòd ſi Votum ſit ſub conditione ſimplici; ergo propter dictum reſpectum ad duo tempora, ex imperfecto fit perfectum, & paulatim conſumatur: at cùm conſumatum eſt, non obſtat is proceſſus, magis quàm in aliis rebus, quæ paulatim conſummantur & acquirunt perfectionem ſuam. Rurſus imperfectio ſolùm eſt dependentia ab alieno conſenſu vel conſilio: hæc autem ceſſat: ergo ſicut obligatio, ita conſenſus tranſit in abſolutum, utpote in ordine ad tempus futurum habens ex parte ſua omnem perfectionem neceſſariam, ut poſitâ conditione fiat abſolutus, ſolúmque eſt imperfectus ex parte alterius extremi quaſi extrinſecè, quia nondum poſita eſt conditio. 7

Denique non bene applicatur Regula Juris l. *Eum qui.* ff. de Jurisd. omn. Jud. Nam diſpenſatio propriè 8

non refertur ad tempus futurum, ſed præſens, quia ſtatim habet effectum, & conſequenter pro tempore habili tollit votum, cùm nondum abſolutum eſt. Hoc autem ſemel ablatum non redit, licèt impleatur conditio. Exemplum de Voto impuberis ad rem non eſt, quia in præſenti imperfectio non eſt ex defectu usûs rationis, qui utique tractu temporis non purgatur, ſed tantùm in ſuſpenſione conſensûs per conditionem appoſitam.

CAPUT XXIII.

An Vota pœnalia in materia Voti reſervati ſint reſervata?

1 Primò. Ante commiſſam culpam non ſunt reſervata. Conſtat à fortiori ex dictis de conditionatis. Oppoſitum conſequenter tenet Navar. quamvis ſecùs ſentiat, ſi Votum ſit duplex, ut de non ludendo, & de peregrinando in pœnam lusûs, quia diſpenſato priore, per ſe cadat alterum. Sed contrà, quia etiam poſterius tolli poteſt ſine priore, ſicut ſi ſolum eſt; aut ſi prius eſt de Caſtitate, & alterum de jejunio in pœnam lapsûs. Dein pœna non reſpicit culpam, ut eſt contra Votum, ſed ut oppoſitam alteri præcepto, vel ob damnum aliud, ut in luſu: ergo per ſe non corruit poſterius, ſed attendenda eſt intentio, an diſcrepet, nécne à communi voventium: ſícque utrumque votum aperiendum eſt, ut quodlibet per ſe & in ſe tollatur.

2 Secundò. Etiam poſt commiſſam culpam dicta vota reſervata non ſunt. Ita communis Recentiorum, ut Enriq. Med. Viva. Lop. Rodriq. Sanch. & probabilem ac in praxi tutam ferè omnes contrarii fatentur. Unde practica & certior defenſio dictæ opinionis ſumitur ex probabilitate, quam habet ab authoritate, & maximè à conſuetudine, quæ in præſenti eſt optima interpres, vidente & tacente Pontifice. Eſtque diſtinguendum, an dictum Votum fiat in puram vindictam, ac in pœnam medicinalem, vel in gratiarum actionem pro tamdiu vitato peccato? De priore procedit concluſio, non de poſteriore, quia non fit ut propriè pœnale, ſed ut purum conditionatum, & cum ſufficiente affectu ad Religionem; ſecùs ac prius.

Dices. Ergo licèt conditio ſit de præterito, ceſſat reſervatio. 2. Vel conſideratur motivum imperfectũ, vel repugnantia ad Religionem? at prius impertinens eſt, ut patet, ſi cauſa impulſiva ſit honor, vitatio periculi vitæ &c. poſterius autem non ſufficit; aliàs nunquam eſſet reſervatio Voti, quod ſit cum involuntario mixto. Ad 1mum ℟. peccato 3

cato jam ſuppoſito, voluntatem Religionis eſſe abſolutam: nec refert oriri ex dolore; id enim ſæpe fit in convertente ſe. Peccato autem non ſuppoſito, votum fit cum affectu vitandi Religionem, imò ex iſto; ſícque per ſe & directè non intenditur Religio: at Votum hujus dicitur, quod fit ex ejus affectu.

4 Ad 2dum ℞. nec imperfectionem cauſæ impulſivæ ſufficere, nec involuntarium mixtum. Proprium autem voti pœnalis conditionalis eſt, quòd fiat cum propoſito omnino vitandi Religionem; quod ſecùs eſt, ſi conditio ſit de præterito. Tunc enim, cùm peccatum ſit, nec habetur formalis voluntas Religionis, nec fortè cogitatio; & hac poſitâ, ſolùm eſt voluntas permiſſiva, & ſæpe interpretativa tantùm, quæ non ſufficit, ut votum dicatur ſimpliciter Religionis. Igitur licèt votum propriè pœnale cum conditione ſuſpenſiva, non ſit reſervatum; tamen ſecùs eſt de impropriè tali cum conditione de præterito, ut, *ſi peccavi graviter, ingrediar Religionem.*

CAPUT XXIV.

De Votis disjunctivis de materia reſervatâ, & non reſervatâ.

1 Primò. Re integrâ, dicta vota non ſunt reſervata. Ita communis. Nec enim ſic vovendo fit Votum Caſtitatis &c. ſimpliciter, ſed poteſt impleri in materia non reſervata, juxta R. J. 70. in 6. ergo obligatio ſimpliciter non eſt ad reſervatam. Igitur obligatio immediata tolli poteſt, ſive auferendo tantùm partem materiæ reſervatæ, ſive ſubſtituendo aliam, ſive aliud disjunctum, ut per ſe ſequitur ceſſante reſervatione. Exemplum vovendi eſt aut Religionem aut Clericatum in Sacris, Caſtitatem aut dictum Clericatum; nam pars poſterior nondum obligat ad Caſtitatem, ſicut nec Votum Religionis ad Paupertatem &c.

2 Secundò. Re non integrâ, ſecùs eſſe poteſt. Patet, ſi mutatio fit ex parte voventis, eligendo materiam reſervatam. Non ſufficit autem merum propoſitum, ſed neceſſaria eſt voluntas obligandi ſe determinatè ad illam: & tunc ceſſat quæſtio. Quòd ſi mutatio fit ex parte materiæ, ut propter impoſſibilitatem eleemoſynæ; applicatio ad reſervatum fit ex mero facto potiùs, quàm ex natura obligationis: conſequenter votum ſic non fit reſervatum. Secùs eſt de voto conditionato; nam conditio non ampliat, nec variat materiam, ſed tantùm ſuſpendit conſenſum: qui conditione impleta fit abſolutus, non per accidens aut præter intentionem voventis, ſed per ſe & vi ipſius Voti.

CAPUT XXV.

De Poteſtate delegatâ circa Vota reſervata.

1 Primò. Sub generali delegatione, quam Pontifex facit, non intelliguntur reſervata. Ita communis, arg. c. *Si Epiſcopus.* de Pœn. & Rem. in 6. & R. J. 81. in 6. Generalitas enim intelligitur ſecundùm Jus: at in hoc limitatio fit. X. *Etſi dominici.* 2. de Pœn. & Rem. Falsúmque eſt, ſolùm excipi Vota Religionis & Caſtitatis, quia etiam alia reſervata eſſe conſtat: ergo excepta juxta dictam regulam. Quòd enim unum altero gravius ſit, non refert, ut conſtat in peccatis reſervatis: omnisque alia limitatio exceptionis eſt merè voluntaria, ſine uſu vel declaratione Pontificum, juxta quam diversè excipitur circa caſus Cœnæ.

2 Secundò. Vota peregrinationum intelliguntur conceſſa, ſi exceptio firmat regulam quoad minora, quamvis minori excepto, non comprehendantur majora, ut ſi excipiatur Hieroſolymitanum, non comprehenditur Votum Caſtitatis & Religionis, ſed Romanum & Compoſtellanum. Quòd ſi exceptio ſit Caſtitatis, non comprehenditur Religio, quia eſſet illatio à diverſis; & Papa tacendo ſignificat, concedi ſpeciale quid, ſed non totum, quod poteſt; plus enim eſt concedere utrumque. Tamen in uſu non eſt talis conceſſio, ſed ſimul ſemper excipiuntur Vota Caſtitatis & Religionis.

3 Tertiò. Si Papa omnia concedit, excepto Voto Caſtitatis, comprehenditur etiam Votum Religionis. Nec enim hoc continetur ſub excepto: exceptio autem firmat regulam in omnibus ſub excepto non comprehenſis, ut in ſimili ſentit Gl. X. 1. de Pœn. & Rem. c. *Confitebantur*, referendo declarationem Bonifac. VIII. in qua magis privilegiatum eſt Hieroſolymitanum quàm Caſtitatis; fortè ob ſubſidium Terræ Sanctæ, vel quia Pontifex contentus fuit adjectione Voti Religionis.

CAPUT XXVI.

An Epiſcopi vel Delegati poſſint in aliquibus caſibus commutare reſervata?

1 Primò. Quoties eſt morale dubium de valore Voti, ſive ſit facti, ſive Juris, non comprehenditur ſub reſervatione. Nam hæc eſt valde ſtricti juris; nec tale Votum dici poteſt Caſtitatis ſimpliciter &c.

Dein

Dein etiam in peccatis & cenſuris poſcitur certitudo, ut pro reſervatis habeantur. Hinc cùm Votum factum eſt ex metu gravi, ſequens ſententiam probabilem de nullitate ejus, non eget diſpenſatione: à fortiori autem cùm obligatio ſit dubia, Epiſcopus diſpenſare poterit. Dixi, *ex gravi*; nam levis ſine dubio non ſufficit, ſicut nec involuntarium mixtum; aliàs excipi oporteret facta in periculo mortis &c.

2 Impertinens autem eſt exceptio Voti impuberis &c. Nam aliud eſt diſpenſare, aliud irritare: reſervatio autem non opponitur irritationi, ſed Juriſdictioni inferiorum, quam tollit, non verò poteſtatem dominativam patris, domini, conjugis, Prælati, Religionis: dictúmque eſt ſuprà, quouſque firma ſint, nécne vota ſubjectorum, & eatenùs irritabilia.

3 Secundò. Reſervatio non ceſſat propter frequentiam Votorum, lapſuûm, ſimilémque neceſſitatem. Nam perperam applicatur doctrina de diſpenſatione Legis Pontificiæ ob frequentiam caſuûm, quia Lex omnes ligat; at Votum unumquemque ſeorſim: nec neceſſitas tanta & tam frequens eſt diſpenſandi in Votis, ut in Legibus. Rurſus non ſufficit, cauſam eſſe legitimam, niſi adſit poteſtas diſpenſandi: hæc autem non reſtituitur propter ſolam neceſſitatem diſpenſationis, ut conſtat ex uſu committendi v. g. propter periculum incontinentiæ. Imò aliàs reſervatio rueret, cùm ſine legitima cauſa non diſpenſetur.

Tertiò. Secùs eſt, ſi periculo animæ additur impotentia adeundi Pontificem. Tunc enim practicè probabile, & tutum eſt, Epiſcopum poſſe diſpenſare, juxta generalem Regulam, quam de legibus tenent Summiſtæ & Canoniſtæ. c. *Veniens.* Qui Cler. vel vov. ubi Abb. & ſequitur Sylv. Nav. Palac. Arag. Sanch. Nec enim veriſimile eſt, Papam ſine remedio velle homines in graviſſima neceſſitate; & rigoroſior intellectus reſervationis eſſet in deſtructionem potiùs quàm ædificationē. 4

Hinc in affirmativis reſervatis rarò competit diſpenſatio ſimpliciter, quia neceſſitas ſolùm juſtificat dilationem. Nec etiam diſpenſatio ſecundùm quid competit, ſeclusâ impotentiâ recurſûs ad Pontificem, ut docet conſuetudo: quia data ad differendum, jam multùm attingit ſubſtantiam Voti, quæ ſucceſſivè in totum eludi poſſet, ut quoad Religionem. At denegato dicto recurſu, utique pertinet ad poteſtatem ordinariam, poſſe conſulere declarando vel diſpenſando in dilatione. In voto autem negativo maximè occurrit neceſſitas diſpenſandi, ut ſi ſtatim contrahendum ſit matrimonium, propter legitimationem prolis, famam feminæ nobilis &c. Quia verò hæc licentia ſolùm fundatur in epiickia, extendi nequit ultra id, quod in rigore poſcit moralis neceſſitas, ut relinquendo vinculum quoad poteſt, v. g. Caſtitatis conjugalis; cum particulari ta- 5

men diſpenſatione ad petendum debitum, quia aliàs moraliter non ſatisfieret neceſſitati. In voto tamen Religionis ob dictam neceſſitatem ſolùm fieri poteſt ſuſpenſio, quamvis ad tempus indefinitum.

6 Quartò. Per poteſtatem delegatam nihil fieri poteſt circa reſervata, per ſe loquendo. Nam propter neceſſitatem reſervatio non ceſſat: intereſtque inter Delegatam & Ordinariam poteſtatem. Illa enim non extenditur ultra caſus conceſſos, ſicut nulla potentia extra objectum ſuum: at Ordinarius per accidens diſpenſat, quia ne reſervatio ſit in deſtructionem, pro caſu neceſſitatis cenſetur actus relictus ejus poteſtati. Aliud ergo eſt, votum eſſe reſervatum; aliud verſari circa materiam reſervatam. Poſterius citra diſtinctionem competit vi generalis delegationis, ut in Jubilæo, ſed ad commutandum tantùm; quia privilegium extenditur quidem ad omnia, ſed non ad omnem actum circa illa.

Quantùm ad Nuntium; vel is agit 7
Jure ordinario, vel habet ſpecialem commiſſionem pro his caſibus? Si 1mum, optio libera eſt, vel illum accedere vel Epiſcopum, cùm æquales ſint. Si 2um, ergo recurſus ad illum, recurſus eſt ad Pontificem: ſicque ceſſat neceſſitas Diſpenſationis Epiſcopalis, conſequenter etiam poteſtas. Idémque erit, ſiquis virtute privilegii vel indulti delegatus ſit pro dictis caſibus.

CAPUT XXVII.

An ad valorem Diſpenſationis neceſſaria ſit voluntas libera Prælati &c.?

1 Primò. Neceſſarium eſt, ut diſpenſatio (idémque eſt de commutatione) procedat ex voluntate libera diſpenſantis. Nam eſt actus humanus, nec actus agentium operantur ultra intentionem eorum: ergo eâ deficiente, nihil fit, ſicut nec in Sacramentis, cenſuris, & ſimilibus, quæ à poteſtate morali procedunt c. *Cùm voluntate de S. E.* Quando autem credendum ſit expreſſæ declarationi diſpenſantis, quòd ſictè egerit, prudenti arbitrio relinquitur: quia pendet ex circumſtantis perſonæ, & negotii; nec de animo dubitari poteſt, ſtante ſignificatione clarâ diſpenſandi, niſi conſtet de animo oppoſito.

Secundò. Interdum error vel 2
ignorantia cauſat diſpenſationem involuntariam, & conſequenter nullam. Patet ex c. *Poſtulâſti.* c. *Conſtitutus.* de Reſcript. c. ult. de fil. Presb. in 6. Licèt enim Jura agant maximè de Beneficialibus, tamen ratio, quæ allegatur de defectu voluntа-

luntarii, eadem eſt in præſenti; præſertim quia attingitur Jus Divinum, conſequenter puriùs & fideliùs tractari debet negotium, nec verum ſilendo, nec admiſcendo falſum. c. *Quod ſuper his.* de fide Inſtrum. c. 2. de Reſcript. Sempérque intelligitur clauſula *ſi ita eſt; ſi preces veritate nitantur.*

3 Tertiò. Tacurnitas ſola obeſt valori, quâ vel ſubſtantia Voti non ſatis declaratur, vel cauſa ſufficiens non proponitur. Ut ſi pro voto Caſtitatis allegatur votum non fornicandi, non nubendi &c. error fit in ſubſtantia Voti: ergo nihil fit. Idem eſt, ſi cauſa impertinens aut inſufficiens eſt; nam ſine legitima cauſa diſpenſari nequit. Non refert autem cauſam ſubeſſe, quia poteſtas diſpenſandi operari nequit ſine cognitione cauſæ: ergo utut quis velit diſpenſare, non ſtat voluntas juſta, neceſſaria ad diſpenſandum.

4 Quartò. Falſitas ſola obeſt valori, quâ vel mutatur ſubſtantia Voti, vel fingitur cauſa juſtificans. Oportet autem, ut mutatio ſit voti in omnino diverſum, & condiſtinctum; quia ſi additio fit per exceſſum, adhuc relinquitur, quod eſt tanquam pars incluſa in toto; ut votum Religionis ſe habet ad votum profitendi: qui autem diſpenſat in toto, etiam in parte, & faciliùs quidem, ſi error abfuiſſet. Quòd ſi plures cauſæ ſunt, vel neutra per ſe ſufficit, vel vera non ſufficit ad diſpenſandum, ſed ad commutandum, vel ſufficit etiam quoad modum? Si 1mum, clara nullitas eſt. Si 2dum, Diſpenſatio eſt nulla, juxta communem d. c. *Poſtulâſti*, quia eſt actus unus & indiviſibilis: ergo ſi in modo, etiam ſimpliciter nullus eſt ob defectum cauſæ. Si 3tium, ceſſat ratio nullitatis.

5 Quintò. Si probabiliter creditur, diſpenſationem ejuſdem rationis & modi concedendam fuiſſe, quamvis difficiliùs, actus tenet. Ita regula communis in omnibus gratiis, ubi Jus nihil ſpeciale diſponit. Nam ex natura rei non cauſatur hîc involuntarium ſimpliciter: quòd autem difficiliùs diſpenſatum fuiſſet, per accidens eſt, nec ſufficit ad annullandum. Eadémque regula tenet etiam pro deceptione, quidquid diſtinguat Nav. nam ratio utrumque probat.

6 Sextò. Idem eſt, ſi quæ tacentur, vel finguntur, non pertinent ad cauſam, ſeu ad convenientem vel meliorem uſum poteſtatis, ſeu finem diſpenſationis, eſto alter ſi ſciviſſet, non diſpensâſſet. Nam ignorantia non impedit, quin hîc & nunc quis velit diſpenſare ex juſta cauſa: quòd autem eſſet noliturus, non facit præſentem actum nullum, quia conditionalis nil ponit in eſſe; & diſpoſitio habitualis etiam nihil ponit in objecto, utpote impertinens. Ita Gutier. Sanch.

7 Septimò. Si quod tacetur habet prudentem connexionem cum materia voti, & diſpenſationis; hæc fit ſubreptitia, ſi Prælatus aliàs non fuiſſet

ſet diſpenſaturus. Ita ferè omnes propter Jura cit. Conjectura autem dictæ conditionatæ, cùm Jus nihil præſcribat, prudenti arbitrio fieri debet, maximè ex conſuetudine rationabili diſpenſantis, vel propoſito declarato. Nam tunc virtute includitur conditio, *ſi nil additur, vel demitur, quod intentioni meæ repugnet.* Quisque enim cenſetur operari intentione conformi ſuæ conſuetudini rationabili, vel juxta priorem deliberationem non retractatam. Et inde ſeu vi iſtius habitualis diſpoſitionis, dicitur in generali conceſſione non venire, quod in ſpecie propoſitum, veriſimiliter non fuiſſet concedendum.

8 Nec propterea idem eſt de occultatione impertinentium, ſtante eadem diſpoſitione habituali. Nam voluntas interpretanda eſt ſecundùm rectam rationem, & ſecundùm Jura: at quoties quis actu honeſtè vult, cenſetur retractare priorem voluntatem irrationabilem, potiùs quàm juxta illam velle agere. Ita omnes, qui negant, nocere occultationem eorum, quæ aperiri Jus vel ratio naturalis non poſcit: hæc verò solùm poſcit, ut non occultetur, quod ſit contra honeſtam voluntatem, etiam habitualem diſpenſantis, ut qui jus habet utendi poteſtate, ſecundùm rationabilem voluntatem, & non circumventus.

Octavò. Metus etiam gravis non officit valori diſpenſationis, loquendo per ſe. Ita ſumitur ex regulis hucuſque dictis, cùm in ſpecie non diſputetur. Nam valor ſolùm fundatur in juſta cauſa, poteſtate, & voluntate: at cauſa finalis ſtat, quidquid ſit de impulſiva vitandi malum comminatum. Dein Jus poſitivum non irritat, quia c. un. de his q. vi &c. tanquam odioſum, non extenditur. Nam agit de defenſione Clavium: in præſenti verò fit redemptio vexationis in non diſpenſando; ſicque valet argumentum à ſpeciali. Dixi, *per ſe*, nam ſi juſta cauſa deſit &c. conſtat, ſecùs fore. 9

Nonò. Requiruntur ſigna ſufficientia voluntatis diſpenſandi, quamvis nulla forma præſcripta ſit. Voluntas enim non poteſt aliter innoteſcere, nec operari inter homines ſine ſufficienti ſui ſigno: at certum aut determinatum nec Jure naturæ, nec Poſitivo præſcriptum eſt, nec à neceſſitate aliqua. Quamquam moraliter loquendo vix diſpenſari poſſit ſine verbis, ut docet conſuetudo univerſalis, & neceſſitas aperiendi Votum & cauſam. Nec enim ſufficit, quòd Prælatus ſciat Votum non ludendi v. g. eſto ad luſum invitet; niſi circumſtantiæ cogant, quæ tamen vix eſſe poſſunt certæ. 10

INDEX

TOMUS SECUNDUS.

DE RELIGIONE.

TRACTATUS IV.

De Oratione.

LIBER I.

De Oratione in communi.

CAPUT I.

1. Quid nomine Orationis intelligendum 1.
2. Utrum omnis Oratio bona ſit. 2.
3. V. Oratio ſit actus intellectûs vel voluntatis. 3.
4. V. Homo poſſit petere à Deo ſine conceptibus vocum. 4
5. Difficultatibus occurritur. 5
6 V. Oratio ſit conveniens & per ſe honeſta. 5
7. V. Sit proprius & elicitus actus Religionis. 6
8. V. Actus ſupernaturalis &c. &c. 8
9. Quomodo ſolus Deus orandus. 9
10. Quomodo creaturæ rationales orari poſſint. 10
11. V. Omnes Spiritus Beati. 13
12. V. Omnibus Viatoribus orare conveniat. 14
13. V. Orandum ſit pro aliquo in particulari. 15
14. V. Orandum pro Defunctis. 16
15. V. Pro omnibus Viatoribus. 16
16. De Oratione pro Inimicis. 18
17. V. Orando petere liceat bona temporalia. 18
18. V. Orando pro temporalibus petatur Gratia &c. 20
19. V. Temporalia mala peti poſſint. 21
20. V. Bona ſpiritualia indiſtinctè peti poſſint. 23
21. Expediuntur dubia. 23
22. V. Oratio ſit actus meritorius &c. 25
23. V. Sit impetratoria. 26
24. V. Ad impetrandum procedere debeat ex Fide. 27
25. V. Ad impetrandum neceſſaria ſit Charitas. 28
26. V. Perſeverantia Orationis. 29
27. V. Orans ſolùm pro ſe infallibiliter impetret. 30
28. V. Oratio ſit ad ſalutem neceſſaria 30
29. Quale ſit Præceptum Orationis. 31
30. Quomodo diſcerni poſſit tempus, pro quo obliget. 32

LIBER II.

De Oratione Mentali ac Devotione.

CAPUT I.

1. De utilitate Orationis Mentalis. 34
2. De partibus d. Orationis. 35
3. Corollaria ex ſuperiore doctrina. 37
4. V. d. Oratio cadat ſub Præceptum 38
5. Quomodo circumſtantiæ in d. Oratione obſervandæ ſint. 39
6. Quid ſit Devotio. 42
7. V. Sit actus Religionis. 43
8. Qnas cauſas & effectus habeat 45
9. Quid Contemplatio ſit. 46
10. Qualis ſit proprius ejus actus. 47
11. V. Sit propria Perfectorum. 49
12. V. Eſſe poſſit ſine actu intellectûs &c. 51
13. V. In ſolo actu Voluntatis. 53
14. V. Sine operatione ſenſûs. 54
15. V. Vi ſuâ impediat operationes ſenſuûm. 55
16. V. Intuitiva Contemplatio faciat extaſin. 56
17. V. Vi Contemplationis ſequatur extaſis in ſenſu interno. 56
18. V. In extaſi fiat abſtractio à motu appetitûs. 57
19. V. Contemplatio in extaſi, ſit actus humanus. 58
20. V. Quoad amorem ſit libera & meritoria. 60

LIBER III.

De Oratione Vocali.

CAPUT I.

1. V. Oratio Vocalis ſit actus honeſtus. 60
2. Quotuplex ſit. 61
3. V. De ratione ejus ſit intentio orandi. 62
4. V. De ratione & honeſtate d. Orationis ſit attentio. 63
5. V. Ad effectus ejus ſit neceſſaria attentio. 64
6. V. Oratio vocalis privata ſit præcepta. 65
7. De circumſtantiis ſervandis in d. Oratione. 66
8. Explicatio Orationis Dominicæ. 67
9. De aliis formulis uſitatis in Eccleſia. 70

LIBER IV.

De Horis Canonicis.

CAPUT I.

1. Quàm ſit honeſta & antiqua Oratio Chori. 72
2. V. Sit conveniens materia Officii Divini. 73
3. V. d. Officium convenienter diviſum ſit in Diurnum & Nocturnum. 74
4. De diviſione Nocturni officii. 75

5. De partitiône Diurni Officii. 75
6. Quis numerus Horarum reſultet. 76
7. V. Modus dicendi Horas pſallendo conveniat. 77
8. Dubia circa Eccleſiaſticum cantum 78
9. Ad quos pertineat Horas recitare in Choro. 79
10. Qui & quo loco ad id munus teneantur. 80
11. Quodnam Officium cantandum ſit. 83
12. V. Satisfiat canendo alternis vicibus. 84
13. De culpa quæ fit omittendo vel mutilando. 86
14. De attentione &c. ſervandâ in Choro. 88
15. De tempore pro ſingulis Horis præſcripto. 90
16. V. Clerici omnes teneantur ad Horas. 91
17. V. Religioſi Profeſſi teneantur. 92
18. V. Clerici Beneficium habentes 92
19. V. Beneficium obliget vi ſolius tituli. 93
20. V. Excuſetur non recipiens fructus. 94
21. V. Habens Beneficium tenue. 96
22. V. Habens reditus ab Eccleſia ſine Beneficio. 98
23. Quod Officium teneantur dicere. 100
24. V. Mutatio ordinis Horarum ſit grave peccatum. 101
25. V. Recitans privatim teneatur integrè recitare. 103
26. V. Attentio neceſſaria ſit ad implendum Præceptum. 105
27. De loco & tempore, quo recitandum. 107
28. Quæ cauſæ excuſent à recitando. 110
29. V. Beneficiatus non recitans per 6. primos menſes teneatur ad reſtitutionem. 113
30. Quid teneatur reſtituere non recitans poſtea. 114

TRACTATUS. V.

De Juramento & Adjuratione.

LIBER. I.

De Juramento Aſſertorio.

CAPUT. I.

1. Quid ſit Juramentum. 116
2. V. Sit actus licitus. 117
3. V. Requirantur Veritas, Juſtitia, Judicium. 118
4. V. Juramentum ſit actus elicitus Religionis. 119
5. V. Per ſolum Deum verum fieri poſſit. 120
6. V. Finis ejus ſit confirmatio veritatis. 121
7. De materia ejus, & diviſione in ſacram & humanam. 122
8. De Juramento Aſſertorio & Promiſſorio. 122
9. Qualis ſit diviſio in Aſſertorium & Promiſſorium. 123
10. V. Materia debeat eſſe contingens. 124
11. V. Ex parte formæ requirantur verba. 125

12. De diviſione Juramenti ex parte formæ. 125
13. De variis formulis jurandi. 126
14. De perſonis, quæ jurare poſſunt. 128
15. V. Homines in omni ſtatu jurare poſſint. 129

LIBER. II.

De Juramento Promiſſorio.

CAPUT I.

1. V. Addat obligationem etiam aſſertioni futuri. 130
2. Quæ ex genere ſit obligatio ejus. 131
3. V. Obligatio ejus major quàm voti ſit. 132
4. V. Ex d. Juramento obligatio acquiratur ſoli Deo. 133
5. V. Solum factum per Deum verum, obliget. 134
6. V Factum per creaturam ſine habitudine ad Deum obliget. 135
7. *V.* Ad obligandum requiratur deliberatus conſenſus. 136
8. *V.* Juramentum ſimulatum vel doloſum obliget. 138
9. V. Extortum per injuriam obliget. 139
10. V. Metu extortum obliget 141
11. V. Factum per dolum vel errorem valeat. 142
12. V. Juram. Promiſſorium actûs virtutis ſemper obliget. 144
13. Exponuntur varia Jura. 145
14. V. Obliget ad actum, qui ſine mortali fieri nequit. 146
15. V. Ad opus includens culpam venialem. 147
16. V. Factum de actu indifferente obliget. 147
17. Quomodo obliget factum de omiſſione operis. 148
18. V. Factum in materia prohibita per Legem Divinam Poſitivam obliget. 150
19. V. Factum contra prius votum, Juramentum &c. 151
20. V. Factum de actu prohibito Lege humanâ. 152
21. *V.* Juramentum contra ſolos bonos mores Civiles obliget. 154
22. V. Semper obliget. 154
23. Satisfit objectionibus. 155
24. *V.* Illicitè emiſſum obliget. 156
25. Quomodo differant confirmatorium & per ſe ſtans in contractu prohibito. 157
26. *V.* Confirmet pactum contra Leges reſpicientes bonum publicum vel privatum. 158
27. Pactum reprobatum in odium creditoris non confirmari. 159
28. *V.* Pacta irrita per Leges confirmentur. 160
29. Reſolutio Superioris quæſtionis 162
30. *V.* Præcedente Juramento non faciendi pactum prohibitum, hoc firmetur per Juramentum. 164
31. *V.* Obligatio Juramenti ſit merè perſonalis. 165
32. Quomodo interpretandum ſit quoad extenſionem obligationis. 167
33. De Obligatione Juramenti in dubio. 167
34. *V.* Omne Juramentum conditionem

nem includat, vel quomodo differat abſolutum & conditionatum. 168
35. Quando incipiat, & quamdiu duret obligatio. 169
36. *V.* Promiſſorium homini factum, in propria ſpecie implendum ſit. 171
37. *V.* In implendo liceat compenſatione uti. 172
38. *V.* Juramentum Promiſſorium irritari poſſit. 173
39. *V.* Obligatio ejus tollatur per condonationem creditoris. 174
40. *V.* Cadat diſpenſatio in factum ſoli Deo, 176
41. *V.* Homini factum relaxari à Superiore poſſit. 177

LIBER. III.

De Perjurio & aliis peccatis contra Juramentum.

CAPUT I.

1. *V.* Detur Præceptum obligans ad jurandum. 180
2. De Præcepto non pejerandi. 181
3. *V.* Perjurium aſſertorium excedat alia peccata. 181
4. Semper ſit mortale ex parte materiæ. 183
5. *V.* Aſſertorium incautum quoad veritatem ſemper habeat malitiam perjurii. 183
6. *V.* Conſuetudo jurandi incautè, conſtituat in ſtatu peccati. 184
7. *V.* Perjurium cum inadvertentia factum ſit mortale propter conſuetudinem. 185
8. Corollaria ex præcedente doctrina. 186
9. *V.* Aſſertorium cum amphibolgia ſit perjurium. 187
10. *V.* Liceat jurare cum amphibologia mente conceptâ. 187
11. Quale peccatum ſit uti amphibologiâ mentali. 186
12. *V.* Aſſertorium, cui deeſt judicium vel juſtitia, ſit mortale. 186
13. *V.* Liceat inducere ad jurandum, ſi alter juraturus eſt per falſos Deos. 187
14. *V.* Semper peccatum ſit, petere Juramentum à pejeraturo. 190
15. *V.* Violare Promiſſorium quoad veritatem ſit mortale ex genere ſuo. 192
16. V. Promiſſoriū ut tale violare, poſſit eſſe veniale ex levitate materiæ. 192
17. *V.* Violare Promiſſorium ſine veritate factum, ſemper ſit mortale. 194
18. *V.* Promiſſorium de materia incapaci ſit mortale. 195
19. Quale peccatum ſit Juramentum de peccato committendo. 195
20. De pœnis Perjurio impoſitis. 196

LIBER IV.

De *Adjuratione.*

CAPUT I.

1. *V.* Adjuratio ſit actus Religionis. 198
2. Quæ res poſſint religioſè adjurari. 199
3. *V.* Adjuratio fieri poſſit per creaturas. 200
4. Quibus modis peccetur circa Adjurationem &c. 201

TRACTATUS. VI.
De Voto.
LIBER I.
De Eſſentia & honeſtate Voti.
CAPUT I.

1. V. Votum convenienter DEO fieri poſſit. 203
2. V. Propoſitum abſolutum faciendi quid in honorem Dei ſufficiat ad votum. 204
3. V. Intentio obligandi ſe ſit de neceſſitate voti. 205
4. V. Propoſitum implendi ſit de ſubſtantia. 206
5. V. Voluntas vovendi debeat eſſe recta ut valeat. 207
6. V. Requiratur voluntas perfectè libera. 208
7. V. Libertas à coactione ſit neceſſaria. 208
8. V. Vota ex gravi metu facta ſint irrita Jure Eccleſiaſtico. 209
9. V. Voluntas vovendi debeat eſſe plenè deliberata. 210
10. V. Neceſſaria ſit formalis deliberatio voti in ſe. 211
11. V. Requiratur conſenſus ſine dolo, ignorantia &c. 212
12. Expediuntur dubia. 213
13. V. Requiratur promiſſio, quæ ſit actus intellectûs. 214
14. V. Promiſſio ſit etiam Traditio Deo facta. 215
15. V. Votum ſit actus elicitus à Religione. 217
16. V. Omne votum ſit actus Religionis. 218
17. V. Opus ex voto factum, ſit melius &c. 218
18. V. Votum per ſe expetendū ſit. 220
19. Quæ ſint diviſiones voti ex parte actûs. 221

LIBER II.
De Materia Voti.
CAPUT. I.

1. V. Materia voti debeat eſſe poſſibilis. 223
2. V. Pars poſſibilis in materia impoſſibili. 224
3. V. Fieri poſſit votum non peccandi. 226
4. V. Materia eſſe poſſit actus moraliter malus. 227
5. V. Actus honeſtus ſub conditione turpi. 228
6. V. Actus boni, qui de præcepto ſunt. 230
7. V. Actus virtutis impediens meliorem. 231
8. V. Omnis actus virtutis non reddens inhabilem ad opera Perfectionis. 232
9. V. Actus moraliter bonus, inducens inhabilitatem ſtatûs Perfectionis. 233
10. V. Objectum includens bonum & malum, ſit materia capax quoad partem. 234
11. V. Omiſſiones bonorum actuûm. 235

LIBER. III.

De Perſonis quæ vovere poſſunt.

CAPUT I.

1. V. Solus homo vovere poſſit. 237
2. V. Omnes homines viatores. 238
3. V. Eccleſia poſſit aliquos reddere inhabiles. 239
4. V. Vota ſimplicia aliquorum ſint nulla ob inhabilitatem Jure Eccleſiaſtico factam. 240
5. V. Perſonæ ſpecialiter aliis ſubjectæ ſint prohibitæ, ne vovere poſſint. 241
6. Quomodo in iis valere poſſit votum ex parte materiæ. 242
7. V. Vota realia valere in iis poſſint. 244

LIBER IV.

De Obligatione Voti.

CAPUT I.

1. V. Ex Voto oriatur obligatio in conſcientia. 245
2. V. Intercedat acceptatio Dei. 247
3. Quàm gravis ſit Obligatio Voti. 247
4. V. Ex intentione voventis poſſit non eſſe proportionata materiæ. 248
5 De obligatione voti in dubio an factum ſit. 249
6 De obligatione in dubio de valore. 252
7. Quomodo interpretandum ſit votum, quando materia non eſt certa & determinata. 253
8. Quomodo ſingulæ circumſtantiæ non expreſſæ determinandæ ſint. 255
9. V. Votum obliget ſolum voventem 257
10. V. Impleri poſſit vel debeat impleri per alium. 258
11. V. Obligatio voti tranſeat ad Hæredem. 260
12. Pro quo tempore votum obliget. 261
13. V. Non impletum obligare deſinat 263
14. V. Prævenire teneatur, qui præfixo tempore implere non poteſt. 264
15. V. Teneatur ad compenſationem non impleti. 265
16. V. Facta contra obligationem voti valeant. 266
17. Quando & quomodo obligent Vota conditionata. 269
18. V. Ceſſante causâ Voti, ceſſet obligatio. 271
19. V. Ex mutatione materiæ ceſſet. 272
20. Expediuntur dubitationes. 273

LIBER IV.

De Peccatis contra obligationem Voti?

CAPUT I.

1. Quando & quàm graviter peccetur vovendo indebitè. 274
2. Quale peccatum ſit vovere indignam Deo materiam. 275
3. V. Agere contra Votum, peccatum ſit, & cujus malitiæ 276
4. De gravitate peccati contra votum. 277

5. V. Tranſgreſſio Voti per plures actus leves, mortalis ſit. 279
7. Quibus modis peccari poſſit contra votum &c. &c. 280
7. V. pœnitere de voto facto ſit contra votum. 281

LIBER. VI.

De Irritatione, Diſpenſatione & Commutatione Voti.

CAPUT I.

1. V. Votum poſſit irritari. 282
2. V. Pontifex & alii poſſint irritare Vota ſubditorum. 283
3. V. Domini vota ſervorum. 284
4. V. Conjunx votum conjugis. 285
5. De Votis filiorumfam. puberum. 287
6. V. Parentes irritare poſſint vota impuberis. 288
7. V. Prælati directè irritare poſſint Vota Religioſorum. 291
8. V. Votum factum de licentia Prælati poſſit ab eo irritari. 293
9. V. Sit in Eccleſia poteſtas diſpenſandi in voto vel commutandi. 294
10. In quibus perſonis ſit d. poteſtas. 296
11. Qui ſint ſingulorum Prælati in ordine ad diſpenſandum &c. 298
12. V. Poteſtas diſpenſandi delegari poſſit &c. 299
13. V. Facultas diſpenſandi &c. reſtringatur ad vota emiſſa. 301
14. V. d. Delegatio comprehendat vota jurata. 301
15. V. Extendatur ad Vota facta in commodum tertii. 303
16. De facultate eligendi perſonam, quæ poſſit diſpenſare. 304
17. V. Neceſſaria ſit cauſa ad diſpenſationem. 306
18. V. Ad commutandum. 307
19. V. Ad commutandum in æquale vel minus requiratur authoritas Prælati, & cauſa. 308
20. Quam vim habeat Commutatio ad tollendam obligationem circa priorem materiam. 311
21. De Diſpenſatione in reſervatis Papæ. 313
22. De votis conditionatis, an reſervata ſint. 313
23. V. Vota pœnalia reſervata ſint. 316
24. De votis disjunctivis in materia reſervata. 317
25. De poteſtate delegata in reſervatis. 318
26. V. Epiſcopi poſſint commutare reſervata, 318
27. V. Valeat diſpenſatio ſine libera voluntate Prælati. 320

TOMUS TERTIUS.
De Religione.
TRACTATUS VII.
De Regularibus.
LIBER I.
De Statu perfectionis, variíſque ejus modis.
CAPUT I.
Quid ſit Status Chriſtianæ Religionis, & quas conditiones poſtulet?

1 PRimò. Status & Officium ſeu Miniſterium non ſunt idem. Officium (ſermo eſt de Eccleſiaſtico) per ſe ordinatur ad aliquas actiones communes & ordinarias ad utilius regimen Eccleſiæ neceſſarias, júſque ad illas exercendas confert, ùt officium Parochi &c. At Status per ſe ſatis ordinatur ad utilitatem ejus, qui in eo conſtituitur; nec propriè jus confert ad opera illi convenientia, ſed potiùs commoditatem, vel etiam addit obligationem. Præterea poſcit peculiarem ſtabilitatem, quæ per ſe non eſt de ratione officii.

Duæ ergo conditiones ſunt Statûs propriè dicti, ùt Perſonæ tribuitur. Una eſt, conditio aliqua conſumata quaſi in ſuo genere, ſeu oppoſita inchoationi rei quaſi in fieri exiſtentis: ſic enim dicitur ſtatus morbi, cauſæ, quæſtionis, ætatis &c. imò ſola perventio ad terminum motûs dicitur interdum ſtatus, ùt in ſole, ætate &c. quamvis non non addatur quies. Altera eſt, immobilitas quædam ſive libertatis ſive ſervitutis. Stat enim homo, non cùm omnia debitum & rectum ſitum habent (ùt habent etiam in ambulante) ſed cùm erectus quieſcit. 2

Sic in republica diverſi ſtatus ſunt, ùt nobilium, plebeiorum, conjugatorum, ſolutorum, majorum, minorum &c. in quibus vel libertas cernitur vel obligatio ſeu ſubjectio, eáque ſtabilis ſive jure naturæ, ſive poſitivo.

3 Alia exempla Statûs ſunt, ùt Hebr. 8. *Priore teſtamento habente ſtatum.* & Job. 14. propter mutabilitatem dicitur: *Nunquam in eodem ſtatu permanet.* Dicitur etiam ſtatus peccati propter neceſſitatem & debitum ejus, quia per nullam cauſam creatam tolli poteſt, ſempérque unum ad aliud pertrahit. Sic Status damnationis dicitur propter terminum & immobilitatem miſeriæ, ſicut Status beatitudinis propter oppoſitam felicitatem. Status denique Innocentiæ dicitur, quia de ſe perpetuus erat.

Secundò. Rectè dicitur Status vitæ Chriſtianæ. Nam quantùm ad Eccleſiam firmitas ſumma eſt, *Portæ inferi non prævalebunt.* In quolibet autem Chriſtiano eſt lex ſtabilitatis tum propter baptiſmum, tum ob fidem, quâ impetrantur vires ad perſeverandum. Aliunde in eodem ſtatu invenitur vera rectitudo, totáque perfectio ad ſalutem neceſſaria. 4

CAPUT II.

An Status vitæ Chriſtianæ rectè diſtinguatur in Statum perfectionis, & vitæ communis?

1 Primò. Stat dicta diviſio Statuûm Eccleſiæ, loquendo formaliter & propriè. Nam vel ſtatus Eccleſiæ attenditur in ordine ad regimen ejus ſpirituale, vel in ordine ad bonum ſingulorum? Priori modo pura officia ſunt, quamvis propter adjectam ſtabilitatem & obligationem dicantur Status. Poſteriori verò modo Status vitæ Chriſtianæ eſt ſtabilis & firma ratio vivendi ad ſalutem ordinata & ſtatuta. Aut ergo illa eſt communis & neceſſaria omnibus ad ſalutem; aut præter neceſſaria complectitur in ſe alia media, ſícque ſpecialior eſt, & perfectionis. c. *Duo ſunt* 12. q. 1.

Igitur in Statu communi & eſt ſtabilitas, & mediorum ſufficientia; quin tamen excludantur ſupererogatoria, ſed quia includitur negatio mediorum ſpecialium, & obligationis ad ſupererogatoria. Unde dictus ſtatus differt à ſtatu perfectionis, ut incluſum ab includente; quia vita Chriſtiana, omnibus neceſſaria, utique ùt fundamentum includitur in omni alio ſtatu ſalutari. Sícque ſtatus perfectionis ſe habet ad communem ùt perfectio ad perfectibile, determinatio ad determinabile. 2

Secundò. Status perfectionis propter id, quod ultra communem addit, 3

dit, non ſit oneroſior aut periculoſior. Nam quod addit, perfectio & bonum eſt: facilitas autem bene vivendi oritur ex conſuetudine bene operandi, quam Status perfectionis ex ſe affert; nec additio obligationis addit difficultatem vel periculum, quando quod additur, præſtat etiam auxilium ad totum onus faciliùs ferendum.

4 Tertiò. Diviſio in Statum conjugati, Clerici, Religioſi, Epiſcopi, & eſt diminuta & non formalis. Nam omittitur ſtatus ſoluti. Dein ſtatus conjugati, ſimpliciter loquendo, nihil addit ultra communem vitæ Chriſtianæ, imò negativè eſt imperfectus propter impedimentum, quod ponit Statui perfectionis. Tamen quia Officium ejus eſt quaſi fundamentum neceſſarium ad perpetuitatem Eccleſiæ, ſpecialiter ei proviſum eſt per Sacramentum, propter peculiarem neceſſitatem, quam habet, Divini auxilii.

CAPUT III.

Quæ ſit perfectio Chriſtiana, ad quam ordinatur Status perfectionis?

1 Primò. Eſſentialiter ſeu ſubſtantialiter ſoli charitati tribuitur perfectio. Nam charitas unit DEO, ſanctificat, & purificat cor: ſicut autem beatitudo eſſentialis ſolùm dicitur, quæ Deo nos conjungit, cæteris ad accidentalem beatitudinem pertinentibus; ita hîc. Rurſum ſicut in beatitudine diſtinguitur ſubſtantia omni beato communis à Statibus variis perfectionis: ita in charitate aliud eſt commune vitæ Chriſtianæ, aliud perfectio, quæ eſt ſcopus Statûs perfectionis.

2 Dices. Fidem, Spem, & Gratiam ſanctificantem ad dictum ſtatum maximè pertinere. Reſp. Formaliter attendi principium operandi; at dicta Gratia eſt paſſiva Deificatio; ſicque de integritate quidem eſt perfectionis ſubſtantialis, non de eſſentia. Idémque dicendum eſt de fide & ſpe magis quàm de inferioribus virtutibus. Tamen ſine charitate nihil ſunt etiam in operando; nec ſunt per ſe neceſſariæ ad perfectionem, ſed propter imperfectionem ſtatûs viæ: & ideo non tam propter ſe quàm charitatem, quæ operatur omnia in omnibus, neceſſariæ ſunt, conſequenter materialiter ad perfectionem, non ùt forma conſtitutiva.

3 Secundò. Perfectio conſiſtit principaliter in charitate ſícque principaliter ad hanc ordinatur ſtatus perfectionis. Convincitur ex Coloſſ. 3. & 1. Cor. 2. & 13. Et Aug. ſer. 5. de Verbo Dom. *Quid perfectius, quid utilius, quid firmius, quid ſecurius charitate?* quæ ſunt quatuor conditiones maximè neceſſariæ ad ſtatum perfectionis. At omnia, quæ in dicto ſta-

 tu

tu ùt tali reperiuntur & requiruntur, ad perfectionem Charitatis ordinantur: *Propter quod autem unumquodque tale & illud magìs*: & in unaquaque re id eſt principalius, quod ad ejus eſſentiam ſpectat.

4 Tertiò. Perfectio in ratione finis & principalis moventis conſiſtit in unica Charitate; at formaliter & in ratione cauſæ proximæ elicientis ſeu miniſtrantis, etiam cæteras virtutes includit. Nam hæ ſe habent & ùt diſpoſitiones antecedentes ad munditiem cordis, & ùt inſtrumenta charitatis, ſeu propriùs facultates ejus proximæ per ſe neceſſariæ, & propter honeſtatem ſuorum actuûm: quia qui diligit, ſervat mandata; ſicque opus non à ſola charitate, ſed & aliis virtutibus perficitur. Igitur comparatæ ad illam habent ſe ùt bonum ſecundùm quid ad bonum ſimpliciter, quia hac ſolâ homo eſſentialiter perfectus eſt, quamvis ſine illis imperfectus quoad accidentale: bonum autem ex integra cauſa, & perfectum, cui nihil deeſt; & ideo omnes virtutes poſtulantur ad reddendum ſimpliciter perfectum.

5 At *finis præcepti charitas ex puro corde.* 1. Tim. 1. quia omnia huc ordinantur, ut DEUS diligatur; Charitas autem in eum tendit, ùt ultimum finem: ergo & cætera opera in eum refert; ſicque ipſe eſt finis perfectionis totius, utique objectivus, quia formalis, ſeu conſecutio ultimi finis, eſt unio ad ipſum: ergo charitas, quæ ùt Dei, ita ſui ipſius eſt dilectio, imitando quaſi ipſum Deum, omnia propter ſe operantem. Ideo enim eſt primum movens, imperando virtutibus omnibus (*patiens eſt, benigna eſt &c. &c.*) propter ſui conſervationē, augmentum, puritatem, fervorem. Unde etiam eſt unica forma conſtituens cæteras virtutes in ſtatu perfectionis, non ſolùm quia complet in ordine ad ultimum finem, ſed quia eis dat ſtabilitatem, efficacitatem ad reſiſtendum contrariis, facilitatem & jucunditatem in operando quod maximè neceſſarium eſt ad ſtatum virtutis & perfectionis. Húncque effectum formalem indicat particula *de Corde puro*; nam Charitas faciens Cor adhærere Deo, conſequenter expellit omnem pravam concupiſcentiam. Chryſ. hom. 32. in 1. Cor. *Si charitas regnaret, omnia mala procul abeſſent, & ad nomen uſque ignoratum eſſet vitium.*

CAPUT IV.

Qualis perfectio Charitatis per Statum perfectionis intendatur?

1 Primò. Perfectio hæc non conſiſtit in actu. Nam alia hujus, alia futuræ vitæ beatitudo eſt: non conſulitur autem res impoſſibilis: ergo ſicut

ſicut non poſcitur ſumma intenſio Charitatis, ita nec continuatio actuûm ejus. Et ſcopus eſt, ad quem tendi & perveniri poteſt: ergo ſolùm poſcitur perfecta diſpoſitio ad perfectè operandum; & ideo ſemper poteſt quis eſſe perfectus, licèt non ſemper eſſe beatus, ſeu per continuam adhæſionem cum DEO: & B. V. à principio habuit perfectionem infuſam cum actu quidem, non verò ex actu.

2 Licèt ergo charitas & antecedenter & conſequenter conſiſtere dicatur in operatione, quatenus nec acquiritur, nec conſervatur ſine hujus frequentiâ habilitas proxima & promptitudo ad bene operandum; ſicque actus proximè conſulantur: tamen quia in dicta habilitate formaliter conſiſtit perfectio, non tenditur ad unum aliquem actum, ut ad ſcopum, ſed ad acquirendas virtutes, frœnandos affectus, & tollenda omnia impedimenta dictæ diſpoſitionis ſtabilis, in qua homo velut connaturaliter quibusdam temporibus Deum amet, & aliis alia opera virtutis exerceat, ſempérque quantùm fragilitas ſinit, vitet etiam minima peccata.

3 Secundò. Non poſtulatur certa intenſio charitatis. Nam aliàs unicus actus heroicus ſufficeret ad perfectionem; hæcque eſſet forma extrinſecè denominans ab actu præterito. Dein conſtat, poſſe charitatem eſſe intenſiorem in imperfecto quàm in perfecto, ùt ſi in illo creſcit propter frequentiorem uſum Sacramentorum, & diuturniorem operum communium, ùt eleemoſynæ, jejunii &c. ſtante tamen frequenti otioſitate, impatientiâ, vitâ delicioſâ &c. cùm tamen alius propter moderationem paſſionum, vitationem lapſuûm venialium &c. intra breve tempus evadat perfectus, ſeu cum proxima habilitate ad conſtanter operandum juxta præcepta & conſilia. Similiter fit, ut retentâ intenſione charitatis, decidat quis à ſtatu perfectionis citra lapſum gravem, frequentando venialia, indulgendo paſſioni &c.

Tertiò. Perfectio poſcit perfectionem charitatis extenſivam ex parte proximi, & ex parte objecti voliti. Nam una & eadem charitas eſt, quâ & DEUS diligitur, & proximus propter Deum. Rom. 12. & 1. Joan. 3. & ideo vita & activa (quæ circa proximum eſt) & contemplativa neceſſaria cenſetur ad perfectionem. Rurſus charitas non debet eſſe merè affectiva, ſed etiam obedientialis, volendo nempe implere voluntatem Dei in omnibus, quacunque ratione quid conſtiterit eſſe magìs ei placitum; ſicque quæ maximè intenditur, extinctio inordinatæ concupiſcentiæ eò citiùs obtinetur, quò magis quis creverit in dicto affectu, & liberalis erga Deum fuerit. 4

Quartò. Perfectio charitatis poſcit conſortium aliarum virtutum. Duobus enim modis hæ attendi poſſunt; 5

 ſunt;

ſunt: uno, ut formaliter afficiunt habentem. Altero, ut charitati objiciuntur, & per eam procurantur. Priori modo hæc quaſi extrinſecè & moraliter perficitur, quatenus ex parte ſubjecti hæc conſtituitur in ſtatu habili ad perfectum uſum ſuæ perfectionis. Poſteriore autem modo perficitur intrinſecè; éſtque perfectio moraliter neceſſaria; quia ſicut vitia rectè ſuperantur, cùm ex charitate vincuntur, ita abnegatio temporalium commodorum tunc ſolida eſt, cùm ex charitate amatur & procuratur, quæ eſt perfectio charitatis intrinſeca.

CAPUT V.

Quid ſit Status perfectionis, & quas conditiones requirat?

1 Primò. Aliud eſt perfectio, aliud Status perfectionis. Nam omnes Religioſi ſunt in dicto ſtatu, quin ſint perfecti, vel etiam in ſtatu Gratiæ; & rurſus conjugati poſſunt eſſe perfecti extra ſtatum perfectionis. Poſſunt enim Conſilia exerceri ſine obligatione ad illa; nec ad perfectionem requiritur obſervantia omnium Conſiliorum, ùt patet ex dictis de quidditate perfectionis. Status autem hujus juxta S. Thom. *Eſt Profeſſio vitæ, ſeu modus vivendi firmus & ſtabilis ad propriam perfectionem vitæ Chriſtianæ obtinendam vel exercendam inſtitutus.*

2 Ad rationem ergo genericam dicti ſtatûs pertinet, ut ſit modus externus & viſibilis; quia non agitur de ſtatu præcisè in ordine ad Deum, aut Angelico, ſed de humano & in ordine ad Eccleſiam, cujus pulchritudo exſurgit ex varietate ſtatuûm juxta illud: *Circumdata varietate* 2. Debet dictus modus vivendi ordinari ad propriam perfectionem profitentis illum, ut ſic diſtinguatur à mero Officio Eccleſiaſtico juxta dicta ſuprà. 3. Conjuncta eſſe debet obligatio permanendi; nam ex natura rei ſtatus talis non eſt, nec conſtituitur ſolo propoſito: ergo obligatione, ùt ſervitus humana.

Secundò. De ratione ſpecifica dicti ſtatûs eſt, ut inſtitutus ſit ad opera perfectionis. Nam quilibet ſtatus ordinatus ad ſalutem, referri debet ad actus honeſtos, per quos illa comparetur, ùt etiam communis ſtatus ad eos obligat Chriſtianum: ergo eâdem proportione ſtatus perfectionis ordinatur non quidem ad communia, ſed perfectionis opera, ſub his comprehendendo, etiam quæ indifferentia ex objecto, ex fine tamen utiliſſima ſunt, ut privatio voluntaria eorum, quæ perfectionem impediunt. 3

Tertiò. Conditio dicti ſtatûs eſt, 4
ut ordinetur ad actus externos. Nam perfectio proportionatur ſtatui: ergo ùt hic, ita & illa debet eſſe viſibilis,

lis, cùm per actiones merè internas non diſtinguantur Status Eccleſiæ. Licèt ergo perfectio eſſentialiter conſiſtat in interno habitu, tamen ſine actibus externis moraliter & humano modo acquiri non poteſt.

5 Dices. Ergo ad actus externos tantùm poſſet ſtatus ordinari, non ad internos, niſi ut ad externos requiruntur. 2. Dilectio & contemplatio non ſunt materia præcepti humani. Ad 1mum ℞. Statum maximè ordinari ad actus internos, ad quos homo diſponitur per externos. Idem autem actus eſſe poteſt & finis quaſi intrinſecus & proximus (partialis vel etiam principalis) & ſimul medium ad alia bona talis ſtatûs, ut per dilectionem & contemplationem maximè exercetur & conſervatur Perfectio.

6 Ad 2dum ℞. ſufficere, quòd Regula & Conſilium de internis rectè dari poſſit, ſicque ad eos ordinari Status; eſto iidem materia Voti eſſe poſſint. Dein licèt propriè in ſe non præcipiantur, ſufficit circumſtantias externas & moraliter neceſſarias cadere ſub providentiam humanam; prohiberi enim poteſt actio impediens, & præcipi talis ſitus corporis &c.

CAPUT VI.

Utrum in Lege Evangelica diſtinguantur Conſilia à Præceptis?

1 Hæreſis uti Statum Religioſum, ita dictam diviſionem averſatur, vel æquè bonum cenſendo Conjugium & Caſtitatem, vel pro adiaphoro habendo abſtinentiam à carne &c. vel quidquid boni eſt, habendo pro præcepto ex Phil. 4 *Quæcunque ſunt vera* &c. Matth. 5. *Eſtote ergo perfecti* &c, item ob præceptum diligendi ex toto corde, & denique quia reſpectu Dei non poſſunt eſſe opera ſupererogationis. Luc. 17. Nec enim voluntas DEI (quæ utique eſt in Conſilio) refutari poteſt ſine injuria.

2 Contraria Veritas tam expreſſa exſtat in Scriptura, támque recepta eſt ab univerſa Eccleſia, ut ſine manifeſta hæreſi negari nequeat. Nam Matth. 19. proponitur Conſilium, *Non omnes capiunt* &c. patétque ex 1. Cor. 9. Idem eſt de abrenunciatione bonorum *Vade & vende omnia* &c. pro qua promittitur non vita præciſè, ſed *Theſaurus*. Idem eſt de prædicatione ſine gravamine cujusquam quoad ſumptus. 1. Cor. 9. Igitur *vovere* Conſilii eſt, at neceſſitatis *reddere*. c. *Magnæ*. de Vot. ex Act. 5. *Nonne manens tibi manebat?* & ita cōmuniter diſtinguunt Patres. Ad Luc. 17. dicitur, non negari mercedem Servi explentis juſſa, ſed præmium, quod datur ultra debitum operanti ex peculiari Domini benevolentia.

CAPUT

CAPUT VII.

Ratione probatur veritas Catholica.

1 Primò. Non omnia bona ſunt præcepta. Bona inquam; nam nec mala, nec indifferentia ùt talia cadunt ſive ſub præceptum prudens, ſive ſub Conſilium, præſertim Divinum. Aliud ergo eſt de præcepto negativo, aliud de affirmativo: nam illud pro ſemper obligare poteſt, quia ſemper poteſt omitti malum. At affirmativum non obligat pro ſemper, ut per ſe conſtat, & ex inductione: nec enim ſemper teneor dare eleemoſynam &c. & aliàs unum alteri præcepto repugnaret. Sícque quodlibet pro ſuo tempore tantùm obligat, & pro aliquo nullum; quia aliquo actiones bonæ nec ad DEI, nec ad proximi amorem neceſſariæ ſunt.

2 Confirmatur. Quia dicta obligatio vel eſſet ex Lege naturæ, vel veteri, vel novâ Divinâ? non primum, ut ratio demonſtrat, quam ſi Hæreticus ignorare ſe fingit, relinquendus eſt, ùt obcæcatus. Licèt enim præcepti negativi ſit, nunquam operari malum, & non operandi, niſi bene: inde non ſequitur obligatio operandi quodlibet bonum, nec etiam abſoluta, ſed conditionata ad bonum aliquod, sícque impletur per opus non præceptum. Non 2dum, ut conſtat in Feſtis, Sacrificiis &c. voluntariè ſuperadditis. Non 3tium, cùm pauciſſima præcepta habeat Lex nova.

Secundò. Nec poſſibilis eſt lex obligans ad omne bonum. Non enim Lex Civilis, nec Eccleſiaſtica, nec etiam Divina, loquendo ſecundùm ordinariam providentiam. De Civili conſtat; quia non poteſt nimis onerare ſubditos. Idem eſt de Eccleſiaſtica, præſertim cùm hæretici eam totam negent. Licèt autem DEUS pro ſuo dominio abſoluto poſſet omnia bona præcipere, (non utique collectivè propter claram repugnantiam) ſed diſtributivè, determinando ſingula tempora, modos, circumſtantias: tamen nimis violentum id fuiſſet, & pernicioſum hominibus; sícque contra suavem Providentiam. 3

Tertiò. Inter non præcepta opera (continendo ſub opere privationem moraliter bonam, ùt abſtinentiam à vino &c.) aliis alia meliora ſunt, sícque Conſilii. Nam rectum Conſilium, quale Divinum eſt, inter duo bona datur de meliori, quod conſequenter ſit melius ipſum, quàm non ipſum, ſeu opus oppoſitum & ſibi incompoſſibile. Duobus autem modis ſumitur Conſilium: latè quidem pro recta ſuaſione qualibet, ut unus alteri homini conſulere dicitur, & Deus continuis inſpi- 4

inſpirationibus, quæ fieri oportet, inculcat. Strictè autem ſumitur vox, ut contradiſtincta à re præcepta, ſeu excluſivè, quod conſulitur tantùm, & non præcipitur. Ut ergo evidens eſt, non omnia bona præcipi, & alia aliis meliora eſſe, ita manifeſtum eſt, dari opera Conſilii tantùm, quin præcepta ſint.

5 Alii ad rationem Conſilii præter dicta poſtulant, ut ſit melius etiam opere præcepti in eadem materia, eò quòd ſingularem arduitatem poſcat. Sed hæc vel accidentaria ſunt, vel in dictis jam continentur. Vel enim opus Conſilii comparatur ad præceptum, ùt includens ad incluſum, ſicut virginitas includit abſtinentiam à per ſe illicitis; vel citra incluſionem unius ad aliud; vel ut unum alteri repugnet, ut cùm quis obligatur ad nuptias? Si primum, utique totum eſt melius parte. Si 3tium, eo ipſo Conſilium cedit præcepto reſpectu perſonæ ſic obligatæ; quod per accidens eſt; nam comparatio inter opus Conſilii & oppoſitum fit reſpectu ejusdem perſonæ, an verò virginitas alterius ſit melior, ex circumſtantiis pendet. Si ſecundum, comparatio incerta eſt; ut cùm filius ſimul & Patri egenti ſuccurrere poteſt (quod præcepti eſt) & paupertatem ſervare, difficultas fortè par eſt, nec ſola auget bonitatem, niſi cætera paria ſint.

CAPUT VIII.

Occaſione objectionis declaratur materia & varietas Conſiliorum.

1 Difficultas ex dictis eſt; quia ſequitur dari Conſilia in omni materia virtutum: ergo non tantùm tria, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ. 2. Quodlibet opus bonum erit Conſilii; quia præſtat boni quid facere, quàm otioſum eſſe. Sed diſtinguendum eſt inter Conſilia communia omni ſtatui, & antonomaſticè dicta, ſeu propria Statûs Religioſi, itêmque inter Conſilium generale & particulare: generale, inquam, utique in cauſando; nam etiam circa particularia verſantur, ùt cæteræ actiones.

2 Primò. Triplex tantùm eſt Conſilium generale, ſcilicet de Paupertate, Caſtitate, & Obedientia. Non enim datur ſolùm propter propriam honeſtatem, ſed propter utilitatem ad cæteras virtutes, præſertim ad perfectionem charitatis, juxta illud: *Si vis perfectus eſſe* &c. quia ſimpliciter tollunt impedimenta perfectionis, & homines ſimpliciter ac omnino dicant Deo: & ideo per antonomaſiam dicuntur Conſilia Evangelica, quia primùm tradita à Chriſto, ſúntque eſſentialia ſeu ſubſtantialia ſtatui Religioſo, cùm alia quaſi accidentalia ſint, quamvis ad plenitudinem perfectionis multa neceſſaria ſint.

3 Secundò. Conſilium particulare in omni materia multiplex eſt, ùt 1mò in materia præcepta, non enim præcipitur omnis modus, frequentia, quantitas &c. ſed relinquitur libertas circa circumſtantias. 2dò, ubi nec quoad ſubſtantiam præceptum eſt, ut in liberalitate, eutrapelia &c. 3tiò, in cavendo occaſionem mali, vel minoris boni. Quæ tamen potiùs ſunt Conſilia ſecundùm quid, quia ordinariè verſantur in materiis præceptorum, & ſolùm quoad circumſtantias; nec ſimpliciter conſuluntur, ùt paupertas &c. ſed per comparationem ad actus minùs bonos. Sic ex ſuppoſitione, quòd aliàs otioſus eſſes, vel quòd aliud melius aut æquale faciendum non ſit, conſulitur ſtudium v. g. non verò abſolutè, niſi gravior virtus, ùt charitas, obedientia &c. urgeat.

CAPUT IX.

Satisfit fundamentis Hæreticorum.

1 Primò. Locus Phil. 4. & Matth. 5. ùt ab Hæreticis objici diximus ſuprà c. 6. nihil urgent. Nam imprimis conſtat, Paulum non præcipere omnia bona collectivè ſumpta, ſicque ad ſummum textus præcepti eſſe poteſt quoad modum, ut ſcilicet omnia, quæ fiunt, verè & absque fuco fiant. Dein ſicut Scriptura nova utramque materiam præcepti & Conſilii docet & complectitur, ita ſermo Pauli indifferenter ad utramque exhortatorius eſt, ùt patet ex verbis ſubjectis: *Quæ didiciſtis, & vidiſtis in me, hoc facite.* Idémque eſt de verbis Chriſti: *Eſtote perfecti* &c.

2 Secundò. Præceptum charitatis eſt affirmativum & particulare formaliter, ſeu de particulari materia & actu, quamvis virtute ſit negativum & univerſale. Nam præcipitur dilectio, & modus ejus eſſentialis, qui eſt *ſuper omnia*; nec aliud eſt, quàm ut diligatur tanquam ultimus finis noſter, præferendo eum omnibus, & omnia ad ipſum referendo aliquo modo. Nec enim præcipitur ſumma intenſio, aut perpetuitas ejusdem actûs, nec excluſio alterius amoris, ùt proximi, nec aliorum actuûm virtuoſorum, niſi remotè & virtute, quatenus & quando neceſſarii ſunt ad conſervandum Divinum amorem; ſicut omne mortale virtute prohibetur per dictum præceptum. Virtualis enim incluſio ſupponit, non facit neceſſitatem aliorum actuûm: ergo & præceptorum eorum in proprio genere: ergo charitas non poteſt includere omnia omnino opera, nec ùt facienda pro ſemper.

Confirmatur. Quia textus præcepti declaratur 1. Joan. 5. *Hæc eſt charitas, ſi mandata ejus cuſtodiamus*, juxta illud Chriſti: *Si diligitis me, mandata* 3

data mea ſervate. Et: *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.* Nec per particulas *toto corde*, *tota mente* additur novum quid, ſed idem magis explicatur, quòd ſcilicet omnia poſtponi debeant Divino amori, ſaltem in præparatione animi, quódque nulli difficultati & arduitati cedendum ſit, ſed omnia ſuperanda, & ferenda. Sic in ſimili explicatur magnitudo operis & diligentiæ. Gen. 31. *Scitis, quòd totis viribus ſervi verim Patri veſtro.* Et 2. Reg. 15. *Toto corde ſequitur Abſalom* &c. ubi nemo intelligit ſummum conatum.

4 Tertiò. Etiam in ipſa charitate locum habet opus Conſilii. Nec enim præcipitur quælibet intenſio, nec frequentia, nec ut quæ fiunt, ſemper fiant cum actuali relatione ad Deum, ſed ſufficit ineſſe bono operi relationem aptitudinalem, quæ ipſi intrinſeca eſt & eſſentialis: ergo Conſilii eſt, ex imperio charitatis actum alterius virtutis elicere, aut actum charitatis frequentiſſimè, intensè &c. Idémque eſt de charitate erga proximum; non enim præcipitur omnis totalitas, ſed quæ conſiſtit in perfecta tendentia ad Deum, ùt ultimum finem; quia alia totalitas in Patria eſt, alia in via, ubi attenditur ratio medii, atque adeò menſuræ certæ, ultra quam aliquid de Conſilio ſit.

5 Quartò. Nolle exequi Conſilium, per ſe loquendo, malum non eſt: Nam Conſilium immediatè indicat actum intellectûs Divini: aliud ergo eſt, non habere pro utiliore, quod DEUS conſulit; aliud, nolle exequi propter aliàs rationes. Prius utique injuria eſt, & gravis; ſecùs poſterius; aliàs non diceretur: *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit*, ſicut dici nequit: *Qui mentitur, bene facit.* Supponitur autem minus bonum fieri debito modo, & ex fine bono, ut ob procreationem liberorum &c. quia nolle virginitatem, ex ſolo objecto bonum non eſt, ſed ſpectandus eſt finis volendi, ùt dicendum eſt de voluntate, quâ quis transgreditur regulam.

6 Confirmatur: Quia alia Dei voluntas eſt efficax, alia ſimplex, quæ explicatur per *Vellem.* Prior, ſi ſermo eſt de opere Conſilii, ſolùm eſſe poteſt circa executionem ejus, non circa obligationem. Nam Deus abſolutè me voluit Religioſum, non tamen obligavit: ad opus autem præceptum Deus abſolutè & efficaciter obligat, licèt quoad executionem voluntas Dei tantùm ſimplex ſit. Similiter diſtinguendum eſt in debito gratitudinis erga Deum; nam aliud eſt ex congruente gratitudine, aliud ex neceſſitate præcepti. Prius non obligat ad Caſtitatem; poſterius verò obligat, ut quidquid accipimus, humiliter fateamur, agendo grates certis temporibus, & ne ulla re offendamus Deum, & denique ut quidquid agimus, ad eum referamus aliquo modo.

CAPUT X.

Statum Perfectionis non præceptorum tantùm, ſed etiam Conſiliorum obſervantiam includere.

1 Primò. Perfectio Chriſtiana ſine obſervatione Conſiliorum præter præcepta non acquiritur. Eſt certa, & communis; nam dicta perfectio præter neceſſaria poſtulat aliquid ultrà, ùt Matth. 19. primò proponitur, quod neceſſitatis eſt: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Dein ſubditur, quod Conſilii eſt: *Si vis perfectus eſſe, vade* &c. Sic ſervo, non niſi præcepta facienti, nihil ſpeciale debetur. Luc. 17. *Nunquid gratiam habet ſervo illi, quia facit, quæ ei imperavit?* Quanquam etiam, qui plus facit, *ſervus inutilis fit*: nam tota utilitas in ipſum, non in Deum redundat; & quod facit, non ſuis, ſed gratiæ viribus facit.

2 Secundò. Ad ſtatum perfectionis neceſſarium eſt, ut requirat obſervantiam Conſiliorum ultra præcepta. Nam media proportionari debent fini: at in dicto ſtatu intenditur aliquid virtutis ultra id, quod per ſe neceſſarium eſt: ſola autem obſervantia præceptorum, communis eſt omni ſtatui vitæ Chriſtianæ, etiam communi: ergo per ſola neceſſaria non diſtinguitur dictus ſtatus à cæteris.

3 Tertiò. In unoquoque ſtatu perfectionis requiritur obſervantia Conſiliorum, quæ ejus fini congruunt. Nam nec omnia Conſilia ſimul impleri poſſunt, nec omnia conſonant cuique ſtatui, ſed alia diviti, alia pauperi conſuluntur; ſicque ſolus Paulus ſine ſtipendio prædicavit, victum de ſuo ſibi miniſtrans.

CAPUT XI.

An Chriſtiana perfectio vel ejus Status principaliùs conſiſtat in obſervantia Præceptorum?

1 Primò. Perfectio ipſa principaliùs poſtulat obſervantiam Præceptorum, quàm Conſiliorum. Nam in unaquaque re principalior eſt perfectio eſſentialis, quàm accidentalis. Nec obſtat hanc requiri ad efficiendum perfectum ſimpliciter, quia hoc non eſt comparare unam perfectionem ad alteram, ſed ſe habet ùt includens ad incluſum.

2 Secundò. Status perfectionis non tantùm ad præceptorum vel Conſiliorum obſervantiam ordinatur, ſed ad utramque ſimul; principaliùs

paliùs tamen ad priorem. Conſtat prior pars; quia dictus ſtatus addit aliquid ultra communem ſtatum. Ratio poſterioris eſt, quia ordinata intentio fertur principaliùs in id, quod maximè neceſſarium eſt: majoris autem momenti eſt perſeverantia in gratia, quàm hujus augmentum merè temporale; imò pluris eſt obſervantia etiam levium præceptorum, quàm Conſiliorum: & ideo omnis ſtatus perfectionis complectitur omnia præcepta, non tamen Conſilia. Denique prior obſervantia in ſtatu naturæ lapſæ maximè intenditur, ideo deligendo ſtatum vivendi, in quo & minores & pauciores ſint occaſiones amittendi gratiam.

3 Tertiò. Status perfectionis in ſuo eſſe, per ſe & regulariter loquendo, per opera Conſiliorum conſtituitur; & ita ejus eſſentia potius in Conſiliis, quàm præceptis poſita eſt. Nam ſtat obſervari præcepta, & non eſſe in dicto ſtatu: & è converſo eſſe in eo, & non obſervari præcepta. Licèt enim vota Paupertatis &c. ſint inſtrumenta ad perfectionem, tamen in ordine ad ſtatum conſtituendum habent ſe, ùt forma conſtituens moralem effectum, vel ùt formale principium inducens moralem obligationem, ſicut in matrimonio conſenſus non ſe habet ùt inſtrumentum, ſed ùt forma conſtituens talem ſtatum.

Duplicis autem generis ſunt Conſilia, loquendo univerſim; nam alia ſunt de charitate, alia de actibus aliorum virtutum. De poſterioribus procedit, quod dici ſolet à Doctoribus, Conſilia inſtrumentaliter ſervire ad perfectionem; nam Conſilia de actibus charitatis non tantùm inſtrumentaliter, ſed per ſe conferunt ad excellentiam perfectionis, cùm hæc formaliter conſiſtat in charitate, juxta dicta ſuprà, ſícque executio eorum Conſiliorum per ſe augeat charitatem, magnáque ejus portio conſiſtat formaliter in frequentia & aſſuetudine dictorum actuûm. 4

CAPUT XII.

An Status perfectionis neceſſariò conſtituendus ſit per Votum &c.

1 Primò. Status hic non poteſt ab intrinſeco fieri, nec obligatio ejus induci ſine proprio conſenſu aſſumentis ſtatum. Nam res eſt Conſilii, non præcepti: nemo autem obligari poteſt ad Conſilium ſine ſuo conſenſu, ut inductione patet in ſtatu Chriſtianitatis, Religionis, Epiſcopatûs, imò etiam matrimonii. Et licèt aliquando præceptum interveniat circa aſſumptionem ſtatûs, tamen non præcipitur, ùt Conſilium eſt, & ad melius eſſe operantis, ſed ad ſatisfaciendum Juſtitiæ, vel ut neceſſarium eſt vel conveniens bono communi, & nihilominus opus eſt dicto conſenſu. Servitus autem, quia pœna

 eſt,

eſt, invito bene imponitur: & adhuc controverſia eſt, an ſervus in conſcientia teneatur non fugere.

2 Secundò. Actus, quo ſtatus perfectionis conſtituitur, ordinariè fit emittendo votum; ſæpius tamen adjungitur donatio vel traditio, vel contractus: & aliquando ſine voto conſtituitur per alium modum contrahendi obligationem. Nam ſtatus Religionis juxta modum ordinarium conſtituitur per vota & traditionem; & in aliis ſtatibus perfectionis reperitur votum aut Caſtitatis, aut alterius Divini obſequii. Quia enim ſtatus talis eſt ad obſequium Dei, & ſpirituale profectum profitentis, utique aptiſſimè ſic, ùt dictum eſt, conſtituitur.

3 Poteſt tamen quis obligare ſe non ſolùm promittendo, ſed etiam aliis modis, ùt donando, acceptando munus, cui obligatio annexa ſit, vel obligando ſe uni ad dandum alteri, cui tamen promiſſio non fit. Non refert autem, an obligatio hoc vel illo modo contrahatur, quia ſolùm poſtulatur propter immobilitatem intrinſecam rationi ſtatûs. Sic obligatio Epiſcopi naſcitur ex aſſumptione muneris, cui illa ex inſtitutione Eccleſiæ annexa eſt: & poteſt quis ſe offerre hoſpitali in perpetuum Miniſtrum ſine proprio voto; pendet enim à libertate. Nec propterea ſufficit votum merè internum ad conſtituendum ſtatum perfectionis; quia ſermo de hoc eſt, ùt eſt cognoſcibilis apud Eccleſiam, ſicque ſufficit votum externum, licèt per accidens occultum ſit. Si enim innoteſcit, cogi quis poteſt ad ſtandum in ſtatu, non quaſi tunc cœperit, ſed quia jam antè valuit, ut olim matrimonium clandeſtinum.

Tertiò. Obligatio conſtitutiva dicti ſtatûs eſſe debet & ad perpetuitatem in tali modo vivendi, & ad exercendum aliquid perfectionis conſonæ ſtatui. Nam ſi deeſt dicta ſtabilitas, famulitium eſt, non ſervitus. Rurſus omnis ſtatus, præſertim ſervitutis, obligat ad aliquam actionem, ut in matrimonio, ſervitute humana, & ſimilibus videre eſt. At ſtatus perfectionis obligat ad opera perfectionis, ſive immediatè, ut in principio vovendo abſtinentiam à carnibus &c. ſive mediatè per votũ obediendi Prælato; & tunc variatur obligatio juxta modum præcepti, mandati ſeu regulæ. 4

Dices, pias aliquas congregationes eſſe ſine obligatione permanendi; Epiſcopatus etiam facilè relinqui; imò Religioſos expelli &c. R. Ad ſtatum utique requiri im̃obilitatem moralem; aliàs non aſſumitur ſtatus, ſed fit quaſi probatio vel deliberatio, an is conveniat: & ideo dictæ Congregationes in Jure non comprehenduntur ſub nomine Religionum, ſed ſolùm communem ſtatum ſuperant in actu, non in vero ſtatu vivendi, ùt in conjugatis, qui ſe continent. Nec Epiſcopi mutare ſtatum poſſunt per ſe ipſos, nec ſine cauſa gravi; minúſque Religioſi, ſed mutatio fit per cauſam extrinſecam. 5

CAPUT

CAPUT XIII.

An Status perfectionis rectè dividatur in ſtatum Incipientium, Proficientium & Perfectorum.

1 Primò. Sumitur dicta diviſio ex modo operandi magìs vel minùs perfecto. Non enim ſumitur ex intenſione majore vel minore, quia ſic nihil certi aſſignari poteſt: faciúntque dicta cap. 4. de Charitate. Dein ſermo eſſe debet de Charitate, ùt extenditur eſſentialiter tum ad omnia ex præcepto neceſſaria, tum ad Conſilia propria ſtatûs. Sic enim in ordine ad perventionem ad terminum diſtingui poſſunt ſtatus ſeu gradus ejuſdem virtutis: modus autem perfectus operandi ex virtute eſt operari cum promptitudine, facilitate, ac delectabilitate.

2 Secundò. Rectè dividitur dictus ſtatus in ſtatum incipientium, proficientium, & perfectorum. Nam in in ſtatu perfectionis incipitur à ſtatu pugnæ, ſeu *viæ purgativæ*, cùm quis à paſſionibus non tantùm impeditur à promptè operando, ſed in periculo eſt, ne ſuperetur: & ideo præcipua cura eſſe debet reſiſtendo illis, nutriendo ſimul & fovendo charitatem, non tantùm per obſervantiam præceptorum, ſed etiam per præventionem occaſionum, in quibus illa obligant, ut Charitas ad evitanda contraria peccata prompta eſſe poſſit. Hinc talis ſtatus, ut ex una parte imperfectus eſt, ita ex alia intenditur à ſtatu perfectionis.

3 Alter ſtatus ſeu gradus eſt Charitatis proficientis, ſeu provectæ, & *viæ illuminativæ*, quando nempe paſſiones non ita ſolicitant animum, præſertim ad lapſum gravem, quin facilè incumbatur operibus virtutis, & magìs ac magìs in his mens illuminetur, quamvis difficultas reſtet in vitandis venialibus. Tertius enim gradus Charitatis perfectæ ſeu *viæ unitivæ* eſt, quando paſſiones ita domitæ ſunt, & tanta aſſuetudo operandi ex virtute, ut etiam in ipſis actibus Charitatis homo promptè & delectabiliter ſe exerceat. Ratio ergo dictæ diviſionis conſtat ex diſpoſitione ſubjecti: nam præter repugnantiam, quam habet ad perfectionem, naſcitur neceſſitas pugnandi contra concupiſcentias, ac dein exercendi cæteras virtutes, quibus animus præparetur, ut in Deo quieſcat, eíque facilè uniatur. Similiter quoad proprium inſtitutum cujuſque, non omnes faciunt æqualem profectum, ſed alii ſunt incipientes, alii provecti, alii perfecti.

4 Tertiò. Repugnat perfectionis viæ, ut ad terminum augmenti perveniatur. Nam juxta Bern. *indefeſſum proficiendi ſtudium, & jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur.* Idémque tenet communis Patrum,

trum, ùt Auguſt. Baſil. Greg. Caſſiani. Solùm ergo perfectio, ùt in via eſſe poteſt, habetur juxta Auguſt. *ubi nulla cupiditas eſt*, conſequenter nullus affectus deliberatus venialium, nulláque cupiditas deliberata temporalium rerum.

5 Alio tamen modo intelligi poteſt diviſio dictorum ſtatuûm, nempe per participationem quaſi partium integrantium eundem ſtatum Religionis v. g. Nam in eo eſſe debet peculiaris ratio inchoandi perfectionem, & inde tranſeundi ad proficiendum in eadem, donec ſequatur inſtitutio ipſius perfectionis, ita ut ſingulis gradibus propria exercitia, media, & actiones deputentur. Nemo enim repentè fit ſummus, ſed in tertio membro perfectio erit ùt in termino, in cæteris verò ùt in tranſitu & quaſi progreſſu ad ipſã.

CAPUT XIV.

An Status perfectionis rectè dividatur in ſtatum acquirendi & exercendi perfectionem?

Primò. Adæquata eſt diviſio ſta-
1 tûs perfectionis. Nam in alio ſtatu addiſcitur & acquiritur perfectio, in alio exercetur: ergo ſicut Doctor & diſcipulus adæquatè dividunt genus profitentium litteras, quamvis extra illud detur medium; ita in præſenti quoad ſtatum perfectionis non datur, niſi aut diſcipulus aut docens, quæ perfectionis ſunt. Unde aliis terminis diviſio fit in ſtatum Religioſorum & Epiſcoporum; nam horum eſt communicare perfectionem & exercere, illorum addiſcere & in eadem proficere.

2 Secundò. Ad Epiſcopatum ſupponitur perfectio, ſaltem in propoſito de ſe efficaci. Nam licèt non caſtus Caſtitatem, non pauper Paupertatem ſuadere poſſit, nec perfectio ſit adæquatum principium actionũ perfectarũ, præſertim earum, quæ ad alios perficiendos ordinantur moraliter tamen id vix fit. Rectus ergo ordo eſt, ut in perfectore antecedat perfectio, tanquam diſpoſitio maximè neceſſaria; ideo enim Chriſtus, antequam oves committat Petro, ter interrogat: *Amas me?* & Matth. 5. dicitur: *ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur?*

Dices: ſi Epiſcopatus nec præbet 3
perfectionem, nec ad eam juvat, non eſt ſtatus perfectionis, ſed valde imperfectus, conſtituit enim hominem in gravi periculo. R. ad ſtatum rectè inſtitutum non pertinere, ut omnia, quæ poſtulat, ipſe conferat, putà ſcientiam &c. Nec ſtatus hominem collocat in periculo, ſed homo incautus ſémet præcipitat adeundo munus & onus, quod ferre nequit. Ne tamen nimia obligatio imponatur ſuſcipientibus hoc onus,

nus, diximus ſupponi perfectionem ſaltem in propoſito de ſe efficaci, quoad ea ſaltem quæ vi muneris neceſſaria ſunt, & ſub obligationem cadunt, etiamſi perfectiſſima ſint, ut eſt animam ponere pro ovibus, vigilare pro ipſarum ſalute, convenienter eas paſcere 1. Pet. 5.

CAPUT XV.

An Epiſcopatus ſit ſtatus perfectionis exercendæ, ſeu perfectorum & perficientium?

1 Primò. Epiſcopus ratione muneris paſtoralis eſt in ſtatu perfectionis, non tanquam in via, ſed ùt in termino, qui propriè dicitur ſtatus perfectorum & perficientium. Ita ſumitur ex tit. *Sanctiſſimi* & ſimilibus: non enim notatur Sanctitas perſonalis, quæ occulta & incerta eſt, ſed perfectio ſtatûs: de dicto tit. autem videri poteſt Clem. 1. §. 1. de pœnis. & Leges etiam civiles, ùt Cod. de Epiſ. & Cler. ferè per totum, præſertim l. *Nos ſemper* 42. & Coll. 9. tit. Textus inſcribitur *de ſanctiſſimis Epiſcopis.* Quibus conſonat Trid. Seſſ. 23. c. 4. & Can. 6. & 7. & c. *Ex multa*, de voto.

2 Similiter ex communi doctrina Patrum conſtat, magnam ſpiritualem perfectionem poſtulari in Epiſcopo. Nam Dion c. 5 de Eccl. Hier. ait: *Pontificum ordo ſacratior primus eſt divina ſpeculantium ordinum, idémque eſt ſummus & ultimus &c. &c. Eſt igitur Pontificialis ordo, qui conſummata virtute ſuffultus, perficientia quæque Hierarchiæ præcipuo & proprio peragit munere.* & Ign. ep. 10. ad Smyrnenſ. *Epiſcopo*, ait, *nihil majus eſt in Eccleſia quia Deo conſecratus pro totius mundi ſalute.* & in ep. Athan. & aliorum ad Felicem II. Epiſcopi dicuntur *Columnæ, quæ Eccleſiam ſuſtinere, & propriis humeris portare debent.* & Chryſoſt. l. 6. de Sacerd. comparans Epiſcopos cum Monachis, *multò majorem vitæ integritatem neceſſariam eſſe* ait. Similia habent Greg. Ambros. & alii.

Secundò. Non obſtat, dictum ſtatum non obligare ſecundùm ſe ad Conſilia Evangelica, quin verè ſit ſtatus perfectionis. Nam ſtatus ſpecificatur ùt habitus ad actus, ad quos ordinatur: at opera dicti ſtatûs ſunt perfectiſſima: ergo talis eſt ſtatus, qualia ejus opera ſunt. Conſilia autem ſunt inſtrumenta Perfectionis, non ipſa perfectio; & ideo ſtat, dictum ſtatum eſſe ſtatum perfectionis, licèt non ſit ſtatus acquirendæ: ſicut eſt ſtatus prudentiæ & fortitudinis in Rege, & in Doctore ſtatus doctrinæ, licèt nec ille fortem & prudentem faciat nec iſte doctum. Similiter enim dictus ſtatus ex na- 3

tura ſua poſcit ſanctitatem Perſonæ (*facti forma gregis ex animo* 1. Pet. 5.) & obligat ad eam exercendam; ſicque utilitas aliena, cùm ſpiritualis ſit, & per opera valde perfecta exerceatur, reflectitur in commodum operantis, qui, ùt pro aliis, *ita pro ſemetipſo offerre debet.* Heb. 5.

CAPUT XVI.

An Epiſcopale vinculum Jure Divino indiſſolubile ſit?

1 Primò. Vi Juris Divini naturalis non eſt indiſſolubile dictum vinculum. Ita communis Major. Hoſtiens. & Doctorum in c. *Niſi* de renuntiatione & c. *Inter* de translat. Epiſc. Nam ex natura rei nemo tenetur permanere in munere ſuſcepto, ut patet in Rege, Conſule, Prælatis aliis; ſed ſicut ſuſceptio, ita & perſeverantia voluntaria eſt, niſi pactio obſtet. Annexio autem pacti hujuſmodi per ſe neceſſaria non eſt ex vi prudentiæ, ſicut nec ordinationi Sacerdotis annexum eſt pactum de cura animarum.

2 Secundò. Vi Juris Divini poſitivi non eſt indiſſolubile dictum vinculum. Nam renuntiatio non eſt ſimpliciter vetita, ſed ſolùm requirit licentiam dicto c. *Niſi* & hæc poteſt dari ex qualibet cauſa honeſta, imò ad condeſcendendũ tantùm; ſecus utique, quàm in diſſolutione matrimonii rati. Rurſus ſi contra Jus Divinum eſt renuntiatio vel diſſolutio, quomodo coactio fit ad cedendum, c. *Quidam.* de renuntiatione? Ne in pœnam quidem imponi poſſet ceſſio, ùt in Depoſitione, ſi ex dicto Jure vinculum foret. Rurſus ſine hoc ac titulo conſecrantur Epiſcopi, ut olim Linus & Cletus, & juxta alios Chorepiſcopi antiqui. Denique ceſſio ſummi Pontificatûs valida & licita eſt.

3 Neque oppoſitum ex traditione convinci poteſt; nunquam enim fuit prohibitio abſoluta translationis ab una ad aliam Eccleſiam: imò ùt Julius 1. & Oſius teſtantur in Conc. Sardic. in multis provinciis illa fuerat introducta; hodiéque etiam conceditur abſque ſpeciali cauſa neceſſitatis vel utilitatis Eccleſiæ, propter remunerationem Perſonæ &c. Quod quidem ſufficit ad diſpenſandum in Jure humano, non verò divino; fundatúrque prohibitio in incommodis, quæ ſequerentur, dando occaſionem ambitioni &c. nec illa eſt abſoluta, ſed reſtricta, ne ſine licentia deſeratur ſponſa. Igitur inſtitutio merè Canonica eſt, antiqua quidem, ùt patet ex Antioch. Conc. c. 21. *Nec inde transmigret ſecundùm priſtinum de hac re terminum conſtitutum.*

4 Dices, contrahi matrimonium ſpirituale inter Eccleſiam & Epiſcopum, dicto c. *Inter* R. Differentiam

tiam

tiam manifeſtam eſſe inter matrimonium ſpirituale & corporale; nam hoc propter conſummationem reddit incapacem ad plures ſimul, ſecùs ac illud: & licèt ratum ſit, ſolvi nequit, niſi ex cauſa graviſſima, non ob quamlibet. Spirituale autem fit ratum per confirmationem Pontificis, & conſumari dicitur per conſecrationem, quamvis hæc nihil addat in ratione vinculi, dicto c. *Inter*, ſed in ordine ad operandum plura ac perfectiora. Proportio ergo utriuſque matrimonii ſolùm eſt ratione pacti, vi cujus ſicut ſponſa relinqui nequit, ita ſine licentia Pontificis nec Eccleſia, cui quis junctus eſt.

5 Tertiò. Immobilitas ſtatûs Epiſcopalis non fundatur in voto, ſed in pacto indiſſolubili ſine licentia Pontificis. Vel enim votum fieret de actibus muneris, vel de perſeverantia in iſto? non primum; quia ad actus præceptos opus non eſt obligatione ſuperadditâ; ad actus verò ſupererogationis nec propriâ ſponte fit votum, nec fortè imponi poteſt indefinitè, quia indiſcretũ; & de actu particulari promiſſio humana & jurata fit c. *Ego N.* de jurejurando. Non 2dum; quia dictum c. *Niſi* ſolùm meminit *de nexibus præceptorum*, & in §. *Verùm ſi* obligationem fundat in fide data, utique per pactum incluſum in acceptatione: quod ſufficit, cùm nec Epiſcopus ſe amplius obligare velit, quàm Jure Divino & humano cogatur, nec aliàs ſcrupuli deeſſent in ſolutione voti juxta ſenſum Eccleſiæ, cùm ceſſio fit abſque cauſa ſpeciali & gravi.

Confirmatur: quia votum non 6
eſt cauſa adæquata ſtatûs, ſed ad hunc ſufficit quodlibet firmamentum intrinſecum, conſequenter etiam pactio, licèt diſſolubilis conſenſu mutuo citra ſcientiam Pontificis. Tamen in omni ferè ſtatu ſacro immobilitas completur quaſi per Jus Canonicum; Pontifex enim eſt caput uti univerſalis, ita cujuſcunque Eccleſiæ particularis: ergo ùti in conſtituendo, ita in conſervando vinculo rectè poſcitur conſenſus ejus: at ratum illud non habet juxta citatos canones, niſi ſub conditione, ut ſine ſuo conſenſu ſolvi nequeat.

CAPUT. XVII.

An Prælati Sæculares Epiſcopis inferiores vel Parochi ſint in ſtatu Perfectionis?

1 Primò. Firmitas Statûs non deeſt in dictis Prælatis & Parochis. Nam habent implicitum pactum aſſiſtendi ſuæ Eccleſiæ, nec eam deſerendi ſine conſenſu Superioris, ùt patet ex c. *Si quis verò* c. *Si quis*

Preſbyter. c. *Propter eos.* c. *Epiſcopus de loco.* 7. q. 1. & c. *Admonet.* de renunt. ergo ſtatus Epiſcopi & Parochi ſolùm differunt quoad magìs vel minùs firmum, cùm Parochus, etiam contradicente Epiſcopo, ad Religionem tranſire poſſit. c. un. 19. q. 1. & c. 2. 19. q. 2. Quæ libertas non obſtat ſtatui, magis quàm in Religioſo libertas tranſiûs ad ſtrictiorem.

2 Confirmatur, quia Parochus eſt proprius Paſtor c. *Omnis* de Pœn. & remiſſ. nec propriè eſt merum Inſtrumentum Epiſcopi, ſed propriam, non alienam obligationem implet: ergo non obſtat ſubordinatio ejus ad Epiſcopum, ſicut nec hujus ad Papam. c. *Qui ſe ſcit.* 2. q. 6. Imò probabile eſt, quod ſentit Gerſon, munus Parochi eſſe de Jure Divino, nec tolli poſſe ab Eccleſia per Pontificem; fundatur enim in traditione antiquiſſima, & neceſſitate diſtinguendi Parœcias in ordine ad bonum regimen Eccleſiæ. Denique Trid. 23. c. 1. de Reform. ùt de Epiſcopo, ita de Parocho ex cura animarum infert obligationem reſidendi.

Secundò. Status Parochi &c. eſt ſtatus perfectionis, utique exercendæ. 3 Ita Baſil. reg. 70. ſentit de Prædicatore: ergo à fortiori idem eſt de Parocho. Nam talis ſtatus eſt, qualia ejus opera; & ille ex natura ſua requirit ſufficientem virtutem ad opera ex genere ſuo perfecta, & ad vitanda contraria. Rurſus Parochi ſuccedunt ſeptuaginta diſcipulis, ùt Epiſcopi Apoſtolis: ergo Epiſcopus ſolùm excedit propter ſphæram ampliorem activitatis &c.

CAPUT XVIII.

An Status Epiſcoporum ſit perfectior ſtatu Religioſorum?

1 Primò. Status Epiſcopi ex genere ſuo perfectior eſt, quàm ſtatus perfectionis acquirendæ. Ita Patres cap. 15. relati. Nam talia ſunt opera dicti ſtatûs, ut nec obiri poſſint ſine magna perfectione, nec quoad arduitatem & perfectionem æquari per opera ſtatûs Religioſi. Habet enim dictus ſtatus omnes excellentias inferiorum Prælatorum, modò tamen univerſaliori & altiori, quia & prædicat Epiſcopus majore authoritate, quàm inferiores Paſtores, & hos illuminat &c. ſicque ſuccedit Apoſtolis, Mar. ult. Trid. ſ. 24. c. 11. de reform. & c. *Omnes.* 38. Dein ejuſdem maximè eſt, illuminare omnes exemplo, quia *non poteſt Civitas abſcondi ſupra montem poſita: & Bonus Paſtor ante oves vadit*, & *oves eum ſequuntur* Rurſus eminere debet charitate erga omnes, Joa. ult. animam pro eis ponendo, patienter ferendo infirmos, patiendo multa ab improbis, quia non tantùm miſericordiam, ſed & Juſtitiam exhibere debet fortiter & ſeverè.

Con-

2 Confirmatur ex differentiis utriusque ſtatûs. Nam ſtatus Religioſus ſolùm eſt ſtatus perfectionis acquirendæ, & ideo recipit etiam imperfectum, imò peccatorem: per ſe verò requirit ablationē impedimentorum Perfectionis, ùt divitias &c. Secùs eſt in Epiſcopatu; quia cùm includat magnam dignitatem, per ſe conſequitur magnus honor, poteſtas ſuperior, minor ſubjectio, abundantia opum &c. ergo poſtulat virum, qui his non ſolùm non impediatur, ſed juvetur ad opera excellentiora, cùm è converſo Religio poſcat ſubjectionem, temporalium abjectionem &c.

3 Secundò. Ex eo, quòd dictus Status ſit perfectior, non ſequitur, illum eſſe conſulendum & appetendum, aut ſub votum cadere. Nam ſolùm ſub hoc cadit, quod tutò appetitur: at propter adjuncta temporalia dictus ſtatus periculoſiſſimus eſt, ſolúmque eſt ſtatus perfectior, quia requirit plures virtutes, non quia aptior eſt ad acquirendas plures. Quòd ſi abſint dicta adjuncta, intrinſecè malum non eſt, vovere acceptationem ſtatûs: imò ſi vix reperitur, qui acceptet, opus erit magnæ charitatis. At ultrò ſe offerre, ſupponit judicium de propria ſufficientia, quod de ſe periculoſum eſt. Unde votũ non acceptandi non excludit abſolutè acceptationem, ſed ne ſit vel quæſita, vel ex proprio judicio ſufficientiæ, vel ob commoda temporalia, ſed ſolùm propter charitatem vel obedientiam.

Dices. Etiam in ſtatu Religionis dari poſſe, quæ in Epiſcopatu perfectiſſima ſunt, ut contemplationem, prædicationem, curam alienæ ſalutis, etiam cum periculo vitæ, ultra alia Conſilia Evangelica: totum autem eſt perfectius ſuâ parte. ℞. Religioſum ſolùm miniſterialiter & per delegationem exercere, quæ proprii muneris Epiſcopi ſunt, & principaliter quidē. Epiſcopus enim jure ſuo & ſecluſis privilegiis, eſt Paſtor & Perfector: ergo obligatio curæ animarum longè perfectior & excellentior in eo eſt, quàm in quocunque ſtatu alio. Adde actiones alias proprias, ùt conſecrandi Sacerdotes, votum habendi in definiendis veritatibus Fidei in Conciliis &c. &c. 4

CAPUT XIX.

An Status Epiſcopi ſit adeò perfectus, ut in eo impleatur votum Religionis?

1 Primò. Aſſertio eſt negativa, & veriſſima. Ita S. Thomas 2. 2. q. 188. art. 3. ad 1. Cajet. Maj. Azor. Sanch. Summiſtæ ex c. *Per tuas.* de Voto, quidquid in contrarium conetur Abbas cum aliis. Nam *conſulitur* ibi non

non præcipiendo, ſed docendo neceſſarium medium *ſanandæ conſcientiæ* per renunciationem Epiſcopatûs poſt votum Religionis perperam ſuſcepti. Nec dicas, electionem peccatoris fuiſſe irritandam, ſaltem ſuppoſito ambitu; quia ſine textu temerè judicatur, cùm ille ſolùm meminerit transgreſſionis voti, & alia culpa per pœnitentiam ſanari poterat citra renuntiationem. Quòd ſi electio fuit caſſanda, ergo à Judice: falſum autem eſt, ex dicto capite fuiſſe nullam.

2 Porro neceſſitas dicti medii conſtat, quia profiteri Religionem retinendo Epiſcopatum, non licet. c. *Poſt translationem* de Renunt. c. *Hoc nequaquam* 7. q. 1. Nam Novitiatus poſcit humilem ſubjectionem, quæ Epiſcopum non decet, & repugnat reſidentiæ, adminiſtrationi liberæ bonorum, traditioni reſpectu ſponſæ &c. &c. nec propter dictum caſum remittitur annus probationis. Votum autem quamdiu manet, obligat ad media neceſſaria, ut impleatur, conſequenter ad tollenda impedimenta executionis: ergo ad renuntiationem dicti ſtatûs, quo ſtante ùt Novitiatus non fit, ita nec Profeſſio; eſto hujus vinculum maneat in Profeſſo Epiſcopo.

Secundò. Epiſcopatus non continet eminenter ſtatum Religionis, ut hujus in illius votum comutari poſſit. Nam inprimis in voto Religionis perpetua commutatio per ſe reſervata eſt, niſi minus includatur in majore: at Epiſcopatus non habet perfectiones Conſiliorum. Rurſus ille eſt ſtatus perfectionis acquiſitæ, non acquirendæ, & per ſe primò propter alienam perfectionem propriam ſupponens: ergo non poteſt eſſe materia voti abſoluti. Non enim in ordine ad voventem & ſalutem ejus eſt quid expetibile, nedum melius, ſícque non ſufficit, vinculum dicti ſtatus eſſe majus, niſi ſit etiam major perfectio voventis; & ita in Profeſſo aſſumpto in Epiſcopum non inducitur privatio ſtatûs perfectionis acquirendæ. 3

CAPUT XX.

Reſolvuntur dubia alia circa c. Per tuas *de Voto.*

1 Dubitatur 1mò, an ipſo *Jure* detur licentia in dicto caſu? Nam ſiletur de confirmatione: &, licèt in facto particulari, licentiam dat textus indefinitè. 2dò, an ſuppoſitâ neceſſitate licentiæ manifeſtari debeat votum? nemo enim tenetur manifeſtare peccatum; & in Religioſo ſufficit petere licentiam jejunandi, tacito voto. 3tiò, an ad negandam licentiam neceſſaria ſit ſpecialis cauſa, an verò ſufficiat novum vinculum? Nam ſi hoc eſt ex *Jure Divino*, rectè negatur diſpenſatio in mino-

minore vinculo, ut vitetur in majore; & ideo juxta aliquos diſpenſatio eſt nulla, ſi datur ſolùm propter profectum ſpiritualem, quia præpoſterè bonum privatum præponitur publico.

2 Primò. Requiritur licentia in dicto caſu. Nam agitur de Epiſcopo confirmato, cùm Conſilium *Reſignationis* impropriè trahitur ad jus acquiſitum tantùm, & nondum poſſeſſum. Quo poſito ſtandum eſt c. *Inter.* de translat. Epiſc. cùm ei non derogetur per dictum c. *Per tuas:* & aliàs, qui ſine peccato Epiſcopus factus vovet Religionem, deterioris foret conditionis. Nec textus obſtat, quia ſolùm declarat, quid Juris ſit: at licentia eſt quid facti, & poteſt convenire in uno caſu, non in alio; nec dari poteſt, niſi cognitâ causâ, & circumſtantiis etiam Eccleſiæ.

3 Secundò. Ad diſpenſandum in dicto voto, conſequenter ad negandam licentiam reſignandi requiritur cauſa ſpecialis, utique neceſſitatis vel utilitatis Eccleſiæ. Nam votum fuit omnino abſolutum ſine addita conditione pendente à conſenſu Superioris, ùt includitur in voto poſt Epiſcopatum: ergo non potuit indirectè tolli, ſed ſolùm directè; ad quod non ſufficit ratio novi vinculi. Jus enim Divinum voti eſt majus quàm vinculum merè Eccleſiaſticum Epiſcopatûs: nec executioni illius potuit impedimentum poni, vel ſi ignoranter poſitum eſt per confirmationem, auferri debet à Pontifice; quia cùm poteſt, tenetur prudenter & fideliter diſpenſare.

Tertiò. In dicto caſu obligatio eſt manifeſtandi votum, loquendo per ſe. Nam caſus poſcit diſpenſationem directam: at nemo circa incognitum operatur directè, nec diſpenſatio intelligitur, niſi facta cum cognitione cauſæ. Magnáque differentia eſt voti poſt Epiſcopatum facti. Nam ex parte materiæ includitur conditio, ſi Papa conſentiat: ad conſentiendum autem non cogit cognitio voti ſubſequentis, ùt cogit cognitio antecedentis; nec, quod factum eſt, extinguitur per Epiſcopatum, ut per Profeſſionem manet impletum. Nec enim in præſenti petitur mera licentia, ùt in voto ſubſequente, ſed diſpenſatio: & tamen etiam petitio illius, ſi votum eſt abſolutum, citra limitationem temporis, peti debet ſæpius, cùm capacitas implendi perſtat &c. 4

Confirmatur. Quia difficultas manifeſtandi ſe non obſtat, ſed eſt frequens, cùm quis in eo periculo ſe conſtituit propriâ culpâ vel ignorantiâ, ùt in delictis, quæ annexam habent reſervationem, cenſuram, irregularitatem &c. &c. In præſenti autem particulare eſt, quòd debeat manifeſtari perſona, Eccleſia &c. ùt ex facto conſtat. Ferendum tamen eſt, quia quisque tenetur præſtare omnem diligentiam convenientem, & moraliter neceſſariam ad impletionem voti, quod abſolutum eſt. 5

eſt. Ut autem famæ conſulatur, poteſt id in principio fieri, quia mora, quæ ſequitur, nec certa eſt, nec ſine juſta cauſa.

CAPUT XXI.

An ſtatus Prælatorum inferiorum ſit perfectior ſtatu Religioſo?

1 Primò. Comparando practicè, & in ordine ad nos, præcellit ſtatus Religioſus. Nam eſt Conſilii, & conceditur Parocho. c. *Clerici*. 9 q. 2. & quò magis, eò meliùs appetitur. Status verò alter & Conſilii non eſt, & quò magis coactè & ex inductione Superioris, eò ſecuriùs ſuſcipitur, ùt Sancti communiter tradunt de Epiſcopatu, tenétque cum proportione de aliis Curatis. Dixi *Practicè*; Nam materia frequens eſt electionis; nec argumenta plus probant, quàm Religionem eſſe ſtatum perfectionis acquirendæ.

2 Secundò. Comparando inter ſe dictos Status quoad ſe, excellit ſtatus Paſtoralis. Nam quæ requiruntur in Epiſcopo Tit. 1. & 1. Tim. 3. Apoſtolus extendit ad Presbyteros & Diaconos; quia Status eget magna virtute & fortitudine ad difficultates ſine lapſu ſuperandas; affértque neceſſitatem purgandi & illuminandi alios verbo & exemplo, itémque ſacrificandi & orandi dignè pro populo.

Comparatio tamen hæc eſt ſpeculativa. Nam quia impedimenta Perfectionis non ſunt ablata, conditio operum excellentium raro impletur: & Religio etiam amplectitur Sacerdotium, operáque Charitatis erga proximum. Licèt ergo ex Officio non habeat Curam animarum, ſícque inferior ſit; ſuperat tamen aliunde, nil lucri quærendo vel admittendo: & ita dictus Status ſolùm excellit ſecundùm quid Religionem ſecundùm ſe, quamvis in particulari ſecùs eſſe poſſit de Religione militari. Status tamen Epiſcopatûs ſuperat Religioſum in multitudine & excellentia operum, & eminentia Dignitatis, quæ ſecum affert occaſiones exercendi actus heroicos virtutum, minúsque frequentiores occaſiones peccandi. 3

LIBER II.

LIBER II.

De Religioſi ſtatûs eſſentia, Origine, & Votis, quibus conſtituitur.

CAPUT. I.

An Status Religioſus, & Status acquirendæ perfectionis idem ſint?

1 Primò. Si dicti ſtatus comparantur cum proportione, idem ſunt. Nam ùt vox *Religioſus* vel *Regularis* accipitur ſtrictè aut latè, ita etiam ſtatus Religioſus ſignificat aut ſtatum ſimpliciter perfectum per vota ſubſtantialia in Religione approbatâ, aut ſtatum quemlibet, quo quis per votum, & ſpecialem modum vivendi Deo conſecratur. c. *Duo ſunt* 12. *q.* 1. Utroque autem modo ſumptus ſtatus Religioſus eſt ſtatus perfectionis acquirendæ, ut patet ex fine & mediis.

2 Nam finis intrinſecus, & omnino proximus dicti ſtatûs eſt perfectio charitatis viæ, utique comprehendendo charitatem proximi. Reſpondet autē huic Perfectioni charitas excellens Patriæ, ùt à Chriſto explicatur per *theſaurum*, & ſeſſionem in Judicio, *ſedebitis & vos* &c. quod præter accidentalem gloriam notat etiam eſſentialem. Finis verò ultimus dicti ſtatûs eſt peculiaris Dei Gloria & cultus, cùm homo totum ſe totámque vitam Dei cultui conſecret. Igitur in re differentia non eſt dictorum ſtatuûm, ſed Religioſus denominatur à fine ultimo, & ſtatus Religionis à fine intrinſeco. Rurſus quantùm ad media, omnia quatenus ad charitatem faciunt ultra obſervantiam Præceptorum, comprehenduntur ſub conſiliis.

Secundò. Licèt Conſilia generalia omnia pertineant ad perfectionem dicti ſtatûs, non tamen particularia omnia, quamvis nec abeſſe poſſint omnia. Priora enim conſtat eſſe de ſubſtantia dicti ſtatûs, ſecùs ac poſteriora; quia non omne utile etiam neceſſarium eſt, ſed aliud æquè utile ſufficere poteſt. Imò nimia coacervatio impedimento foret, & ſæpe impoſſibilis quoad ſimultaneam executionem; confuſióque Religionum fit, ſi omnes omnia complectuntur: éſtque una perfectior alterâ. 3

Tamen ſicut omnia particularia ſtare ſimul non poſſunt, ita nec excludi, magìs quàm ſubſtantia eſſe poſſit cum omnibus accidentibus, vel ſine omnibus. Quædam enim mo aliter neceſſaria ſunt ad obſervantiam ſubſtantialium, ùt clauſura, mo- 4

modeſtia, abſtinentia &c. Alia verò ſunt proportionata ad perfectionem ſingularum virtutum. Licèt ergo omnium Religionum communis finis ſit charitas, tamen quæque habet particularem ſuum finem, in quo & per quem conſequi intendit perfectionem charitatis; ùt alia per contemplationem, alia per opera charitatis: ſícque præter ſubſtantialia Conſilia opus cuique eſt ad particularem ſuum finem mediis aliis proportionatis: ad eum modum, quo eadem ſanitas quæritur diversis medicinis.

5 Tertiò. Nullum Conſilium eſt, quod ſtatui Religioſo in ſua generalitate ſumpto repugnet, ſive ob defectum ſtatûs, quem ſupponit, ſive propter exceſſum actûs, qui ſupponit charitatem jam perfectam. Nam Conſilio prioris generis, ſi quidem ſimpliciter & abſolutè tale ſit, poteſt deeſſe materia exequendi, ùt eleemoſina, non tamen actus proprius & intrinſecus virtutis, ſed in omni materia virtutis exerceri poſſunt actus quicunque perfectionis ſaltem in affectu. Quantùm ad poſterioris generis Conſilia, ſtatus acquirendæ perfectionis non excludit acquiſitam, ùt patet ex dictis ſuprà de ſtatu Incipientium, Proficientium &c. Sic quidquid Conſiliorum Epiſcopo convenit, poteſt ſuo modo in Religione impleri; & ſaltem affectus ita diſponitur, ut executio quorumlibet facilis ſit, ſi occaſio ſuppetit.

CAPUT II.

An tria Conſilia & ſola ſint de ſubſtantia ſtatûs Religioſi?

1 Primò. Ad ſtatum Religioſum perfectum requiruntur paupertas, caſtitas, & obedientia. Nam dictus ſtatus, utpote via integra ad perfectionem, debet omnia hujus impedimenta tollere, ùt 1. divitias, nam ſuffocant bonam ſementem, & afferunt innumera pericula. 2. Conjugium, quod & dividit Cor, cujus unio ad Deum quæritur, & non ſtat cum paupertate, propter onera matrimonii, familiæ, & liberorum. 3. Libertatem à ſubjectione. Vel enim in communitate quis eſt, vel non? ſi 1mum, illa non conſtat ſine Gubernatore, nec hic prodeſt ſine obedientia. Si 2dum, nemo eſt idoneus Dux ſibimet ad eligendum, quid præſtet: éſtque perpetua ſolicitudo hominis circa ſe, ſine certa & ſtabili ratione operandi: & priora vota ſunt de omittendo tantùm; at tertium de operando ſecundùm certum modum.

Secundò. Ad ſubſtantiam dicti ſtatûs ſufficiunt tria Conſilia. Nam 2
per hæc homo renuntiat omnibus, quæ perfectum Dei amorem impedire poſſunt, ſcilicet bonis externis & internis corporis & animæ; ſícque

que & vitat malum, & operatur bonum, conſecrando ſe totum & totam vitam obſequio Dei. Sic etiã vitantur omnes ſolicitudines externæ, domeſticæ, innatæ: & in iisdem Conſiliis virtute continetur, quidquid opportunum eſſe poteſt, vel ad removenda impedimenta, vel ad perfectam oblationem ſui, ſuarúmque rerum.

3 Diſtinguendum enim eſt inter votum & ſtatum Perfectionis: nam illud non obligat niſi ad Caſtitatem e.g. at ſimul conſtituit in ſtatu poſtulante mortificationem corporis. Similiter appetitus honoris virtute tantùm, & in radice tollitur, quatenus paupertas conſtituit in ſtatu abjectionis; & obedientia tollit voluntatem propriam, quin vexet ſolicitudo arrogandi ſibi munera. Rurſus aliud eſt perfectio, aliud ſtatus ejus; non enim omne, quod ad conſecutionem finis neceſſarium eſt, ad rei eſſentiam pertinet, ſed ſufficit, ut in ſubſtantia aliquo modo virtute contineatur. At quia ipſo uſu definitum non eſt, quid ad finem talis ſtatûs conſequendum neceſſarium ſit, v. g. pro tuenda Paupertate, Caſtitate &c. prudenti judicio regulariter præſcribendum eſt; ſícque obedientia omnia media cuique ſtatui opportuna in quadam præparatione animi complectitur.

Tertiò, Status, qui unum vel alterum Conſilium complectitur, vel omnia quidem, ſed incompletè, largè dici poteſt ſtatus Religioſus. 4
Conſtat ex ſuprà dictis de uſu vocis *Religioſus.* Nam omnis modus ſpiritualiter vivendi, ordinatus ad acquirendam perfectionem charitatis, ſi alioqui habet immobilitatem, dici poteſt & debet ſtatus Perfectionis, quia excedit communem ſtatum vitæ Chriſtianæ, tendendo per viam Conſiliorum.

CAPUT III.

An voti obligatio perpetua ad ſtatum Religioſum neceſſaria ſit, & quotuplex?

1 Primò. Non ſufficit merum propoſitum. Non enim ſtat ratio ſtatûs, nec in tanta arduitate operum voluntariorum de ſe mens firmaretur, ſed identidem fluctuaret. Et ſaltē obedientia ſupponit vinculum; quia aliud eſt propoſitum ſequendi alterius conſilium, aliud ſubjectio ad ipſum.

Secundò. Cadere debet obligatio primò & per ſe in tria Conſilia, & de ſe perpetua eſſe. Nam ſtatus ſine his, quæ ei eſſentialia ſunt, ſubſiſtere nequit: obligatio autem, 2

quæ ſtatum reddit firmum, principaliter eſſe debet de principalibus. Rurſus finis ſtatûs Religioſi eſt perfectio hujus & futuræ vitæ: ergo ſicut in ſtatu communi, ita in ſtatu Perfectionis opus eſt perſeverantiâ uſque ad finem, non *reſpiciendo retrò*, cùm nec famulatus temporalis ſufficiat ad veram ſervitutem humanam.

3 Tertiò. De eſſentia ſtatûs Religioſi eſt, ut per vota firmetur. Nam vinculum dicti ſtatûs non poteſt eſſe extrinſecum; quia Caſtitas, Paupertas &c. nec à Deo præcipitur, nec per hominem præcipi poteſt. Pactum autem vel promiſſio non ſufficit ad ſtatum ſimpliciter Religioſum, ſed ſecundùm quid tantùm, quia ſolus, qui per tria vota fit, ex uſu Eccleſiæ habetur pro Religioſo; cùm de hujus ratione ſit, hominem per ſe primò conſecrare Deo ipſi, & ideo dicitur *mundo mortuus & Deo vivus* c. Placuit 2. 16. q. 1. & alius ſtatus mutuo conſenſu tolli poteſt, cùm Eccleſia non obſtet, ùt in ſtatu Epiſcopatûs. Denique Perfectionis eſt non ſolùm opus perfectum facere, ſed & vovere, quia de utroque datur Conſilium.

Dices, ſufficere votum obedientiæ; nam cætera per hominem præcipi poſſunt, ùt Conſilia particularia. ℞. Integram perfectionem ſtatûs poſcere immutabilitatem per propria vota, ut nec Prælatus mutare quid poſſit quoad univerſalia, ùt Caſtitatis, Paupertatis &c. c. *Cùm ad monaſterium* de ſtat. Mon. præterquam quòd dicta Vota habeant ſuos effectus ſpeciales c. un. de Vot. in 6. Quoad particularia verò, nunc hæc, nunc illa expediunt, ut meritò relinquantur Voto obedientiæ: imò raro expedit rigoroſam obligationem imponi circa illa; quidquid nunc ſit, quid ultra tria Vota in particulari Religione eſſentiale ſit: nam ſermo nunc eſt de Religione in communi. 4

CAPUT IV.

An præter dicta Vota neceſſaria ſit Promiſſio, vel traditio facta homini?

1 Primò. Per Vota Religioſa ita homo traditur Deo, ut ſpeciali modo Dominium ſui in eum transferat: id autem non fit, niſi illa nomine Dei per Eccleſiam acceptentur. Nam juxta communem modum loquendi Patrum, Religioſus ſe penitus Deo mancipat, ejúsque ſtatus eſt ſtatus ſervitutis: hæc verò ſolâ promiſſione non fit, ſed translationem Dominii poſtulat. Rurſus traditio non ſtat ſine acceptatione; & hæc

hæc non ſit immediatè à Deo, ut in voto ſeu promiſſione.

2 Differentia enim eſt, quia ad Votum ſufficit, quòd conſtet eſſe Deo placitum; nec inde Deus acquirit ſpeciale jus novum, ſed ſolùm ex parte materiæ fit mutatio per obligationem, quam homo contraxit. At in donatione eſſe debet, qui nomine Dei acquirat Jus in rem traditam ad utendum illâ, vel ad imperandum Perſonæ, curámque ejus gerendam. Nec enim Deus ſecundùm ordinariam Providentiam ſuſcipit peculiarem curam gubernandi privatam Perſonam immediatè per ſe ipſum, nec rebus ſenſibilibus utitur ſine interventu cauſarum ſecundarum; & contraria petitio eſt vana, & tentatio Dei, & ideo non placet. Unde ſi quis clàm ſic à ſe abdicet Dominium agri, nihil agit: & quod factum eſt, retractare poteſt, ſecluſa prohibitione, de qua tamen conſtare debet.

3 Secundò. Ad ſtatum Religionis Cœnobiticum, ſeu in Communitate, poſtulatur obligatio humana reciproca, quâ & homo ſe donet Cœnobio, eíque obligetur, & hóc viciſſim ad eum, tanquam membrum ſuum, alendum, conſervandum, & gubernandum juxta modum inſtituti ſui. Ita notant Doctores in c. *Ad Apoſtolicam*, de Regul. Nam unio ad corpus myſticum non fit niſi per mutuam obligationem; & quia eſt actualis, realis, & præſentanea, etiam poſcit actualem traditionem, & proportionatam acceptationem, cùm homo non ſe tradat & obliget, niſi ùt correſpondet obligatio reciproca.

Tertiò. Status privatus Religionis non poteſt fieri ſine habitudine ad hominem, cui vovens ſe obliget, & poteſtatem in ſe tribuat. Nam ſine obedientia ad hominem loco Dei aſſumptum in ſui regimen, nec cœnobiticus, nec privatus ſtatus Religionis ſtare poteſt; quia poteſtas Superioris, & ſubjectio ſeu obligatio inferioris ſunt correlativa. Tamen liberum eſt homini, obligare ſe directè homini, ut viciſſim ipſe obligetur ad ſpecialem curam alterius; & etiam oppoſitum eſt liberum. 4

Sic cùm quis vovet remittere injuriam alteri, dotem dare pauperi, aut ſervire in hoſpitali, non propterea obligatur homini. Similiter facere poſſum Votum obediendi non huic determinatè, nec Prælato, ſed Confeſſori, quem elegero, quémque pro lubitu mutem. Et quidquid de vovente ſit, tamen alter poteſt nolle ſuſcipere curam ſpecialem, ſed quamdiu placuerit. Quâ nuncupatione ſimplici ſuppoſitâ, potiùs Lex naturalis obligat, quantùm recta ratio & Juſtitia dictat, ad curam, quàm ſpecialis promiſſio. 5

CAPUT V.

An ad conſtituendum Statum Religioſum vota eſſe debeant ſolemnia?

1 Primò. Votum ſimplex & ſolemne conveniunt in eſſentiali & communi ratione voti. Conſtat, votum dividi in ſimplex & ſolemne. c. *Rurſus*. c. *Meminimus*. qui Cleric. c. un. de Vot. in 6. c. pen. de Regul. in 6. at hæc diviſio eſt univoca juxta communem ſenſum Pontificum, Jurium, Doctorum, de hac materia loquentium. Nam utrumque votum inducit obligationem Religionis ex vi promiſſionis Deo factæ: & de utroque tenet: *Si quid voviſti* &c. cum aliis, quæ de voto inculcantur, & utriusque transgreſſio in genere malitiæ eadem eſt; & ideo multi negant, circumſtantiam ſolemnis neceſſariò confitendam eſſe.

2 Secundò. Quidquid ſolemne votum ſuperaddat, vel includat ultra rationem Voti, eſſe tamen id nequit differentia eſſentialis ſpeciei alicujus voti, ùt de tali materia eſt, ſed extra eſſentiam ejus; quamvis non extra rationem voti ſolemnis, ùt ſolemne eſt, ſicut figura ſphærica eſt de ratione globi, ùt talis, licèt non de ratione materiæ, vel quantitatis globi. Ratio eſt, quia votum Caſtitatis ſimplex eſt ſpecies ultima voti Caſtitatis, cùm in individuo & ſine majore contractione ſtet: at in ejusdem materiæ voto ſolemni reperitur totum, quod eſt poſitivum & eſſentiale in ſimplici: ergo quod ſuperadditur, licèt ſit de ratione ſolemnis, ùt talis, ſolùm accidentaliter perficit votum, quin ſit differentia ejus conſtitutiva.

Confirmatur. Quia ut patet ex Juribus citatis, duplex eſt ſolemnitas: alia purè accidentalis, & quaſi extrinſeca voto ſolemni; alia ſubſtantialiter talis, ſeu conſtitutiva voti ſolemnis, ut talis. De poſteriore quid ſit, cardo eſt totius difficultatis, ut ex diſcurſu materiæ conſtabit. Prior verò & abeſſe ſimpliciter poteſt à voto ſolemni, & adeſſe in voto ſimplici; & ideo juxta uſum Jurium & Doctorum non dicitur *Solemnitas* ſimpliciter talis, ſeu reddens votum ſimpliciter *Solemne*: nec refert, an votum publicè fiat, & apparatu externo, an clàm, ut propterea habeatur Solemne, vel non. Sic matrimonium clandeſtinum olim habuit ſolemnitatem ſuam ſubſtantialem: idémque eſt de eo, quod per fraudem ſine præviis denunciationibus contrahitur coram Parocho & teſtibus. 3

Tertiò. Moraliter neceſſarium eſt, ut vota Religioſa cum aliqua ſolemnitate extrinſeca fiant, ſicque ſolemnia ſint ſaltem ſecundùm quid. Patet inductione ex uſu; nam omnes Religiones, quamvis non eundem, 4

dem, ritum aliquem externum ſervant; convenítque tum ad ſatisfactionem Eccleſiæ, cùm actus ſit publicus & notorius: tum ad ædificationem & rectum ordinem, ut tam inſignis mutatio fiat cum forma certa decente, & ritu ſacro. Dixi *Moraliter.* Nam abſolutè loquendo, ſecùs eſt, ut patet in Profeſſione tacita, & in caſu, quo ad vitandum ſcandalum poſcitur ſecretum.

Quartò. Solemnitas ſubſtantialis non eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſtatum Religioſum, quamvis de ſe congruentiſſima ſit. Conſtat ex uſu Societatis per Pontifices approbato, & confirmato; nec major neceſſitas ſuaderi poteſt, ſive Jure Divino poſitivo, ſive Canonico, ſive ratione efficaci vel ſatìs probabili, ut loco ſuo conſtabit. 5

CAPUT VI.

An Solemnitas voti Caſtitatis poſita ſit in benedictione, vel conſecratione?

1 S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 7. ſentit, quòd *ſolemnitas voti attenditur ſecundùm aliquid ſpirituale, quod ad Deum pertineat, id eſt, ſecundùm aliquam benedictionem, vel conſecrationem, quæ ex inſtitutione Apoſtolorum adhibetur in Profeſſione certæ regulæ.* Et art. 9. addit: Solemnitas voti in aliqua *Spirituali benedictione & conſecratione conſiſtit.* & art. 11. dictum votum eſſe indiſpenſabile, quia res ſemel conſecrata, ſemper talis eſt, quamdiu in ſuo eſſe ſubſiſtit. Ratio S. Doctoris eſt; quià ſolemnitas proportionatur rei, ut in militia, matrimonio &c. ergo in præſenti conſecratio debet eſſe ſpiritualis, & Divina, DEUS enim eſt Author principalis; & ideo peccatum contra votum Solemne eſt gravius transgreſſione ſimplicis.

2 Primò. Solemnitas voti non conſiſtit in conſecratione &c. Ita ferè omnes Theologi. Nam priorem ſententiam intellectam, ùt ſonat, pro nimis difficili habent, & meritò; quia id, ſine quo votum eſſe poteſt ſolemne, non eſt de ſubſtantia ejus, quamvis non è converſo: nec enim quidquid neceſſarium eſt ad valorem voti, eo ipſo de ſubſtantia eſt: atqui Profeſſio tacita ſtat ſine conſecratione, etiam virtuali; quia habitus non facit Monachum, & ſæpe communis eſt Novitio: quomodo ergo magìs pòſt conſecrat, quàm antè? Denique alii non adhibent benedictionem, ùt Mendicantes; alii poſt Profeſſionem jam emiſſam.

Confirmatur, quia ſtat, votum non eſſe ſolemne, ſtante eadem conſecratione, ut in voto Ordinis Sacri, cui ſolemnitas potuit non eſſe anne- 3

annexa, ùt votis Societatis. Si enim Sacerdotalis conſecratio non facit per ſe inhabilem ad matrimonium, cur alia inferior? Votum autem ſolum etiam non inhabilitat; quia nec privata voluntas ad hoc ſufficit, nec publica poteſtas cogitur ad id addendum, nec benedictio per ſe id habet: quomodo ergo in hac conſiſtit dicta ſolemnitas? Non enim ſtat, formam adeſſe, & eo modo, quo debet, nec tamen conferre ſuum effectum formalem.

4 Secundò. Votum ſolemne Caſtitatis eſſe nequit ſine vi dirimendi matrimonium. Oppoſita Vaſquii eſt ſingularis, cùm nullum pro ea citet, & alii pro comperto ſupponant, ſi non dirimit, eſſe votum ſimplex: & è converſo omne ſolemne verè & theologicè tale, dirimere matrimonium. Sic ergo, ne de voce quæſtio ſit, loquendo cum communi Doctorum, conſtat, omnem ſolemnitatem extrinſecam, quam nunc vocamus accidentalem, ùt eſt benedictio, conſecratio, & ritus quiſcunque, poſſe eſſe in voto ſimplici. c. *Per tuas.* de Voto, ubi votum ingrediendi Religionem dicitur *Solemniter* emiſſum, utique Solemnitate non Theologicè, ſed vulgariter ſumptâ, quâ *Solemne* dicitur, quidquid validè & debito modo fit, ùt rectè ibi notant Innoc. Abb.

5 Sed objicit Vaſquez c. un. eod. in 6. quia ſi Solemnitas conſiſteret in vi dirimendi, Pontifex reſpondere debuiſſet, Solemne eſſe, quod dirimit: ergo reſponſio, *dici Solemne*, quod *ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem Sacri Ordinis, aut per Profeſſionem*, ſenſum hunc habet: *Solemne eſſe, quod ſub certo quodam & præſcripto modo nuncupatum eſt*, ſicque Solemnitas eſt actus, quo quis Solemniter dicatur Divino cultui. aliàs, ſi quæris, quod votum dirimat? reſpondebitur, *ſolemne*: & quærenti, quid ſit ſolemne? dicis, *quod dirimit.* Duo enim quærebantur; quod votum dici debeat Solemne, & efficax ad dirimendum matrimonium?

Reſpondetur, particulam *Solemne* in interrogatione ſumi, ùt quid generale & indeterminatum; & per poſteriorem partem determinari ad ſubſtantialiter ſeu theologicè ſolemne, quod tale non eſt, niſi ex inſtitutione expreſſa Eccleſiæ, ùt Pontifex ſubjicit. Sic autem intellectæ quæſtioni rectè reſpondet Pontifex, cui voto conveniat vis dirimendi, cùm non ſit annexa cuilibet ſolemnizato. Neque in reſponſum Pontificis interrogatio Vaſquii cadit, ſed potiùs deſtruit contextum; *Reliqua verò vota*, quæ utique fiunt *præſcripto modo*, etiamſi ſimplicia ſint; ſicque cùm interrogatio ſit de Solemni per ſpecialem & proprium modum, reſponſio redditur de Solemni per generalem & vulgarem modum. Igitur abſolutè interroganti, quodnam Solemne ſit, aptè quidem dicitur, *quod dirimit* &c. explicando per effectum: at de- 6

denuo urgenti; *Quodnam dirimit?* Si reſpondetur, *Solemne*, verè quidem reſpondetur, ſed non aptè: quia alter relinquitur in priori ignorantia, niſi ùt Pontifex egit, reſpondeas.

CAPUT VII.

An Solemnitas voti Caſtitatis conſiſtat in traditione Religioſi?

1 Primò. Donatio & votum Deo factum diſtinguuntur re, non voce tantùm. Nam donatio ſui, ùt fit à Religioſo, nec eſt materia voti Caſtitatis, nec pro materia habet corpus in ordine ad ſervandam Caſtitatem, ſed in ordine ad obſequium & ſubjectionem erga Religionem. Rurſus donatio & votum mutuò ſeparari poſſunt, ùt patet in Oblatis quibusdam, & quondam in parvulis; & Caſtitas ſine donatione promitti poteſt in manibus Prælati, ùt fortè olim fieri conſuevit: eſto nunc utraque conjungatur in Profeſſione, & ideò multi cenſeant, Solemnitatem dicti voti conſiſtere in donatione, ſeu traditione Profeſſi, ſic intelligendo S. Thomam ſuper. cap. relatum, cùm in alio ſenſu ſententia ejus nimis abſurda videatur.

2 Ratio eſt, quia res uni tradita non poteſt validè donari alteri: ergo traditio, vel eſt ipſa Solemnitas voti, vel ſignum ejus infallibile. Dein homo poteſt ſe tradere in obſequium Dei, ùt vult: ergo ſimiliter tradere poteſt corpus ad Cœlibatum in DEI honorem: ergo ſicut Deo acquiritur dominium bonorum, quæ quis offert, ut alteri donari nequeant: ita in præſenti. Denique Servitus Religioſa eſt traditio perfectiſſima: at traditio facta uni homini in Servitutem, alteri fieri nequit. Ita Bonav. Dur. Argent. Maj. Capreol. Soto uterque, Valen. Henriq.

Hanc ſententiam impugnat Scotus, quia etiam per votum ſimplex poteſt fieri traditio, vel illi conjungi, ſi homo vult. Si enim promittere Deo poſſum, ergo & donare immediatè, & non tantùm mediante homine. Quòd ſi Eccleſia aliam formam præſcripſit, ergo Juris erit Eccleſiaſtici tantùm, non Divini, ut naturalis; vel oſtendatur ex Scriptura, non placere Deo dictam donationem immediatam. Addit Medina, ſine tali traditione non fieri verum votum Caſtitatis, ſed puram promiſſionem tantùm, cùm ſolùm ſit de edendo voto Caſtitatis. 3

Secundò. Perperam diſtinguitur votum à promiſſione. Nam hoc perinde eſt, ac hominem ſepara- 4

parare à ratione animalis, cùm juxta Scripturam, Patres, & conceptum communem omnium, votum non aliud ſit, quàm promiſſio Deo facta. Dein falſum eſt, quod vult Medina, votum Caſtitatis eſſe poſſe, quod non obliget ad Caſtitatem ſervandam vi Fidelitatis erga Deum, conſequenter vi promiſſionis. Idem autem eſt de voto ſolemni; quia ſimplex non minùs obligat apud Deum, quàm Solemne. c. *Rurſus.* qui Cleric. vel vov. Nec ad rem eſt, quod dicitur de promiſſione vovendi. Nam etiam eſt verum votum, ùt votum Religionis obligat ad vovendam Caſtitatem, Paupertatem &c. non tamen ad hanc ſervandam, niſi facto alio voto.

5 Confirmatur. Quia impoſſibile eſt, eundem actum ſimul eſſe promiſſionem & traditionem ejusdem rei. Nam illa reſpicit futurum; & hæc de præſenti fit. Si autem junguntur, promittitur conſervatio donationis, vel datio fructuûm, vel quod ſimile. Conſtat etiam ſeparari ab invicem poſſe. Nam multa promittimus dare vel facere, quæ daturi aut facturi non ſumus: ſicut è converſo damus, quod non promiſimus: ergo dato, non conceſſo, fieri poſſe dictam donationem corporis, cur non etiam promiſſio abſtinentiæ ab uſu &c. &c.

6 Tertiò. DEO non poteſt immediatè fieri traditio ſeu donatio. Patet inductione. Nam ſic donata manerent ſub ſolo DEI dominio, non hominis, quod abſurdum eſt; quia quisque ea auferre poſſet citra prioris Domini injuriam, & nec iſte, nec alius, niſi Papa vel Epiſcopus de illis diſponere liberè: ergo obligatio eſſet ea tradendi Prælatis Eccleſiæ, ſecluſa omni promiſſione. Nec in Scriptura exſtat alius modus pacti erga Deum, quàm vel promiſſionis, vel donationis mediantibus Miniſtris factæ; nec ſi aliud fit, plus eſt quàm propoſitum, ùt ſi operam ſuam quis Deo offerat, locare eam homini poteſt ſine injuſtitia.

Eſtque clara differentia promiſſionis & donationis quoad præſens. 7
Nam illa, utpote Lex privata immediatè ſuum effectum habet in vovente: hæc verò per ſe & immediatè non obligat donantem, nec in illo habet effectum ſuum proprium, ſed in Donatario; quia factâ donatione ſeu tranſlatione dominii, conſequenter fit, ut donans obligetur ad non agendum contra donationem. DEUS autem non eſt capax imperfecti dominii, quale ab homine datur, nec hoc niſi ad uſum & gubernationem ordinatur: ergo vana eſt donatio & aliena ab ordinaria providentia, niſi in Miniſtris DEO fiat, cùm DEUS velit, ut res per cauſas ſecundas gubernentur. Pſal. 49. *Non accipiam de domo tua vitulos* &c. *Immola Deo Sacrificium Laudis*; hoc enim immediatè acceptat.

Quartò.

8 Quartò. Solemnitas voti non conſiſtit in traditione. Nam per Ordinem ſacrum conſecratur quis Deo, & tamen votum dicti Ordinis potuit non eſſe ſolemne. Sin dicas traditionem eſſe imperfectam, urget exemplum voti in Scholaſticis noſtris, in quo nihil deeſt donationi Religioſæ. Vel enim deeſſet quid quoad ſubſtantiam, vel ſolùm ratione perpetuitatis? non imum, quia Scholaſtici æquè ſe ſubdunt Religioni, quàm Profeſſi noſtri, & hi perinde ac alii. Non adum; quia ex parte voventis non eſt differentia; nec quod Religio facere poteſt, refert, cùm impotentia donandi jam donatum alteri, non proveniat ex revocabilitate Donatarii, ſed quia nemo donare poteſt, quod ſuum non eſt: ergo dicti Scholaſtici ante Greg. XIII. fuiſſent intrinſecè inhabiles ad matrimonium: quod conſtat eſſe falſum.

CAPUT VIII.

Superior opinio antiquorum impugnatur ex Jure.

1 Primò. Non ſtat dicta opinio cum c. un. de Voto in 6. Nam juxta dictũ canonem *Voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa.* At ſtatus Religionis, ùt includit traditionem tribus votis firmatam, eſt ex inſtitutione Chriſti: ergo ex eadem etiam eſſet ſolemnitas voti, ſi quidem in traditione conſiſtit. Reſpondent, Pontificem loqui de ſolemnitate, ùt eſt neceſſaria ad valorem traditionis. Sed obſtat communis interpretum, Gl. Jo. And. Domin. Archidiaconi Anchar, Franci. Dein interroganti de ſolemnitate dirimenmente matrimonium, ineptè reſponderetur de ſolemnitate alia, quæ etiam in voto ſimplici eſſe poteſt, ùt certa ætas; termini enim non ſumerentur univocè. Rurſus agitur de omni voto dirimente matrimonium: at votum Ordinis Sacri non habet aliam ſolemnitatem, quæ non ſit Juris Divini. 2

Secundò. Minùs ſtat dicta opinio cum deciſione Greg. XIII. Nam in conſtit. *Quantò fructuoſiùs* decidit, noſtros, qui per vota ſimplicia abſque Profeſſione ſolemni incorporantur, verè & propriè Religioſos eſſe. Quia ergo alii negârunt, verè Religioſum eſſe poſſe non Profeſſum ſolemniter, arguendo, Pontificem locutum eſſe ùt privatum Doctorem, Pontifex in Conſt. *Aſcendente* eorum errorem redarguens, ait: *non conſiderantes, voti ſolemnitatem ſola conſtitutione Eccleſiæ inventam eſſe &c. triáque hujuſmodi Societatis vota, tametſi ſimplicia, ùt ſubſtantialia Religionis vota ab hac ſede fuiſſe admiſſa, illáque emittentes in ſtatu Religionis verè conſtitui; quippe qui per ea ipſa ſe Societati dedicant, atque actu tradunt ſéque Divino ſervitio mancipant.*

 Tertiò

3 Tertiò. Licèt dicta vota ſimplicia vim habeant dirimendi matrimonium poſt Greg. non tamen ſolemnia ſunt. Non enim inhabilitant perpetuò, ùt ſolemnia, ſed ſtatu duntaxat durante: ergo ſicut ex conſtitutione Eccleſiæ diſſolubilitas dictorum votorum, ita ex eadem eſt indiſſolubilitas votorum Profeſſi. Nam ſtando in Jure naturæ, contractus per voluntatem contrahentium ſolvi poteſt, & quiſque cedere poteſt donationi ſibi factæ, quin ſe inhabilem reddere poſſit ad eam ceſſionem: ergo quòd Religio cedere Juri ſuo nequeat in Religioſum conſentientem, non eſt ex Jure Divino, ſed Eccleſiaſtico c. ult. de Reg.

CAPUT IX.

Ratione oſtenditur, traditionem ſolo Jure naturæ non dirimere matrimonium ſubſequens.

1 Primò. Traditio, quæ nunc fit à Religioſo, non eſt ex Jure Divino, loquendo propriè. Nam olim ſtatus Religioſus per ſola vota cœpit; & dato oppoſito, ex natura rei optimè intelligitur dictus ſtatus, ſecluſa traditione, ut conſtat in ſtatu non cœnobitico: ergo ſolùm poteſtas inſtituendi traditionem, ùt neceſſariam ad ſubſtantiam dicti ſtatûs, eſt de Jure Divino, non ipſa traditio: ſicut diſtinguere neceſſe eſt inter inſtitutionem Cenſuræ, Irregularitatis, Sacramentalium &c. & ipſam Cenſuram. &c. &c.

2 Secundò. Eſto dicta traditio eſſet immediatè de Jure Divino, non ſequitur, quòd dirimat matrimonium. Nam aliàs dirimeret etiam ſeclusis votis, cùm quotidie fiat donatio ſine additione voti, Juramenti, promiſſionis &c. & ideo nec ad ſtatum Epiſcopi neceſſaria eſt promiſſio juxta dicta ſuprà. Conſequens autem eſt contra ſenſum & uſum Eccleſiæ, ùt conſtat in Oblatis Hoſpitalis, Monaſterii: imò nec addito voto Caſtitatis, eſſet traditio irritans c. *Ex parte 1.* de Converſ. conjug.

Confirmatur, quia talis traditio 3 in ſua ſubſtantia & ratione poteſt eſſe ejuſdem rationis, ac religioſa alia, utpote habens eandem materiam, nempe propriam Perſonam: & eſſe poteſt æquè perfecta, ac plena ad omnia Dei & Religionis obſequia; nam pendet ab intentione tradentis & acceptantis. Licèt autem Eccleſia non approbet talem modum in ratione Profeſſionis, tamen nec reprobat, nec irritat illum: quo enim Canone? imò multæ Religiones habent poteſtatem acceptandi ſic ſe offerentes, non quidem ùt Religioſos, ſed ùt Deo Devotos: eadémque poteſtas ex natura rei eſt penes Ordinarios, niſi Pontifex li-

mi-

mitet; quod in præſenti factum non eſt. Idem eſt de Religione ipſa, quia cum illa ſit contractus, ceditque in ejus utilitatem, licèt principaliter in honorem Dei. Denique ſufficit poſſe valere dictam traditionem; nam tunc non irritaret.

3 Tertiò. Traditio Religioſa ùt diſtincta ac præciſa à voto, non obligat ad Caſtitatem, nedum ut dirimat matrimonium. Nam aliàs præter malitiam contra temperantiam, & contra votum in peccato Religioſi, eſſet tertia injuſtitiæ, eàque duplex propter læſum jus & Dei & Religionis: at nemo hactenus cenſuit plures, quàm duas malitias ineſſe dicto peccato. Dein materia traditionis non eſt abſtinentia à copula, quamvis finis ſit: at finis donationis non cadit ſub obligationem intrinſecè ex illa ortam: alioqui etiam vitatio aliorum peccatorum ſub eandem caderet.

5 Quartò. Non poteſt ſe homo omnino privare Jure matrimonii ſine adminiculo publicæ poteſtatis, imò ſupernaturalis. Nam poteſtas naturalis non potuit introducere ſervitutem huic libertati contrariam, ùt tenet communis Theologorum cum S. Thoma in 4. diſt. 36. nec etiam in Lege veteri fuit ea poteſtas: ergo licèt Dominus acquirat jus in ſervum quoad opera ejus, ita ut poſſit eo uti in omnem uſum prudentem corporalem, & ſibi utilem, tamen libertas matrimonii ſtat cum ſervitute, c. 1. de Conjug. ſerv. Idem ergo eſt de ſervitute religioſa præciſè ſumptâ, ſecluſo adminiculo Juris: ſicque valida eſt *Profeſſio* conjugati.

Ratio eſt, quia in dicta libertate agitur Jus publicum totius naturæ, utpote ordinatum ad propagationem ſpeciei, contra quod prævalere nequit Jus privatum ſive Domini, ſive ipſius cedentis Juri contrahendi &c. aliunde verò Jus conjugale & Jus ſervitutis religioſæ ſunt vincula diverſarum rationum citra repugnantiam formalem inter ſe. Unde Religioſus vi ſuæ ſervitutis non ſe obligat ex Juſtitia ad abſtinendum ab omni uſu corporis, qui aliquo modo impedire poſſit exactiſſimum Religionis obſequium, ut eâdem proportione fatendum eſt de ſervi conjugati obligatione ad obſequia Domini. 6

CAPUT X.

Vera ſententia de Solemnitate Voti Caſtitatis Religioſæ, & origine ejus.

1 Primò. Aliud non eſt dicta ſolemnitas, quàm moralis efficacia voti ad perpetuò inhabilitandam perſonam, ne validum matrimonium con-

contrahere poſſit. Sequitur ex hucuſque diſputatis. Nam ſine dicta efficacia non erit votum ſolemne, & cum illa non poteſt non eſſe ſolemne: ergo. Tribuitur autem ea irritatio voto potiùs, quàm traditioni, quia ita loquuntur Jura & Doctores: & irritatio jungitur prohibitioni, quæ in præſenti fit primò per votum, quod quaſi ſolemnizatur, addita irritatione per Legem: idémque fit in voto Ordinis, & ideo de utroque c. un. de Voto in 6. eodem modo loquitur.

2 Sicut autem matrimonium attenditur vel in fieri, vel in facto eſſe, ita etiam votum ſolemne; nam ut eſt in fieri, inhabilitat effectivè, vi tali acceptâ per Legem: & in facto eſſe inhabilitat formaliter, cùm ſit ipſa inhabilitas habitualis permanens. Similiter diſtingui poteſt in traditione Profeſſi; nam & eſt ſervitus Religioſa in facto eſſe, & in fieri illam efficit.

3 Secundò. Solemnitas voti Caſtitatis ſolo Jure Eccleſiaſtico introducta eſt. Nam quidquid aliud allegetur, vanum eſt juxta dicta ſuprà: & etiam omnia ſimul juncta vim non habent irritandi, ſcilicet traditio, votum, conſecratio; nec ex hoc aggregato reſultat major vis, quàm ut malitiam actûs augeat. Quòd verò ſola lege Eccleſiaſticâ introduci poſſit, tenent omnes in Clerico in Sacris, nolente vovere: & ſumitur ex Trid. Seſſ. 24. c. 9.

4 Dices: ergo Profeſſi poſſent reddi habiles. Reſp. Inſtitutione antecedente potuiſſet ita fieri, ùt nunc factum eſt in Scholaſticis noſtris & olim in Subdiaconatu. Idémque eſt de Profeſſo aliquo in particulari, vel Communitate aliqua, ùt Militari. In totum autem auferre dictam ſolemnitatem ſive in Clericis, ſive Profeſſis, impoſſibile eſt, conſiderando Eccleſiam, ùt regitur à Spiritu Sancto. Nam eſſet in deſtructionem, non in ædificationem: poſtulátque Eccleſiæ perfectio ſtatum hunc cum omnibus ornamentis & gradibus perfectionis.

CAPUT XI.

Nonnulla Corollaria ex præcedenti reſolutione inferuntur.

1 Primò. Idem votum in ſe immutatum poteſt fieri ex ſolemni ſimplex, & è converſo. Nam ſi à militia S. Joannis auferret Pontifex ſolemnitatem, maneret votum ſimplex: & ſtatui poſſet, ut incorrigibiles ejecti ſic evaderent liberi. Rurſus per conſtit. Greg. XIII. *Aſcendente* Scholaſtici facti ſunt inhabiles pro tempore: ergo & in perpetuum id fieri poterat, cùm non addatur nova obligatio. Quamvis enim Lex Solemnizans ſupponat voluntatem Ordinis Sacri, vel vitæ Religioſæ, tamen in ſua & effectus ſui duratione non pendet à volun-

voluntate voventis: ſicque vis dirimens præcipuè eſt in Lege, & ſolùm voto tribuitur per denominationem extrinſecam.

2 Secundò. Differentia voti ſolemnis & ſimplicis non eſt ſpecifica, ſed ſolemnitas merè accidit ſubſtantiæ voti; ſicque diviſio eſt ſubjecti in accidentia, ùt diviſio voti publici & privati. Ita Cajet. Pet. Ledes. Garc. Medin. Azor. Sanchez. Vaſq. In voto enim Caſtitatis non poſſunt diſtingui vota ſimplicia ſpecie diverſa, quia quodlibet ſimplex eſt pura promiſſio: ergo ejuſdem ſpeciei, ſi de eadem materia eſt. Rurſus nullum votum eſt traditio, ſed hæc extrinſecè illi adjugitur: ſicque illatio nulla eſt: Traditio & votum ſpecie differunt: ergo & vota.

Tertio. Vota Ordinis Sacri & Profeſſionis conveniunt, & differunt inter ſe. Nam utrumque eſt abſolutum & perfectum de tota materia Caſtitatis, additâ perpetuitate ſpeciali propter immutabilitatem ſtatûs ab intrinſeco, itémque vi dirimendi. Speciale autem voto poſteriori in ratione voti eſt, quòd Jure Divino annexum ſit ſtatui completo Religionis, quódque irritet matrimonium ratum præcedens, & ſine exceptione. 3

CAPUT XII.

Qualis ſit, & unde originem habuerit Solemnitas voti Paupertatis?

1 Primò. Patet, dictum votum eſſe & ſimplex & ſolemne. Nam ſi ſolùm ſit promiſſio Paupertatis ſervandæ, abdicando à ſe dominium rerum temporalium, nec his utendo ùt propriis, votum ſimplex tantùm eſt, ſi aliud non additur. Votum autem & ſpoliatio rerum ſimul fieri nequeunt, quia illud non privat dominio ipſo facto, ſed requirit vel ſupponit aliam voluntatem & actionē donandi, & acceptationē alterius: quæ moraliter ſimul non junguntur. Vel ergo ſpoliatio antecedit, vel ſequitur votum? Si 1mum, ſit voluntaria præparatio voti faciendi, quia non fit ex obligatione. Si 2dum, eſt executio voti, non pars aut proprietas ejus, repugnans ſimplicitati: imò id commune eſt omni voto, quod ſtatim obligare incipit.

Secundò. Solemnizatur dictum votum Profeſſione, & ſolâ. Conſtat enim ex c. *Cùm ad Monaſterium* de Reg. & communi ſenſu & traditione univerſalis Eccleſiæ, quòd æquiparetur voto Caſtitatis Profeſſi, quantùm ad ſolemnitatem. Falſum autem & improbabile eſt, 2

quod

quod Med. vult, etiam Ordini Sacro annexum olim fuiſſe dictum votum; quia licèt Clerici in commune viventes ita voverint, non tamen coacti vi Ordinationis: nec votum magis ſolemne erat, aut neceſſarium, quàm initio Eccleſiæ Act. 4. & 5. Uſus verò dudum mutatus fuit c. *Nolo.* 12. q. 1. Aug. ſerm. 52. ad Frat. in Erem. Denique nec in Epiſcopatu talis annexio erat ſive Lege aliquâ, ſive voto; imò poſito hoc, perinde eſt, an præcedat, vel ſequatur.

3 Tertiò. Votum ſolemne & ſimplex Paupertatis diſtinguuntur à poſteriori, & in effectibus. Solemne enim obligat ad non habenda bona ùt propria, & *perpetuò* incapacem reddit proprietatis, conſequenter & hæreditatis adeundæ, irritátque omnes contractus donationis, alienationis &c. cùm fieri nequeat à non Domino. Conſtántque omnia ex dicto c. *Cùm ad Monaſterium.* c. *Non dicatis.* 12. q. 1. c. *Quia ingredientibus.* 19 q. 3. Particula autem *perpetuò* poſita eſt ad excludendos Coadjutores noſtros.

4 Quartò. Solemnitas dicti voti in hoc conſiſtit, quòd votum habeat vim & efficaciam ad inducendum dictos effectus in Perſonam voventis. Nec enim ſolemne eſt, quia habet dictos effectus, ſed quia potens eſt ad eos inducendos: ſtátque ſimplex votum cum omnibus aliis conditionibus, hac ſolâ demptâ. Vis autem & efficacia talis nec eſt ex voto, quatenus tale eſt, ùt ſatis conſtat ex dictis in ſimili de voto Caſtitatis.

Quintò. Non oritur dicta ſolemnitas ex vi Traditionis, ſed ex inſtitutione Eccleſiæ. Vel enim inhabilitas proprietatis contraheretur, reddendo voluntatem inefficacem ad contrahendum, donandum &c. vel per anticipatam donationem? Non 1um; quia, ſecluso adminiculo Legis tollentis efficaciam, voluntas poſterior mutat priorem, quæ non habuit effectum donationis, ùt patet in matrimonio contra fidem priorum ſponſalium contracto. Non 2dum, quia traditio Religioſa per ſe non tendit ad renunciandum bonis in favorem Religionis: imò nec votum poſcit ſic renuntiare, per ſe loquendo, ùt conſtat in Religione S. Franciſci & noſtrâ: ergo quod in aliis fit, eſt ex inſtitutione Juris tantùm. 5

Confirmatur. Quia Profeſſus ejectus, ùt probabile eſt, nil acquirit Religioni: & Oblatus poteſt eſſe ſine voto Paupertatis, peccando tantùm contra Juſtitiam, cùm attrectat donata: & de conſenſu Religionis validè acquirit; eadémque etiam Religioſo reſtituere poſſet capacitatē acquirendi, ſicut alteri donanti omnia bona & Jura ſua; qui quidē non fit impotens ex verâ paupertate, ſed ex Jure alteri acquiſito per pactum: quod ad ſtatum Religioſum non eſt neceſſarium. Traditio enim per ſe ſolùm fit ad Dei famulatum, & Religionis obſequium: 6

addi-

additur autem votum Paupertatis, ùt inſtrumenti perfectionis, conſequenter majoris vel minoris juxta finem cujusque ſtatûs.

7 Dices Religioſum fieri mancipium per dictam traditionem, imò diſtrictiorem appetere ſervitutem, ùt dicitur. c. *Multos* d. 54. Reſp. Retorquendo, quia ex Jure tantùm civili eſt ùt ſervitus ipſa, ita & incapacitas proprietatis: poſsétque illa ſtare ſine iſta. Et de facto ſervus non eſt omnino incapax dominii, & ideo rectè dicitur ſervitutem Religioſam, quantùm ad præſens eſſe, *Diſtrictiorem*. Dicitur autem Profeſſio mors civilis c. *Placuit* 2. 16. q. 1 vel propter affectum, qui abſtrahi debet ab omni temporali, vel effectus, quos irritat; ſícque *mors* eſt *Civilis*, tanquam humano Jure inducta, & conſequenter in ordine ad ea, ad quæ eſt inducta.

CAPUT XIII.

Qualis ſit, & unde originem duxerit ſolemnitas voti Obedientiæ?

1 Primò. Omne votum Obedientiæ, quod cum vera Profeſſione fit, & ſolum eſt ſolemne. Prius indubitatum eſt apud omnes: poſterius negant Med & Vaſq. allegando votum Ordinandi. Sed contra; quia Rituale ſolùm habet: *Promittis obedientiam Prælato tuo?* hoc autem plus non ſonat, quàm Promiſſionem humanam, addito juramento, quo illa confirmetur. Dein obedientia ſolùm eſt in materia neceſſaria, vel quam Prælatus, etiam ſecluſâ promiſſione, neceſſariam facere poteſt: ergo ſolùm promiſſio fit ad explicandum voluntarium conſenſum in novam ſubjectionem.

2 Secundò. Votum ſolemne Obedientiæ ita ſubjicit Prælato voluntatem Religioſi, ut absque ejus conſenſu inefficax ſit ad obligationem ſive Civilem, ſive naturalem ita contrahendam, ut firma ſit. Ita Innoc. Hoſtiens. Abbas. Bartol. Jaſon. Navar. allegando, quòd Religioſus nec velle habeat, nec nolle. c. *Non dicatis.* 12. q. 1. c. 2. de Teſtam. in 6. c. ult. de Sepul. in 6. c. *Quorumdam.* c. *Si Religioſus.* de Elect. in 6. Sed hæc non probant, niſi infirmitatem dictæ obligationis, non verò nullitatem ſimpliciter. Nam Jura loquuntur de licentia Prælati, quando materia poſtulat: & irritatio tam univerſalis nec eſt neceſſaria, nec decet ſtatum, ſed eſſet inhumana ſubjectio: víxque reperietur, qui cùm quid promittit, non ſe obligatum ſentiat, ut ad ſacrificandum pro aliquo, ad ſervandum Secretum.

3 Tertiò. Neque ex Voto ſolo, neque ex Traditione ſequitur dictus effectus. Non ex Voto, quia hoc per ſe non inducit tantam ſubjectionem in uno, nec tantam poteſtatem in altero, ſed ſolùm ùt in latitudine materiæ voti præcipi poſſit. Votum enim

enim donatio non eſt, nec ſervitus per promiſſionem, ſed per traditionem ſui conſtituitur, unde reſultat poteſtas dominativa in ſubditum. Rurſus nec traditio ſufficit ad dictum effectum, loquendo ex natura rei, & ideo citati Juriſtæ maximè fundantur in Juribus; conſtátque per ſe de obligatione civili. Si enim eſt realis, repugnat Votum Paupertatis: ſi perſonalis, repugnat Obedientia, & obligatio erga Superiorem, cujus eſt liberè poſſe diſponere de Perſona &c.

4 Et confirmatur: quia ſicut irritatio obligationis non connectitur ex natura rei cum Profeſſione, ita nec irritabilitas, cùm utraque ſit ex poteſtate dominativa: ergo ſi uno, etiam altero modo extendi poſſet ſubjectio voluntaria, præſertim perfecta, ùt eſt Religioſa; nam agens naturale agit, quod & quantùm poteſt. At res hæc eſt graviſſima, & valde præternaturalis, multiſque litibus & dolis expoſita, niſi authoritate publicâ confirmetur, ùt in ſubjectione minoris, pupilli. Nec enim humanus convictus moraliter conſiſtit ſine naturali obligatione, ſicque ſciri neceſſe eſt, cui quis obligari poſſit, aut tutò credere.

5 Quartò. Oritur dictus effectus ex efficacia Juris. Concluditur ex dictis: nam voluntas privata non diſcernit inter extrema, ſed ſe tradit ſimpliciter & abſolutè, quantùm poteſt: at ſic obligari foret nimis rigidum & inhumanum: ergo Juris humani eſt præfigere limitem & menſuram contractûs inter Religionem & Religioſum: conſtátque ex uſu & traditione Eccleſiæ, dictum modum ſubjectionis, ut obligatio ad alios firma eſſe nequeat, approbatione ipsâ Religionis inſtitui & concedi, ùt facilè ſumitur ex citatis Juribus hac moderatione intellectis. Pertinet enim ad Jurisdictionem, determinare modum & gradum Dominii ac ſubjectionis Religioſæ: neque eſt, cur ea poteſtas Eccleſiæ negetur.

Licèt ergo nec Voto ſoli, nec traditioni ſoli, niſi confirmatæ per Votum obedientiæ in ſtatu Religionis ſubſtantialiter completo, addita ſit dicta vis iritandi, præcipuè tamen hæc tribuitur Voto obedientiæ; ùt patet ex locutionibus Patrum & Doctorum, quatenus eidem tribuunt abnegationem propriæ voluntatis. Ut tamen dictum Votum verè ſolemne ſit, oportet, ut vis irritandi ſit perpetua, ſicut juxta uſum Canonum Votum Caſtitatis ſolemne non eſt, niſi inhabilitatem perpetuam ad matrimonium inducat. 6

CAPUT XIV.

An Solemnitas trium Votorum ſit de ſubſtantia & eſſentia ſtatûs Religioſi?

1 Primò. Non eſt de eſſentia dicta ſolemnitas, loquendo de inſtitutione Divina ſtatûs Religioſi. Suppono enim hunc eſſe ex inſtitutione Divina: at ſolemnitas eſt ex inſtitutione humana: ergo hac demptâ, ſtat totum, quod eſt inſtitutionis Divinæ. Vel enim hæc fuit per ſolam ordinationem inſtituendi Religionem, etiam quoad eſſentiam; vel per determinationem ſubſtantiæ, relinquendo cætera Eccleſiæ? Si 1um; ergo ut Eccleſia initio potuit, ita nunc mutare poteſt inſtitutionem citra repugnantiam Juris Divini. Si 2dum, ergo tenet argumentum, ùt de Sacramentis & Sacramentalibus fieri ſolet.

2 Secundò. Traditio omnino abſoluta utrinque, quam poſtulat ſolemnitas, non eſt de eſſentia Religioſi ſtatûs. Nam ex parte donantis neceſſaria quidem eſt perpetuitas donationis, quia aliàs ruit hujus veritas, utì & vera ſui abrenunriatio, & renuntiatio ſæculi: tamen ex parte Donatarii ſecùs eſt, ùt patet in omni donatione. Utraque enim pars adhibere poteſt contractui conditiones convenientes ſibi: & plus confert Religio, quàm accipiat commodi ab altero: agitúrque bonum commune, in cujus favorem ſit exceptio de libertate dimittendi juxta regulam prudentiæ: ſicque nulla fit iniquitas, præſertim ſcienti & volenti: & timor dimiſſionis non impedit, ſed juvat ſolicitudinem proficiendi &c. Vel ergo attenditur Profeſſio, ùt contractus, vel ùt fundamentum ſtatûs? Si 2dum, ſufficit immobilitas moralis. Si 1um, ergo quod conſenſu cœptum eſt, eodem ſolvi poteſt: ergo perpetuitas abſoluta non eſt de eſſentia Profeſſionis.

Tertiò. Vis inhabilitandi hominem ad certos effectus morales, quam poſtulat ſolemnitas, non eſt de eſſentia ſtatûs Religioſi. Nam 3
neque ex natura rei eſt neceſſaria dicta inhabilitatio, ùt ſuprà oſtenſum eſt; neque ex Jure Divino poſitivo: oporteret enim, cùm ratione non probetur, oſtendere ex Scriptura, traditione, antiquitate; aliàs ſine fundamento authoritatis non eſt, cur credatur. Imò ſicut neceſſitas abſoluta perpetuitatis non poteſt oſtendi, ita nec neceſſitas dictæ inhabilitationis, ùt poſitivè conſtat de poſteriori ex c. un. de Vot. in 6. & c. *ut Lex* 27. q. 1. Antiquior enim eſt ſtatus Religionis quàm incapacitas Dominii; multóque difficilius eſt de ſolemnitate Voti obe-

dientiæ judicare ex antiquitate. Rurſus ex Regulis Aug. Baſilii, Benedicti ſumitur mos dimittendi.

4 Imò Aug. ſerm. 49 de diverſ. c 4. ait: *Si ab hoc propoſito ceciderit, & extra manens Clericus fuerit, dimidius & ipſe cecidit. Quid ad me? non eum judico: ſi foris ſervat ſanctitatem, dimidius cecidit* &c. *Qui mecum manere vult, non debet habere aliquid proprium: qui hoc non vult, habeat libertatem, & videat, an habere poſſit felicitatis æternitatem.* Hæc ille. At ſi ſic abiens non liberabatur à Voto, ergo non poterat relinqui in apoſtaſia ſimul & Clericatu: ergo non poteſt mos antiquus intelligi de ſeparatione quoad habitationem tantùm, ſed etiam quoad vinculum, ùt facit c. *Nolo* 12. q. 1. ſicque quod in ſocietate fit, non eſt quid ſimpliciter novum, ſed reductio ad morem antiquum, quamvis antiquitatum. c. ult. de Regul.

5 Quartò. Status Religioſus ſine Votis ſolemnibus habere poteſt, quod ùt per ſe neceſſarium poſtulat. Poſtulat enim duo, ſtabilitatem ſufficientem, & ſufficientem ablationem impedimentorum perfectionis: at prior conditio non deeſt ſecluſa ſolemnitate, ùt oſtenſum eſt, idémque eſt de poſteriore. Nam licèt ſolemnitas de ſe magìs juvet, magìs & minùs non variant ſpeciem: & inter Religiones, quæ non habent Vota ſimplicia, una magìs quàm altera excludit dicta impedimenta. Dein hæc ſatìs ceſſant, ſi ſerventur Vota, præſertim obedientiæ: & ſi non ſervantur, ſolemnitas parùm confert: in reliquis autem mediis, quæ non pendent à ſolemnitate, poteſt eſſe vel æqualitas, vel etiam exceſſus in juvando.

Confirmatur. Quia Jura, quæ 6 in contrarium allegantur, nihil obſtant, cùm de uſu ſui temporis loquuntur in ſtatu Religioſo, non verò de poſſibili: imò virtute aſſeritur in dicto c. un. poſſibilitas alterius modi: & ſimiliter intelligi poſſunt Doctores antiqui cum S. Thoma, ſi rectè expendantur. Rursùs nec vinculum matrimonii, nec Dominium per ſe obſtat perfectioni: uſus verò impediri aliis modis poteſt, ùt matrimonii: id autem ſpectat ad Providentiam Eccleſiæ, non ad eſſentiam ſtatûs Religioſi; ſícque ceſſant objecta omnia pro opinione rejecta per Gregor. XIII. in Conſtit. *Aſcendente* &c.

CAPUT XV.

An approbatio Eccleſiæ neceſſaria ſit ad verum ſtatum Religionis conſtituendum?

1 Primò. Si Eccleſia reſiſtat, inſtitutio Religionis eſt nulla. Ita omnes Catholici. Nam Eccleſia de facto ita fecit magna ex parte, ùt conſtat

ex

ex c. ult. de Relig. Dom. & c. un. eod. in 6. Potéſtque requirere conditiones, ſine quibus Vota & traditio non vàleant. Solùm ergo dubitatur, an requiratur poſitiva approbatio Eccleſiæ: quia ſi Jure Divino neceſſaria non eſt, ergo nec Jure Eccleſiaſtico, ùt ſumitur ex uſu antiquo; ſufficítque nihil deeſſe, quod eſt inſtitutionis Divinæ, ut ſubſtantia teneat, ùt in Sacramentis. Nec approbatio dat Religioni probitatem &c. ſed teſtimonium, ſicut Canonizatio non facit Sanctum, ſed teſtatur: aliunde ſufficiunt Vota ſimplicia ſine ſolemnitate &c.

2 Secundò. Ut nova Religio inſtituatur, quæ & modum vivendi in Congregatione profitetur, & toti Eccleſiæ proponitur, requiritur approbatio Eccleſiæ Judiciaria, ſeu ſpectans ad intellectum. Nam ſtatus proponitur toti Eccleſiæ ùt imitandus, & ſequendus: ergo poſcit Judicium publicum & authenticum, ſícque eſſe nequeat error perniicioſus in materia morum, ſicut cultus publicus & univerſalis Sanctorum, ut ſine errore ſit, ſupponit Canonizationem, ſeu teſtimonium authenticum Eccleſiæ.

3 Confirmatur. Quia Religio non poteſt inſtitui cum ſolis Votis ſine additione aliquarum obſervantiarum, quibus ſuum modum vivendi determinet, ſicut ſubſtantia eſſe nequit ſine accidentibus, nec aliàs eſſet diſtinctio Religionum: in iſta autem additione poteſt eſſe error, aut periculum ejus, ſi ſtet libertas inveniendi Religionem. Licèt ergo non peccet, qui prudenter deligit modum novum, tamen ad Providentiam Paſtorum pertinet, non admittere introductionem vel propagationem ſine prævio examine. Vel ergo novus ſtatus initio ſtatim proponitur toti Eccleſiæ, vel ſucceſſivè tantum? Si 1um, utique ad Pontificem ſpectat examen. Si 2dum, quisque Epiſcopus approbet pro ſua Diœceſi: ſícque approbatio ab una Diœceſi ad alteram propagatur, donec fiat univerſalis, ùt notatur in Canonizatione antiqua.

4 Tertiò. Ad veram Religionem inſtituendam requiritur etiam approbatio practica, per quam datur Religioni vel Prælatis ejus poteſtas acceptandi volentes profiteri vitam talem. Patet poſt tempora Innocent. III. ex cit. Juribus. Licèt enim nil mali, vel incommodi ſpiritualis contineri conſtet in Examine talis Inſtituti; tamen juſtè impediri potuit introductio nova, ne nimiùm multiplicentur Religiones; ſícque rectè poſtulari licentia introducendi, ſeu Confirmatio practica.

CAPUT XVI.

Dubia quædam expediuntur.

1 Primò. Non prohibetur in c. ult. de Relig. Dom. Religio ſola, in qua fit Profeſſio, nec in c. un. eod. in 6. introductio novæ tantùm Religionis, ſed etiam cùm completur Inſtitutum antiquum per additionẽ votorum, ut in Tertiariis. Nam materia non eſt odioſa, ſed directiva tantùm, & favorabilis propter bonum comune; nec onus cum fundamento dici poteſt obligatio petendi licentiam, quæ ex natura rei ſuo modo neceſſaria eſt. Et aliàs non vitatur *nimia Religionum diverſitas, & confuſio*, ſed periculoſiùs incurritur per additionem votorum ſimplicium, quàm per ſtatum ſolemnium, ùt patet expendenti.

2 Confirmatur. Quia aliàs nunquam haberet locum prohibitio; nam reperire ſola cogitatione novum ſtatum, & tradere ſcripto non eſt prohibitum, ut per ſe conſtat: ergo ſi executio poſtea ſequitur, hoc ipſo valeret & liceret Religio. Igitur in dicto c. ult. prohibita eſt Inſtitutio Congregationis verè Religioſæ ſine approbatione Pontificis, ùt tenet ibi Gl. & Doctores. Vox enim Religio propriè & univocè nonniſi veram Religionem ſignificat, ſicut homo verum hominem: verba autem in univoca & propria ſignificatione accipienda ſunt, niſi aliud in ipſa Lege declaretur.

Secundò. Non ſolùm prohibens eſt dicta lex, ſed etiam irritans, ut vera Religio non ſit, quæ ſine approbatione eſt. Ita Summiſtæ communiter, Cajet. & Gl. in dictum c. ult. Nam verbum *Revocamus* accipi debet pro eodem, ac *Nulla eſſe declaramus*, ùt ex ratione, materia, & modo prohibitionis ſumitur. Nec enim aliàs tam de facili ſolvi potuiſſent Vota, & delictum verſum eſſet in commodum delinquentis; facítque Clem. un. eod. & X. un. Joan. XXII. eod. quatenus ſolùm pro validis habent, quæ in Religione approbata emittuntur. Rurſus *Confuſio*, quam ſublatam vult Canon, adhuc ſequeretur; quia ſequitur ex eo, quòd ſint tam multæ Religiones, non ex eo, quòd factæ ſint.

Tertiò. Ad verum ſtatum Religioſum ſemper fuit neceſſaria approbatio Eccleſiæ. Nam ſermo eſt de Religione Eccleſiaſtica, ſeu quæ talis ſit non ſolùm in foro Dei, ſed etiam Eccleſiæ, ita ut vota per aliquem loco Dei acceptentur viſibiliter, voventem incorporando tali corpori Eccleſiaſtico: ergo vota per ipſam Eccleſiam acceptari debent: ergo per Prælatos ejus. Aliud enim eſt de communitate imitante modum vivendi Religioſum, ſive cum votis ſit, ſive ſine illis, & cum poteſtate recedendi: aliud de propria & Eccleſiaſtica comunitate, cujus perſonæ & Eccleſiaſticæ ſunt, privilegio 4

gio Fori & Canonis gaudentes, & ſine apoſtaſia recedere non poſſunt, ſícque in *Jure* propriè veniunt nomine Regularium, Monachorum &c.

5 Licèt ergo ad cōmunitatē prioris modi ſufficiant voluntates contrahentium cum poteſtate obligandi ſe invicem; ſacratius tamen quid eſt in ſtatu propriè Religioſo, præſertim ut inter ſtatus Eccleſiaſticos numeretur in Eccleſia Chriſti: neceſſe ergo eſt, ut à Paſtoribus hujus dimanet poteſtas, quam noviter erecta communitas habet ad acceptandum vota nomine DEI. At penes Pontificem eſt poteſtas Suprema ùt diſponendi ea, quæ ad Deum pertinent, ita admittendi vota nomine Dei: ergo quamdiu non communicat communitati erectæ poteſtatem ſuam, nihil fit: ſícque quia non dat illam, niſi ſtatui approbato, vera & Eccleſiaſtica Religio is eſſe nequit ſine approbatione prævia Eccleſiæ.

6 Quartò. Nec ſufficit approbatio, ſi cætera ſubſtantialia deſint; nec ſi adſint, requiritur approbatio in actu ſignato ſub ratione veræ Religionis. Non 1mum; quia licèt P pa rectè & utiliter approbet ſtatum, tamen facere nequit, ut ſtatus verè Religioſus ſit ſine his, quæ Jure Divino de ejus eſſentia ſunt: facítque c. *Indemnitatibus. §. Suprà dicta* de Elect. in 6. ibi: *Per hoc autem* &c. *illorum ſtatum* &c. *non intendimus approbare.* Ratio poſterioris eſt, quia approbatio, quòd in dicto actu ſignato ſit, nihil addit, aut demit: ergo ſicut impoſſibile eſt, rem habere omnia, quæ ſunt de ſubſtantia hominis, domûs &c. & non eſſe verum hominem, veram domum &c. ita impoſſibile eſt approbare modum vivendi habentem cætera omnia, quæ de ratione Religionis ſunt, & non approbare, ut vera Religio ſit. Eſtque exemplum in Bullis Pauli III. & Julii III. cùm approbant Societatem ſub terminis *Inſtitutii pii*: & tamen Pius V. in Conſtitutione *Dum indefeſſæ* &c. colligit, noſtros vi dictæ approbationis & eſſe & fuiſſe verè ac propriè Mendicantes &c. &c.

Quintò. Etiam erectio Communitatis Religioſæ imperfectæ eſt prohibita, & irrita. Ita enim in dicto c. un. extenſio fit ad quamcunque Congregationem, quæ cum proprietate *Ordo* appellari ſolet, ùt notat communis Doctorum cum Gl. & Abb. ſumitúrque ex dicta X. un. ubi quod intentatum eſt à Beguinis, dicitur *Temeritate damnabili* actum eſſe contra dictum c. un. & meritò; quia etiam ſequeretur confuſio, & periculum multiplicationis, cui reſiſtitur. Nec ad rem eſt l. 1. ff. de Coll. illic. Nam loquitur in ſua materia & foro, cùm non petit approbationem poſitivam, ùt in præſenti petitur dicto c. ult. ibi: *Unam de approbatis aſſumat.* 7

Sextò. Per dicta Jura non vetatur modus vivendi privatus, eſto aſſumatur habitus humilitatis. Patet ex Clem. 1. eod. Licèt enim varietas 8

tas ſequatur in iſto externo ritu, non tamen ſequuntur incommoda, quæ ex arbitraria inventione Ordinum ſeu Cœtuûm integrorum timentur: & ſi quæ incommoda ſunt, facilè per Ordinarium evitari poſſunt, ùt in Eremitis, & ſimilibus.

CAPUT. XVII.

An poteſtas ordinaria approbandi Religionem cum plenitudine in Solo Pontifice ſit?

1 Primò. Jure Divino competit Pontifici dicta poteſtas. Nam habet Juriſdictionem ſupremam ad paſcendam & gubernandam Eccleſiam in ordine ad bonum animæ: at dicta poteſtas eſt pars hujus Juriſdictionis, conſequenter excellentiori modo in Pontifice, quàm in Epiſcopis etiam collectivè ſumptis; ſicut generatim dicendum eſt de omni ejus poteſtate gubernandi Eccleſiam. Reſpicit enim ejus approbatio totam Eccleſiam, ſecùs ac Epiſcopalis, quamvis ut pro tota Eccleſia poteſt, ita & pro parte ejus approbare Religionem: ſicut beatificat Sanctum, quem non Canonizat; nam qui totum, etiam partem poteſt.

2 Secundò. Eadem poteſtas eſt aliquo modo in Epiſcopis, ùt ante Lateran. illam anticipârunt. Nam loquendo de Jure antiquo, Religioſi ſubſunt Epiſcopo, non tantùm generali modo, ſed ùt Prælato proprio, cujus eſt recipere Regularem, confirmare Præpoſitum, ejicere incorrigibiles &c. ergo multò magis ad eum ſpectat erectio, fundatio, vel introductio Monaſterii. c. *Diffinimus.* c. *De Monachis.* c. *Abbates* &c. 18. q. 2. Nicæn. c. 56. Dion. c. ult. de Eccleſiaſt. Hierarch. Nec enim veriſimile eſt, Religiones cœpiſſe ſine ullo examine Paſtorum, permittendo animas magno periculo: approbatio autem per ſe neceſſaria eſt ad mores perfectos Eccleſiæ: & Epiſcopus juxta Dion. ſuprà c. 5. eſt Perfector aliorum ex Officio: ergo ejusdẽ eſt docere viam perfectionis.

3 Tertiò. Nec de Jure naturali, nec de Divino poſitivo eſt, Epiſcopos non potuiſſe ante Lateran. erigere Monaſteria, niſi ſecundùm aliquam regulam de approbatis per Pontificem. Nam Religio quoad ſubſtantialia Conſilia eſt Jure Divino approbata, non ùt bona tantùm, ſed etiam ùt melior: quoad modum autem vivendi nihil eſt determinatum vi dicti Juris, ſed determinatur per prudentiam humanam, Spiritus ſancti gratiâ adjutam: ergo ſufficit authoritas Epiſcopi, ſtando in dicto Jure. Poteſt enim hìc omnia in ſua Diœceſi, quæ ad ordinariam gubernationem pertinent,

niſi Pontifex reſervet: licentia autem inſtituendi novum modum vivendi pertinet ad ordinarium regimeſt; & judicium de honeſtate talis modi poteſt eſſe evidens: ergo non eſt, cur determinatio ejus authentica per ſolum Pontificem fieri poſſit.

4 Improbabile autem eſt, omnia antiqua Monaſteria eſſe cœpta ſecundùm regulam aliquam approbatam à Pontifice. Nam tres tantùm antiquæ per Eccleſiam receptæ ſunt. c. *Perniciosam*, 18. q. 2. at ſine fundamento eſt, habuiſſe ſpecialem & expreſſam approbationem Papæ ante erectionem Monaſteriorum. De Regula enim Baſilii nullibi fit mentio, niſi in Synodo VII. habitâ 400. annis poſt mortem Sancti: nec etiam de Regula Auguſt. niſi anno 830. ſub Eugenio II. & in Rhemenſi Conc. ſub Carolo M. & in eodem ac Moguntino laudatur Regula S. Benedicti, & in c. *Gonſaldus.* 17. q. 2. & c. *Super eo.* de Regul. at ſupponitur, non datur, approbatio in cit. locis: ùt & à Gregorio M. ùt Doctore & Sancto, non ùt Pontifice. Vel ſi ipſe, aut alius vivâ voce approbavit, jam præceſſerant alia Monaſteria, ùt conſtat de regula Pachomii, quæ antiquior eſt Baſilio, & de iis, quorum meminit Auguſt. & in vita Martini Sulpitius & Greg.

5 Confirmatur. Quia in his Monaſteriis fuit certa Regula vivendi, aliàs confuſio, non Ordo fuiſſet: at diverſa fuit à Regula Baſilii, Auguſtini, Benedicti, utpote antiquior, quia duo Inventores non convenerunt actu in omnibus, ſed ſolùm cùm unum Monaſterium ab altero originem ducit, convenientia eſſe poteſt. Non deerat autem approbatio humana etiam Regulæ Pachomii, utut ab Angelo receptæ; quia quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt: ergo ſemper acceſſit approbatio ſive ipſius Conditoris, ùt Auguſtini, ſive Epiſcopi alterius.

Quartò. Confirmatio Pontificia habet certitudinē ſimpliciter infallibilem, & Epiſcopalis humanam tantùm. Nam Petro promiſſa eſt aſſiſtentia Spiritûs ſancti. Matth. 3. & Luc. 22. utique in gratiam Eccleſiæ, & tanquam Supremæ Regulæ viſibili, quæ ita dirigat univerſalem Eccleſiam, ut nec in fide, nec in moribus quoad doctrinam vel approbationem errare poſſit. At Epiſcopus nec approbat pro tota Eccleſia, nec eſt ſuprema regula, quæ corrigi nequeat, nec habet privilegium Perſonale Pontificis, cùm delegari nequeat, magìs quàm canonizatio Sancti. Non tamen ob hoc periculoſa eſt ejus approbatio, cùm non in omnibus æqualis certitudo requiratur, ſatíſque ſit, illum eſſe inſtructum in fide, prudentem, & utentem conſilio prudentûm. 6

Cano l. 5. de loc. c. 5. oppoſitum indicat, dicens: *In hoc ſæculo tam multæ ſunt Religiones, à Summo Pontifice confirmatæ, ut, qui eas omnes tueri voluerit, tanquam Eccleſiæ vel utiles vel neceſ-* 7

neceſſarias, hic imprudentiæ, ne dicam ſtultitiæ nomine Jure optimo ſummis rationibus arguetur. Sed diſtinguendum eſt duplex judicium; aliud eſt de honeſtate & ſufficientia talis Inſtituti, ut ſit ſtatus perfectionis acquirendæ; aliud prudentiale, an expediat, necne. In priore impoſſibilis eſt error Pontificis; nam approbando canonizat Religionem, ut ſanctam & honeſtam; ergo obligat fideles ad id credendum, ùt in Canonizatione Sancti fatetur Canon ſuprà c. pen. Bellar. Driedo, Maſcard.

8 Damnatur etiam in Conc. Conſtant. ſeſſ. 8 Wicleph. auſus damnare Religiones approbatas; & in Lateran. ſub Innoc. III. univerſim dicitur, bonam & piam eſſe Religionem authoritate Pontificis confirmatam, & S. Thom. Opuſc. 19. contra impugn. Relig. c. 4. ait: *Manifeſtè ſe damnabilem oſtendit, qui talem Religionem damnare conatur.* Nec enim minor authoritas eſt Pontificis docentis, honeſtè fieri, quæ Religio aliqua ſervat, quàm traditionis ſeu conſuetudinis univerſæ Eccleſiæ. At *de eo, quod univerſa Eccleſia facit, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Aug. ep. 118. c. 3.

9 Ratio eſt, quia licèt non omnes ſervent talem modum, tamen omnibus proponitur, ùt ſtatûs, quem quisque in ſuo ſtatu imitari poſſit; ergo Pontifex approbaret mala pro bonis, inducendo in errorem. Dein regula quælibet de ſe ſancta eſt, & ideo ferè ſub qualibet inventi ſunt viri valde ſancti: ſicque non poteſt eſſe error in ejus approbatione. Non enim in ſubſtantialibus veræ Religionis, quia evidentia eſt, ineſſe ſtatui; & quæ ex parte Pontificis requiruntur, adſunt in actu exercito. Rurſus conſtare poteſt & debet in his, quæ præſentantur, Conſilia ſervari præter præcepta, & tolli impedimenta perfectionis: eſto aliunde propter abuſus, vel alia, quæ citra expreſſam approbationem adduntur, miſceri illa poſſint, cùm aſſiſtentia Spiritûs ſancti deſit.

Sed neque in Judicio prudentiali 10
errari poſſe, ferè magis pium eſt: certúmque eſt, præſumendum eſſe, quamdiu de oppoſito non conſtat, c. *Quid culpatur.* 23 q. 1. & c. *Ad aures* de Temp. Ord. Oſtendi autem nequit error evidenter, aut nimietas: ergo non ſine graviſſima audacia non ſolùm defenſores Inſtituti, ſed multò magis authores Pontifices arguuntur ſtultitiæ. Solent enim hæc negotia cum magna conſultatione expediri: nec ſi Religio in ſe non habet, cur reprobetur, ex ſolo conſortio aliarum habet, cur reprobetur; quia multitudine & varietate bonorum non minuitur ullum, ſed extenſivè creſcit: & ne confuſio ſequatur, adhibetur, & ſufficit diſcretio Pontificis.

Quintò. Epiſcopus ſolemnizare 11
nequit votum, ſive in ratione impedimenti, ſive indiſſolubilitatis vinculi. Nam ſicut contractum matrimonii, ſi ex natura rei non eſt, in-

indiſſolubilem facere nequit, ita nec alios contractus, cùm tales Leges ſint ſupremi Principis, & ideo per ſe reſervatæ. c. *Majores.* de Bapt. Rurſus juxta c. un. de Vot. in 6. Profeſſio, quæ dirimat matrimonium, debet eſſe in Religione approbata, utique ſimpliciter, juxta uſum Jurium; quia aliàs approbatio nec eſt univerſalis, nec certa omnino, & ideo non meretur id nomen ſimpliciter. Rurſus Epiſcopus non poteſt facere inhabilem in tota Eccleſia, multóque minùs dare vim voto dirimendi matrimonium jam contractum; quia agitur præjudicium tertii.

CAPUT XVIII.

An poteſtas Jurisdictionis ſimpliciter neceſſaria ſit ad ſtatum Religioſum?

1 Primò. Neceſſaria eſt poteſtas Jurisdictionis ad Religionem inſtituendam. Nam prævia hujus inventio eſt ſolùm præparatio materiæ, & requirit vocationem & illuminationem Divinam, experientiam, prudentiam, & non modicam ſapientiam, & ante omnia maximam vitæ Sanctitatem. Approbatio autem conſequens eſt quaſi formæ introductio, & velut effectio ſeu creatio Religionis: ergo eſt actus Jurisdictionis. Nam eſt velut ſententia declaratoria, ſecum afferens executionem, cùm Inſtituto dat neceſſaria, ùt poteſtatem recipiendi &c.

2 Secundò. Ad conſtituendum Religioſum in tali ſtatu Jurisdictio requiritur ex parte acceptantis vota. Ita omnes Doctores ex c. *Ad Apoſtolicam.* & c. *PorreÆam.* de Regul. ubi Abb. cum poteſtate dandi Beneficia comparat dictam poteſtatem incorporandi Religioni, ùt vocat Gemin. Et latè utendo voce, meritò dicitur Jurisdictionis, quatenus omnis poteſtas gubernativa, vel adminiſtrationis ita vocatur, Jurisdictionem ſic adæquatè diſtinguendo à poteſtate Ordinis: quamvis magnus abuſus vocum eſſe poſſit, ùt in opinione Vaſq. & Ponce poſtulante ad Regimen Religionis Jurisdictionem &c.

Tertiò. Neceſſaria eſt in Prælato poteſtas gubernativa Monaſterii, & ſuo modo dominativa ſingulorum, diſtincta à Jurisdictionis poteſtate, & ſeparabilis. Propriè enim utendo vocibus Jurisdictio ſignificat poteſtatem ſpiritualem pertinentem ad claves Eccleſiæ, & à Chriſto datam, vel medio Vicario derivatam. Per Dominativam autem intelligitur Jus acquiſitum Religioni & Prælatis ejus, utique diſtinctum à Jurisdictione, quia nec in Jure Canonico, nec Civili dicitur Jurisdictio, niſi poteſtas publica & politica, quæ à Principe vel Republica manavit. 3

4 Ratio concluſionis eſt; quia Jus in Religionem transfertur per traditionem Religioſi: ergo eſt diſtinctum à Jurisdictione datâ per Chriſtum. Uſus autem dicti Juris eſt gubernatio ſeu applicatio Perſonæ ad hæc vel illa opera cum efficacia moraliter requiſita ad bonum Religionis & Religioſi: ideo enim ſtatus Religionis eſt ſtatus ſervitutis, diſtinctus à ſtatu communis ſubjectionis Fidelium: ergo ei reſpondet ſpecialis poteſtas dominativa. Rurſus ex hac naſcitur irritatio tam indirecta, quàm directa votorum; prior quidem, ùt in Domino, Marito, Patrefamilias &c. eſt, utique ſine Jurisdictione, ob ſpeciale Jus circa materiam voti: poſterior verò etiam non eſt Jurisdictionis, ùt patet in Patre; & aliàs egeret causâ, ùt diſpenſatio, nec Pontifici ita competit in Clericos, ùt in Regulares.

5 Quartò. Hæc poteſtas quaſi Dominativa & Domeſtica, ſine aliâ propriâ Jurisdictione, quæ ſit in Prælato immediato, ſufficit ad conſtituendum verum ſtatum Religionis. Conſtat exemplo Abbatiſſæ, antiquorum Monachorum, qui Clerici non erant, ùti nec S. Benedictus juxta Bonav. Satíſque eſt non conſtare de communicatione Jurisdictionis, quæ facta eis ſit, nec de effectibus ejus. Nam poteſtas puniendi &c. non ſufficit, cùm etiam ſit in Patre, Domino, Matre: & licèt omnis Jurisdictio in Principem translata ſit, adhuc homines per pacta & Societates conſtituere ſibi poſſunt Superiorem, in quo ſit poteſtas dominativa, non Jurisdictionis, ùt in Marito, Domino, Capite Collegii Civilis: quod ideo per ſe licitum eſt &c.

Quintò. Ad perfectum regimen Monaſterii neceſſaria eſt propria poteſtas Jurisdictionis in aliquo Prælato, ſaltem extrinſeco, & communi aliis Fidelibus. Conſtat inductione, ùt in Monialibus &c. & à ſimili in familiis, Collegiis licitis &c. quæ ſemper ſubduntur Jurisdictioni Principis: aliàs hæc manca eſſet, cùm neceſſe ſit aliquando gravioribus pœnis uti, quàm ferri poſſint per poteſtatem dominativam. Dein Perſonæ Religioſæ, quia Sacræ & Eccleſiaſticæ, ſunt ſub ſpeciali Dominio Dei & conſequenter Jure Divino & Eccleſiaſtico exemptæ à Jurisdictione Laicâ: ergo per ſe ſubjectæ Jurisdictioni ſpirituali, non quidem ùt ſpecialiter requiſitæ ad ſtatum Religioſum, ſed ùt generaliter præſuppoſitæ ad regendam univerſam Eccleſiam; nam eo ipſo, quòd dictus ſtatus inſtituatur, quaſi naturaliter ſequitur ſubjectio ad dictam Jurisdictionem. 6

Sextò. Dominativa per ſe eſt neceſſaria in Religione, non verò ita ab intrinſeco Jurisdictio. Nam illa ab intrinſeco ſequitur ex vi ſtatûs ratione obedientiæ & traditionis; ſemper tamen conjungitur cum Jurisdictione in Prælato vel intrinſeco vel extrinſeco Religionis: quia ſine acceptatione Eccleſiæ non conſurgit 7

dictus

dictus ſtatus, neque in Prælato Eccleſiaſtico eſſe poſſet poteſtas dominativa. At poſitâ acceptatione, licèt per impoſſibile in nullo Prælato eſſet propria Jurisdictio, jam intelligitur dictus ſtatus.

8 Septimò. Jurisdictio accomodatur ſubjectioni. Nam ſe habet, ùt virtus cauſæ univerſalis: hæc autem ad particulares effectus ex diſpoſitione materiæ determinatur: & ita alia Clericis, alia Monachis præcipi poſſunt. Quia ergo à Prælato habente Jurisdictionem incorporatio ad Religionem fit, juxta dicta ſuprà, eidémque ſe tradit Religioſus; conſequens eſt, ùt penes eundem præcipuè ſit poteſtas dominativa, ſícque una alteram poteſtatem juvet. Sic Epiſcopus nunc in virtute Sanctæ obedientiæ præcipit Monialibus, nunc cenſuram addit: idémque eſt de Generali vel Provinciali.

LIBER III.

De Authore ſeu cauſa efficiente Statûs Religioſi, eiúſque antiquitate.

CAPUT I.

An ſtatus Religioſus ſit proprius Legis Gratiæ?

1 Primò. Adumbratus fuit dictus ſtatus ante Legem Gratiæ. Ita Bern. S. Thom. Hieron. &c. & ſumitur ex Hebr. 11., ubi ſignificatur paupertas voluntaria. Et Iſ. 56. conſolatur Dominus Evnuchos: facitque Sap. 13. *Felix ſpado* &c. ſi quidem ibi de Caſtitate agitur. Exemplum obedientiæ præceſſit in filiis Prophetarum habitantium cum Eliſæo, Rechabitis, & Eſſenis.

2 Secundò. Status Religionis abſolutè & ſimpliciter, & prout includit omnia, quæ de ſubſtantiali eius perfectione ſunt, eſt proprius Legis Gratiæ. Nam Lex *nihil ad perfectum adduxit* Hebr. 7. nec tanta perfectio cadebat in tempus infantiæ, ſeu pueritiæ Gal. 4. Decuit autem, ut ſicut à Chriſto tradita eſt nova Lex pro toto mundo, ita ab eodem intra Eccleſiam traderetur nova vivendi ratio. Rurſus dictus ſtatus maximè conſiſtit in imitatione Chriſti: at hujus diſtincta cognitio non erat; vel ſi erat, apud paucos tantùm, non tamen experimentalis, & quoad mores Chriſti; & ſaltem ad ſtatum publicum inſufficiens.

3 Confirmatur. Quia licèt Elias ſervârit virginitatem, non tamen conſtat de voto ejus. Nam licèt olim voverint Sacrificia, non tamen res perpetuas, & adeò arduas, ſpectando communem obſervantiam. Et ideo Patres votum B. Virginis, & S. Sponſi cenſent factum ex revelatione, vel inſtinctu æquivalente. Similiter non conſtat, Eliam ſine omni dominio fuiſſe, ſaltem ante præceptum recedendi; nam ne de victu ſollicitudo eſſet, facta eſt mentio de Corvo, & de vidua Sareptana. Idem eſt de Eliſæo; quia licèt hoſpitio recipi conſueverit, tamen quaſi coactus 4. Reg. 4. & ibidem præcipit: *Pone ollam grandem &c.* ut ſuos tempore famis paſceret. Denique licèt obedientia fuerit in filiis Prophetarum, ùt in omni Societate; unde conſtat de Voto? Idémque eſt de Rechabitis, deſcendentibus Nazaræorum; nam ſeclusis certis cæremoniis, vivebant mòre communi. Eſſeni autem vel fuerunt Chriſtiani, ùt vult Hieron. vel juxta alios impliciti erroribus, & divites &c.

Tertiò. Votorum ſolemnium exemplum non eſt, aut veſtigium in antiquitate. Patet quoad vim dirimendi matrimonium: & ideo Pontifices rectè confirmant, aſſerendo illa eſſe ex Jure Eccleſiaſtico, utique per poteſtatem ſpecialem à Chriſto datam. Idémque argumentum fit de voto Paupertatis. Unde etiam quoad vota ſimplicia diſtinguendum eſt: quia licèt ſtatus eorum occultus, & apud Deum eſſe potuerit, quamvis non præſumatur, ùt dictum eſt; tamen ùt eſt ſtatus publicus, & apud Eccleſiam, nullo probabili fundamento tribui poteſt legi veteri; quia requirit ſpecialem poteſtatem acceptandi vota, quæ eſt ſupernaturalis, ſicut poteſtas ligandi & ſolvendi. 4

CAPUT II.

An Religioſus Status à Chriſto ipſo fuerit inſtitutus?

1 Primò. Conſtat, eſſe inventum Sanctum. Ita Catholici omnes contra hæreticos, qui ab initio Eccleſiæ & ſtatum & Perſonas ipſas acerrimo odio perſecuti ſunt, ùt Ariani, Donatiſtæ, Helivid. Jovinian. & alii, de quibus referunt Athanaſius, Auguſt, Chryſoſt. Hieron. & in Conſtantien. damnatur Wicleff dicens, eſſe inventum diaboli: alii verò voluêre, eſſe inventum merè humanum, ſæpe variatum in ſubſtantia, nec ſine interruptione durâſſe in Eccleſia. Sed aliud eſt loqui de nuda ſubſtantia ſtatûs; aliud, de eadem, ut determinatâ ad certam regulam, & veſtitâ talibus accidentibus &c. &c.

Secun-

2 Secundò. Status Religionis quoad ſubſtantiam ab ipſo Chriſto immediatè traditus & inſtitutus eſt, dicíque poteſt eſſe de Jure Divino, non præcipiente, ſed conſulente. Ita Patres & omnes Catholici rectè ſentientes; conſtátque ex locis Scripturæ, quibus Chriſtus exhortatur ad tria conſilia. Nec dicas, ſingula tantùm laudari, non verò ùt componentia unum ſtatum: quia ſi ſingula per ſe laudantur, à fortiori omnia ſimul, cùm alterum alteri non obturbet, ſed invicem juventur. Dein omnia junctim extant. Matth. 16. *Qui non reliquerit* &c. & juxta Patres & contextum in rigore & propriè intelliguntur de actuali renuntiatione, & non tantùm in præparatione animi. Rurſus illa: *Vende omnia &c. & ſequere me*, ſupponunt Caſtitatem; aliàs & ſequela impeditur, & theſaurizatio per pauperes &c.

3 Tertiò. Chriſtus inſtituit dictum ſtatum, quoad omnia, quæ de ejus ſubſtantia ſunt, licèt non quoad circumſtantias; ídque ſufficit, ut ſimpliciter dicatur dictũ ſtatum inſtituiſſe. Sic enim inſtituit Sacramenta & Sacrificiũ; & res ſimpliciter dicitur ratione ſuæ eſſentiæ. Dein ultra vota Chriſtus conſulit traditionem ſui (quæ eſt de eſſentia dicti ſtatûs) ut Patres omnes intelligunt illud, *Abneneget ſemetipſum* &c. de abnegatione & abdicatione propriæ libertatis ac voluntatis, maximè propriæ homini, ùt ſic. Nec per *Sequere me* ſignificatur imitatio, ſed ſequela realis, quocunque ego iero & voluero, dando te ipſum mihi, ut ad nutum meum movearis. Sic enim uſus perpetuus (interpres optimus ùt legum, ita & conſiliorum) intellexit, dimanans ab Apoſtolis

Dices: Si Conſiliorum ſtatus per ſe & ex natura bonus, ac melior oppoſito eſt, ergo Chriſtus ſolùm illum tradidit docendo, non inſtituendo, ſicut propriè non inſtituit prohibitionem uſuræ, & diſſolutionis Matrimonii. Dein inſtitutio debet eſſe in particulari: at nulla Religio inſtituta eſt à Chriſto. Reſp. ſtatum inſtitutum eſſe non tantùm per doctrinam, ſed & per poteſtatem ejus, cùm votis adjecit poteſtatem ſuo nomine acceptandi traditionem Religioſi: in hac enim mediat Eccleſia; ſecùs ac in voto, quod DEO ipſi immediatè in ſe fit: ſícque dictus ſtatus nunc eſt publicus & in foro Eccleſiæ. 4

Dein aliud eſt inſtituere, aliud efficere rem: nam ad illud ſufficit deſignare ſubſtantiam talis rei, ſeu velle, ut tali vel tali modo fiat, abſtrahendo à particularibus, & ab omnibus etiam accidentalibus, ſi neceſſe ſit. At facere eſt exercere vel illo ponere rem à parte rei in hoc vel illo individuo, ſíquè Chriſtus omnia Sacramenta inſtituit, non tamen 5

men omnia fecit vel contulit. Inſtituit erga omnem Religionem, quatenus Religio eſt: at nullam in particulari, ſed ſtatum ſecundùm ſe & immobiliter, ſicut Baptiſmum ſimpliciter, non hunc vel illum in particulari.

6 Quartò. Chriſtus Religionem etiam in particulari fecit. Ita notant Augſt. Chryſoſt. Bern. de Religioſo ſtatu Apoſtolorum; nam Chriſtum ſecuti ſunt per vota, tanquam immobiliter ei adhæſuri, & ùt vocati ad vitam mixtam, capturam piſcium, quæ ſupponit contemplationem. Et ideò Act. 1. Judas dicitur prævaricatus de Apoſtolatu, quod propriè eſt deficere ab officio & fide data. & Act. 6. dicitur: *Non eſt æquum nos derelinquere Miniſterium verbi &c. &c. nos autem Orationi & Miniſterio verbi inſtantes erimus.*

Nec dubitari poteſt, quin Chriſtus, 7
cùm in Apoſtolis eſſe vellet primitias Spiritûs, & ſemen omnis perfectionis, quod in Mundo ſpargeretur, illos primùm & maximè poſuerit in ſtatu, quo cæteris, quos vocaturus eſſet ad ſui ſequelam, exemplo eſſent omnigenæ perfectionis. Nec ad hoc egebant regulâ mortuâ, cùm adeſſet viva, jamque perfectos deinceps regeret Spiritus Sanctus; & ex parte hominum ſufficeret influxus Petri.

CAPUT III.

An Status Religioſus perpetuâ traditione duraverit, & ſine interruptione?

1 Primò. Quòd cœperit & duraverit à tempore Eliæ, nec improbatur, tanquam evidenter falſum, nec etiam probatur. Nam nec Scriptura, nec Joſephus, nec alius Author antiquus ejus meminit: nec apparet, quomodo durârit ſtatus tempore Captivitatis Judaicæ, aut pòſt denuo excitatus ſit. Minùs verò veriſimile eſt, Joannem profeſſum eſſe ſtatum illum ſpecialem aliter, quàm imitatione, & in ſpiritu Eliæ ducendo vitam aſperrimam, aut reliquiſſe ſucceſſorem Inſtituti, niſi ſolùm excitando ad vitam ſimilem.

Secundò. Continuatus fuit ſtatus Religioſus à tempore Chriſti, & 2
perpetuò duravit in Eccleſia. Ita communis conſenſus Patrum; éſtque veritas per ſe probabilis, ſuppoſitis, quæ de Apoſtolis dicta ſunt. Nam uti naturæ, ita Gratiæ appetitus eſt generare ſibi ſimile 1. Cor. 7. *Volo autē Vos omnes eſſe, ſicut me ipſum.* Nec verbum Apoſtolorū hîc tantùm otio-

otioſum fuit, aut vacuum rediit, ſed ut in aliis cum ſumma efficacia trahendo, ùt ad Votum Paupertatis Act. 4. & 5. ita ad ſtatum ipſum, quem ſciebant perfectiſſimum eſſe.

3 Nec propterea infertur, totam Eccleſiam fuiſſe tunc unam Religionem; nam nec Lege aliquâ obligabantur fideles, nec deerant uxorati, nec etiam Hieroſolymis omnes profitebantur paupertatem, ùt ſatìs indicant illa: *Nónne manens tibi manebat?* More ergo Scripturæ tribuitur omnibus, quod in pluribus de multitudine eſt, ùt dixit Abbas Piammon apud Caſſ. *Talis erat tunc omnis Eccleſia, quales nunc perpaucos in Cœnobiis invenire difficile eſt.* Similiter enim hiſtoria Sacra habet: *Nullus eorum aliquid ſuum eſſe dicebat.*

4 Tertiò. Religio Clericorum congregari cœpit ex primaria intentione Apoſtolorum, & deinceps continuata eſt. Ita Pius IV. in quadam Bulla apud Navar. Comentar. 4. de Regular. & ſumitur ex c. *Præter* d. 32. c. *Dilectiſſimis.* c. *Neceſſaria.* c. *Nulla* c. *Quia tua.* c. *Scimus* 12. q. 1. Monétque Urbanus in dicto c. *Scimus* Clericos de ſervanda paupertate, quam voluntariè voviſſent, negans, ſecluso voto eos coactum iri. Sic ergo congregatos cum dicto Voto, per ſe probabile eſt, fuiſſe veros Religioſos, cùm & Votum Caſtitatis haberent, & Obedientia per ſe neceſſaria eſſet in communitate.

Nec tamen neceſſe fuit, ut omnes eundem ſpecialem finem ſequerentur, ùt Titus, Thimotheus, & *alii viri primarii in fratribus* Act. 15. Similiter Epiſcopi ſuos congregaverunt in eundem finem, ùt Ignatius meminit in Ep. ad Smirnenſes: ſícque Auguſtinus morem, qui jam remittere cœperat, ſolùm inſtauravit, creditúrque Gelaſius ejus Diſcipulus fuiſſe, qui in Eccleſia Lateranenſi Canonicos congregavit, inſtituto durante (ùt refert Onuphrius) uſque ad tempora Bonifacii VIII. ſub quo modus hic vivendi Epiſcoporum & Canonicorum mutatus eſt in Monaſteria, retento nomine Canonicorum, ſive quia aliis ſucceſſerant, ſive ob vitam regularem. 5

Quartò. Ordo Monachorum ex primæva inſtitutione eſt Laicorum, ùt ſumitur ex Dion. Areopag. éſtque ſimiliter antiquiſſimus, cùm omnes Patres loquantur de re tanquam antiquiore, utut antiquiſſimi ſint, ùt Tertull. Cyprian. Hieron. Nam cùm creſceret multitudo Fidelium, non potuit tota ſequi ſtatum perfectionis: ſícque Congregatio quorundam facta eſt, utique ab ipſis Apoſtolis ſic inſtituta. Et primo quidem ſæculo floruerunt Monachi ſub Marco, non certè illico extincti. In Secundo (anno ſcilicet 163.) Helenus erexit inſigne Monaſterium Alexandriæ, cui præfuit Eugenius paſſus ſub Gallieno 6

circa annum 255. In Tertio ſcripſit Hyppolitus de conſummat. *Paſtores fient quaſi lupi : Monachi expetent, quæ ſunt mundi* ; eodémque floruit Antonius. De poſterioribus verò ſæculis indubitata res eſt etiam ipſis Hæreticis. Denique ſub Monachis comprehendi poſſunt Moniales, & Virgines velatæ, ùt Iphigenia, Thecla, Petronilla, Martha &c.

CAPUT IV.

An ſtatus Religionis in Exordio Eccleſiæ fuerit ejuſdem rationis cum præſenti?

1 Primò, Status Religionis quoad ſubſtantiam ſemper fuit ejusdem rationis. Nam quoad illam eſt à Chriſto : Jus autem Divinum eſt idem ubique, & immutabile. Dein vel hodiernus ſtatus eſt merum inventum humanum, vel ſimul cum antiquo, ſuppoſitâ ſuâ differentiâ, eſt inſtitutus? Non primum, ùt demonſtratum eſt ſuprà. Et prætera excidiſſet inſtitutio Divina in re maximè pertinente ad perfectionem Eccleſiæ. Non 2dum, quia oſtendi oporteret ex Scriptura, rraditione &c. Inſtitutionem differentium ſtatuûm, & in quo differant. Conſtat enim de utriuſque convenientia in tribus Votis, & mancipatione hominis ad Dei obſequium, quæ ſola de ſubſtantia ſunt.

2 Secundò. Etiam in ritibus Religioſis, ſaltem in communi ſumptis, reperitur convenientia moderni cum antiquo ſtatu Religionis. In Communi, inquam, quia ſi in particulari ſumantur, conſtat, pro ratione temporum mutationem factam eſſe, nec omnes modos eſſe æquè antiquos, ſed cùm humanum inventum ſint, mutationi obnoxios, & ideo egere examine & approbatione. Igitur quoad habitum conſtat de fœminis velatis ; & quoad Monachalem agunt Dion. Baſil. Bened. Caſſian. Chryſoſt. Nilus, Hieron. De Clericis ſolùm videtur, quòd uſui honeſto ſe accommodârint, curando ſimplicitatem & honeſtatem veſtium, tegentium totum hominem, ùt olim in Chriſtianis omnibus. c. *Parſimoniam*. d. 41. & c. 1. 2. q. 4. & Hieron. Ep. 2da. *Ornatus & ſordes pari modo fugienda ſunt.* & Bern. dicere Solebat : *Tunica ſordibus obſoleta teſtis eſt deſidiæ atque ſocordiæ.*

Rurſus de communi habitatione Religioſorum conſtat ex Philone, & maximè à tempore Baſilii, ùt latè tradit Caſſian. cum aliis Patribus, præſertim Auguſtino quoad Clericos. Denique exercitia erant dupli- 3

cis

cis generis, nempe in cantando officio Divino, & operibus manualibus, ùt conſtat ex *Baſil.* Auguſt. Bened. Caſſian. Et Auguſt. de Mor. Eccl. c. 31. ait: *In communem vitam caſtiſſimam, ſanctiſſimámque congregati ſimul ætatem agunt, viventes in orationibus, lectionibus, & diſputationibus: operantur manibus, quibus & corpus paſci poſcit, & à Deo mens impediri non poſſit.*

LIBER IV.

De Voto aſſumendi ſtatum Religionis.

CAPUT I.

An Votum hoc bonum, & validum ſit?

1 Primò. Eſt bonum & validum, per ſe loquendo. Eſt de Fide, ùt ex comuni uſu & ſenſu Eccleſiæ conſtat; nam & materia eſt optima, & addito Voto fit melior. Nec enim morale eſt, ut quis citra moram & ſtatim ingrediatur Religionem; ſícque propoſitum rectè firmatur Voto, utíque per ſe loquendo, ſeu rem conſiderando ex genere, & ſpecie ſua: quia an hîc & nunc expediat, particulares circumſtantiæ conſiderandæ ſunt. Congruitque matura ætas; quia pueri, ut perſuadentur, ita mutantur facilè: cùmque abnegatio ſui perfecta res ſit graviſſima, plus deliberationis poſcit, quàm negotia alia, imò & Vota.

2 Primùm autem omnium examinanda eſt Divina vocatio, & inſpiratio c. *Duæ ſunt.* 19. q. 2. cùm induci nemo debeat inductione importunâ, aut omninò antecedente voluntatem alterius; quia vel læditur libertas, vel fit periculum violandi Votum, aut implendi cum triſtitia. Secùs eſt, ſi Conſilium petitur, & Votum judicatur expedire propter periculum mutationis: nam tunc agi poterit non quidem precibus, ſed rationibus, iíſque non humanis, ſed divinis. Attendi etiam debet conditio Perſonæ quoad habitum corporis, aliáque hujus vitæ impedimenta, an expediat Votum.

3 Secundò. Si Votum ingrediendi Religionem eſt abſolutum, obligat ad ſtatim, per ſe & moraliter loquendo. Nam ita obligat quodlibet Votum: ergo maximè, quod fit de tota vita Deo conſecranda. Dein ſi terminus executionis apponitur, intelligi debet de non differendo, non de extinguendo, juxta

dicta in genere de Voto. Porrò impedimentum, ſiquidem ſufficiens eſt, excuſat, quamdiu eſt, conſequenter vel ad tempus, vel pro ſemper. Quòd ſi agitur de differendo tantùm, ſufficiet impedimentum etiam negativum, ſeu cauſa per ſe rationabilis, quæ ex illo oritur, ùt ex ætate tenera, defectu ſcientiæ &c. ut per vires, doctrinam &c. reddatur quis magis idoneus. Sed opus eſt bonâ fide, ut vera utilitas Religionis & propria intendatur, & non dilatio, itémque ut caveatur periculum vel implicationis in Sæcularibus, vel multiplicandi peccata; ſicque plus detrimenti ſit in dilatione, quàm utilitatis ex ſtudiis.

CAPUT II.

Quomodo hoc Votum obliget ad ingreſſum Religionis?

1 Primò. Obligat ad procurandam admiſſionem, nec antequam recipiaris, obligatio alia eſt. Nam quia promittitur aſſumptio ſtatûs, & hæc à petitione inchoari debet; per ſe primò ad petendum obligatio eſt, non verò ad Caſtitatem, Paupertatem &c. cùm ad hæc non intendat ſe obligare manens in ſæculo. Quodſi poſt ſufficientem diligentiam repellitur, ergo fecit, quod debuit: ſin admittitur, etiam habitum ſuſcipere tenetur; cùm voverit ingredi cum effectu. Tenetur etiam vitare impedimenta, ut maximè eſt matrimonium; nam particula excluſiva, *nec alia obligatio eſt*, non excludit concomitantia.

2 Secundò. Si intentio præcisè & primariò ad hunc locum in individuo fuit, Votum non obligat petere vel ingredi alium. Ita communiter Summiſtæ. Nam hic locus tunc eſt materia adæquata Voti, quæ non ſumi debet ex natura rei; ſed ex intentione voventis, quæ ut potè libera, non fertur in Religionem ùt ſic, aut talem ſpecie, ùt ſupponitur: ergo ſufficit, ingreſſum hujus loci eſſe impoſſibilem, conſequenter non partem, ſed totum, quod cadebat ſub Votum. Secùs erit, ſi intentio fuit ad Religionem in communi, quamvis poſtea ex devotione ad talem locum applicata fuerit. In dubio autẽ non teneor ad vinculum majus, eo ipſo quia de illo, ùt majus eſt, ſeu de Religione in communi dubitatur.

Tertiò. In procurando ingreſſu, 3 niſi de contraria intentione conſtet, ſufficit diligentia, quæ aliàs ad grave negotium peragendum ſufficiens eſt. Nec enim ordinariè major diligentia intenditur: ſtatur autem ordinariâ intentione, quamdiu aliud

ud non conſtat : ergo non teneor ad importunas preces, nec ad multiplicandas, quia non eſt major ratio de hoc, quàm de illo numero : & ideo poſt primam repulſam definitam ceſſat obligatio, eſto alius Prælatus deinceps reciperet. Similiter non teneor aperire Votum; quia mea obligatio nec eſt conditio neceſſaria, ut recipiar, nec motivum de ſe idoneum. Sin expectare jubeor, dilatio non debet eſſe nimia, ut prudenter credar noluiſſe obligari cum tanto onere, quia non volui ſemper manere ſuſpenſus & quaſi pendere à voluntate Religioſorum : éſtque notandum etiam pro aliis modis Voti.

4 Quartò. Si Votum eſt de tali Religione in ſpecie, petitio multiplicanda eſt, donec aliquis locus pateat. Nam ſine dubio dictum Votum univerſalius eſt, quàm reſtrictum ad locum individuum : ergo cum obligatione disjunctiva, ſi hic vel ille locus recipiat : ſicut, ſi conditio fuit, ſi Petrus vel Paulus conſentiat, non ſufficit ab uno petiiſſe: ſicque per ſe & formaliter loquendo, conceditur, diſcurrendum eſſe per omnia Monaſteria. At intentio poteſt eſſe reſtricta, & non ſimpliciter ad Religionem in ſpecie, ſed ùt eſt intra Patriam, vel loco non valdè diſſito, ùt maximè in Voto feminæ. Sicut autem Dialectica inductio fit numeratione plurium particularium, non omnium; ita in præſenti ſufficit numerare illa, ex quibus probabile ſit, eandem rationem eſſe de cæteris.

Unde regulariter ſufficit, tria vel quatuor loca præcipua adiiſſe, & aliquando pauciora, ſi ſtatim notabilis fit inductio univerſalis : aliquando autem ſecùs erit propter diſſimilitudinem morum in diverſis Monaſteriis, ita ut repulſa in uno cenſeri nequeat repulſa in aliis. Ceſſátque caſus, ſi Provincia uni ſubeſt. An verò adeundus ſit Generalis, pendet ex ſpe & intentione. Denique ſi diverſæ regulæ ſint in una Religione, ùt S. Franciſci, apud utroſque inſtandum erit, niſi intentio reſtricta ſit ad arctionem potiùs quàm laxiorem regulam. 5

Quintò. Idem à fortiori eſt, ſi Votum eſt de Religione in communi, quamvis ſatisfiat ingrediendo quamlibet, per ſe loquendo. Nam quia ſubſtantialis eſt diſſimilitudo tot Religionum, ex repulſa in una non tam facilè conjectura fit de repulſa in alia. Qui autem abſolutè & indefinitè Religionem vovit, non vult, niſi ſubſtantiam Religionis citra determinationem aliam : at in qualibet approbata ſervatur integrè & perfectè ſubſtantia Religionis : ergo perperam excipitur Religio Canonicorum, vel etiam Militum S. Joannis 6

nis, juxta Arag. Azor, Sayro &c. Quia ſi debitè ſervetur, eſt ſtatus perfectionis, & æquè difficilis, quàm alii, in quibus ſine controverſia expletur Votum. Denique, ſi nullibi pateat aditus, ceſſat obligatio; quia extra communitatem de facto non eſt Religio, nec in ſæculo ſemper tenetur quis manere expectans & ſuſpenſus.

7 Sextò. Obligat dictum Votum ad tollendum defectum, ob quem quis repellitur, ſiquidem citra gravem difficultatem tolli poſſit. Nam qui ad aliquid obligatur, conſequenter tenetur ad media neceſſaria, præſertim ſi extraordinaria & nimìs ardua non ſint, ſicque dictum Votum ſine dubio obligat ad reddendum ſe habilem, ut recipiatur, ùt ad diſcendam Grammaticam, ſi ſit in ætate competente, & nolit eſſe contentus gradu Laici; nam ad hunc abſoluta obligatio non eſt, eſto ſciverit impedimentum, quia odinariè putant ſe id poſſe removere. Semper tamen intentio expendi debet, quæ ſumitur vel ex voluntate expreſſa Sacerdotii v. g. vel ex qualitate & ſtatu voventis, conſiderato ſimul uſu Perſonarum talis conditionis circa aſſumptionem Religionis: nam inde ſatìs determinatur, quæ fuerit intentio, & ſenſus verborum.

Quòdſi ſtatum Laicum quis vovit, non tenetur addiſcere officium nimìs difficile vel laborioſum, de quo non cogitavit, imò ſi aliàs utilis eſſe poteſt, nec aliud, quod de ſe facile ſit, & in Religione ſatìs addiſcitur: nam diſpoſitio, quæ ſic petitur, nec eſt neceſſaria, nec medium per ſe ordinatum, ſive ſimpliciter, ſive in tali perſona, & ideo vi Voti obligatio non eſt ad id præſtandum. 8

CAPUT III.

An & quomodò votum Religionis obliget ad perſeverandum in ea, emittendo Promiſſionem?

1 Primò. Si abſolutè ſit dictum votum, non obligat omnino abſolutè ad perſeverandum. Ita omnes Doctores: non enim cenſetur quis renuntiare favori Juris, ſed ſubintellectâ conditione, niſi poſt ſufficientem experientiam judicaverit aliud expedire.

Secundò. Obligat dictum votum ad perſeverantiam, ſi hæc judicetur expedire. Nam votum per ſe non ſit propter ingreſſum tantùm, ſed ob ſtatum ipſum ſuſcipiendum: aliàs ſufficeret ingredi cum animo non perſeverandi, ſive expediat, ſive non, quod eſt contra omnes, 2

& abſurdum, utpote modus imprudentiſſimus ingrediendi, & contra finem & inſtitutionem ingreſsûs. De ratione enim Probationis, ad quam obligat votum, eſt, ut res, ſi reperitur expediens, aſſumatur; vel ſi ſecùs, relinquatur: aliàs fictio eſt, non probatio.

3 Tertiò. Non requiritur Judicium definitum, quòd perſeverare minùs expediat animæ. Nam ſufficit, ſi quis timeat periculum gravioris mali ſpiritualis propter tentationes, quas experitur: vel ſi non ſperat, ſe Deo ſervire poſſe cum gaudio & tranquillitate: vel ſi credat, vires ſuas minores eſſe, quàm ut ferri poſſint onera ſine crebris diſpenſationibus, aut animi perturbatione: vel certè graviora experiatur, quàm credidit. Nam Lex Eccleſiæ de libertate probandi comprehendit hos omnes caſus: nec intentio obligandi fuit, niſi cum alacritate animi, & ſufficientibus viribus onus integrè ferri poſſit.

4 Neque ſequitur, idem ſic eſſe de vovente, & non vovente; nam hic etiam citra cauſam diſcedere poteſt, licèt non citra honeſtum finem licitè mutet propoſitum. Si autem vi pacti mutui obligaretur; ergo mortaliter peccaret, ſicut Religio ſine cauſa eum dimittens: ergo pactum non eſt mutuum, ſed obligatio propria Religionis ex Juſtitia legali, & Charitate: nam & privat hominem gravi bono, & exponit gravi periculo. Rursúmque abutitur poteſtate, cùm ex officio curare teneatur bonum Religionis, ferendo juſtum judicium. Lex denique unum vult, & alterum permittit; quia vult, ut jugum cum perfecta libertate ſuſcipiatur, & ideo non obligat: conſequenter permittit diſceſſum etiam citra cauſam.

Quartò. Qui poſt votum Religionis in communi ex cauſa egreditur, non eſt de facili obligandus ad locum alium requirendum, quaſi nondum facta ſit virtualis probatio totius Religionis. Nam licèt res pendeat ab intentione, tamen quamdiu non aliud conſtat, vovendo ſimpliciter, ſolùm vovit ingredi: ergo ſemel, ſicut ſi vovit jejunare, dare eleemoſynam &c. cùm ad veritatem indefinitam ſufficiat una particularis: & aliàs cogi quis poſſet ad probandam Religionem plùs quàm per annum. 5

CAPUT IV.

Ad quid obliget votum profitendi, ſeu perſeverandi in Religione?

1 Primò. Poteſt quis renuntiare Juri ſuo quoad ſe, quantùm ad probationem, ut vi voti licitè egredi nequeat. Nam juxta Jus antiquum con-

conſtat, eſſe dictam poteſtatem, nec à Trident. ſublata eſt, niſi quoad Profeſſionem. Ex identitate autem rationis nihil colligitur, quia irritatio eſt res graviſſima: ergo ſi plus intenditur Seſſ. 25. c. 26. exprimi debuit. Solùm ergo excluditur coactio in foro externo, ùt eſt pactio inter Religionem & Religioſum: quæ autem interior eſt, habet alia media, ſecùs ac Profeſſio.

2 Secundò. Niſi conſtet de ſpeciali & expreſſa renunciatione, non intelligitur excluſa vi dicti voti. Nam utut abſolutum appareat, intelligitur juxta formam Juris eſſe, ùt eſt principium Juridicum, & poſtulat in præſenti propenſio totius Juris, præſertim Trid. Facítque à ſimili c. *Statuimus* de Regul. ibi. *Niſi evidenter appareat* &c. Nec refert ſuperaddi alterum alteri modo vovendi; nam intelligentes repetunt tantùm, clariùs explicando, quid voverint; alii putant, repetitionem magis obligare: alii neſciunt, quid diſtinctè voverint; & ideo intentio ſecundùm Jus accipitur, & ſi quid aliud cogitant, tribuitur ignorantiæ.

3 Tertiò. Tenet renuntiatio, ſi expreſsè intenta eſt per votum, quamvis etiam in ſic ligato ſtet veritas probationis. Nam nec poteſtas deeſt ſic ſe obligandi, nec voluntas neganda eſt, *Si evidenter appareat*; eſto excluſæ non ſint omnes conditiones, ùt 1. Si Profeſſio illicita eſt, vel non tuta in conſcientia propter defectum, quo cognito, Perſona expelleretur; vel ſi prudenter quis judicet, ſe non poſſe ſervare ſtatum propter crebra mortalia. 2. Si judicet, ſtatum obſtaculum ſibi fore, non medium Perfectionis: ſic enim ceſſante fine Legis adæquato, etiam privata Lex ceſſat. 3. Quoties quid emergit, vel denuo cognoſcitur, quod initio impediſſet votum, etiam impedit obligationem jam emiſſi. Hoc tamen non enervatur propter minorem mutationem, eſto difficilius reddatur.

Quartò. Perſtat dictum votum, ſi diſceſſus ſit illegitimus, vel ex cauſa non perpetuâ, vel perpetuâ quidem reſpectu talis loci, non tamen adæquatâ toti materiæ voti. Nam licèt quis poſſit vovere Profeſſionem, non ùt obtinendam omnibus modis, ſed ordinario, ſeu uno ingreſſu: tamen quamdiu de hoc non conſtat, ſufficit conſtare de voto perſeverandi, non obſtantibus, ſed ſuperatis difficultatibus: ergo & præſens cenſetur comprehenſa. 4

CAPUT V.

CAPUT V.

An ſimplex votum Religionis dirimat ſponſalia, & impediat matrimonium?

1 Primò. Si fit poſt conſummatum matrimonium, tantùm obligat poſt mortem conjugis, vel hujus conſenſum, ſervato Jure in aliis. Nam quia eſt de licito & meliore, eatenus valet, & obligat, ut per ſe conſtat poſt obitum conjugis. Vel ergo in hoc tempus fertur intentio, vel in tempus præſens? Si 1mum, conſenſus alterius non refert, quia nemo tenetur ſolvere ante tempus in promiſſione præſcriptum; & limitata cauſa limitatum parit effectum. Si 2dum, ergo dato conſenſu in forma Juris, ad ſtatim obligatio eſt, & etiam deinceps: ſi autem negatur, differtur obligatio, non extinguitur, niſi aliud expreſſum ſit, ne nimia ſit ſuſpenſio. Quia verò ſolùm eſt obligatio Profeſſionis faciendæ, non factæ, debitum & redditur & petitur licitè.

2 Secundò. Poſt matrimonium ratum dicti voti obligatio eſt abſoluta. Nihil enim impedit executionem: ergo nec reddi debitum licitè poteſt, nec peti; quia contrahitur impedimentum merè voluntarium, non per redditionem propriam, ſed cooperationem voluntariam. Nec excuſat promiſſio conſenſûs, quia ſtat periculum evidens, & alter poteſt nolle continere. Poſito tamen impedimento, ceſſat ulterior prohibitio petendi; quia ſolùm fuit indirecta ratione impedimenti. Sed quid poſt lapſum temporis à Jure præſcripti? ℞. diſtinguendo: quia alter vel ſtatim petit, vel poſt moram petit, vel à petendo abſtinet, etiam à tacita petitione?

S 1mum, jam exigitur Jus; ideo enim tempus præſcriptum eſt: & ſi ſæpius petitio facta eſt, denegatio ſine dubio mortalis eſt. Si 2dum; per moram alter tacitè ceſſit Juri ſuo: ergo vovens nondum fuit in mora, ſicque non tenetur cedere primæ petitioni, niſi tacita præceſſerit, obſtante verecundiâ, timore reverentiali, vel ſimili reſpectu. Nec propterea quòd quis ſit in anguſtiis reddendi, petere poteſt, cùm quomodocunque valeat Profeſſio, ſolvat vinculum, & aliàs augeatur impedimentum. Si 3tium conſtat propter ſolubilitatem vinculi, etiam ſine poſitivo conſenſu alterius c. 2. cum ſimilibus, de Converſ. Conjug. continentiam & licitam eſſe, altero non exigente Jus, & debitam conſequenter vi voti. 3

Tertiò. Si dictum votum ſit poſt ſponſalia, etiam jurata, obligat ad ingreſſum, ſicque illa ſolvit. Ita Nav. Lop. Henriq. Sanch. Leſſ. & alii 4

alii communiter. Sequitur à fortiori ex dictis de voto Caſtitatis, & in puncto ſuperiore. Quamvis enim votum non obliget ad non contrahendum matrimonium ſine animo conſummandi, ſi abſit periculum oppoſiti: tamen quia Juramentum includit conditionem melioris frugis, contractus nec neceſſarius eſt c. *Pervenit.* 2. de Jurejur. c. *Scripturæ* de voto, nec regulariter conſulendus.

5 Nec obſtat c. *Commiſſum* de Sponſal. quia nec fuit periculum in contrahendo, quia votum non fuit, ſed electio melioris, nec dicitur *Tutius*, ut per ſe & in conſcientia tale (ùt fatetur Gl. cum aliis) ſed reſpectu hominum & fortè ad vitandum ſcandalum: quamvis etiam tunc reſtringatur, ſi abſit periculum impedimenti ſtatûs Religionis. Adde ſolutionem ſponſalium ſolùm fieri conſummatione voti, ſeu Profeſſione ſecutâ; aliàs ſolùm ſuſpenſio fit. Unde ſi quis in mora ſit, ad petitionem partis cogi poteſt, ut vel Religionem intret, vel ſi juſtè impeditus ſit, ſponſalia impleat: quæ utique urgent, ſi voti executio non ſit.

Quartò. Si dictum votum antecedit ſponſalia, obligat nec contrahere, nec promittere matrimonium, per ſe loquendo. Conſtat ex c. *Rurſus.* Qui Cler. vel vov. Nam contractus vel promiſſio eſt contraria obligationi dicti voti, niſi addatur conditio tollens repugnantiam, ùt ſi non potuero profiteri, ſi votum ſolvatur &c. vel ſi abſit animus & periculum conſummandi. 6

CAPUT VI.

An hoc votum per propriam irritationem extingui poſſit?

1 Primò. Pater poteſt dictum votum impuberis directè irritare. Ita Summiſtæ omnes, Soto, Nav. Nam omnia vota filii impuberis irritare poteſt, eſto de materia præcepta ſint, cùm Jure naturæ filius ita ſit ſub poteſtate Patris, ut ante uſum rationis voluntate Patris regi debeat: ſicque hujus cenſeatur voluntas illius. At poſtea dictus uſus adhuc nimis imbecillis eſt: ergo ratio naturalis dictat, ut pro tempore impubertatis pendeat voluntas filii à paterna, quantùm ad firmitatem obligationis. Secùs tamen eſt de voto ſolemni impuberis voluntariè ordinati, ùt eſt certum apud omnes: idémque erat olim de Profeſſione pueri.

Secundò. Probabilius eſt, etiam 2
poſt pubertatem irritari poſſe vota ab impubere contracta, ſi expreſsè confirmata non ſint à pubere. Nam ſola voluntas implendi, quod obligat, utique confirmatio non eſt, ùt communiter notant Doctores in c. 1. de

de Regular. in 6. de Profeſſione tacita, ſed requiritur nova voluntas denuo emittendi votum. Vel ergo Pater, Filio jam pubere, confirmat votum, vel ſolùm ante pubertatem confirmavit? Si 1mum, utique firmum eſt, cùm & poteſtas ſit confirmandi, & tempus irritandi deſiêrit; & al às nunquam id abſolutè firmum fieret: quod abſurdum eſt, nec ullo fundamento affirmari poteſt.

3 Quòd ſi præceſſit confirmatio, durante impubertate, validè quamvis illicitè, irritatio fit, ùt Author, re maturiùs conſideratâ, colligit à ſimili de poteſtate Prælati Religionis. Nam adhuc perſtat poteſtas patria, nec abdicata eſt, licèt abuſus ſit in irritatione ſine cauſa. 2. Sin confirmatio non præceſſit, Patre ignorante votum, non refert, filium jam eſſe puberem. Nam adhuc votum eſt impuberis, & ex ſe infirmum: tractu autem temporis non fit firmum, nec Patri deeſt poteſtas, utpote data pro tempore pueritiæ objectivè tantùm, non ut tunc exerceatur; quia juxta *S.* Thomam & omnes conditio voti eſt: *Niſi Pater contradixerit*: addere autem: *Intra tempus debitum*, eſt petitio principii, cùm nec *J*us limitet, nec ratio cogat ad limitandum, magìs quàm in ſimili c. ult. de S. E. ubi Abb. Felin. &c. &c. colligunt, beneficium indultum minori, ex quo cœpit habere locum, non extingui per ætatem majorem. Idem ergo eſt, licèt Pater, ſciens votum, tacuerit; nam lex Num. 30. nunc non obligat, ſed veritas attenditur, an voluerit ſolùm ſuſpendere aſſenſum: & lectio Hebr. habet: *Si tacuerit ei*, utique requirenti conſenſum, quia tunc tacens conſentire videtur.

Tertiò. Votum Religionis, factum à pubere, etiam invitis Parentibus, firmum eſt. Ita Communis Doctorum omnium; nam nec directè irritari poteſt, nec indirectè, ſeu ex parte materiæ, quia non præjudicat Patri, ſed filius in his, quæ ſpectant ad ſtatum propriæ Perſonæ, & præſertim in ordine ad Divinum obſequium, habet plenum dominium ſui ipſius. 4

CAPUT VII.

Quodnam Votum Religionis ſit reſervatum quoad Diſpenſationem &c?

1 Primò. Solum & omne votum Religionis approbatæ, ſimpliciter tale, reſervatum eſt. Conſtat, generatim loquendo; quamvis ſine fundamento ſecùs Soto ſentiat de Militibus S. Joannis, cùm certum ſit, matrimonium per eum ſtatum diſſolvi. Secùs autem eſt de habilibus

ad matrimonium, non quidem quòd deficiat eſſentia Religionis (de quo aliàs) ſed quia ſtatus propter implicationem ad ſæcularia, quoad exercitia vitæ Religioſæ, ùt eſt in talibus hominibus, comprehendi nequeat nomine Religionis ſimpliciter dictæ: nec ullus timoratus putat ſe implere dictum votum per ingreſſum talis ſtatûs.

2 Secundò. Quantùm ad modum vovendi, non refert, an voveatur perpetuitas, an ſimpliciter ingreſſus Religionis; itémque an exprimatur, nécne conditio, ſi expedire probavero &c. &c. Nam omnibus his modis fit ſimpliciter votum Religionis: ergo reſervatum, ùt ex conſuetudine conſtat. Quod enim faciendum promittitur ſecundùm Jus, ſimpliciter & abſolutè promittitur; quia eadē eſt ratio taciti & expreſſi. Secùs eſt de voto ingrediendi cum abſoluto propoſito recedendi; quia quidquid ſit, an valeat, nécne, ſolùm eſt de aſſumendo habitu pro aliquo tempore, non de Religione ſimpliciter.

CAPUT VIII.

An hoc votum quoad gradum arctioris Religionis ſit reſervatum?

1 Primò. Epiſcopus poteſt diſpenſare, ut impleatur dictum votum in Religione laxiore. Ita Palud. Ant. Nav. Sylv. Soto, Rodriq. Henriq. Solùm enim dicitur diſpenſari in dicto voto, cùm conceditur libertas manendi in ſæculo; quia finis reſervationis primarius eſt favor Religionis, ùt talis, non aſperitatis &c. ſícque ſententia hæc ſine dubio probabilior & in praxi tuta ac recepta eſt. Dices: ergo idem eſt de jam Profeſſo. ℞. Ita eſſe de Jure antiquo, ùt tenet Innoc. Abb. Hoſt. Archid. Palud. Anton. Sylv. facítque c. *Significatum.* de Regul. Vel enim obſtat conſuetudo, vel rei gravitas, c. *Majores.* de Bapt. vel jus acquiſitum Religionis? Non primum, quia tot & tantos non latuiſſet. Non ſecundum; quia ſola gravitas non ſufficit. Non tertium; quia actus fit ex cauſa, ùt propter majus Dei obſequium, propter majus bonum Religioſi: ſícque Religio irrationabiliter diſſentit.

Secùs eſt de *Jure* Trid. ſ. 25. c. 19. de Regul. ibi: *Nemo etiam Regularis, cujuscunque facultatis vigore, transferatur ad laxiorem Religionem.* Tollitur enim omnis *Vigor*; quod eſt irritare quamlibet licentiam & facultatem. Et ideo Greg. XIII. in Conſtit. *cùm aliàs*, ùt ſpeciale quid concedit Generali Societatis, ut diſpenſare cum noſtris poſſit quoad dictum tranſitum, denegans communicationem privilegii. Igitur Trid. non abrogat in totum, quod olim licuit, ſed ſolùm quoad Jus acquiſitum ſtrictioris Religionis: ergo poteſt Epiſcopus diſpenſare in tranſitu quoad æqualem, itémque in voto ſimplici tranſeundi ad ſtrictiorem. 2

Secun-

3 Secundò. Vi privilegii diſpenſari poteſt, ut recipiatur quis, non obſtante voto ſtrictioris Ordinis. Vel enim gratia conceditur, committendo diſpenſationem, vel ut ipſo Jure receptio fieri poſſit? Si primum, votum aperiri debet; quia diſpenſatio non fertur in incognitum; quamvis cauſa non requiratur, ſed ſufficiat, Perſonam eſſe aptam Religioni, cùm præjudicium non fiat, ùt in Profeſſo, ubi haberi debet ratio Juris acquiſiti, ut vel uni Religioni expediat amotio, vel alteri proſit receptio, aliàs actus eſſet in deſtructionem Religionis. Si 2dum, nec cognitio, nec cauſa ſpecialis requiritur, ſed voluntas ingredientis, & ſcientis privilegium, quia credi hoc debet rationabile, cùm fiat in favorem Religionis, ſufficiátque cauſa publica & pertinens ad cõmune bonum Religionis, licèt in ſingulis perſonis non intercedant novæ cauſæ.

CAPUT IX.

Quomodo Commutatio dicti voti facienda ſit?

1 Primò. Qui generaliter commutare poſſunt, idem poſſunt circa votum Religionis particularis. Nam votum Religionis ùt ſic, reſervatum eſt, non verò Religionis, ùt talis eſt, ùt faciunt dicta cap. ſup. Votum autem perpetuum in ſimiliter perpetuum commutari debet, niſi magnitudo operis compenſet durationem, quod rarum eſt. Denique aliud eſt, poſſe commutare tantùm, aliud miſcere diſpenſationem, ut regulariter neceſſarium eſt, quia difficile eſt, licèt non impoſſibile, æqualitatem attingere.

2 Secundò. Commutari debet dictum votum in votum Sacerdotis, vel continentiæ perpetuæ, ſi fieri poſſit, aut ſaltem conjugalis, additis tamen aliis oneribus. Nulla enim Religio conſiſtit in ſolis votis ſubſtantialibus, aut excludit ſimul omnia accidentalia: ergo fraudulenta eſſet commutatio, non habitâ ratione accidentalium, ùt eſt penſum Canonicum, eleemoſynæ perpetuæ, vel magnæ juxta poteſtatem Perſonæ, & maximè frequenti uſu Confeſſionis & Communionis, additis etiam auſteritatibus quibusdam; aliàs excluditur & quod Sacerdotis Religioſi eſt, & quod Laici, conſequenter per fraudem.

3 Duo tamen notanda ſunt: unum, quòd vi privilegiorum poſſit dictum votum impleri in Religione minùs ſtricta: ergo ſi votum fuit Religionis ùt ſic, determinare mihi debeo ſaltem minimam, ut compenſatio operum additorum votis determinetur. Alterum eſt, obligationem dicti voti eſſe dependentem à probatione, & non omnino abſolutam: ergo materia commutationis non debet eſſe omnino æqualis oneribus Religionis abſolutè conſideratis, ſed ùt futuris ſub conditione incerta, atque adeò in ſpe & cauſa contingenti, & non in re: ſicque non ſola onera, ſed etiã incertitudo æſtimanda ſunt.

4 Tertiò. Probabile eſt, Votum pœnale ſtrictioris Religionis commutari poſſe in Votum minùs aliquantùm ſtrictæ, ſi hæc gratior ſit pœnitenti. Nam in pœnali res à principio non fuit per ſe intenta, ſecùs ac in non pœnali: ergo vi talis modi vovendi non exigitur, ut res per ſe & ſpontaneè fiat, ſed per modum pœnæ inevitabilis: ſicque alius modus vovendi ſine dubio gratior eſt Deo, ùt patet conferenti inter ſe pœnale ſtrictioris, & abſolutum minùs ſtrictæ. Quòd verò, ſi Votum eſt abſolutum, poſtea ſuperveniat involuntarium, eſt ſola mutatio voluntatis, quæ nihil confert ad minuendam obligationem vel honeſtatem actionis promiſſæ, ùt in principio promiſſa fuit.

LIBER V.

De Ingreſſu Religionis, ac Novitiatu.

CAPUT I.

An ex parte ingredientis requiratur certa ætas?

1 Primò. Nullo Jure prohibitum eſt, in quacunque ætate Religionem ingredi, vel in ea recipi, ſi aliàs debitus ordo & modus ſervetur. Eſt certiſſima. Vel enim obſtaret Jus naturale, vel Divinum poſitivum, vel Eccleſiaſticum? Non primum, quia per ſe licitum eſt vi dicti Juris offerre ſe Deo liberè ad perpetuum ejus cultum. Nec eſt ullum principium, ex quo determinetur certa ætas; nec ratio potior eſt de unâ quàm alterâ poſt uſum rationis: imò inter adultum puberem & impuberem ſolo Jure humano & arbitrio prudente fit diſtinctio, attendendo, quod frequentiùs fit. Non ſecundum; quâ enim traditione, aut Lege ſcriptâ? Imò omnes indifferenter vocantur ad Chriſti ſequelam, abjectâ morâ Mat. 19. Luc. 18. Non tertium, ùt conſtat de Jure antiquo; nec huic derogatur per Trid. ſ. 25. c. 15. de Regul. Quia ſolùm determinat tempus Profeſſionis, ut *habiles* (conſequenter ætatis debitæ) ſtatim recipiantur, aliis ejectis, utique finitâ probatione, ſeu impleto anno 16. & ita cap. 17. de puellis duodennibus ſupponit Jus antiquum.

Secundò. Impubes non poteſt recipi, Patre contradicente, licèt hujus conſenſu poſitivo non egeat. Evidens enim eſt hoc Jus Patris, ùt conſtat ex poteſtate irritandi vota: quia nulla actio vel obligatio impuberis ita firma eſt citra independentiam 2

tiam à Patre c. 2. de Regul. & c. 1. & 2. cum aliis 20. q. 2. ſicque uſque ad pubertatem ſtat Jus revocandi, niſi Pater ſilendo per annum à ſcientiâ facti, conſenſerit præſumptivè in donationem, aut contra hanc proteſtatus ſit, ſolùm permittendo, ut impubes in Religione ſit. Reſtrictio autem Trid. d. c. 17. ad puellas duntaxat pertinet, quia minor earum libertas eſt, & ſubjectio ad Parentes major, uti & timor ac reverentia: ergo rectè cavetur contra ſeductionem, licèt Decretum non ſit irritans.

3 Tertiò. Ad receptionem infantis & ſufficit & neceſſarius eſt conſenſus Patris. Nam impubes regitur ſuo arbitrio, licèt infirmo; at infans ſolius Patris voluntate, ſicque contra hanc illum recipere injuria eſt, & quaſi furtum, ſicut baptizando Filium infidelis; ſempérque præſumitur Dominus rationabiliter invitus, quando privatur re ſuâ absque poteſtate Superioris. Oblatio autem à Patre facta ſufficit juxta Jura cit. & c. 1. cum aliis 20. q. 1. quia Pater de tali diſponere poteſt in omnem uſum, qui injuſtitiam vel aliam turpitudinem non continet: at dicta oblatio nec per ſe & naturâ ſuâ mala eſt, nec Jure poſitivo Divino vel humano, ſed per ſe & vi objecti tendit in bonum Oblati; quidquid ſit de intentione offerentis, aliiſve, quæ per accidens ſe habent.

Tria ergo operatur dicta Oblatio: 4
1. ut receptio licita ſit: 2. ut à Patre revocari nequeat; quia ceſſit Juri ſuo, donando quantùm in ſe eſt. 3. Ut receptus egredi nequeat ante pubertatem; quia quamdiu impubes eſt, non tam ſuâ, quàm Patris voluntate regi debet: at Pater ſuam voluntatem in Religionem tranſtulit: ergo hac invitâ, regreſſus recepto non datur, quamvis eijci poſſit.

CAPUT II.

Quanta ſit poteſtas Parentum ad effectum offerendi Filium adultum?

1 Primò. Pater poteſt adultum impuberem offerre, etiam invitum. Nam talis oblatio nec eſt per ſe mala, nec ex Jure poſitivo, quia, ùt fit à Patre, voluntaria eſt: ùt autem Filio involuntaria, non placet Deo, ſed ùt obedientia eſt. Quòd ſi non ſperatur fructus magnus, nec detrimentum magnum eſt. Imò propter exemplum & alia, quæ notat puer, ſaltem permanentia voluntaria eſſe poterit, licèt ſecùs fuerit de ingreſſu; ſempérque capi poſſunt ſemina aliqua virtutum. Igitur Pater utitur Jure ſuo, quia Filius ab eo pendet quoad vitam in-

inſtituendam in ordine ad bonum animæ; nam ideo irritat vota; & deſignat modum vivendi.

2 Dices, Filium licitè poſſe regredi, cùm vult. 2. Adultus non poteſt cogi ad ſponſalia c. 1. De Deſponſ. Imp. 3. Quæ propria ſunt conſiliorum, præcipi non poſſunt. Ad 1um ℞. poſſe regredi, cùm legitimè vult, ſcilicet pubes. Nam c. *Puella* 20. q. 1. ſolùm probat, quòd coactio eſſe nequeat ad Profeſſionem ſeu manſionem perpetuam: & ideo damnatur in c. *Præſens* 20. q. 3. Sicut autem oblatio infantis non corruit, propter ſupervenientem renitentiam, ita nec oblatio adulti, quamvis neutra poſſit eſſe perpetua: & ideo Trid. ſ. 25. c. 7. de Regul. vetat, ne duodennis detineatur invita; ſicque ſupponit Jus aliud eſſe in impubere.

3 Ad 2. ℞. Aliud eſſe de ingreſſu Religionis; aliud de Promiſſione, quæ propriam voluntatem poſtulat, ùt in ſponſalibus: ſicut enim ad matrimonium invitus compelli nequit, ita nec ad promittendum, imò nec ad converſationem & familiaritatem, quæ paulatim inducat invitum ad nuptias contra majus bonum hominis; ſicque conſtat differentia inter familiaritatem cùm Religioſis, & aliam merè ſecularem.

4 Ad 3. ℞. Opera Conſiliorum in Impubere non eſſe ſupererogationis, ſed neceſſitatis naturalis, ùt conſtat de Caſtitate, uſu bonorum dependente ab aliena voluntate, & de obedientia erga Patrem, vel ab hoc delegatos, juxta modum tamen ætatis. Nec enim puer cogi poteſt ad obſervationem totius Regulæ, ſed ad diſciplinam convenientem, quamvis fortè non propriè præcipiendo, licitè tamen caſtigando, nî pareant, ùt quotidie audiendo Miſſam. Sic dato, quod communiùs tenetur, puerum poſſe fugere; non poteſt tamen reſiſtere punienti, magìs quàm fugiens ex carcere. Denique Pater non debet abuti poteſtate, ſi fructum non ſperat, & Filius nimìs reſiſtit.

Secundò. Penes Patrem, non penes Matrem eſt dicta poteſtas, 5
niſi infirma tantùm. Nam Jure naturali, non humano, vir eſt caput mulieris, etiam in iis, quæ pertinent ad educationem Filii: & ideo hunc etiam invitâ Matre, mittere poteſt in Regionem longinquam, imò ſeclusâ prohibitione Eccleſiæ, etiam vendere. Licèt autem voluntas Matris honeſtior ſit, tamen honeſtius eſt, ea quæ ad Dei honorem pertinent, ordinatè fieri, citra inverſionem ordinis naturalis & Juſtitiæ, uti poſcit Religio. Regulæ autem, quòd in re communi potior eſt conditio prohibentis, & quod omnes tangit, ab omnibus approbari debeat &c. tenent, quando Jus utriusque partis æquale eſt. Nec obſtat exemplum de Baptiſmo, quia & incertum eſt, & plures limitationes poſcit, & eſt res neceſſitatis, ſecùs ac ingreſſus Religionis; nec c.

1. 20.

1. 20. q. 1. plus probat, quàm conſenſum Matris inefficacem.

6 Tertiò. Penès Tutorem eſt dicta poteſtas, quidquid dicat Federic. Senenſ. ita Innoc. Abb. & alii ex c. 2. 20. q. 2. ubi æquiparatio fit Patris & Tutoris, etiam quoad tacitum conſenſum, cùm non revocatur puella. Idem autem eſt de poteſtate offerendi: ſatiſque eſt, non excipi, cùm uterque actus ex eadem poteſtate ſit; & Tutor ſuccedat in omnibus, quæ ad gubernationem Filii pertinent. Quòd autem Filius non ſit res Tutoris, parvi momenti eſt; nam conſideranda eſt poteſtas ejus, & pupilli ſubjectio.

7 Quartò. Idem eſt de Tutore, vivente Patre, quidquid in contrarium cenſeat Sylv. Nam quòd quoad ſpiritualia præferatur Jus naturæ Juri Civili, nullo principio conſtat; ſed falſum eſt, quando Jus naturæ non ita poſitivum vel neceſſarium eſt, ut ceſſare nequeat, mutatione per Jus humanum factâ. Sic Jure naturæ quiſque vovere poteſt, at non niſi modo per Jus præſcripto; & Mater irritare poteſt Vota Filii, non tamen confirmata à Tutore, vel hoc reſiſtente, nec etiam firmiter ſine iſto. Idem ergo eſt, ſi Pater juridicè privatur curâ vel uſu patriæ poteſtatis, aut cùm hæc transfertur in Avum; coarctari enim poteſt, vel impediri per Jus humanum.

CAPUT III.

An expediat pueros in Religionem admitti?

1 Primò. Receptio pueri valdè utilis eſt, ſi Religio ipſa ſit reformata, & Religioſa diſciplina ac Prælatorum vigilantia in ea vigeat. Ita S. Thom. allegans locum Thren. 5. Mat. 19. & 2. Tim. 3. Eph. 4. itémque exemplo Joannis Baptiſtæ, educationis puerorum apud Eſſenos, Regulæ Benedicti, Pachomii, Baſilii; & utì Jure, quod aliàs donationem non ita faceret irrevocabilem. Denique uſus communis habet, ut parvuli ſtatim applicentur ad ea, in quibus vitam acturi ſunt: ergo ſimiliter expedit eos applicari ad res Perfectionis. Tamen ſicut ætas facilis eſt ad bonum, ſi diligenter erudiatur, & cuſtodiatur, ita etiam ad malum ob defectum Diſciplinæ, vel exempla prava. Imò niſi vigiletur, puerorum convictus nocere poteſt Religioſis, quibuſcum converſantur.

Secundò. Regularibus non expedit regulariter hac educatione onerari. Hic eſt ſenſus conſtitutionum Regularium. Vel enim ſermo eſt de Religione Mendicante, vel Monaſticâ? Si 1um, illa frequens eſt in populo per opera charitatis, ad 2

ad quæ inepti ſunt pueri: ſicque illa nimiùm diſtraheretur à propriis & neceſſariis. Si 2dum, olim propter ſeparationem à populo, & ſui curam unicam locus fuit huic educationi: at nunc magna facta eſt mutatio tam in modo vivendi, quàm in rigore diſciplinæ: ſicque uſus antiquus nec eſt, nec regulariter expedit; quidquid ſit de ſpeciali ratione, quæ alicubi eſſe poteſt.

CAPUT IV.

Quænam Perſonæ ſint inhabiles ad ingreſſum Religionis?

1 Primò. Per ſe & ſecluſis impedimentis, quiſque habilis eſt. Nam quilibet per ſe capax eſt perfectionis, & ideo omnibus indifferenter proponitur. Impedimentum autem, quod eſt pro Profeſſione, conſtat etiam eſſe pro ingreſſu; quia qui termini, etiam viæ incapax eſt; & inhabilis nec probationis capax eſt. Alia verò inhabilitant ſimpliciter; alia ſecundùm quid, quatenus poſt ingreſſum per diſpenſationem tolli poſſunt. Alia directè irritant ingreſſum, alia Profeſſionem tantùm: alia irritant, alia impediunt tantùm.

2 Secundò impedimentum ex natura rei eſt carentia uſûs rationis. Ita c. *Sicut* de Regul. nam probari, & probare in ordine ad obligationem contrahendam, requirit proprium conſenſum, quia probatio fit per experientiam: hæc autem eſt actus rationis. Unde ſi amentia perpetua eſt, licèt miraculo ſanetur, tamen quod præceſſit, pro Novitiatu computari nequit; nec enim Ratihabitioni locus eſt, quia actûs ex intrinſeca repugnantia, & Perſonæ incapacitate, eſt nullus in ordine ut ſit vera probatio, ſi hæc requiritur.

Tertiò. Impedimentum eſt vinculum matrimonii conſummati, niſi alter licentiam det. Nam quia continet manifeſtam injuriam, Novitius ſemper revocari poteſt. c. *Ex parte*, c. *Ex publico*, c. *Verum* c. *Placet*. de Converſ. Conjug. c. *Agathoſa* 27. q. 2. Semper inquam, quia ſicut ipſe liberè exire poteſt, ita, ùt Jura paria ſint, ab altero revocari, cùm neuter abdicaverit ſe ſuo dominio: at Pater ſe abdicat pro tempore tantùm impubertatis Filii, quo ſolo hic ab ejus voluntate pendet. 3

Nihilominus valet ingreſſus, licèt factus ſine licentia alterius. Vel enim ex natura rei eſſet irritus, vel ex Jure poſitivo? Non 1um, quia nec deeſt probatio vera, nec conſenſus Religionis & Novitii, nec experimentum utrinque. Non ſecundum, quia nullibi irritatio fit niſi Profeſſionis tantùm; quod non ſufficit, ſi ante illam habeatur conſenſus 4

ſus Parits. Nec enim, ſi moritur conjunx durante probatione, hanc à capite ordiri debet, multóque minùs ingreſſus bonâ fide, ob putatam mortem. Nec peccatum injuriæ irritat actum, ſed defectus licentiæ; & ita ſi in uno, etiam in altero caſu irritaret: sícque non abſolutè irritat, ſed niſi ſuppleatur: & conſequenter valere poteſt Profeſſio, defectu ſublato.

5 Quartò. Similiter valere poteſt ingreſſus, non obſtante vinculo Profeſſionis in Religione alia. Si enim hæc nec ex natura rei vetita eſt ingredienti, quia laxior, nec ex ſpeciali Jure per Pontificem lato, habet ingreſſus, quod per ſe neceſſarium eſt ad valorem, quamdiu Jure humano non irritatur: quod non reperitur in Jure communi. Idem eſt de vinculo Epiſcopalis Dignitatis; nam in c. *Licet.* De Regul. ſolùm irritatur Profeſſio; quod non ſufficit, ùt dictum eſt. Multóque minùs obſtant dignitates inferiores, quia neque ex natura rei ligant, ut dimitti non poſſint propter majorem Perfectionem, neque vi Juris humani obſtant. Jura ergo particularia Religionum attendi debent, an impediant tantùm, an irritent; & an Profeſſionem tantùm, an etiam ingreſſum.

CAPUT V.

An propter neceſſitatem Parentum teneatur quis non ingredi Religionem?

1 Primò. Propter communem ſeu levem neceſſitatem Parentis non tenetur Filius manere in ſæculo. Quantùm ad terminos, ſuppono *extremam* neceſſitatem dici, in qua moraliter certa ſit mors, vel hujus periculum graviſſimum, niſi ſubveniatur: *gravem* verò, ſi vita nequit ſuſtentari ſine magna penuria, & difficultate, vel cum magno dedecore, vel notabiliter cadendo à ſtatu, aut exercendo opus alienum à conditione Perſonæ: *communem* denique, quando neceſſarium eſt parcè vivere, & aliquando etiam congruis carere, nedum ſuperfluis, & ſtatum potiùs minuere, quàm augere, quanquam adhibitâ diligentiâ non deſint neceſſaria, citra periculum proximum & probabile gravis neceſſitatis imminentis.

Licèt ergo Filius habeat bona 2
propria, tamen ſi levis neceſſitas eſt Patris, non tenetur hunc ex illis alere, neque à Patre ad id cogi plus quàm naturale præceptum arctet: ergo multò minùs tenetur cum tanto incommodo manere in ſæculo.

Pater verò non habet, quod conqueratur de impenſis in ſtudia &c. quia nec debuit, nec potuit fructum ſperare majorem, quàm ut Filius totum ſe Deo mancipet.

3 Secundò. Si neceſſitas gravis eſt, tenetur Filius manere in ſæculo. Ita Sylv. Angel. Alenſ. Gerſon, Lyra. & Expoſitores in Matth. 15. & 1. Tim. 5. Nec enim præceptum Decalogi aut aliud omitti poteſt propter opus Conſilii; quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona: & aliàs vir poſſet negare debitum propter continentiam perpetuam &c. ſicque conſtat, ordinem eſſe perverſum, & Conſilium eſſet de non ſervando præcepto, ſi pro eo tempore, pro quo obligat, illud intelligatur: eſto votum ſit de ingreſſu, continentia &c.

4 Confirmatur, quia valde pia & probabilis ſententia eſt, etiam extraneo graviter egenti ſuccurrendum eſſe ex neceſſariis ſtatui; quod tamen communiùs negatur: ergo ſaltem de Filio certa eſſe debet talis obligatio tam quoad res quàm quoad operas ſuas; aliàs manifeſtè contemneretur honor Patris: ſicque omnes agnoſcunt dictam obligationem, ùt ſpecialem reſpectu Patris, ùt à quo, quidquid ſumus, tanquam à propria & per ſe cauſa, habemus. At in alterius neceſſitate, etiam extremâ, non teneor, quæ non habeo, procurare, niſi ad ſummum, ſi id fieri poteſt & brevi tempore & ſine magno labore.

Tertiò. Si ſolùm conſultius ſit 5 aſſiſtere Patri, citra neceſſitatem, quæ per ſe ſufficiens ſit ad obligandum ſub gravi, votum ingreſsûs obligat. Nam Patris eſt theſaurizare Filiis, non è converſo, & iſti per ſe indigent illo, non verò è converſo, niſi per accidens tantùm. Rurſum ut votum obliget, ſatis eſt, materiam ſecundùm ſe eſſe de meliore; quidquid ſit judicando de illo ex circumſtantiis hîc & nunc: nam & extrinſecum eſt, & moraliter valde incertum; & ideo opus eſt authoritate Superioris.

Quartò. Si Pater inducit ad mortale exemplo vel verbo, directè 6 vel indirectè, poteſt & debet deſeri à Filio, quantùm opus eſt ad vitandam occaſionem moralem, & non ampliùs. Si enim propter nullam cauſam dandum eſt ſcandalum, multò minùs ſuſtinendum: ergo non urget tunc obligatio Pietatis propter univerſaliorem vitandi peccatum. Quòd ſi aliter hoc vitari poteſt, ùt peregrinando &c. jam erit locus Pietati; quia licèt apud Judicem hac indignus ſit Pater, non tamen apud Filium, qui vindex non eſt, ùt patet in præcepto diligendi inimicum in extrema vel gravi neceſſitate.

Quintò. Si non obſtante indu- 7 ctione, abeſt periculum morale Filii, poteſt hic aſſiſtere Patri, quamvis non teneatur. Vel enim inductionem aliàs vitare poteſt, vel non?

Si

Si 1mum, etiam debet, aliàs ſine rationabili cauſa permittit tantum malum ſpirituale Patris. Si 2dum, non tenetur cum tanto onere pugnæ perpetuæ, quod ab ipſo Patre provenit, ei aſſiſtere, præſertim cùm ejusdem bonum ſpirituale agatur: & ita in moralibus cùm ſingula per ſe non ſufficiunt, conjuncta excuſant. Aliunde autem cauſa aſſiſtendi eſt moraliter neceſſaria, & de ſe pertinens ad obligationem: ergo lapſus Patris licitè permittitur: ergo vovens ingreſſum tunc nec ad hunc, nec ad aſſiſtendum obligatur determinatè, quamvis alterutrum eligere debeat; quia voti ſuſpenſio excuſari nequit, niſi ob impedimentum, quod unicè eſt à dicta aſſiſtentia.

8 Sextò. Si inductio ſolùm eſt ad veniale, non ſufficit ad deſerendum Patrem in dicta neceſſitate. Nam vel eſt directa, vel indirecta tantùm? Si 1mum, conſtat iniqua præcipienti obediendum non eſſe. Si ſecundum, ſimilis occaſio in nullo ſtatu deeſt, præſertim ſæculari, longâ & familiari converſatione &c. ſicque enervaretur omnis obligatio. Idem eſt de impedimento operum Perfectionis; nec enim ſtatus Religionis neceſſarium medium eſt, nec bonum ſpirituale hominis, ùt ipſa perfectio: hujus autem opera nemini directè prohiberi poſſunt, nec Pater in his, quæ animæ ſunt, jus habet circa Filium, qui quoad ea ſui Juris eſt; & ideo, ſi directè prohibetur, fugere poteſt, quamvis ſecùs ſit de impedimento indirecto.

Septimò. Periculum, quod timetur ex manſione in ſæculo, non excuſat per ſe loquendo. Nam aliàs quilibet id allegabit, nec moraliter ſine fundamento: at Pater non eſt cauſa dicti periculi: ergo ſine ejus detrimento viâ aliâ, utut difficiliore, ſuperandum eſt; præſertim quia ſi non obligat ad deſerendum ſæculum, minùs ad Patrem deſerendum. Oportet ergo, ut periculum ſit extraordinarium, non verò generale, ùt eſt eſſe in ſæculo; itémque in materia certa; nam vagum nunc in hac, nunc in alia materia non excedit modum ordinarium. Rurſus debet eſſe innatum ex circumſtantiis inſeparabilibus ab obſequio paterno; aliàs illæ, non iſtud vitandæ ſunt. Denique obligare debet ad Religionem; aliàs non excuſat deſertionem Patris. 9

CAPUT VI.

An propter neceſſitatem Filiorum aut Fratrum teneatur quis non ingredi Religionem?

1 Primò. Pater obligatur ad ſic ſuccurrendum Filio. Vel enim hic eſt in ſtatu actualis ſubjectionis,vel jam emancipatus? Si 1mum, Pater per ſe & ratione ſui muneris tenetur alere & inſtituere Filium, cùm ejus principium ſit 1. Timot. 5. *Qui ſuorum* &c. Si 2dum, Filius & Pater æquales ſunt in hac obligatione, & cum vinculo reciproco, cæteris paribus: imò Pater plus debet diligere ſuum Filium: ergo ſi hic, utut emancipatus, tenetur, etiam ille, quin referat, quòd jam antea Pater, ùt potuit, Filio providerit de ſtatu.

2 Secundò. Inter Fratres non eſt dicta obligatio per ſe loquendo. Nam ceſſat reſpectu Avi: ergo à fortiori; quia frater fratri nec ſubjectus eſt, nec ex juſtitia obligatur, ſed ex charitate tantùm, quamvis magis quàm erga extraneum; ſicque obligatio non excedit modum obligandi ex miſericordia tantùm. Secùs eſt ſi fratres ſint ſub cura Patris vel Matris. Nam eo ipſo erit neceſſitas Parentis, ùt includens omnia, quæ pertinent ad munus Patris; conſequenter ad convenientem educationem prolium.

3 Tertiò. Seclusâ neceſſitate Parentum, votum Religionis obligat. Vel enim materia voti eſſet incapax obligationis, vel non creditur comprehenſa ſub intentione voventis? Non 1mum, quia neceſſitas Fratris ſolùm eſt titulus diſpenſationis. Non 2dum; quia ordinariè non ſuſcipiunt homines curam Fratrum cum tanto onere, ultra id quod ex præcepto debent: ergo oporteret conſtare de intentione contraria.

CAPUT. VII.

An debitis oneratus, obnoxius ratiociniis &c. poſſit licitè ingredi Religionem?

1 Primò. Debita incerta, quæ nulli certæ Perſonæ obſtringunt, non impediunt. Ita omnes. Nam vel eſt quo ſolvas, vel non? Si 1mum, ſufficit ſecum afferre in Religionem, vel alias piè expendere; quia debitum reale ex Juſtitia per bona ejusdem ordinis ſolvendum eſt, ſicque non ſufficit oblatio ſui, ut quod debetur, conſanguineis cedere poſſit: ſecùs ac debitum ex voto, ſi reale eſt, in perſonale commutatur.

Si

Si 2dum, ergo ceſſat obligatio procurandi, quod ſolvas, aut expectandi etiam brevi tempore; quia ſi quid creditori talium accedit ex reſtitutione, plus ipſi confert ingreſſus debitoris in Religionem.

2 Secundò. Debitum certum, cui ſolvendo quis ſimpliciter, ſeu in re & ſpe, impotens eſt, non impedit ingreſſum. Nam inanis eſt actio Creditoris, quam inopia Creditoris excludit, ſicque ceſſat injuria; ùt ſi debitor ignorat artem, quâ lucretur, & toto, quod acquirit, eget ad ſui ſuſtentationem. Ut autem ſcandalum ceſſet, ſufficit conſtare, ubi opus eſt, & de inopia & de ingreſſu.

3 Tertiò. Secùs eſt, ſi in ſpe proxima v. g. intra annum ſit, quo ſolvas. Nam præceptum naturale ſolvendi, ùt eſt affirmativum, ſi non pro nunc, at pro tempore opportuno obligat: & ùt eſt negativum, obligat ad non reddendum ſe impotentem. Imò nec ſola dilatio excuſat, per ſe loquendo, ſi ſpes eſt ſolvendi per diuturnum laborem, aliámve viam competentem. Nam debitum Juſtitiæ, ſi moraliter poteſt, ſolvendum eſt, prætermiſſo opere Conſilii: ceſſio autem bonorum, quæ de præſenti ſunt, fraudulenta eſt, & in injuriam Creditoris tendit.

4 Dices, in omni pacto intelligi exceptionem melioris frugis, ùt in ſponſalibus. R. Nec ex Jure id haberi, nec ratione convinci. Nam, juxta dicta ſuprà, periculum manſionis in ſæculo non ſufficit, niſi planè ſpeciale & extraordinarium ſit. Et aliàs idem eſſet, ſi quis alteri ſe tradat in ſervum; poſſétque deſeri munus, cujus ſtipendium anticipatum fuit, ſi nunc reſtitui nequit. Oportet tamen, ut obligatio ſit certa, nec neceſſitas ſit petendi vel mendicandi ab aliis, aut lucrandi per actiones indecentes ſtatum, aut de ſe implicantes peccato, præſertim perſonam jam expoſitam periculo. Denique dicta obligatio maximè tenet, ſi oritur ex intrinſeco Jure alterius, ut ratione rei acceptæ, vel damni illati.

Quartò. Si debitum eſt ex ſola promiſſione, raro aut nunquam obligat ad lucrandum, unde ſolvas, niſi expreſſum ſit. Nam locus eſt pœnitendi ex juſta cauſa, & ideo ſi Creditor non patitur grave nocumentum, non eſt rationabiliter invitus, ſi ob ingreſſum Religionis non impletur pactum: quin & ipſe liberatur onere, & poteſt juvari per eum, quem ſubſtituo, ùt omnes fatentur, admitti debere, licèt juratò promiſerim ſervire, docere &c. per aliquot annos. Dixi, *Ex ſola promiſſione.* Nam ſi obligatio tranſiit in transactionem ſeu translationem dominii cum traditione ùt in ſervitute, conſtat, alienum nunquam uſurpari poſſe, furtúmque pro ſemper eſſe prohibitum. 5

Quintò. Criminoſi ſolùm pro 6 ſtatu, quo dicuntur tales, inhabiles ſunt,

ſunt, ſeu impediti ab ingreſſu, juxta Conſtit. Sixti V. quæ per Clem. VIII. ſolùm prohibens nunc eſt, non irritans. Criminoſi enim ſunt, qui homicidia, furta &c. aut ſimilia, vel graviora perpetrant, aut de iis ſuſpecti exiſtunt; ita ut Jure notoria ſint aliquo modo, per accuſationem, inquiſitionem ſpecialem, de qua conſtet *Actis publicis.* Secùs ergo eſt, ſi quis per Judicem abſolutus eſt, aut ei perfectè ſatisfecit, cùm & deſinat eſſe reus in foro contentioſo, & eo ipſo cadat fundamentum adæquatum Legis; quod erat, ne pœna ſubterfugiatur prætextu Religionis.

CAPUT VIII.

An ingreſſus Religionis ex perfecta ſcientia, & libertate fieri debeat?

1 Primò. Ex parte ingredientis neceſſarium eſt, ut res non fiat temerè, ſed cum plena cognitione, eáque practicâ. Nam ingreſſus poſtulat perfectam deliberationem, & hæc cognitionem perfectam: ergo practicam (nam generica de Fide eſt) conferendo ſtatum cum Perſona, & ejus viribus, ac conditionibus intrinſecis vel extrinſecis; quia non, quidquid ſecundùm ſe, etiam cuique melius eſt.

2 Secundò. Deliberatio matura quidem eſſe debet, non tamen diuturna, ſeu nimis moroſa. Nam hæc & neceſſaria non eſt, & impedire ſolet vocationem, ac periculo exponere. Nec tantùm attendi debent vires propriæ, ſed præcipuè Divini auxilii, de quo fiducia ſentiri debet, vel ſaltem in ſpe proximâ haberi poſt ingreſſum, cùm DEUS non deſit in neceſſariis, ſed ſi adeſt etiam non quærentibus, multò magis omnem cogitationem ſuam in eum projicientibus.

Imò quisque, niſi de oppoſito 3
conſtet per conjecturam certam vel experientiam, ducere debet Religionem ſibi proportionatam: quia quæ ſæculari videntur importabilia, facilia redduntur per majorem cuſtodiam ab occaſionibus, frequentem ſermonem de Divinis, exempla optima, conſolationes, quas DEUS in favorem communitatis affundit. Quòd ſi conſilio opus eſt, peti debet ab his, qui prodeſſe poſſunt, & non obeſſe, ſcilicet probis & liberis ab affectu humano, qui rectè ſentiant de ſtatu Religioſo, & ſi fieri poſſit, ejus etiam experimentum habeant.

Tertiò. Rectè adhibetur delibe- 4
ratio, licèt ſentiatur vocatio. Nam licèt deſiderium efficax ingreſsûs, ſi quidem purum ſit ſine deſiderio admixto commodi, honoris &c. regulariter à Spiritu bono ſit; tamen dari

dari poteſt propter meritum habentis, ſeclusâ executione, ùt in David & Abraham: ergo ſtat deliberatio, an etiam executio magis placeat Deo; ſolúmque excipitur, quando ita per ſe notum eſt, Perſonam Religioni, & hanc illi quadrare, támque clara motio & efficax ut otioſa conſultatio cenſeri debeat. Rurſus ſufficit, initium dictæ conſultationis fieri à motionibus aliis de vanitate ſeculi, excellentiâ ſtatûs religioſi &c. ſecluso ſpeciali deſiderio: ergo ſicut in aliis operibus virtutum deliberatio adhibetur, an expediant, nécne, citra exſpectationem extraordinariæ vocationis, quæ prævertat deliberationem; ita & hîc.

5 Quartò. Ingreſſus poſtulat intentionem debitam, & ùt ſpontè ac perfectè voluntariè fiat. Nam in omni opere bono requiritur finis proportionatus; finis autem in præſenti eſt, Deo irreprehenſibiliter militare, & Apoſtolicam vitam imitari. Vel ergo temporale ſolùm ſe habet per modum occaſionis, vel per modum finis? Si 1mum, vexatio dat intellectum, & eſt frequens via, quâ Deus compellit. Si 2dum, mutatio facilis eſt, quia deeſt alacritas ad onera, & ad proficiendum, fiduciáque in divina Gratia, ſempérque ſentitur jugum, ùt valde oneroſum. Si verò finis honeſtus eſt, & purus, ergo plena ejus voluntas eſt: ſecùs ac cùm miſcetur reverentia paterna, deceptio, metus &c.&c. quanquam hæc abſolutè non irritent ingreſſum, ſed directè & per ſe Profeſſionem tantùm, ùt in ſimilibus dictum eſt.

Quintò. Rarò expedit inductio directa, præveniens impulſum internum hominis. De importunis precibus, blanditiis &c. per ſe conſtat, periculoſa eſſe, præſertim ſi ſiſtitur in rationibus humanis. Rurſus ſi modus ſolùm ſe habeat, ùt medium excitandi ad attentionem divinorum &c. inductio, quæ ſequitur, bona eſt ex objecto, nec circumſtantiam malam neceſſariò habet, ſiquidem in individuo caveatur à morali violentia, deceptione & periculo inconſtantiæ. Tamen rebus mutatis, facilè mutatur pia affectio, & quæ primò movent, poſtea in oblivionem veniunt, aut tepidè conſiderantur. Igitur petenti conſilium veritas liberè aperienda eſt, & quem Spiritus S. movet, juvandus, ut vel firmetur in propoſito, vel ne reſiſtat, excitando ad animi puritatem, vitanda pericula &c. 6

CAPUT IX.

Quæ libertas requiratur ad ingreſſum?

1 Primò. Poſtulatur libertas à vi, metu &c. Nam cogere ad id, quod Deus cuique liberum à præcepto reliquit, contra Juſtitiam, & Religionem, & libertatem, quam dictus ingreſſus poſcit, eſt, gravíſque injuria, ſive directè vis fit, ſive etiam comminatio mali ſine aliquo juſto titulo. Secus eſt, ſi adulteræ comminatur vir; ſi Pater ſeveriùs, ſed intra limites Juris, cuſtodit puellam, & citra intentionem inclinandi ad Religionem, & hæc ex tœdio vexationis eligitur: non enim involuntarium morale eſt, ſed quaſi naturale, quale eſt, quod ex intrinſeco timore mortis, vel aliis eventibus humanis oritur.

2 Secundò. Excommunicatur cogens fœminam per metum *ad ingrediendum Monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum Religionis, vel ad Profeſſionem emittendam.* Ita Trid. ſ. 25. c. 18. de Regul. comprehendendo omnes omnino, *quomodocunque coegerint*, aut conſilium, auxilium, vel favorem dederint, aut *ſcientes eam uon ſponte ingredi &c. quoquo modo eidem actui vel præſentiam, vel conſenſum, vel authoritatem interpoſuerint.* Hæc autem Lex non derogat Juri in impuberem (aliàs expreſſiſſet, nec agit de ingreſſu ſolùm ob decentiam, vel cuſtodiam virginis, ſed de per ſe ordinato, ùt in feminis mos eſt, ad ſtatum Religioſum) multóque minùs in caſibus Jure expreſſis c. *Conſulti.* de Regul. c. *Significavit.* c. *Uxoratus.* de Conv. Conjug.

Tertiò. Adeſſe debet libertas à deceptione. Vel enim hæc accipitur paſſivè, vel activè? Si 1mum, ùt eſt in Religioſo, non imputatur ad grave, quia tantùm eſt levitas animi, vel nimia affectio. At ex parte Religionis gravior eſt obligatio, quia tractat de re pertinente ad bonum commune, & ex officio tenetur circumſpectè agere. Si 2dum, rarò mortale eſt, indirectè eſſe voluntarium per negligentiam, quod ſequitur, ùt, ſi abſit animus decipiendi, aut de re levi ſit deceptio, quæ non multùm movere poſſit. Secùs eſt, ſi ingreſſum conſulas ei, quem ineptum judicas; nam deceptio fit in re gravi, & abuſus muneris Conſiliarii: quamquam excuſet bona fides, ſi ex timore non avertendi à bono reſpondeas. Tamen prudens debet coërcere timorem: & ſi reſpondet, quod coram Deo judicat, non peccat, licèt alter avertatur à Religione. 3

Quartò. Similiter per ſe injurioſa eſt deceptio, ſi perperam diſſuadetur Religio, præſertim petito 4

con-

conſilio. Nam pactum tacitum eſt fideliter conſulendi, & in re pertinente ad bonos mores, licèt non neceſſarios: ſícque ſufficit injuſtè impediri à gravi bono, ùt Beneficio; patétque ex dictis de coactione: ergo graviter peccatur, ſive conſulendo contra mentem, ſive temerè & ſine ſufficiente conſideratione ex humano affectu. Conſtátque exemplo dictæ coactionis, injuriam mortalem fieri per ſuggeſtionem pravam, etiam ſecluſo munere conſiliarii. Sæpe verò accedit detractio contra perſonam, vel Religionem ipſam.

5 Imò licèt per preces ſimilémque inductionem non fiat injuria volenti; tamen læſio gravis eſſe poteſt contra Charitatem ſic impediendo ingreſſum: nam alienum ab illa eſt, avertere à tanto bono. Et licèt Spiritus ſanctus optionem liberam relinquat ei, quem movet; tamen graviter fert, quòd alius, ad quem non ſpectat deliberatio, ſuo motui reſiſtat. Dixi, *læſio gravis*, utique ſi inductio nimis importuna ſit, & contra vocationem moraliter certam, & ſine ullo rationabili titulo, maximè ſi ad abſolutè impediendum tendat: ſecùs enim eſt de dilatione tantùm, ùt ſi Parens conſtantiam magis examinare vult &c.

6 Quintò. Anathemati ſubjacent, qui *ſanctam virginum, & aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo ſine juſtâ causâ impedierint.* Ita Trid. ſuprà. Per *Velum* intelligitur Profeſſio: ad quid enim diſtinctio illius ab hac? an ſecùs erit de Profeſſis non velatis? Per *Votum* intelligitur & id, quo feminæ extra Religionem ſpecialiter conſecrantur, & votum Religionis; nam hoc impediens, etiam impedit voluntatem veli. Particula *quoquo modo* non comprehendit preces &c. quia nec cauſant involuntarium, nec in rigore impedimentum ſunt. Sufficit tamen deceptio injurioſa, licèt non impediat executionem: nam citata particula valdè generalis eſt, nec eſt, cur limitetur: ſatíſque impeditur voluntas à ſuo deſiderio, ſi mutatio eſt involuntaria.

Sextò. Ingreſſus liber eſſe debet 7
à Simonia, quamvis non excludatur dos, munuſcula, eleemoſynæ &c. Conſtat de dote ex communi uſu Eccleſiæ, quo declaratur intellectus c. *Quoniam*, de Simon. expreſsè loquentis de pretio: idem ergo eſt de munuſculis, quia regulariter non habent rationem pretii, nec includunt pactionem, ut obſtet c. *De Regularibus* eodem c. *Quàm pio* 1. q. 2. eſto aliquando actio reprehendatur ob ſcandalum, diminutionem libertatis &c. Vetat Trid. ſuprà c. 6. *Sub pœna Anathematis* (ergo non ipſo facto) *excepto victu & veſtitu Novitii &c. Monaſterio aliquid ex bonis ejus tribui: ejus*, inquam, ergo non Parentis &c.

8 Comprehenditur autem etiam *mutuum*, quia verbum *tribuendi* generale eſt: nec refert ceſſatio finis in particulari, ùt ſi hîc & nunc difficultas non ſit recipiendi datum. Sufficit enim generalis metus, ne difficultas fiat, & Parentes in gratiam Filiæ coñivere debeant. Et datâ certitudine redditionis, adhuc retardatur diſceſſus volentis egredi, ſempérque difficultates oggeri poſſunt; urgétque particula, *ne hoc ullo modo fiat.*

CAPUT X.

A quo, & quâ formâ receptio facienda ſit, ut ingreſſus valeat?

1 Primò. Poteſtas recipiendi eſt in omni & ſolâ Religione approbatâ. Nam aliàs hæc conſervari non poſſet, merúmque nomen eſſet approbatio. Sicut autem hæc reſervata eſt Pontifici, ita etiam receptio; nec communicatur, niſi Religioni approbatæ, quantùm generali doctrinâ tradi poteſt. Quia ergo dicta poteſtas licèt in toto corpore ſit, non poteſt à toto, ùt toto, exerceri; intelligitur commiſſa eſſe alicui vel aliquibus: & ideo Abbas & alii plures diſceptant, an ſit in ſolo Abbate, vel egeat conſenſu aut conſilio aliorum.

2 Sed quæſtio parùm utilis eſt; nam conſtat ex c. ult. de Regul. in 6. poteſtatem haberi poſſe uno vel altero modo; omnésque fatentur, conſulendam eſſe Regulam vel conſuetudinem præſcriptam, ùt ipſe Abbas recurrit ad c. 3. Regulæ S. Bened. Quòd ſi neutrâ viâ definitum quid eſſe fingatur, præſumitur pro Abbate ex c. *Nullam.* 18. q. 2. quia ejus poteſtas iu ſuo ordine Monarchica eſt, niſi conſtet de limitatione.

Secundò. Falſum eſt, quòd omnis actus, qui ſecundùm regulam requirit conſultationem, ſine hac nullus ſit, ut inde deducit Abbas, receptionẽ, quæ ſine conſultatione ſit, eſſe nullam. Nam nullitas ſolùm tenet, cùm in Lege exprimitur, vel per eam datur nova poteſtas ſub conditione, quæ de ſe non pertinet ad ſubſtantiam actûs, ſed tantùm ad modum boni regiminis, ùt loquitur Bartolus l. 1. §. *Si plures.* de Exercit. act. Et c. *Novit.* de his q. fi. à Præl. ubi agitur de inſtitutione Abbatum, malè extenditur ad rem minùs gravem; præterquam quòd verba, *carere robore firmitatis*, etiam de actu irritabili verificentur, qui tamen irritus non eſt, eò quòd ſit contra Jus, niſi ſit contra Jus irritans. Denique hoc debet eſſe de actu ſpecifico & peculiari, ut de effectu, qui odioſus eſt, conſtet: at eſſe rem *gravem* (ubi regula poſcit conſilium) & generale eſt, & pendet ex arbitrio: ergo niſi conſuetudine conſtet, ex Regula nihil ſumitur, ut quæ in rigore nec præcipit, nec prohibet. 3

Ter-

4 Tertiò. Ut recipi nequit niſi idoneus, ita nec repelli ſimpliciter idoneus, niſi cauſa excuſet. Nam Prælatus obligatur ex officio & charitate, tum erga Religionem, quæ inde augetur, & ex parte finem ſuum conſequitur, tum erga proximum, qui ſine cauſa privari nequit magno bono, quod alter non ex ſuis, ſed communibus bonis, ùt Fidelis Diſpenſator dare tenetur. Tamen ſi bonâ fide citra odium &c. proceditur cum mediocri diligentia, ſecurè datur ſuffragium concedens vel negans; nam cauſa negandi multiplex eſt, ut onus temporale ſeu defectus mediorum, multitudo & æqualitas petentium &c. quia liberum tunc eſt, hunc potiùs recipi quàm illum, aut neutrum, cùm res dubia fuerit, aut probabilis utrinque.

5 Quartò. Juxta Conſtit. Sixti V. prærequiritur inquiſitio de Parentibus & Patriâ petentis ingreſſum, & explorata cognitio de moribus ejus, ac vocatione. Igitur petitur, quod ad humanam fidem faciendam ſufficit, aut duorum vel trium teſtium, qui abſque ſuſpicione ſint, depoſitio &c. Nam & in quolibet negotio humano ſufficiens eſt diligentia ejusmodi, & cum proportione in Judicio etiam fidem facit: ſive autem de moribus anteactis detur teſtimonium per hos, qui Perſonam noſſe profitentur, ſive de vocatione, quæ per prudentes examinatur, probabile eſt. Prius quidem, quia negatio vitæ criminoſæ non poteſt aliter probari, nec etiam vitia occulta eſſe familiaribus: poſterius, quia cùm Vocatio ex objecto ſit bona, talis probatur, facto examine prudenti, quamdiu de oppoſito non conſtat.

CAPUT XI.

Quos effectus habeat Ingreſſus Religioſus?

1 Primò. Non eſt abſoluta obligatio permanendi. Ita c. *Statuimus.* de Regul. nec eſt lex aliqua, quæ ſecluſo voto obliget, nec vis talis eſt in puro propoſito: quidquid ſit de intellectu c. *Super eo.* c. *Conſulti.* eodem. c. *Non ſolùm.* eodem in 6. Rurſus ingratitudo formalis non fit; nam poteſt eſſe alius modus gratitudinis, ùt imitando Religionem in ſæculo &c. nec etiam materialis ingratitudo eſt, quia hæc adjungitur culpæ, quam ſupponit. Solùm eſt ingratitudo negativa (quia non reſpondetur beneficio, quantùm poteſt, ac deberet, gerendo ſe meliori modo) non privativa, quia non privat per ſe honeſtate; nec culpa neceſſariò ſequitur, ſi aliàs ſervetur ratio generalis operandi propter finem honeſtum.

Dices: Religio non poteſt hominem 2

nem

nem dimittere ſine juſta cauſa ; & ille ejus expenſis nutritur. ℞. Religionem obligari ex Juſtitia diſtributiva, vel legali, quatenùs diſpenſat bona communia, non autem ex commutativa vel pacto: at Novitius agit, ùt dominus ſui. Rurſus reditus dari etiam propter Novitios, conſtat uſu & inſtitutione omnium Religionum : & illi, quamdiu in Religione ſunt, etiam huic ſerviunt. Quòd ſi donant quid pro victu, repeti nequit, quod conſumptum eſt, ſed ſolùm quod pro rata temporis non conſumptum eſt; ſicut autẽ donatio, ita & promiſſio ſolvendi de ſe juſta eſt, & tenet : ergo ſibi imputet Religio, ſi ſibi à principio non ſatìs cavit: nec enim ob id tiro quaſi in carcere teneri poteſt, dum ſolvat.

3 Secundò. Novitius non poteſt licitè contrahere matrimonium. Nam habitus æquiparatur ſimplici voto Caſtitatis c. *Conſuluit.* Qui Cler. vel vov. ùt rectè ſtatutum eſt in reverentiam habitûs, & ad vitandas fraudes. Igitur talis, quamprimum commodè poteſt, diſcedere debet; quia fictè manendo facit injuriam, utpote inhabilis ad Profeſſionem, ſive matrimonium jam ſit conſummatum, ſive ratum tantùm, niſi animus ſit id diſſolvendi poſt probationem.

Tertiò. Sponſalia ſolvuntur per ingreſſum reſpectu remanentis in ſæculo. Nam ſatis, qui ingreſſus eſt, ceſſit Juri ſuo : ſequitúrque, ſi redeat, quædam nota & infamia, quæ ſufficit ad avertendam voluntatem alterius. Nec inde fit, ut utrinque ſolutio ſit, ſicut fit per Profeſſionem in matrimonio rato; nam ſponſalium obligatio poteſt eſſe ſimplex, non reciproca, etiam à principio, quod non cadit in matrimonium. Dein Jura exprimunt dictum effectum Profeſſionis, tacendo de proportionali effectu Probationis : Ingreſſus autem nullam obligationem, nedum firmam inducit, ùt Profeſſio. 4

Quartò. Novitius gaudet privilegio Canonis. c. *Religioſo.* de S. E. in 6. quod Angel. probabiliter ampliat ad impuberem receptum cum animo Probationis. Idem eſt de privilegio Fori, ùt clarè ſupponit Sixtus V. annullando receptionem criminoſi. Sed de his latiùs l. 4. defen. fidel. c. 29. De liberatione autem ab obligationibus humanis, & à votis partim dictum eſt, partim infrà dicetur. 5

CAPUT XII.

An neceſſarius ſit ante Profeſſionem annus integer Novitiatûs?

1 Primò. Nec de Jure Divino, nec de Eccleſiaſtico neceſſitas eſt anni Probationis. De Divino conſtat, quòd nihil determinârit : ſicque vi

ejus

ejus ſtatim fieri poſſet Profeſſio. Imò ita olim factum eſt in virginibus velandis, & anachoretis, cùm res tota permiſſa fuerit arbitrio Epiſcoporum. Igitur in Cœnobitis à tempore Baſilii videtur res cœpiſſe, quin tamen certi quid ex Jure communi ſumi poſſit, an biennium, an triennium fuerit neceſſarium, ùt allegatur ex c. *Monaſterii.* 19. q. 3. & c. *Si quis incognitus* 17. q. 2. ſed prima univerſalis determinatio extat in c. *Gonſaldus* ead. ca. & q.

2 Secundò. De Jure novo Trid. ſ. 25. c. 15. de Regul. nullus ad Profeſſionem admitti poteſt, qui minore tempore, quàm per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit. Licèt ergo olim renunciari potuerit probationi (demptis Mendicantibus) c. *Ad noſtram.* c. *Ad Apoſtolicam.* de Regul. c. *Non ſolùm.* & c. *Conſtitutionem.* eodem in 6. tamen id antiquatum eſt per Trid. addens ſuprà: *Profeſſio autem anteà facta ſit nulla, nullóſque habeat effectus:* éſtque uſu declaratum: nec aliàs novi quid ſtatueretur, aut quod alicujus utilitatis ſit.

CAPUT XIII.

Quando Novitiatus incipiat, & an Regularem habitum requirat?

1 Primò. De Neceſſitate non eſt, ut probatio incipiat poſt ſuſceptum habitum. Nam nec ſubſtantia Profeſſionis poſcit habitum c. *Conſtitutionem* de Regular. in 6. nec ratio probationis c. ult. d. 53. c. *Multos.* d. 54. licèt conſuetudo ferè omnium Religionum ita habeat; & ideò alii negent cum Abbate habitum eſſe de ſubſtantia, alii ac plures affirment; eò quòd conſuetudo derogârit Juri antiquo. Licèt ergo Trid. ſ. 25. c. 15. de Regul. loquatur modo ordinario, quo fit receptio, nihil definit in rigore per verba *poſt ſuſceptum* &c.

2 Nam verbum ita obiter dictum, & quaſi aliud agendo, non ſufficit ad definiendum in re tam gravi & controversâ propter Jura cit. & Doctores; ſed ſaltem dici debuerat, inchoari probationem à ſuſceptione habitûs, cùm annus computetur à die, quo quis recipitur ùt Novitius, ùt in Societate computatu ſine ſuſceptione ſpecialis habitûs. Quia verò in aliis Religionibus annus incipit à ſuſcepto habitu, tanquam ſigno receptionis, eatenus ea ſuſceptio dicitur ſubſtantialis. Sermo autem Concilio eſt de habitu collato per Religionem; ſícque licèt domi ſuſcipiatur à fœmina, non refert, dummodo non privatâ tantùm devotione; quia licèt probatio fortè eſſe debeat intra clauſtrum, non tamen initium ejus.

3 Secundò. Probatio inchoari poteſt ante 15. & conſeqnenter finiri ante 16. annum. Ita poſt Trid. communis Nav. Sorb. Sà, Sanch. Azor, Henriq. Leſſ. Mirand. Sermo eſt de pubere: nam in impubere locus non eſt contractui cum Religione in ordine ad probandum: Pubes autem licitè de Jure antiquo probationem cœpit; at Trid. quoad hoc nihil innovat. Nam cùm ſuprà c. 16. poſtulat, ut expleto anno 16. ſtatim fiat Profeſſio, reſpicit habiles, ut cenſuit S. Congrreg. & meritò: poteſt enim eſſe rationabilis cauſa differendi, ùt ob morbum Novitii, aut quia non omnino ſatisfecit, aut ſi quid obſtat circa diſpoſitionem bonorum &c.

CAPUT XIV.

Quænam ſint de ſubſtantia Novitiatûs?

1 Primò. Novitiatus ſubſtantialiter involvit quid negativum, ut qui probatur, nec ſit, nec exiſtimetur Profeſſus. Nam Trid. Probationem vult ante Profeſſionem: ergo illa cum hac non ſtat; ſicut de ratione motûs eſt, non eſſe in termino, ceſſátque inquiſitio, comparato fine, & conſultatio formato judicio. Rurſus Probatio ſupponit libertatem aſſumendi vel relinquendi, quod probatur: qui autem ſe putat vinctum, jam non eſt, ut probet, ſed ex neceſſitate, ut impleat, quod putat ſe debere. Nec refert, quòd in re ſumatur experimentum, cùm id non ſit formaliter & propriè eſſe in Novitiatu, ùt requirit Concilium, & communis modus loquendi, & uſus omnium Religionum.

2 Nam eo ipſo, quòd quis putetur Profeſſus, tractatur & tractari debet ùt talis: & homo aliâ circumſpectione operatur ùt probans, aliâ, ùt jam habens ſtatum immutabilem. Similiter autem ex parte Religionis Probatio debet eſſe merè ſpontanea, non ex obligatione, aut cogitatione obligationis ſtatûs jam permanentis. Porro aliud eſt, loqui de ſtatu Probationis, aliud de actuali Probatione: nam ad illam ſufficit, ut perſona alicubi ſit, ut probet & probetur, ſtétque expedita ad hunc finem.

Secundò. Status Probationis poſcit etiam quid poſitivum. Nam negativum, de quo dictum eſt, commune eſt ſæculari. Dein Probatio non eſt ſine primo ingreſſu, quo fiat unio cum Religione, conſequenter per externam aliquam oblationem ſeu quaſi traditionem Perſonæ, & acceptationem Religionis in ordine ad probandum. Rurſus in Perſona reſultat obligatio parendi, quin Jure reſiſtere poſſit, niſi ſtatum deſe- 3

deferat. Sícqũe prima receptio moraliter permanet, quamdiu non retractatur. Quia ergo ſignum poſtulatur dictæ receptionis, ideo ſuſceptio habitûs dicitur & eſt de ſubſtantia; nam cùm dictus ſtatus non conſiſtat in voto, vel obligatione immutabili; rectè dicitur conſiſtere in ſignificatione permanente prioris voluntatis cum aliquali Jure & obligatione exercendi & ſuſtinendi probationem.

4 Tertiò. Præter dictam permanentiam voluntariam in ſtatu, nulla actualis probatio eſt de ſubſtantia ejus. Nam aliud eſt finis, aliud ſubſtantia dicti ſtatûs, ſicut in Lege, Matrimonio &c. Conſtátque inductione; ùt ſi Prælatus negligit probare, utut expoſitum & volentem; vel ſi hic exercendo ſe experiatur ineptitudinem, & profiteatur, ſibi imputet Religio negligentiam, & alter temeritatem ſuam. Nam Profeſſio tenet, præſertim quia non poteſt pendere à tot particularibus; nec eſt major ratio de uno quàm altero particulari. Et patet exemplo ægroti; nam ex mente omnium Doctorum, ùt ait Nav. facit verum annum probationis, licèt non probet omnes auſteritates, imò nullam; ſatis tamen probatur quoad mores, charitatem &c.

5 Quartò. Geſtatio habitûs non eſt de ſubſtantia. Nam neque vi Juris antiqui eſt ſubſtantialis, neque vi Conc. Trid. quod ſolùm dicit: *Poſt ſuſceptum habitum*, citra aliam expreſſionem, utique neceſſariam in re tanti momenti, ſi quid novi intentum fuiſſet; & aliàs non ſupponeret ratificari Profeſſionem poſt quinquennium, ſi habitus Novitii de ſubſtantia foret. Denique ſi viro gravi poſt bimeſtre v. g. detur habitus Profeſſi causâ honoris &c. profectò improbabile eſt, deſinere probationem, & de integro reſumi debere, cùm verè talis ſteterit ſub obedientia ad probandum; ergo ùt Novitius c. *Ad Apoſtolicam.* cum ſimilibus de Regular.

Quintò. Commorari ſemper in clauſtro, de ſubſtantia dicti ſtatûs non eſt. Vel enim dicta commoratio materialiter ſumpta, neceſſaria foret, vel formaliter intellecta, & per fictionem Juris, quamdiu ſcilicet quis ſub obedientia eſt? Non 1um, ùt patet in aliò miſſis ex obedientia? nec major probatio eſt, quàm obedientia. Non 2dum, niſi intelligendo cum grano ſalis, nec de quolibet egreſſu indebitè facto, ut ſi miſſus aliquò, citra licentiam divertat ab itinere, multóque minùs ſi licentia data eſt ſine cauſa. Nec enim Novitii eſt, hanc examinare, nec quilibet exitus, licèt peccaminoſus, apoſtaſia ſeu deſertio eſt, ſed cùm fit ſine animo redeundi, ſeu ut per exitum ſe conſtituat extra obedientiam. 6

CAPUT XV.

An de ſubſtantia Probationis ſit annus continuus?

1 Primò. Annus intelligi debet præciſè, ita ut nec dies deſit, nec pars ejus. Ita omnes. Nam Lex, quæ quid taxat ut pretium, tempus &c. conſiſtit in indiviſibili: ſicque Jure antiquo accipitur probationis annus, & ſervat uſus. Dies tamen addi non debet, quia nullo Jure præcipitur: malè autem additur in re odioſa, quod lex non expreſſit.

2 Secundò. Requiritur annus continuus. Eſt certa. Nam quoties in Jure tempus certum ad aliquid requiritur, intelligitur continuum, ùt eſt principium receptum apud Legiſtas, & Canoniſtas. Gl. Bart. Joan. Andr. c. *Cupientes.* verbo. *Iterum.* De Elect. in 6. junc. 1. eod. Licèt autem Jure expreſſum non ſit, tamen per ſe rationi conſentaneum eſt, quia tempus, præſertim definitum, ut dies, continuum eſt, & tale ſignificatur regulariter, ùt legando, donando &c. uſum domûs per annum, cùm tam in Jure quàm contractu certum quid definiri oporteat. Sic Clem. *Eos qui* de Elect. particula *per annum* ſine controverſia de continuo intelligitur, & à fortiori cùm additur terminus à quo, ùt: *Ex tunc ſit ſuſpenſus per triennium:* at in Concil. expreſſum eſt; *poſt ſuſceptum habitum.*

Nec refert, ſi dies deſit, annum denuo ordiendum eſſe. Nam privatum gravamen non attenditur, éſtque parvum reſpectu commodi publici; ergo ſtandum eſt ſtatu Probationis, ùt Jure præſcriptus eſt, & communi interpretatione receptus. Licèt enim neceſſe non ſit experiri omnes aſperitates, tamen idoneitas ad omnia experienda per ſe poſtulatur. 3

Tertiò. Interruptio dicti ſtatûs ſit, tum per Profeſſionem exiſtimatam, (juxta dicta cap. ſup.) tum per conſummatam dimiſſionem habitûs. Nec enim ſufficit continuitas moralis, ùt in actione, ſed propria & phyſica, ùt in ſtatu eſſe poteſt, ſive experiaris aſperitates, ſive non: & aliàs res erit meri arbitrii, & uni mora tridui erit parva, alteri magna. Tamen magìs attendi debet gravitas actionis, qua ſtatus interrumpitur, quàm duratio ejus, ut licèt qui exiit ſimpliciter dimiſſo habitu, redeat eodem die, jam deſiit eſſe Novitius: ſicque ſat probabilis regula eſt, toties interrumpi ſtatum, quoties opus eſt novâ receptione juxta modum & conſuetudinem Religionis. 4

5

Quartò. Ad interruptionem non ſufficit dimiſſio habitûs merè inchoata

ata, & non conſummata. Nam aliud imprimis eſt exuere habitum, ſive licitè ſive perperam; aliud dimittere illum, quod poſcit animum non reſumendi illum, ùt in ſimili notatum eſt cap. ſup. aliàs ſtatus verè non mutatur. Rurſus ſæpe inchoatur, non tamen conſummatur dimiſſio, ùt ſi Superior jubet exuere habitum, ſtatim tamen iterum mutat animum; aut ſi Novitius ita exuit, ſed ante egreſſum pœnitens; aut ſi intra clauſtrum abſconditus fugam intendit, ſed ſiſtit, à Superiore inventus, & perſuaſus. Vacillavit enim, non tamen mutavit ſtatum propter actûs imperfectionem, non (ùt Nav. vult) ob momentaneum morari: aſſerere autem, quòd mutatio perfecta ſit, & nimìs rigoroſum eſt, & nec Jure, nec ratione convincitur.

Quintò. Requiritur Probationis continuitas cum Profeſſione. Nam ſi illa inchoata eſt à pubertatem ingreſſo; ergo per annum, imò pluribus annis eſſe poterit in ſæculo: cùm interea utique mutentur mores l. *Si non ſortem* § *Libertus.* ff. de Condict. indeb. Vel ergo aliqua interruptio ſufficit inter Profeſſionem & Probationem, vel nulla? Poſterius per ſe incredibile eſt. Si 1um, dici nequit, quæ & quanta interruptio ſufficiat: ſícque omnia relinquuntur incerta, & contra Trid. Unam enim tantùm ſuſceptionem poſtulat, quâ factâ amandari jubet inhabiles: at ſic ejecti utique egent novâ probatione. 6

CAPUT XVI.

An Novitius ad obſervantiam regularem teneatur, & an habere poſſit Beneficium?

1 Primò. Novitius ad caſtitatem non habet ſpecialem obligationem. Non enim vi voti, ùt ſupponitur. Non ob ſcandalum vel infamiam Religionis, cùm vitari in peccato poſſit; ſicut nec dicta infamia ſequitur, cùm dimiſſus ducit Conjugem. Non ob circumſtantiam aggravantem, quia valdè generale eſt habere plus cognitionis, paucas occaſiones &c. Idémque eſt, ſi peccat contra communes obſervantias; nam actus per ſe non aggravatur, ſed ſolùm propter accidentalem & communem malitiam, ùt ingratitudinis &c.

Secundò. Vi paupertatis non contrahitur ſpecialis obligatio, quamvis poſſit vi Juſtitiæ, uſurpando ſcilicet dominium bonorum Religionis, vel utendo ultra conceſſionem Domini. Vel ergo donat quis externis, diſtrahítve extra Religionem, vel ipſus conſumit uſu con- 2

conſumptibilia, vel utitur libro &c. Si 1um, furtum eſt ſacrilegum, quia oblatio rei Deo dedicatæ, invito Domino. Si 2dum, & res non ſit pretioſa, aut extraordinaria, vel exceſſus nimius, licèt frequens in modica quantitate, mortale non eſt, quia ſecundùm prudentem æſtimationem non æſtimatur grave in ratione nocumenti, nec eatenus invita eſt Religio, ſed ratione indebiti modi: ſtátque aliquo modo, quòd res cedat Religionis utilitati. Si 3ium: ſecluſis incommodis extrinſecis, incommodum eſt leve.

3 Tertiò. Novitio nec demitur quid dominii, nec accedit quoad bona propria, ſed permanet vel ſubjectio, ſi ſub Curatore eſt, vel libertas. Nam poteſt validè & licitè denuo acquirere (ſecluſâ negotiatione, vel actione ſtatui repugnante, quam meritò inhibet Prælatus) & plenè diſponere de bonis, ùt ſcribendo hæredem, quem vult, omiſſo Monaſterio. Nec enim vinculalatum habet uſum bonorum, nec Monaſterio quid promiſit, nec tenetur, ſive Jure Canonico, ſive Cæſareo, Auth. de Trient. & Sem. §. *Conſideremus.* Sicque ſaltem quod ultra congruam ſuſtentationem eſt, ſuppoſitâ indigentiâ loci, nullo titulo defendi poteſt, ſi exigatur, negando, nî detur, Profeſſionem; quidquid ſit de eo, quod à Monialibus fit per conſuetudinem præſcriptam, & ſpecialem neceſſitatem. Similiter conſtat, Monaſterium non ſuccedere ab inteſtato, cùm ſolùm per Profeſſionem Jus tanquam incapacis in id transferatur. Abb. Franc. Nav. Sylv. Angel.

Quartò. Donatio facta Monaſterio tenet, vel abſolutè, vel adhibitâ ſolemnitate, quæ poſcitur in Trid. ſ. 25. c. 16. Abſoluta eſt, ſi ſit mortis causâ, ùt tutò teneri poteſt; nam ùt factio teſtamenti non prohibetur, ſive ante, ſive poſt primum ingreſſum, ita nec dicta donatio; quia dici nequit alienatio vel renunciatio ſimpliciter, ceſſátque omnino ratio Concilii: cúmque mors omnibus communis ſit, per accidens ſe habet ſtatus vel habitus Novitii. Similiter abſoluta donatio eſt, & tenet, ſi non ſit magna, ſpectatâ qualitate Perſonæ; nam quod non excedit expenſas ſumptuûm, non revocatur. 4

At ſive donatio omnium, ſive magna ſit, ſemper intelligitur ſub conditione, ſi ſequatur Profeſſio, ùt ante Trid. rectè cenſuit Abb. quia veriſimile non eſt, intendi ſpoliationem ſui totalem, aut immoderatam in dicto caſu, quamdiu de oppoſita intentione non conſtat. Tenet tamen ea donatio, ſi mors ſequatur in Monaſterio, quia tunc ſatis perſeveratum eſt, & cauſa mortis civilis, quam actus reſpiciebat, ſatis completur per anticipationem mortis naturalis. 5

Quintò. Novitius validè & licitè retinet Beneficium. Ita c. *Beneficium* de Regul. in *6.* cujus limitationes 6

tiones hodie ceſſant vi Trid. ſuprà. Adde etiam, acquiſitionem Beneficii valere, cùm nullibi irritetur; eſto illicita ſit, quia fit ſine animo ſerviendi, ſolùm ad fruendum pro tempore; quod eſt contra inſtitutionem Beneficii, Tamen cùm non ſit ita intrinſecè malum, Superior diſpenſare poteſt in favorem Religionis. De Penſione autem alia ratio eſt, quia ejus receptio temporalis, nec contra legem eſt, nec contra ſervitium debitum. Denique Beneficii Regularis incapax eſt de Jure antiquo, Clem. *Quia Regulares.* De Suppl. neglig. Præl. & Clem. *Ne in agro.* §. *Savè Prioratus.* De ſtatu Mon. quamvis loquendo de ſimplici ſecus

7 ſit juxta Trid.

Sextò. Capax non eſt Novitius dignitatis Regularis, ſed tamen Epiſcopalis. Ita c. *Nullus.* de Elect. in 6. Idémque eſt de inferiore dignitate, quantùm ad valorem, cùm nullibi irritetur: at quia diſtrahit à propoſito perfectionis, non magìs licet, quàm collatio Beneficii ſæcularis: Epiſcopus autem electus poteſt, ſi velit, profiteri, & poſtea conſecrari. A fortiori autem retinet Jus præſentandi, eligendi &c. cùm ſine lege ſpoliari nec poſſit, nec debeat: ergo ſi vult, poteſt Capitulo intereſſe, vel alteri ſuffragium committere. c. *Quia propter.* §. *Illud.* De Elect. quamvis, quia comodè adeſſe non poteſt regulari-

8 ter, obligatio non ſit eum evocandi.

Septimò. Licitè ordinatur Novitius. Nam c. *Monaſteriis.* 19. q. 3. agit de tonſuratione Monachali, ſeu ſuſceptione habitûs Religioſi. Diœceſanus tamen non dat Dimiſſoriales, quia Domicilium nondum eſt fixum, nec etiam ſtatus ſimpliciter mutatus. Oportet ergo conſulere Privilegia Ordinis, quibus etiam Novitius gaudet, ùt tenet Molin. to 1. D. 139.

Octavò. Novitius non poteſt per 9
ſe & directè obligari in conſcientia præcepto Superioris, quamvis teneatur ſaltem in publicis ad obſervantiam, nec per vim reſiſtere poſſit correctioni. Nam obedientiam non vovit, tenetur tamen non dare ſcandalum, correctioníque ſe ſubdit per pactum tacitum; aliàs magna confuſio ſequeretur. Nec enim, cùm libertatem diſceſſûs tuentur Jura, ùt c. *Statuimus.* de Regul. c. *Non ſolùm.* eodem in 6. utique per ſe & re integrâ, denegant juſtam punitionem, præſertim quia Prælatus ſuſtinet vices Epiſcopi per Jurisdictionem: ergo licèt alter eligat dimiſſionem, & ad eum retinendum rectè parcatur, ſecùs tamen aliquando fieri debet ad terrorem aliorum, ne niſi debitè punitus, abeat.

Nonò. Novitius non obligatur ad 10
Horas. Eſt certa, quidquid velit Palud. nam cùm Religioſus non ſit, ceſſat titulus obligationis, de qua nec lex eſt, nec conſuetudo: ali autem ex bonis Religionis, non eſt ratio proxima obligandi. Denique etiam Clericus in minoribus gaudet Privilegiis, quamvis ſolùm ſit in via ad ſtatum ulteriorem. Li-

LIBER VI.

De Profeſſione Religioſa.

CAPUT I.

An Profeſſio ad ſtatum Religioſum neceſſaria ſit, ſempérque fuerit?

1 Primò. Profeſſio vera & valida ita eſt de ſubſtantia Religioſi ſtatûs, ut ante illam non ſit quis verè & propriè Religioſus; per illam autem fiat, ſive illa ſit omnino irrevocabilis, ſeu ſolennis, ſive non. Patet ex c. *Porrectum.* c. *Ex parte* de Regul. c. *Conſuluit.* Qui Cler. vel vov. c. *Religioſi.* De S. E. in 6. Trid. ſ. 14. c. 6. de Refor. itémque ex perpetua traditione Eccleſiæ & Patrum. Nam ad ſtatum requiritur firmitas: hæc autem ante Profeſſionem non eſt, & poſtea eſt.

2 Secundò. Idem eſt de Profeſſione tacitâ. Conſtat ex c. *Statuimus* cùm ſimilibus de Regul. c. *Non ſolùm.* c. *Conſtitutionem.* c. *Beneficium.* eodem in 6. Nec enim per Trid. derogatur, poſtulando annum probationis, ſed ſupponitur, ſine hac non valere Profeſſionem tacitam, ùt declarat Congreg. & clarè ſupponit Sixt. V. in Conſt. de Illegit. Ratio eſt, quia interior voluntas, à qua manat vis Profeſſionis, non verbis tantùm, ſed & factis declarari poteſt: ergo licèt illa deſint, hæc ſufficere poſſunt.

CAPUT II.

Quid Profeſſio Religioſa formaliter & ſubſtantialiter ſit; & quis ejus effectus formalis?

1 Primò. De ſubſtantia Religionis eſt traditio, quam quis de ſe facit Religioni, ſeu Deo in tali Religione, & per Prælatum ejus, cujus acceptatio etiam eſt de ſubſtantia. Ita S. Thom. Rich. Bonav. Duran. Carthuſ. Soto uterque, Altiſiodor. Tol. Sanch. Penna, Navar. Sumitur ex c. *Ad Apoſtolicam.* De Regul. ubi non alia ratione Probatio eſſe dicitur neceſſaria in favorem & Religioſi & Religionis, niſi quia Profeſſio poſcit illius traditionem, & hujus acceptationem, ùt clariùs habet Conſt. Greg. XIII. *Aſcendente.*

Quod

2 Quod enim ultra vota ad dictam ſubſtantiam requiritur, non eſt, niſi abdicatio proprii Juris in ſe & ſua omnia, & translatio in alium, ùt *Abnegationem* ſui à Chriſto ſuaſam explicant, & docent Chryſ. Hieron. Greg. S. Thom. Bonav. Caſſian. Regula S. Benedicti: ergo neceſſaria eſt traditio Religioſa, quia nec coacta eſt, nec temporalis, nec pœnalis, nec præcepta. Et hinc omnes Theologi ſumunt poteſtatem directè irritandi vota: quia ſola Promiſſio obediendi impediret quidem executionem eorum, non tamen tollendo obligationem, ùt patet in Novitio, Pœnitente &c. Igitur voluntas non tantùm promittitur, ſed & traditur, & conſtituitur ſub voluntate alterius, ſine qua nequeat illa firmiter obligari.

3 Confirmatur, quia ex eodem principio ſequitur translatio omnium Jurium in Religionem; quia Religioſus comparatur ſervo, qui tradendo ſe, tradit ſua omnia, cùm tamen Filius ſibi acquirat, & uſumfructum Patri. Inde etiam eſt vis cogendi & puniendi; nam Promiſſorem nec cogere poſſum, ut ſtet verbo, nec punire infidelem: ùt tamen ſit ab Abbatiſſa, & in Religione Laicorum citra Jurisdictionem.

4 Secundò. De ſubſtantia Profeſſionis ſunt tria vota, ſive explicitè fiant, ſive implicitè. Ita omnes. Nam ſermo eſt de Profeſſione, ùt conſtituit in ſtatu verè Religioſo; hic autem ad eſſentiam ſuam poſcit tria vota, ùt ſuprà dictum eſt; & aliàs eſſet quis Profeſſus, nec tamen Religioſus. Dixi: *ſive implicitè*; quia apud aliquos mos eſt ſic vovendi. Et jam olim in velatione Virginum ſubintelligebatur paupertas, ùt indicat Athan. Hier. Nec propterea Profeſſio tacita eſt, ſed expreſſa, quia ſufficit fieri verbis, licèt confusè quoad aliqua, quæ per conſuetudinem ſubintelliguntur.

Tertiò. Fit quidem homini imẽdiatè dicta traditio, quin tamen ſit donatio merè humana, ſed Religioſa & ſacra, quatenus aliquo modo principaliter Deo fit, ad quem ex illa ſpecialis obligatio naſcitur. Pars prior conſtat uſu; quia Deo immediatè & in ſe fieri nequit traditio, utpote incapaci dominii imperfecti; ſecus ac eſt de homine, cùm Procurator nil ſibi, ſed Principali acquirit; & nec huic, ſi incapax eſt dominii. Vicarius autem Dei non tantùm vices agit capiendo dominium, ſed etiam utendo; quia ad utrumque eſt Miniſter. Simile ergo eſt, ſi quis impotens adeſſe Regi, Proregi ùt tali ſe donaret. 5

Poſterior pars ſumitur ex Patribus, qui Profeſſionem vocant *pactum cum Spiritu ſancto.* & quòd Apoſtata *ſuffuretur ſe ipſum Deo*, & ſimilia plura, ùt c. *Multos* d. 54. & in Bullis Societatis Pius V. Gregor. XIII, éſtque Exemplum in Calice Eccle- 6

Eccleſiæ, quamvis diſſimile. Ratio eſt, quia dicta traditio non eſt actus liberalitatis, obſervantiæ, alteriúsve virtutis erga hominem, ſed Religionis tantùm; sicque multùm differt ab eleemoſyna &c.

7 Quartò. Licèt dicta ſubjectio reſpectu Dei ſit & ſervitutis & filiationis; reſpectu Religionis tamen non eſt propria ſervitus. Nam ùt tendit ad cultum perfectum Dei, ſervitus eſt; ut verò totus cultus & ex Charitate & ad hujus perfectionem, majusque jus hæreditatis paternæ eſſe & ordinari debet, Filiatio eſt, ſicut juſtus dicitur & ſervus & Filius Dei. At ſervitus propria humana nec conſulitur in Evangelio, nec ùt eſt in Religione, jus vendendi aut emancipandi, aut excludendi à meliore ſervitute affert, nec patitur. Rurſus nec habet rationem pœnæ, ſed per ſe primò appetibilis eſt, ita ut locus ei fuiſſet etiam in ſtatu Innocentiæ: nec etiam tendit in bonum Dominantis, ſed proprium obedientis; eſto ſimul curetur bonum commune Religionis.

8 Dici ergo poteſt ſubjectio Filiationis, quia & abeſt contriſtatio, (quatenus in ſervitute ignobili, quod natura proprium cujusque bonum vult, alteri cedendum eſt) & adeſt, quidquid in Paterna perfectionis eſt in ordine ad procurandum bonum Filii. Nec acquiritur Religioni dominium purè dominativum, ſed gubernativum, sicque de ſervitute propria ſolùm habet translationem bonorum & Jurium: ergo Profeſſus potiùs ſe donat Religioni in Filium, quàm in ſervum.

Quintò. Licèt traditio & tria vota ſint diverſa ſecundùm ſe & formaliter, ex illis tamen coaleſcit Profeſſio per modum unius moralis contractûs perfecti, & conſummati. Nam aliud eſt promiſſio, aliud traditio, juxta alibi dicta: & vota ſoli Deo fiunt, & obligant, & ex Religione quidem: at traditio obligat homini ex Juſtitia propter jus acquiſitum; patétque in non Profeſſo illa ab iſta ſeparari, quamquam in Profeſſo conjungantur; & ideò Theologi, imò Greg. XIII. in Conſt. *Aſcendente* dicant, per vota fieri traditionem. Sicut autem in contractibus multiplicantur obligationes propter majorem firmitatem, ita in ſtatu omnium bonorum aggregatione perfecto: ergo licèt materia obedientiæ & traditionis ſit una & eadem, ſufficit obligationes eſſe formaliter diverſas, jungíque, ut obligatio etiam extenſivè creſcat, ut propter votum Caſtitatis &c. 9

Sextò. Repugnat fieri traditionem cum tribus votis in Religione approbata, quin eo ipſo intelligatur Profeſſio. Caſus, quem refert Nav. eſt, *Dono me in oblatum Monaſterio S. Benedicti, vovendo paupertatem tibi ejus Abbati: non autem profiteor regulam Ordinis, nec me obligo ad Ceremonias & obſervantias ejus.* Negat Nav. talem factum eſſe Profeſſum, quia 10

ſolùm intendit oblationem, & actus non excedit intentionem. At oblatio & traditio idem ſunt: junctis ergo votis ignorantia propriæ vocis non obſiſtit, quin talis eſſet, qualis efficitur per traditionem & dicta vota.

11 Ideo ergo negandum eſt, factum eſſe Religioſum, quia nec Traditio nec vota facta ſunt in Religione approbatâ quà tali; utraque enim ordinata eſſe debent ad obſervantiam regulæ, ita ut obedientia, Paupertas &c. ſint ſecundùm regulam, ſeu quoties aliquid ſecundùm illam præceptum fuerit: aliàs approbatio regulæ materialiter tantùm, & per accidens ſe habet, ùt clarum eſt in dicto caſu.

CAPUT III.

An ad Profeſſionem neceſſarius ſit conſenſus omnino liber, & in ætate perfecta?

1 Primò. Non fit valida Profeſſio ſine libero conſenſu ejus, qui Religioſus efficitur. Eſt certa & omnium: nam coactio eſt contra intentionem Chriſti, & Pauli ad Corinth. & contra ſenſum perpetuum Eccleſiæ, cùm ſtatus obliget ad vitam arctiorem, & carni repugnantem, ad quam ſine proprio conſenſu nemo obligari poteſt; ſicque vota nec elicitivè fieri poſſunt ab extrinſeco, nec præceptivè, ſive per Eccleſiam, ſive per poteſtatem patriam, quæ purè naturalis eſt: aliàs per eandem obligari poſſet Filius ad perpetuam Caſtitatem.

2 Confirmatur, quia Pater non poteſt facere oblationem perpetuam Filii, ùt conſtat ex c. 1. & 2. c. *Cùm ſimus.* de Regul. c. *Clericus.* 2. de vit. & hon. Cleric. c. *De his* d. 28. cum ſimilibus d. 32. c. *Puellæ* c. *Sicut.* c. *Illud autem.* 20. q. 1. ſicque quòd eadem cauſa & q. habetur de oblatione paterna ad Profeſſionem, ùt c. 2. & c. *Monachum*, intelligi debet ob conſenſum tacitum oblati, cùm aliud jus Patris nunquam fuerit in Eccleſia, ùt planè probat dictum c. *Illud.* quod eſt Papæ Marcelli, qui vixit anno 304. Nec obſtat jus vendendi Filium; nam & caſus rariſſimus eſt, & unicè conceditur propter ſubſidium egeſtatis paternæ: Deus autem non vult, niſi liberum obſequium ratione utentis.

Secundò. Non qualiscunque, ſed perfecta libertas conſenſûs neceſſaria eſt; & ideo uſque ad ætatem puberem Profeſſio valida non eſt, nec conſenſus efficax. Conſtat ex pluribus decretis cit. & maximè ex Jure novo Trid. Nec enim applicari poteſt illud, *niſi malitia suppleat* &c. quia argumentum à ſimili in 3

Jure inefficax eſt, & Profeſſio utique difficilior eſt matrimonio: aliunde autem certiſſimum eſt, Eccleſiam præſcribere poſſe conditiones, ſine quibus Profeſſio non teneat, ùt c. *Quia* de Regul. pro quibuſdam locis certis ætas 18. annorum petitur, non verò ùt perperam extenditur, pro Monaſterio quolibet, in quo durior habitatio eſt, nedum pro tota Sicilia & Anglia; quia ex qualitate Inſulæ Orphianæ & Palmariæ ſenſus Canonis ſumendus eſt.

Tertiò. Etiam ex parte Religionis 4 poſtulatur conſenſus liber. Patet ex natura contractûs. Penes quem poteſtas ſit conſentiendi, patet ex dictis de receptione Novitii.

CAPUT IV.

An ad Profeſſionis valorem neceſſarius ſit conſenſus liber à metu?

1 Primò. Si fictio ſit ſive ex parte Profitentis, ſive ex parte Religionis ſeu Prælati recipientis, actus eſt nullus, quacunque ex cauſa fingatur; & ſive adſit metus, ſive non. Nam notorium de Jure eſt, actum externum in his contractibus non ſufficere ſine conſenſu interno. In foro tamen externo audiri nequit Prælatus, nec fidem meretur apud Profitentem, ut hic illius confeſſione utatur ad fugiendum &c. Rectè autem, ſi fidem dedit, ſibi conſulet, quærendo remedium ſanandi nullitatem.

2 Secundò. Profeſſio, quæ fit ex metu, eſt nulla. Eſt certa & omnium, dempto Sylv. v. *Metus*, quamvis verbo *Religio* communem ſententiam teneat de nullitate actûs etiam in foro interno. Sufficit enim communis intellectus c. 1. de his quæ vi &c. & ſenſus, & praxis Eccleſiæ, tanquam optima interpres ac teſtis legum, ſive Jus ſcriptum ſit, ſive non. Idem ſupponit Trid. ſeſ. 25. c. 19. de Regul. æquiparando metum cum defectu ætatis. Nec enim probato metu, ſimpliciter & abſolutè dimitti quis poſſet, ſed onerando conſcientiam, an re vera fictio, nec ne fuerit. Igitur nec cauſa judicio cujuslibet relinqui debuit (aliàs multi abirent) nec reſervari Pontifici ob periculum animarum: ſicque in Eccleſia convertuntur, non cogi ad manendum, & actum eſſe irritum.

Tertiò. Profeſſio, quæ ex metu 3 fit, non eſt irrita ex natura rei. Ita Nav. Sanch. Arag. Henriq. Leſſ. & alii communiùs in Scholis. Nam metuens, & non fingens, ſimpliciter ſe vult tradere Religioni, & obligari Deo: at qui poteſt, & ſimpliciter vult, facit, quod vult. cùm in hoc diſtinguatur voluntas abſoluta ſeu efficax ab inefficaci. Dein vel obſtat injuria, vel diminutio liberta-

bertatis? Non 1mum, quia impertinens reſpectu Dei. Non 2dum, quia idem eſt in metu naturali, & indirectè incuſſo, ùt eſt certiſſimum in naufrago, adulterâ, fugiente Judicem, vel Sicarium, de quo tamen ultimo negat Abb. c. *Sicut.* de Regul. ſed ſine Jure & ratione. Nam quid refert reſpectu Dei, an metus incutiatur per Judicem injuſtum, an privatam perſonam? Denique diminutio libertatis etiam fit per importunas preces, vehementiam paſſionis &c.

4 Quartò. Oportet, ut metus ſit gravis ex parte objecti, Non enim quantitas metûs interni, utut maxima, ſufficit, quia non cadit ſub forum externum; ſolúmque faceret, ſi dicta irritatio ex natura rei eſſet. Dein debet eſſe metus cadens in conſtantem virum, ùt omnes notant cum gl. in c. *Cùm dilectus.* de his quæ vi &c. & l. *Metus.* ff. Quibus ex cauſis. Conſtans autem non trepidat ob malum leve, nec etiam ob grave, niſi ſit imminens: quamquam alia ſit conſtantia viri, alia pueri, alia feminæ, ùt notat Nav. Sanch. Covar. Sylv. Quòd ſi metus, non obſtante causâ metuendi, vel abeſt, vel non movet ad Profeſſionem, hæc valet coram Deo, quia non fit ex metu, ùt irritatio ejus poſcit, eſto fiat cum metu: ergo & Jure naturæ & Eccleſiaſtico valet.

5 Quintò. Metus purè reverentialis, ſecluso imperio Parentis, non ſufficit. Nam neque ex natura rei obſtat, neque ex Jure Eccleſiaſtico. Non 1mum, ùt à fortiori conſtat, accipiendo dictum metum, ùt ſignificat internam reverentiam erga Perſonam Patris &c. cum quadam verecundia, quæ puerum detinet, ne contradicere audeat voluntati Patris. Non 2dum; quia c. 1. & c. *Inſinuante.* Qui Cler. vel vov. petitur metus gravis. & in c. *Cùm virum.* de Regul. rata habetur velatio puberis tacentis propter puerilem metum. Secus autem eſt tum de coactione manifeſta, ùt in c. *Præſens.* 20. q. 3. Tum de morali ob minas formales, vel ſufficientem cauſam timendi grave nocumentum, ſi Filius Patri contradicat.

Sextò. Non ſufficit metus ex parte Religionis, ùt vult Leſſ. à ſimili de matrimonio, & quòd æquitas contractûs ita exigat. Nam in materia adeò ſpeciali & odioſâ argumentum à ſimili non ſufficit; imò nec de profitente jus eſt expreſſum, ſed uſu duntaxat explicatum, qui utique non eſt de Religione, Et caſus eſt rariſſimus, quem Lex attendere non debuit. Etiam ſi ſo gravis non eſt, ſi Perſona idonea eſt; ſin indigna eſt, qui vim intulit, tenetur ad reſtitutionem damni. Denique contractus alii ſolùm reſcinduntur, juxta communem. Covar. in 4. p. 2. c. 3. §. 6. ergo contractus perpetuus, ſi ſemel, ſemper valet; quia congruentiæ, ut irritetur, ſine Lege non ſufficiunt. 6

CAPUT V.

An conſenſus requiratur ita liber, ut non detur per dolum, vel ignorantiam?

1 Primò. Error ſubſtantialis vitiat, & irritat actum. Conſtat à ſimili in matrimonio &c. quia ignorantia cauſat involuntariam ſeu non volitam Profeſſionem quoad ſubſtantiam, ſive quoad Profeſſionem ùt ſic, ſive ùt ſit in tali Religione, ùt ſi aſperitas ignoretur, moraliter ſuperans vires Perſonæ. Nec refert dolum dici bonum propter bonum animæ; in quo valde decipiuntur Juriſto. Quia cùm bonum neceſſarium non ſit, aut præceptum, obligatio ad id oriri nequit, niſi ex vera & propria voluntate. Unde etiam non obſtat, quòd error ſit ex negligentia, dummodo non affectetur; quia licèt illa imputetur quoad imprudentem modum agendi, non tamen in ordine ad obligandum.

2 Neque hìs obſtant Jura; nam in c. *Cùm dilectus.* de his, quæ vi &c. vis doli non negatur, ſed dicitur fatuitas potiùs fuiſſe, quàm dolus; ſícque præſumptio obſiſtit in Foro externo: at in interno veritas attendenda eſt. Adde fortè affectatam ignorantiam fuiſſe: directa autem voluntas ignorandi, niſi de contraria intentione conſtet, includit virtualem conſenſum in actum, volendo illum confusè, ùt in re eſt. Rurſus in c. *Veniens.* de Conv. Conjug. licèt deceptio fuerit in re ſubſtantiali, obſtitit exceptio tum adulterii, tum renunciationis tacitæ ex parte viri non repetentis conjugem.

Secundò. Error accidentalis non 3 obſtat valori. Ita c. *Ex parte.* 2. eod. c. *Conſtituit.* 20. q. 3. & à ſimili in matrimonio Nam error irritans eſſe debet circa proprium objectum, circa quod verſari debet conſenſus neceſſarius ad Profeſſionem: ergo non ſufficit, ſi ſit circa motivum extrinſecum: imò preces blanditiæ &c. potiùs augent voluntarium, quàm minuunt. Quòd autem irritent, nec ex natura rei, nec ex Jure habetur. Unde etiam non refert, quod vult Matthæus de Afflict. adjungi metum reverentialem; nam Jus poſcit metum gravem: ex duabus autem cauſis de ſe diſparatis & levibus, non conſurgit una gravis.

Tertiò. Error ex parte Religio- 4 nis, ſi ſit ſubſtantialis, irritat Profeſſionem ſeu receptionem Profitentis. Ut ſi error eſt circa Perſonam, vel conditiones ejus ſubſtantiales juxta ritum vel conſuetudinem Religionis: nam eo ipſo conſenſus virtualiter conditionatus eſt, ſícque deficiente conditione, irritus.

CAPUT

CAPUT VI.

An neceſſaria ſit libertas à Servitute?

1 Primò, Servus illicitè recipitur, non conſentiente Domino. Nam eſt res aliena: ergo injuſtè recipitur ejus Profeſſio, ùt per ſe conſtat & graviter notatur c. *Generalis*, cum ſimilibus. d. 54. Nec poſt receptionem cogi poteſt Dominus ad vendendum ſervum, magis quàm ante illam; quia ex injuria nemini debet afferri fructus, aut acquiri jus; aliàs locus erit fraudibus. Unde repetitio conceditur Domino, niſi ſciens taceat per triennium: tunc enim, & non antè, præſumitur ejus conſenſus c. *Si quis incognitus*. 17. q. 2. idémque conceditur in Auth. *Si ſervus*. de Epiſc. & Cler.

2 Vel ergo Religio bonâ fide recepit ſervum, vel fide malâ? Si 1mum, non tenetur illum redimere; quia nec ratione injuriæ, aut in pœnam, nec ratione rei acceptæ, cùm hominem dimittat. Si 2dum, cogenda eſt ad redimendum, tum propter honorem Religionis, tum in ſatisfactionem Domini, cujus gravamen aliquod eſt habere ſervum Religioſum. Duplicata tamen ſatisfactio, de qua c. *Si ſervus*. 1. d. 54. huc extendi non poteſt; cùm agamus in re pœnali, conſequenter reſtringendâ, in quantum expreſſum non eſt.

Secundò. Valet Profeſſio Servi, utut illicitè recepti. Ita Communior Archid. Turrecr. Angel. Sylv. Leſſ. Nam votum Servi valet de ſe, nec per Dominum abſolutè irritari poteſt, ſed solùm ſuſpendi quoad executionem, quatenus dominio ejus repugnat; id quod ſolùm eſt in voto Obedientiæ: ergo Votum Paupertatis & Caſtitatis abſolutè obligat ſervum. Quòdſi ſervo libertas conceditur, eo ipſo & in eodem puncto fit integrè Religionis. arg. textûs Auth. de nuptiis §. *Et multò potiùs*. cum aliis, quæ notat Bald. l. 1. Cod. de Manumiſſ. 3

CAPUT. VII.

An libertas à vinculo matrimonii neceſſaria ſit ad Profeſſionem?

1 Primò. Matrimonium per ſe non impedit dictum votum. Patet in cauſa divortii perpetui, ita ut ceſſet obligatio reddendi debitum, cauſâ per Judicē declaratâ c. *Agathoſa*. 27. q. 2. c. *Veniens*. c. *Gaudeamus*. de Converſ. Conjug. idémque eſt, cùm tranſitus ad Religionē fit de licentia Conjugis, ſecutáque hujus converſione. c. *Cùm ſis*. c. *Ex parte*. c. *Conſuluit*. c. *Significavit*. eod.

Secundò. Ex natura rei valet Profeſſio 2

feſſio

feſſio Conjugati, utut illicitè facta, non tamen de Jure Eccleſiaſtico. Prior pars patet ex dictis de Servo: quia per valorem non violatur Jus Conjugis, magìs quàm per votum ſimplex Religionis. Poſterior pars conſtat ex c. *Quidam.* & c. *Placet.* eod. ſiquidem Profeſſio fit citra licentiam Conjugis. Ratio diſparitatis de Servo eſt, quia caſus rariſſimus eſt, & ideo attendi non debuit: at in Conjuge obligatio ad Paupertatem &c. nimìs rigoroſa eſt, vinculum autem per ſe indiſſolubile; at facilis dimiſſio Servi.

3 Dices: Si Profeſſio non tenet, ergo ablato principali, etiam acceſſorium votum Caſtitatis corruit; quod eſt contra c. *Quidam.* & ideo Gloſſa verbum *Non tenetur*, explicat, quaſi ſenſus ſit, non debere ab Eccleſia compelli, ut ad Religionem redeat, quamvis *ipſe peccet.* ℞. Interpretationem eſſe falſam, quia ſine cauſa impropriatur textus, & contra rationem ejus, *quia votum non tenuit*, niſi, ùt additur, in ordine ad non petendum debitum. Igitur licèt mens Profitentis non fuerit, ſeparatim ſe obligare ad Caſtitatem, tamen quia Profeſſio ex natura rei valuit, Eccleſia & potuit & voluit non omnino eam annullare, ſed relinquere validam in parte: ſicque obligatio Caſtitatis relinquitur ùt formaliter contracta, non ùt extrinſecùs impoſita.

4 Tertiò. Revocari poteſt & debet Profeſſus de licentia Conjugis, ſi hujus converſio non ſequatur. Ita c. 1. eod. ibi: *Niſi Uxor ad Religionem tranſierit, aut perpetuò Caſtitatem ſervare promiſerit &c.* & c. *Ex parte.* ibi: *Licèt uxore ſuâ remanente in ſæculo, de Jure ad Religionem nequiverit proficiſci.* Alii ergo volunt, intelligi Jus relicti Conjugis, ſi licentia fuit extorta; & alii, ſi data eſt à ſciente Jus; nam tunc eo ipſo renunciat Juri ſuo, & virtute vult converſionem, ſicut qui antecedens, etiam conſequens vult.

Sed neutra limitatio tenet: non 5
prior; quia voluntaria additio eſt ad textum. Non poſterior, quia etiam ex proprio additur ſine Jure vel ratione cogente. Nam talis ignorantia aut nunquam, aut raro præſumitur: ergo ob ſolam non potuit tam abſoluta reſponſio dari, & citra examen. Dein peccatum maximè fuit penès Prælatum & Profitentem; & ſi quod fuit penès relictam, quòd rem permitteret, pœna non erat proportionata. Igitur renunciatio non potuit aliter acceptari, quàm Eccleſia conceſſerit cum dicta reſtrictione in favorem pudicitiæ: at renunciatione nondum plenè acceptatâ, jus Conjugis remanentis tenuit; quamvis ad vitandum ſcandalum Judex ad id interponere authoritatem debeat.

Quartò. Valet Profeſſio, ſi fit de 6
licentia Conjugis, licèt non converſi. Ita d. c. *Ex parte.* ubi præcipitur ſeparatio à ſecunda Conjuge, utique ob valorem Profeſſionis. Facit d. c. *Aga-*

c. *Agathoſa.* & c. *Qui Uxorem.* 33. q. 5. Imò ſufficit licentia tacita ex d. c. *Conſuluit.* ùt in aliis ſimilibus. R. J. 27. & 43. in 6. & in multis Decretis. 20. q. 1. & 2. Atque hinc eſt, quòd ſic Profeſſus redire poſt obitum Conjugis debeat ad ſuum Monaſterium, non ad laxius, perinde acſi antea ſecuta fuiſſet Converſio. Nam Profeſſio obligat in totum, & non in parte, ſicut votum ſimplex Religionis non impletur per ingreſſum laxioris; quia quod in tacita Profeſſione indulgetur, huc ſine Jure extenditur; imò contra d. c. *Ex parte.* & d. c. *Conſuluit.* ſi attentè legantur.

CAPUT VIII.

An Epiſcopus, vel in alia Dignitate conſtitutus poſſit Religionem profiteri?

1 Primò. In Epiſcopo conſecrato, etiam titulari, & confirmato tantùm, requiritur licentia tranſitûs; ſecùs in eo, qui renunciavit oneri, licèt non honori, & in electo tantùm. Prior pars conſtat ex c. *Niſi.* &c. *Poſt tranſlationem.* de Renunt. c. *Licèt.* de Regul. & c. *Inter corporalia.* de Translat. Epiſc. Ratio poſterioris eſt, quia ſola conſecratio non affert vinculum cum ſponſa; eſto hoc attendatur in Titulari, quia per ſe eſt, licèt impeditum ob occupationem Eccleſiæ. Dein electus poteſt liberè recedere ab electione acceptatâ, quia nec promiſit perſeverare, nec cogitur præcepto aliquo: ſecùs autem eſt de confirmato, quia jam vinculatus eſt, & ad ſtatum perfectiorem, quàm ſit matrimonium ratum, ipſáque Religio: ſícque ratio habetur boni publici præ privato.

2 Secundò. Valet Profeſſio confirmati, conſecrati &c. Epiſcopi. De Jure naturæ conſtat ex dictis de Servo, & Conjuge à fortiori; quia nec vinculo formaliter repugnant, nec impedimentum eſt actualis paupertatis, & alicujus etiam obedientiæ, conſequenter usûs traditionis: obligatio autem Caſtitatis aliunde eſt, & abſoluta: omniáque patent in eo, qui renunciavit Epiſcopatui. Rurſum quatenus ad Canones, non reperitur irritatio amplior, quàm ne actus valeat in præjudicium Eccleſiæ, ſeu ad rumpendum vinculum cum ea.

Tertiò. Illicita eſt dicta Profeſſio, retento Epiſcopatu. Nam cùm ſit præter omnem conſuetudinem, eo ipſo ſignum eſt, eſſe inordinatam. Dein in d. c. *Niſi.* ſatis indicatur indecentia deſcenſûs ad Monachatum, ſícque uſus interpretatur Jus. Eſt etiam ex ſe probabile, quòd inordinatum ſit ſuſcipere ſtatum cum ineptitudine ad uſum; quæ tamen non 3

eſt

eſt ſive in principio, ſive deinceps in Religioſo promoto ad Epiſcopatum. Denique Epiſcopo ſufficiunt Vota ſimplicia ſine ſtatu Religioſo.

4 Quartò. Inferiores Epiſcopo ſolùm egent licentiâ petitâ. Nam & vinculo, quo impediantur, carent, & licentiâ ſolùm egent propter decentiam & bonum ordinem, non propter valorem Profeſſionis. Unde Exempto ſufficit ſilentium Papæ: prohibitio autem utique obſtaret, secùs ac ſi Epiſcopus licentiam neget; quanquam fortè in his, quæ Dignitati non præjudicant, liceat non uſus Exemptionis, conſequenter ſubjectio erga Epiſcopum, cui ſeclusâ exemptione quis de Jure ſubeſſet.

CAPUT IX.

An obligatio erga Parentem impediat Profeſſionem Filii?

1 Primò. Si quis profeſſus eſt cum injuria Parentis jam graviter egentis, tenetur petere facultatem ſuccurrendi, quæ debita eſt, & eâ etiam non obtentâ, ſuccurrere, quoad poteſt, ſecluſo ſcandalo, vel notabili indecentiâ ſtatûs. Supponitur enim ex dictis valor Profeſſionis, & quòd non agatur de neceſſitate extrema Patris, in qua, ùt conſtat, per ſe licet acceptio alieni, invito Domino, & poſtpoſitio Mariti, Domini &c. Itémque conſtat, ſeclusâ gravi neceſſitate, ſolam patriam poteſtatem non referre, quin teneat illud Hier. *Per calcatum perge Patrem &c.*

2 Ratio dictæ obligationis eſt, quia Civilis mors nec vitam tollit Filio, nec viventi intrinſecam & naturalem obligationem Pietatis: ergo ſicut Conjux, Dominus &c. non poſſunt privari ſuo jure, ita multò minùs Pater, cùm pietas ſtrictiùs obliget, ejúſque onus ſemper cohæreat Perſonæ. Nec Profeſſio dare Religioni jus potuit contra Patrem, quin licèt excuſetur ratione acceptionis, teneatur ratione rei acceptæ, cùm in re ſit facta injuria, ſícque illa tranſiêrit cum onere intrinſeco etiam mutandi ſtatum, quoad neceſſe eſt. Unde aliud eſt de donata pecunia, aliud de Perſona donata; nam quia illi non inhæret obligatio, Donatarius, ſeclusâ injuſtitiâ acceptionis, nil tenetur reddere Donatori impotenti facto ad ſolvendum.

Secundò. Tenetur Religio in dicto caſu reſtituere Patri Filium, ſeclusâ viâ aliâ ſuccurrendi, & niſi obſtet ſcandalum &c. Nam una obligatio per aliam non tollitur, quamdiu utraque impleri poteſt: ergo omnia alia media, quæ moraliter & commodè poſſunt, tentanda ſunt, ut ſervato ſtatu & obedientiâ ſuccurratur, ùt ſi Filius id poſſit per eleemoſynas, modum vivendi & operandi intra clauſtrum. Quòd ſi Religio de ſuo velit ſuccurrere, à 3

for-

fortiori ceſſat onus Religioſi; ſecùs ſi illa alleget detrimentum, quod eſt ex carentia Perſonæ, & commodorum, quæ affert. Nam eſt purè negativum, non privativum damnum, quamdiu aliud non allegatur, quod excuſet à reſtituendi onere; id quod moraliter non continget.

4 Semper tamen cavendum eſt ſcandalum, & indecentia ſtatûs, quia ſemper aliis præfertur obligationibus, cùm ex genere ſuo majus detrimentum ſit, quàm corporale Patris, magíſque pertineat ad Dei honorem, id vitare; ùt Religioſus & Clericus ſpecialiter obligantur, quia non perſonali ſuo honori, ſed totius Ordinis honori conſulere debent; ſícque licèt Clericus juvare poſſet Patrem artificiolo aliquo &c. &c. non tamen profitendo militiam, aut medicinam.

5 Tertiò Profeſſus ſine injuria Patris, tenetur huic ſubvenire, ſervato ſtatu & ſubſtantiali Ordine Religionis: non tamen poteſt mutare ſtatum ſine legitima facultate Prælati. De obligatione ſuccurrendi conſtat ex dictis, & tenent omnes: & ideo debetur licentia ad ſubventionem, ſecluſo egreſſu Perſonæ, & gravi incommodo, cùm utique charitas obliget ad dandum de ſuperfluis, præſertim ob conjunctionem egentis cum membro Religionis, eóque graviter obligato. Sin licentia negetur, conſtat, non licere vim, vel contrà agere cum ſcandalo: ſicut etiam in dubio de Jure Patris parendum eſt Superiori.

6 Quòdſi id Jus clarum eſt (adhibito conſilio prudentûm, ne fallat ſpecies pietatis) vel licentia ſolùm petitur propter bonum ordinem, vel quia aliàs actio directè eſt contra regulam & votum, ùt attrectatio pecuniæ apud Minores &c. Si primum, ſufficit licentia vel data, vel ſecundùm rectam rationem debita; præſertim ubi actio eſt altioris obligationis, & oppoſitum præceptum planè injuſtum. Si 2dum, dicta attrectatio nec proprietatem continet, magìs quàm in famulo deferente pecuniam; nec hîc & nunc obſtat regulæ, utique ſanctæ de ſe, cùm quod ex charitate inductum eſt, contra illam ſervari non debeat, & locus ſic utique ſit epiickiæ, ſi abeſt Superior. Secùs ergo eſt, ſi regula obliget ſub mortali, aut diſpenſatio cedat in grave diſpendium Religionis.

7 Aliud ergo eſt de his, quæ ad ſubſtantialē obſervationē pertinent, ùt habitus, eſſe ſub actuali obedientia Prælati, permanenter eſſe in clauſtro &c. aliud de particularibus & ſecundariis, ùt obſervatio hujus vel illius regulæ &c. de quibus jam dictum eſt. Priora autem deſeri nequeunt ſine licentia, quia cenſeretur quis apoſtatare, & occupare, quod Deo jam traditum eſt, ſícque alienum ſuffurando ſuccurrere. Nec Prælatus tunc tenetur ſive ex Juſtitia, ſive

ex Charitate, quia nec ratione acceptionis, nec ratione rei acceptæ, utpote cum pleno Jure acquiſito Religioni: aliunde egreſſus ſive dimiſſio ſine retento habitu ſolet eſſe magno diſpendio Religionis, quæ conſequenter ad talem dimiſſionem nunquam tenetur.

8 Dices: Cur ergo tenetur, ſi Profeſſionem præceſſit indigentia Filii? nam quod à principio impedit, etiam cùm ſupervenit, excuſat obligationem voti. ℟. Mutato ſtatu, mutari jus Patris, ùt conſtat in impubere & pubere, Filio familias & emancipato. Idémque eſt in præſenti juxta teſtimonium Baſilii, S. Thomæ, Cajet. & aliorum graviſſimorum Doctorum, ſic judicantium de negotio ad ſe maximè pertinente, & conſequenter omni exceptione majorum. Nam forma traditionis eſt abſoluta, ùt in matrimonio carnali: & ſtatûs perfectio poſcit excluſionem omnis implicationis in ſæcularibus, & ne retrò reſpiciatur.

9 Nec objectum principium tenet in donatione, nec etiam in puro voto, ſi ſolùm illicitum redditur. Cæteris ergo paribus procedit, ſi impedimentum præcedit vel ſubſequitur. Sic quia domus non mutatur, etiam jus ſervitutis manet: at ſi prædium ſit ſterile &c. ſervitus cenſûs ex illo mutatur, niſi per injuriam incendatur ſeges &c. idémque tunc erit de domo per injuriam deſtructa. Similiter ergo licèt mutatio Perſonæ facta ſit per Profeſſionem, tamen propter favorem Religionis patrocinandum fraudi non eſt, nec defendendum, quod cum impietate fit, quia Pietas fortiùs ad reſtitutionem, quàm Juſtitia obligat: ſícque reinciditur in obligationem priſtinam, quæ ante Profeſſionem fuerat erga Patrem.

Quartò. Reciproca eſt obligatio Patris ad Filium in dictis caſibus. 10 Conſtat à fortiori; nam ille per ſe tenetur alere filium: ſícque probabiliſſima eſt opinio, quòd indiſtinctè teneatur, etiam cùm licitè profeſſus eſt, præſertim reſpectu nondum emancipati. Quia tamen ſupponitur, quòd huic antè providerit, ùt debuit, uſque ad emancipationem, ſuborta poſtea neceſſitas per accidens ſe habet. Nec enim is tenetur perpetuò adhærere liberis, ita ut peregrinari nequeat longiſſimè, aut penitus à ſe abdicare divitias, ſemper ſervando ſe aptum ad ſuccurrendum; id quod, ùt in Filio, ita in Patre abſurdum eſt, & contra omnem uſum: ergo ſtandum eſt obligatione reciproca tantùm eorundem quoad præſens.

CAPUT

CAPUT X.

An neceſſaria ſit libertas à quocunque debito, & ad quid teneatur Religoſus obnoxius debitis?

1 Primò. Si non obſtantibus debitis licita fuit Profeſſio, obligatio non eſt egrediendi, imò nec intra Religionem quærendi, quo ſolvatur. Ita S. Thom. Palud. Sylv. Ang. Tab. Armil. Nam Profeſſio vim habet extinguendi omnem obligationem civilem, ut ſic ceſſet omnis cura temporalium. Dein dicta obligatio magìs cadit in res ipſas; & ſi in Perſonam redundat, magìs eſt in futurum, ergo eo ipſo ceſſat, cùm homo ſui Juris eſſe ceſſat, ut patet in libero ad ſervitutem abſtracto. Similiter enim, quod Religioſus lucratur: Religionis eſt, nec hæc tenetur, cùm nec ſe voluntariè obligârit, nec cum perſona acceperit bona, aliàs fuiſſet illa ſolvendo.

2 Confirmatur: quia ad corrogandum eleemoſynas, ut ſolutio fiat, nec ſæcularis tenetur: obligare autem Regularem ad dandum, quæ proprio uſui conceduntur, duriſſimum foret, cùm neceſſaria ſint decentiæ ſtatûs. Eſto autem multa ſuperflua ſint, Juſtitia adhuc non obligat, propter rationem fundamentalem poſitam, quòd extinguatur obligatio civilis, ut per ſe convenit ſtatui mortui mundo.

3 Secundò. Si Profeſſio ſit cum injuria creditoris, obligatio non eſt egrediendi, aut quid agendi contra decentiam ſtatûs. Nam, ùt tenet communis, talia debita non obligant ad cadendum à ſtatu, aut deſcendendum, quò quis illicitè aſcendit non expectando, ut ſolvere poſſet. Idem ergo à fortiori eſt in præſenti propter majus detrimentum, quod incurritur, agendo contra decentiam ſtatûs. Adde, probabile eſſe, quòd dicta debita ne quidem ſufficiant ad omittendum aut differendum ſtatum Religionis: ergo multò probabilius eſt, quòd non obligent ad deſerendum.

Tertiò. Tenetur, qui cum dicta injuria profeſſus eſt, curare, quo ſolvat intra Religionem, & ſervatâ diſciplinâ Religiosâ. Nam injuria obligat ad reſarcitionem poſſibilem intra decentiam ſtatûs, ſicut ſi poſt Profeſſionem quis furetur &c. quia quod ſit in illa, ſeu per illam, quaſi poſt illam factum reputatur. Denique Juſtitia, quoties non repugnat Religioni, ſervanda eſt, cùm ad favorem hujus non pertineat, ut per injuriam quis liberetur à debito, ſeu hoc ipſa Profeſſio injurioſa extinguat. 4

CAPUT XI.

Quæ conditiones ex parte Religionis neceſſariæ ſint, ut Profeſſio rectè & validè fiat?

1 Primò. Oportet, ut ſit, qui nomine Religionis acceptet, utique cum legitima poteſtate incorporandi. Nam duæ Perſonæ neceſſariæ ſunt, altera obligans ſe Religioni, altera hanc viciſſim illi obligans. Quia autem Profeſſio non valet extra inſtitutum approbatum per Pontificem, ceſſant nunc quæſtiones, quæ olim erant, penès quem ſit poteſtas recipiendi. Epiſcopus enim, ut inſtituere poterat Religionem, ita à fortiori ad eam recipere, quem vellet: hodie autem ſtandum eſt Inſtituto cujusque Religionis, quam formam vel ſolemnitatem requirat.

2 Nam licèt Religio ſubſit Epiſcopo, non tamen ab hoc, ſed à Pontifice habet inſtitutionem, & approbationem: ergo ſicut Epiſcopus in aliis mutare nequit inſtitutionem, ita nec quoad modum recipiendi Profeſſionem, qui ùt neceſſarius inſtitutus eſt. Tamen quia poteſtas delegabilis eſt, Epiſcopus ùt delegatus ab habente ordinariam, ſufficiet ad receptionem Profeſſionis, licèt alteri, niſi ſpecialiter commiſſum ſit, ſubdelegare non poſſit, ùt conſtat ex communi Jure. Idémque eſt de alio extraneo.

3 Secundò. Epiſcopus non poteſt recipere Profeſſionem ſub ſpe ratihabitionis, ùt volunt Sylv. & Ang. Nam inprimis retorquetur, quia ùt fatentur, talis actus nòn eſt impedimentum dirimens: ergo non vera Profeſſio. Dein eſt actus merè conditionatus: ergo neceſſe eſt, ut non revocetur conſenſus, ùt in ſimili conſtat de matrimonio; quia ſubſequens abſolutus revocat priorem conditionatum conſenſum. Dein conſtare debet de perſeverantia dicti conſensûs; quia licèt interna voluntas obligandi Religionem neceſſaria ſit (claudicaret enim contractus, eſſétque nullus ſine mutua obligatione) non ſufficit, niſi de ea conſtare poſſit eo tempore, quo perficitur contractus.

Hoc autem moraliter eſt iterare 4 conſenſum vel ſigno expreſſo, vel tacito: nec priùs valet ratihabitio, donec de ea conſtet profitenti, qui tunc ſimiliter iteratò præſtat vel negat conſenſum. Igitur Profeſſio, quæ fit ſub ſpecie ratihabitionis, nullam habet vim traditionis, nec hæc eſſe poteſt ſuſpenſa. Nec in re tam gravi talis modus admittendus eſt, niſi velis, quòd non ſolùm in manu Epiſcopi emitti poſſit Profeſſio ſed etiam cujuslibet privati; quod ſanè abſurdum eſt.

CAPUT

CAPUT XII.

Quæ forma ſervanda ſit, ut Profeſſio valide, & rectè fiat?

1 Primò. Requiritur forma, quæ ſignificet conſenſum internum. Patet ex natura contractûs humani, quia ſine ſignis nec agnoſcitur, nec acceptatur conſenſus mutuus: & in præſenti præter contractum ipſum votum ſolemne per ſe publicum eſt, quia ſtatus, in quo Perſonam conſtituit, ſit coram Eccleſia, éſtque peculiaris gradus ac ordo Perſonarum Eccleſiæ viſibilis.

2 Secundò. Oportet, ut ſignum ſatis expreſſum ſit. Nam ſermo eſt de Profeſſione expreſſa: quoad ſubſtantiam autem de Jure communi ſufficit ſcriptura, ſi conſtet animo vovendi exhiberi; & à fortiori ſufficit, ſi vovens loquatur, non alter, ùt eſt uſus Societatis, tenétque regula S. Benedicti. Regulariter alii proponunt rem per interrogationes, ad quas alter annuit capite, vel quolibet alio ſigno, ut in matrimonio; ſempérque uſus cujusque inſtituti attendi debet, ùt quoad ſcripturam in Societate; nam p. 5. Conſt. c. 3. lit. A. videtur poni inter eſſentialia. Extra caſum denique muti imprudentiſſimè omitteretur vox propter contrariam conſuetudinem; idémque eſt de teſtibus, eſto nec ex natura rei, nec ex Jure communi de ſubſtantia ſit: nam ùt matrimonium clandeſtinum Eccleſia ſemper deteſtata eſt, ita ſimilem abhorret Profeſſionem, quia facilè ſequi poſſunt apoſtaſiæ?

Tertiò. Exprimi in dicta forma debet obligatio votorum cum traditione, ſeu reſpectu ad certam Religionem. Licèt enim diſtinctè exprimenda non ſint omnia, quæ includit Profeſſio, hæc tamen eſſe nequit, niſi in Religione approbatâ: ergo determinatâ; quia nec poteſtas eſt ad incorporandum Religioni in communi, nec vera unitio poteſt eſſe membri cum corpore in communi, nec civis niſi hujus vel illius communitatis: ſícque nec Profeſſi traditio fieri poteſt, niſi Religioni in particulari obliget, ùt etiam ſit c. *Conſtitutionem.* De Regul. in 6. quamvis ſi Profeſſus vult, poſſit aliam Religionem inire, & priorem deſerere. 3

Confirmatur: quia nec in naturalibus nec in moralibus poteſt quid eſſe ſine ſufficiente determinatione, ùt votum Caſtitatis aut eſt ſimplex, aut ſolemne, & paupertas cum hoc vel illo modo, & obedientia ſecundùm certam menſuram tum promiſſarii, tum promittentis. Licèt ergo ſtando in Jure Divino, & juxta uſum veterem privati ſtatûs, determinatio non ſit ad Regulam communem, ſeu in communitate, non tamen 4

ſit quis Religioſus in abſtracto, ſed in tali modo particulari; ſicque (quidquid nunc ſit de ejecto, an ſuæ Religioni obligari deſinat) ſaltem relabitur in ſtatum Religionis quaſi privatæ.

Quartò. De neceſſitate formæ eſt, ut ita ſit abſoluta, ut non includat
5 conditionem repugnantem ſubſtantiæ, ùt volendo proprietatem &c. Patet ex c. ult. de Condit. appoſ. & arg. c. *Tua nos* de Sponſ. Nam deficiente ſubſtantiali parte vel conſenſu in illam, non fit contractus, ſed quolibet ſubſtantiali (ſeu internum ſeu externum ſit) ablato, ruit tota ſubſtantia. Nec Deus vult Profeſſum, niſi volentem: at talis vult Profeſſionem monſtroſam. Nec obſtat c. *Inſinuante.* Qui Cleric. vel vov. quia de pacto ſolùm agitur, non de conditione, à qua valor Profeſſionis pendet; nec pactio fuit de re contra ſubſtantiam.

6 Quintò. Profeſſio non ſtat cum conditione propriè tali, ſeu ſuſpenſivâ. Ita de matrimonio S. Thom. Soto, Bonav. Dur. Adrian. Covar. Nav. Gutier. Cano, Henriq. At ratio Sacramenti nihil poſcit ex parte conſenſûs & ſigni, niſi quod eſt de ratione contractûs: ergo ſicut eo ipſo deſinit matrimonium eſſe, ſi ſuſpenditur, & eſt alius modus contrahendi, ſcilicet de futuro c. *Super eo*, jun. c. ult. de Sponſal. ita Profeſſio ſuſpenſa ſolùm eſt promiſſio Profeſſionis. Illa enim actualem executionem traditionis de præſenti poſcit, hæc verò reſpicit executionem in futuro, quæ propriè, & non ipſa obligatio ſuſpenditur & differtur.

Sextò Profeſſio fieri poteſt per 7
Procuratorem. Nam idem eſt de omni contractu, niſi prohibitum ſit lege. l. 1. §. *Unus*, ff. de Procur. & *R.* J. 68. in 6. conſtátque de matrimonio c. ult. de Procur. in 6. Sicut autem hoc requirit conſenſum non revocatum, & ſpeciale mandatum, ita etiam Profeſſio: addíque in mandato debet determinatio ad certam Regulam, niſi cum expreſſa indifferentia optio relinquatur Procuratori.

Septimò. Nec habitus, nec locus, 8
ùt Eccleſia &c. de ſubſtantia ſunt Profeſſionis. Conſtat ex d. c. *Inſinuante.* & c. *Porrectum.* cum aliis. de Regul. nec enim ratio fuit petendi ùt eſſentiales tam extrinſecas circumſtantias. Nec propriè ſequitur, feminam validè profiteri in Religione virorum, ſed ſolùm in Religione communi his & fœminis; nec quatenus virorum eſt, ſed ùt feminis accommodatur, & approbatur. Approbatio enim neceſſaria eſt, & ea non fit ſine dictâ diſcretione & accommodatione.

CAPUT

CAPUT XIII.

Quos effectus habeat Profeſſio expreſſa valida?

1 Primò. Conſtat de effectibus intrinſecis, quatenus Profeſſio includit & traditionem & vota. Inde enim ſequitur inhabilitas ad matrimonium, dominium, & jus proprietatis &c. & quòd quis deſinat eſſe ſui Juris; quódque quia membrum eſt communitatis, ut civis teneatur ad Leges ejus. Alii verò effectus ſunt magis extrinſeci, ùt ſunt Privilegia omnibus Profeſſis conceſſa, exemptio à Judice ordinario, & maximè à foro laico, quæ licèt originem habeat à Jure Divino, veriſimiliùs non conſummatur niſi Eccleſiaſtico.

2 Secundò. Privilegium remittendi omnia peccata non poteſt intelligi cum ſimilitudine æqualitatis reſpectu Baptiſmi. Licèt enim dictum Privilegium Profeſſioni tribuatur à S. Thoma, Bell. Navarr. & communiter à Theologis & Summiſtis, itémque à Bernardino Senenſi, Plato, Waldens. Azor, Sà, Leſſ. quaſi ex opere operato; tamen temerarium foret aſſerere, quòd Profeſſio faciat ex attrito contritum. Nam res eſt graviſſima & ſupernaturalis, quæ ſine revelatione, traditione Eccleſiæ, ac doctrinâ Patrum affirmari nequit: at Hieron. Baſil. &c. non loquuntur abſolutè, cùm Profeſſionem comparant Baptiſmo, ùt rectè notant Cajet. & Bell. ſed potiùs fundantur in excellentia operis, quòd ſicut magna eleemoſina, ita Profeſſio à fortiori extinguat peccata, utique intelligendo, ſi mens fervens ſit, nec peccata præterita nimis multa &c.

CAPUT XIV.

An per Profeſſionem comutentur, ſeu extinguantur vota præcedentia?

1 Primò. Si votum eſt incompoſſibile, ùt peregrinationis reſervatæ, commutari ſic poteſt citra exceptionem. Eſt certa ex c. *Scripturæ.* de Voto. Nam natura voti habet incluſū, ne repugnet meliori bono: nec reus fracti voti habetur, *qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur Religionis obſervantiam commutare*, ùt ait Pontifex, addens in lect. integra, quòd *ſpiritualis homo propoſitum non mutat, cùm pro ſalute animæ ſuæ utilius quid meditatur.*

Quæ quidem ratio univerſalis eſt; ſícque, ubi textus non diſtinguit aut excipit, etiam nos diſtinguere non poſſumus; quaſi referat, quòd votum, de quo textus agit, poſſit impleri ante ingreſſum Religionis. Nam & præſtat hunc non differri, & ex genere ſuo ilic utilior eſt; poſsént- 2
que poſtea multa obſtare, & ceſſa-
ret

ret commutatio. Idem ergo eſt propter rationem identitatis de votis realibus, quia in voto Terræ ſanctæ eſt mixtum; nec per vota acquiritur Jus proximo, ſed in iis attenditur purum Dei obſequium, ſicque holocauſtum perſonæ eſt præ omnibus eleemoſynis.

3 Secundò. Similiter tenet commutatio, ſi votum eſt compoſſibile, ſed ante ingreſſum obligans, ùt ad jejunandum hodie. Nam evidens eſt commutatio in melius: ergo tenet ex d. c. *Scripturæ.* Oportet tamen ſtatim ſuſcipi obligationem ad Religionem, & cum animo commutandi, quia aliàs utrumque votum urgeret. Quòd ſi dictum votum non obligat ante ingreſſum, ergo nec eſt obligatio anticipandi (quia non intenta) nec exſpectandi tempus præfixum per dilationem ingreſsús, út dictum eſt.

4 Tertiò. Idem eſt de votis poſtea implendis, ſive realia, ſive perſonalia ſint, dumodo efficaciter intendatur commutatio, ut voti Caſtitatis cum voto Religionis. Ratio conſtat ex dictis, quia quando evidenter conſtat de meliore, tutiſſimum eſt, etiam propriâ authoritate commutare. Nec fingas, poſſe eſſe tot vota & de tantis, ut ſuperent ſtatum Religionis; quia maximè attenditur ſalus voventis: ſtatúſque & ſecurior eſt, & immobilior, & ſubſtantialiter melior, utpote includens vel formaliter vel eminenter, quidquid in votis privatis eſt, & in dubio ſufficit authoritas d. c. *Scripturæ* interpoſita generaliter.

Quartò. Per ſe loquendo, non fit 5
dicta extinctio ipſo Jure. Vel enim Jure naturæ, vel Divino poſitivo, vel per Canonem? Non 1mum; quia Profeſſio ſtat cum aliis votis, ſolúmque poſt ſe trahit infirmitatem eorum, ut per indirectum impediri poſſint: nec quoad illa Religioſus reputatur mortuus, ut patet in denuo factis. Non 2dum, ut per ſe evidentius eſt. Non 3tium; quia Regula omnium Juriſtarum eſt, quòd effectus non fiat ipſo Jure, ſi verbum Canonis poſcit actionem hominis, ùt *Excommunicetur, ſuſpendatur &c.* at in d. c. *Scripturæ* dicitur *commutare*, quod notat actionem: ergo extinctio ipſo Jure, ut fieri eam vult communis Doctorum, ſolùm niti poteſt titulo conſuetudinis; ſicque tutius eſt, Novitio non antè præmonito, per Prælatum irritari vota omnia alia, quibus oneratur Profeſſus, non per ſe factâ commutatione.

Quintò. Votum ſtrictioris Ordi- 6
nis extinguitur per Profeſſionem in laxiore, niſi obſtet intentio Profeſſi. Ita c. pen. de Regul. in 6. Licèt enim peccârit, eligens laxiorem, ùt ibi definitur; tamen Jus aſſiſtit in bonum & Religionis & Religioſi, ut quietus vivat. Videtúrque præceſſiſſe conſuetudo (nec enim d. Jure niti potuit S. Thom. utpote anterior) ut indicant verba:

ba: *Noſcitur derogatum.* Dixi, *niſi obſtet*&c.;quia beneficium non fit invito, præſertim impediendo melius, imò votum,ſtante dicta intentione, haberet ſe ut ſubſequens Profeſſionem.

CAPUT XV.

An Profeſſio, quatenus contractum includit, ſit indiſſolubilis per Contrahentes?

1 Primò. Vinculum traditionis ex parte Profeſſi omnino indiſſolubile eſt, ita ut ejus voluntas nec ſufficiat, nec cogere Religionem poſſit. Conſtat ex c. *Conſulti*. c. *Ex parte*. c. ult. de Regul. c. ult. de Apoſtat. c. 2. Ne Cler. vel Mon. in 6. Ratio clara eſt ipſe titulus ſervitutis, & donationis abſolutæ.

2 Secundò. Idem è converſo eſt de Religione reſpectu Profeſſi abſolutè & ſolemniter. Nam donatio non eſt merè liberalis, ſed onerosa cum pacto abſoluto Profeſſum retinendi, regendi & tractandi ùt Religioſũ, ùt patet ex comuni ſenſu & praxi,ejectũ etiam habente pro Religioſo. Aliud enim eſt, loqui de vinculo, aliud de uſu Profeſſi: ergo licèt hic ejici poſſit, ſolùm non utendo, ùt etiam ſervus à Domino citra manumiſſionem; Jus tamen revocandi Religioni ſemper manet, ùt eſt probabile: & dato oppoſito, certum eſt, ejectum non eximi à Pontifice, ùt Prælato; imò nec ab Epiſcopo ùt Prælato, ſicque recidere in Jus antiquum, & obligari ad obediendum præcipienti regreſſum.

3 Tertiò. Poteſt inſtitui Profeſſio, quæ non ſit vinculum ſimpliciter & omnino indiſſolubile vi traditionis & acceptationis. Vel enim obſtat Jus naturæ, vel Eccleſiæ? Non 1mum, quia omnis contractus, per quas cauſas naſcitur, etiam ſolvi poteſt §. ult. Inſtit. quib. mod. toll. &c. & quisque Dominus Juri ſuo, ùt in ſervum, renunciare poteſt, niſi lege impediatur. Non 2dum, quia juxta teſtimonia Aug. Greg. Baſilii, S. Benedicti olim ſolutio fiebat ad ſolam petitionem Religioſi.

Quartò. Poteſt Profeſſio inſtitui, 4
cujus vinculum ſimpliciter indiſſolubile ſit ab intrinſeco, ſeu per contrahentes; éſtque de facto ita inſtituta extra Societatem. Eſt certa & indubitata, omnéſque diſſolutionem ſolùm vi â diſpenſationis poſſibilem eſſe concedunt, & involvit repugnantiam dicere, quòd traditio ſit abſoluta, & ſolvi poſſit ab intrinſeco. Nec enim Prælatus vel Papa habent Jus, ùt Dominus in ſervum, ſed traditio principaliter Deo ipſi ſit; ſicque non dominium, ſed adminiſtratio tantùm competit Prælatis: & ideo ſicut calix non poteſt pro libi-

libitu reddi donanti, ita nec hîc libertas priſtina Religioſo volenti, utique ſecluſâ inſtitutione aliâ Profeſſionis.

5 Ratio eſt, quia forma & intentio contractûs poteſt eſſe præſcripta à Lege, ita ut obligatio, quæ ſequitur, ſit naturalis, licèt poſitivam voluntatem ſupponat, ut patet in voto, & omni contractu: at vi ordinariæ Inſtitutionis Profeſſus omnino ſe privat poteſtate renunciandi, cùm abſolutè Jus ſuum totum transferat in Deum, ipsáque Religio vice Dei acceptet dominium abſolutum: ergo nec ſuo nomine reſcindere poteſt, quod ſpecialiter in Jus Dei tranſiit, nec etiam vice Dei; quia ad hoc Religio conſtituta non eſt, ſed Chriſti Vicarius, cujus eſt diſpenſare bona & Jura Deo acquiſita. Atque hæc eſt ratio propria, cur fieri nequeat, ut Profeſſus per ejectionem deſinat eſſe Religioſus.

CAPUT XVI.

An Profeſſio ſit vinculum omnino indiſpenſabile per Pontificem?

1 Primò. Profeſſio non eſt omnino indiſſolubilis vi Juris Divini poſitivi. Nam licèt Chriſtus inſtituerit, & probârit modum ſubſtantialem ſtatûs Religioſi, tamen nec aſſumptionem, ſeu uſum ejus præcepit, nec ut ſtatus omnino immutabilis & indiſpenſabilis eſſet, nec determinavit vel addidit ſpecialem modũ, proprietatem, aut effectum, præter id, quod habet Profeſſio ex natura rei. Alius enim modus dictæ inſtitutionis nec oſtendi poteſt ex decretis Pontificum vel Conciliorum, nec ex doctrina & traditione ſanctorum Patrum, nec denique ex ratione aut neceſſitate, cùm ſecluſâ immobilitate omnimodâ, ſtet totum, quod perfectio ſtatûs requirit.

2 Aliunde conſtat de poteſtate Petro data: *Quidquid ſolveris* &c. ita, ut quidquid vel naturâ ſuâ inſolubile non eſt per publicam poteſtatem, vel ab ipſo Chriſto non prohibitum ſolvi, poſſit Pontifex ſolvere. Nec enim nos excipere poſſumus à locutione univerſali, niſi quod vel ex natura rei, vel à Chriſto exceptum eſt: & in dubio præſumi debet pro dicta poteſtate, cùm melior ſit conditio poſſidentis, & gratia Principis, præſertim univerſalis, ampliſſimè interpretanda ſit.

Secundò. Neque ex natura contractûs ſumi poteſt indiſſolubilitas Profeſſionis per diſpenſationem Papæ. Nam omnis contractus ſaltem per poteſtatem publicam, & maximè per ſupernaturalem ſic ſolubilis eſt, ſtando præciſè in ratione vinculi, ut Author teſtis de viſu eſt Bullæ Greg. XIII. continentis diſpenſationem in matrimonio rato (ſecùs eſt de conſummato propter jus acquiſitum proli vel ſpeciei) & conſtat inductione 3

om-

omnium contractuûm: ergo ſi excipitur, obſtare deberet Jus Divinum ſpeciale, quod hîc non eſt.

4 Vel enim per diſpenſationem injuria fieret Deo, vel Religioni? Non 1mum, quia Pontifex ſic remittit Jus Dei in Indulgentiis, & in voto ſimplici, utique ut diſpenſator, non ùt donatarius, aut læſus. Non 2dum; quia Pontifex eſt ſummus Prælatus Religionis & quoad dominativam, & quoad Juriſdictionem: ergo ſi Religio cedere Juri ſuo poteſt ejiciendo incorrigibilem, etiam Pontifex diſpenſare poteſt propter bonum commune; ùt Eccleſiam privat ſuo Paſtore per Translationem, & Monaſterium Religioſo tranſeunte ad laxiorem, & à fortiore Oblatos liberando à ſuo vinculo. Unde ipſe Soto, quamvis cum S. Thom. Albert. M. Bonav. Capr. Sylv. Tab. Abul. Altiſiod. teneat oppoſitum, Lect. 5. de matrim. prudenter ait, neceſſariâ & legitimâ causâ interveniente, non eſſe facilè in his reſtringendam authoritatem diſpenſandi.

CAPUT XVII.

Solvuntur difficultates pro oppoſita ſententia.

1 Fundamentum oppoſitæ opinionis ſumitur 1. ex c. *Cùm ad Monaſterium.* de Stat. Mon. ubi *abdicatio proprietatis &c.* adeò dicitur *annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere*: ergo minùs radicem tollere. 2. Ex R. J. in 6. *Semel Deo dicatum non eſt ad uſus humanos ulteriùs transferendum.* 3. Sic traditus Religioni non poteſt ei eripi ſine injuria; imò Iphigenia à S. Matthæo deſponſata Chriſto, etiam oblato dimidio Regni, relinqui non potuit ſponſo terreſtri: & ideo Cajet. quia non habuit, quod reſponderet, negavit (ait Soto) hiſtoriam. 4. Pontifex non poteſt diſpenſare in Jure Divino: ſed de hoc eſt Profeſſio. 6. Matrimonium ratum Jure humano ſolvi nequit, ſed per Profeſſionem: ergo ùt per vinculum fortius & indiſſolubilius.

Sententiam, ſuperiore capite defenſam, tenet communior, ùt Palud. 2
Cajet. Anton. Herv. Ferrar. Scot. Dur. Rich. Major. Medin. Angles. Noſtri communiter, & etiam Juriſtæ, ùt Abb. Innoc. Jo. Andr. Hoſtiens. Turrecr. Felin. Covar. Greg. Lop. Matienz. Ant. Gomez. Nav. Non ergo injuria fit S. Thomæ, dicendo, ejus opinionem nunc non multùm eſſe probabilem, præſertim propter authoritatem Pontificum, ad quos magis ſpectat judicium de ſua poteſtate, quàm ad Doctores. Nec Sanctus ullibi dixit, ſolemnitatem voti, ùt conſiſtit in vi irritandi matrimonium, eſſe omnino de

de Jure Divino, ſed ſolùm quòd Profeſſio ſit immutabilis, nec ab ea ſeparari poſſit votum continentiæ; quod totum ſtat ſine dicta vi irritandi.

3 Imò licèt diceretur, traditioni ſimpliciter abſolutæ, votíſque additis ineſſe ex natura rei dictam vim, non eſſet contra Pontifices, qui ſolùm definiunt, ſine traditione ſic abſolutâ ſtare poſſe ſtatum veri Religioſi. Rurſus aliud eſt, Noſtrornm vota diſpenſari; aliud irritari poſſe propter conditionem, ſub qua fiunt: ergo licèt prius neges, tenet adhuc poſterius; ſicut Donatio, licèt ſtante conditione, diſpenſari nequeat, ob ejus defectum irritari poteſt. Igitur à primo ad ultimum defenſio communioris ſententiæ non eget defenſione Inſtituti noſtri, ſed ſufficit, quòd in oppoſitum nullum ſit fundamentum ſufficiens, ut ab univerſali poteſtate excludamus dictum actum diſpenſandi &c.

4 Nam poteſtas Petri imitatur Divinam, & ùt huic, quidquid non habet repugnantiam, ſubſtat, ita illi quidquid non repugnat in ratione objecti diſpenſabilis: at nec in traditione Religioſi, nec in votis præciſè eſt, quod repugnet (ùt fatentur omnes in voto ſimplici quolibet) nec etiam in addita ſolemnitate; quia ùt inhabilitat, eſt ex Eccleſiæ conſtitutione. Licèt autem neges, eſſe definitum (ùt facilè conceditur) tamen Pontifices id aſſerendo erràſſe, à nemine dici poteſt ſine magna audacia, ne dicam temeritate; quia quod aſſerunt, & ita conjunctum eſt cum principaliter intento, ut a terum ab altero vix ſeparari poſſit, & veriſimile non eſt, talia aſſeri ex proprio tantùm judicio ſine magna conſultatione & deliberatione, & oppoſitum ſine ſolido fundamento eſt.

Ad 1mum, quod objicitur, reſpondetur, Pontificem loqui in ſenſu compoſito, ſeu ſtante Monachatu. Unum enim ex altero ſequitur naturaliter; ſicut durante matrimonio rato diſpenſari nequit in alio cum alia, nec ſtante voto, quoad executionem ejus, utpote naturali Jure neceſſariam. Ablatio tamen radicis nec Jure naturæ, nec Divino alio prohibita eſt. 5

Ad 2dum. ℞. miſſa Benedictione purè invocativa, ùt ciborum &c. conſecrationē conſtitutivam, quâ res efficitur ſacra, aliam fieri per deputationem ad Dei cultum pacto vel promiſſione firmatam; aliam verò per actionem ſacram, quæ circa talem rem fit. Prior conſecratio utique tolli poteſt per diſpenſationem, ùt conſtat in Clerico in Sacris, & olim in Virginibus Religioſis non Profeſſis, quas Patres vocant Sacras; & in Oblatis, & rebus aliis Eccleſiæ donatis. Ablatâ enim promiſſione vel pacto ceſſat dicta dedicatio. 6

Poſterior conſecratio, ſi ſolùm ab actione præterita pendet, ùt in 7

Terra

Terra ſancta, quam Chriſtus calcavit, veſtibus ejus &c. nec per Omnipòtentiam tolli poteſt, magis quàm quòd contractus, qui fuit, non fuerit: num ergo per eandem potentiam fieri nequit, ut Religioſus deſinat eſſe talis? Sin conſecratio pendet ab inſtitutione, per aliam moralitatem contrariam deſinere poteſt, ùt olim in Nazaræis Num. 6. & nunc in Degradatis. Regula igitur Juris intelligi debet vel in ſenſu compoſito, ſeu durante Conſecratione, vel per ſe & ſecluſâ neceſſitate, & authoritate diſpenſantis.

8 Ad 3tium. R. nec Metraphraſten, nec alios antiquos recenſere dictam hiſtoriam; quamvis quia ab Eccleſia recitatur, neganda non ſit. Quid autem inde? an Iphigenia fuit profeſſa? Potuit ergo Apoſtolus non diſpenſare, quia fortè in detrimentum fuiſſet Religionis, & ideo illa ab Hippolyto dicitur Martyr Virginitatis, pro qua ſe oppoſuit Tyranno. De injuria, quæ Religioni fiat, dictum ſuprà eſt.

9 Ad 4tum R. Confundi Profeſſionem cum hujus obligatione; nam hæc eſt Juris naturalis, at illa Juris Divini poſitivi à Chriſto inſtituente & conſulente non tamen ullibi prohibente, diſſolutionem ejus, imò concedente poteſtatem ſolvendi, Rurſus aliud eſt ſolemnitas voti, aliud votum ſolemnizatum; illa enim ſine cauſa tolli poteſt validè, non iſtud. Denique difficiliùs tollitur donatio, quàm mera promiſſio; quia illa, ùt in voto ſoſolemni fit, dat Deo jus in re: at votum ſimplex dat jus ad rem tantùm.

Ad 5tum R. Contractum matrimonii ante conſumationem ſubjacere poteſtati ſupremæ Pontificis, ſi non ùt humanæ, ſaltem ùt Divinæ, ùt in ſimili dicitur c. *Inter corporalia.* de Transl, Epiſ. Conſtátque ejus diſſolubilitas ex c. *Ex publico.* de Converſ. Conjug. mirúmque eſt ſolvi poſſe vi Legis Eccleſiaſticæ & Papalis de Profeſſione, & ſolvi non poſſe diſpenſatione Papæ. Dato autem, indiſſolubilem eſſe; id enim erit ex privilegio Chriſti. At neceſſe non fuit, ut Chriſtus ſimiliter immutabilem faceret, aut fortiùs ſtatum Perfectionis; quia nec ex natura rei id habet, nec neceſſitas eſt, cur ex Lege haberet. Neque obſtat indiſſolubilitas matrimonii conſummati; oporteret enim oſtendere, quòd ſimilis repugnantia ſit ſolutionis intrinſeca vel ſuperaddita in ſtatu Religionis, qualis eſt in altero ſtatu. 10

CAPUT XVIII.

An poteſtas diſpenſandi in Profeſſione reſideat in ſolo Pontifice?

1 Primò. Penès ſolum Pontificem eſt dicta poteſtas. Nam licèt actus, quia Jurisdictionis eſt, delegari poſſit vel certæ Perſonæ, vel certæ ſedi, ùt olim poteſtas approbandi, quæ gravior eſt, competebat Epiſcopis; tamen cùm nunc & approbatio Religionis, ipſúmque hujus votum ſit reſervatum, conſequens eſt, ut idem tenendum ſit de diſpenſatione vinculi Profeſſionis.

2 Secundò. Qualiscunque fingatur caſus neceſſitatis, non competit Epiſcopo dicta poteſtas. Nam ſufficit nunquam ita actum eſſe, ipſósque Pontifices rarò uti dictâ poteſtate; ſícque caſus non eſt moralis, ut conceſſus credi poſſit. Sicut ergo in voto ſimplici reſervato ſtamus uſu, tanquam regulâ, ita in præſenti ſtandum eſt non uſu; ſícque locus non eſt Epickïæ, ut vel in Profeſſione, vel in matrimonio rato diſpenſetur per Epiſcopum. Multóque minùs vinculum ejusmodi per ſe ceſſare poterit ob cauſam neceſſitatis; aliàs ſine recurſu ad Pontificem vel Epiſcopum ſufficeret judicium Doctorum; quod per ſe incredibile eſt.

CAPUT XIX.

Quot modis fieri poſſit Profeſſio tacita juxta Jus antiquum?

1 Primò. Sufficit & neceſſaria eſt geſtatio habitûs proprii Profeſſorum in Novitio pubere. Nam Profeſſio tacita juxta omnes eſt vera, utpote solùm diſtincta ab expreſſa in ratione ſigni: hoc autem demptis verbis eſſe non poteſt, niſi habitus vel actus proprius Profeſſorum. Vel ergo habitus eſt communis Profeſſo & Novitio, vel proprius Profeſſo? ſi 1um, ergo non diſtinguit Profeſſum à Novitio, nec ad Profeſſionem tacitam ſufficit, aliàs ſtatim ac quis ingreditur Religionem, fieret Profeſſus. Si 2dum, ſola geſtatio habitûs non ſufficit, ſed opus eſt ætate competente, ùt conſtat ex c. *Statuimus.* c. *Ad noſtram.* c. *Ad Apoſtolicam.* cum ſimilibus de Regular. & c. 1. c. *Conſtitutionem.* eodem in 6.

Secundò. Non ſufficit ad dictam Profeſſionem ſolùm exerceri actus proprios Profeſſorum. Nam c. *Vidua* de Regul. quod in oppoſitum allegatur, non probat, quaſi ſine habitu tenuerit Profeſſio tacita: *Velum* enim erat commune aliis viduis 2

duis velatis ac Profeſſis; quia & textus univocè utitur voce, & mulier non auſa fuiſſet publicè cum aliis offerre. Dicitur autem velum *non ſacrum*, quia non benedictum, ut Virginum, non verò quia diſtinctum à velo viduarum non Profeſſarum; & ideo utrumque dicitur *velum Converſionis*. Deinde Profeſſio tacita non ſumitur ex rei evidentia, ſed ex præſumptione Juris, nulláque præſumptio ſufficit, niſi confirmata authoritate Juris: at in d. c. *Statuimus*, generalis & adæquata disjunctio eſt, ut ſine habitu proprio Profeſſi vel expreſſa Profeſſione liberum ſit recedere; quod maximè firmat exceptio ibi addita, ſi rectè intelligatur.

3 Confirmatur; quia d. c. *Viduæ* agit de voto tantùm ſimplici continentiæ, juxta morem antiquum ex c. *Viduas*, 27. q. 1. ubi refertur Gelaſium noluiſſe tales cogi, ſed moneri tantùm; quod non cadit in Profeſſam: additur autem, ſi actus offerendi publicus ſit, cogi debere. Quidquid autem ſit de Jure antiquiore, ſtandum nunc eſt formâ unicâ Profeſſionis tacitæ, in d. c. *Conſtitutionem* propoſitâ.

Tertiò. Si habitus communis eſt 4
Profeſſorum & Novitiorum, aſſumptus & per annum geſtatus à pubere, facit tacitè Profeſſum. Ita d. c. 1. & clariùs Clem. 2. de Regul. idémque eſt, ſi ingreſſus ante pubertatem, factus pubes duret, anno integro habitum deferendo in Religione. Sufficit autem, licèt extra Monaſterium degatur, dumodo ſub obedientia Prælati. Denique juxta Jus antiquum renunciari quidem potuit probationi, non tamen ætati requiſitæ.

CAPUT XX.

Quibus modis tacita Profeſſio fiat poſt Concilium Tridentinum?

1 Primò. Excepto anno probationis, locus etiam nunc eſt dictæ Profeſſioni. Nam licèt probationi renunciari nequeat vi Tridentini, tamen per hoc neque expreſsè facta eſt abrogatio dictæ Profeſſionis, neque ex ejus decretis ſequitur neceſſariò: ſícque ùt manifeſtum ſupponit Nav. tenéntq; omnes Viri docti. Idémque eſt quoad Moniales; quia licèt Concilium quædam circa illas ſpecialiter requirat, defectus eorum non irritat, illíſque præſtitis poteſt non ſequi Profeſſio expreſſa, aut vitiata tantùm.

Secundò. Sicut ad dictam Pro- 2
feſſionem ſufficit geſtatio habitûs Profeſſorum proprii per triduum poſt expletam probationem, ita etiam

tiam geſtatio habitûs communis Profeſſis & Novitiis, perſeverando per annum ſub illo. Prior pars conſtat ex Concl. ſuper. *junctis* Juribus cit. cap. ſup. Idem eſt de poſteriore parte ex c. 1. de Regul. in 6. quamvis cum moderatione aliqua, ùt declarârunt Cardinales. Nunc enim annus non computatur à pubertate, ſed ab anno decimo ſexto completo, quia totus compleri debet in ætate, quæ nunc apta eſt ad profitendum.

3 Tertiò. Habitus Novitii ſimpliciter diſtinctus ab habitu Profeſſi, non ſufficit ad dictam Profeſſionem, licèt adjungantur actus proprii Profeſſorum. Ita omnes; nam neque Concilium innovat quid, neque de Jure antiquo ſufficit dictus habitus, juxta dicta cap. ſup. eſto expreſſa Profeſſio fieri poſſit etiam ſine habitu Novitii.

CAPUT XXI.

Quos effectus habeat Profeſſio tacita?

1 Primò. Habet omnes effectus, quos expreſſa, niſi ubi Jus excipit. Nam eſt æquè vera, ac Profeſſio expreſſa; quia æquè inhabilem reddit ad matrimonium, & diſſolvit ratum. c. un. de Vot. in 6. & c. *Antiquæ*. eod. ſicque, ùt omnes Doctores inferunt, poſtulat omnes conditiones, quas altera, demptâ ſpecialitate ſigni, cùm non propter hoc, ſed propter vinculum & vota ſubſtantialia requirantur. At nec effectus ſequuntur ratione ſigni, ſed vinculi ſubſtantialis, & cauſa ejuſdem rationis habet eoſdem etiam effectus, niſi impediatur; nec ſecluſo Jure ullum principium eſt, id quod convenit Profeſſioni expreſſæ, negandi tacitæ, ſi ſubſtantialiter idem ſunt.

2 Secundò. Solùm obligat dicta Profeſſio Religioni in genere. Ita c. *Conſulti*. de Regul. c. *Conſtitutionem*. eodem in 6. pro foro etiam interno, ùt tenet communis Interpetum, & poſcit locutio abſolutè ſic declarans cum adjectis conditionibus ſi *ſciens*, *volens*. Si enim culpa eſt in tranſitu ad laxiorem, cur tam generaliter permittitur? & cur in hoc potiùs caſu quàm aliis? Quia ergo res pendet ab Eccleſia, ſicut ſimpliciter & in totum irritari potuit actus, ita etiam ſecundùm quid tantùm: ergo licèt plus velit Profeſſus, Eccleſia plus non acceptat, quàm obligationem in communi.

3 Nec propterea contractus eſt injuſtè claudicans, aut gravamen Religionis. Nam iſta, ſi vult, cogere ſtatim poteſt ad Profeſſionem

expreſſam, vel ad electionem alterius Religionis: eſſet autem indecens hominem nullibi recipi: ergo quæ conſenſit Profeſſioni tacitæ, cogi juſtè poteſt ad admittendam expreſſam; ſicque favor fit non Perſonæ, ſed Religionis.

4 Tertiò. Poſt Trid. ceſſat dictus effectus Profeſſionis tacitæ. Nam vi Tridentini profiteri nemo poteſt, ante expletum annum Probationis: at dictus effectus ſolùm conceditur profitendi tacitè intra annum Probationis d. c. *Conſulti.* & d. c. *Conſtitutionem* & c. 1. eod. in 6. Nec argumentum à ſimili valet in re odioſa & valde ſpeciali; éſtque clara differentia, quia rectè ſic indulgetur ob defectum Probationis integræ, ùt etiam attenditur Clem. 1. eod.

Quartò. Tacitè Profeſſus non poteſt eligi in Prælatum ſeu Abbatem. Ita c. *Nullus.* & c. *Indemnitatibus.* de Elect. in 6. Nam licèt verbum *irritum habeatur* ſit de ſe ambiguum, ſatìs determinatur per particulam *eo ipſo*, ùt perinde ſit, ac ipſo facto irritum eſſe. Aliud autem eſt loqui de voce paſſiva, aliud de activa; prior enim tollitur, ùt ſatis explicatur d. c. *Indemnitatibus*, & ratio differentiæ per ſe docet. 5

LIBER VII.

De Profeſſione invalida.

CAPUT I.

Quibus modis Profeſſio poſſit eſſe invalida; & quomodo ſit confirmanda?

1 Primò. Quot ſunt conditiones ad valorem neceſſariæ, totidem ſunt modi nullitatis. Unde nullitas alia eſt ex Jure naturali & Divino, alia ex Eccleſiaſtico; alia interna, alia externa; alia ex parte Religionis, alia ex parte Religioſi; alia ſanabilis, alia non. Sermo eſt de ſanabili, quæ ratificari dicitur, non quòd invalida incipiat valere, ſed quia nova fit valida & rata.

2 Secundò. Profeſſio ſemel invalida ſolo tractu temporis non confirmatur unquam, eſto defectus annullans fuerit ſublatus. Eſt certa ex R. *J.* 18. in 6. Vel enim conſenſus deficit ſimpliciter, vel ſaltem conſenſus efficax ad inducendum vinculum: at ſolo tractu temporis non fit efficax, quia nec pro tunc, cùm fuit, nec pro nunc, cùm non eſt, ùt patet in ſimili de matrimonio. Sicut autem novo conſenſu opus eſt, ita etiam ſcientiâ nullitatis; nam voluntas permanendi in Religione non eſt voluntas profitendi hanc, ſed ſolùm implendi obligationem putatam, ùt rectè notant Cajet. Navar.

3 Tertiò. Non ſufficit ratihabitio merè interna, ſine ſigno ſaltem tacito. Nam dicta ratihabitio nec manifeſtatur per actum præteritum, nec in præſenti facere poteſt Profeſſum merè internum, ùt patet in apoſtata putatitio, qui ſine habitu foris ſic ratificaret. Sufficit verò ſignum tacitum juxta omnes, & clarè ſupponit Trid. ſ. 25. c. 19. de Regul. Nec obſtat c. 1. de Regul. per verba: *Ratam expreſſè habeat*; nam loquitur de ratificatione, quæ fit intra annum Probationis: in præſenti autem præcedere debet integer annus Probationis, aut ſi non præceſſit validè, ex integro repeti debet, cùm Conc. d. c. 19. de utraque Profeſſione intelligendum ſit, ùt declarat S. Congregatio.

Quartò. Non requiritur ex parte Religionis ſcientia defectûs, ſed ſolùm ex parte Religioſi annullantis conſenſum. Nam aliàs multi exponerentur periculo recedendi, ſi cogerentur pandere delictum, & denuo experiri totum rigorem Probationis cum periculo ejectionis. Dein contractus ſolùm claudicavit ex una parte: ſícque ſupponit Trid. quòd eatenus tantùm reſtaurandus ſit; utitur enim præſumptione actûs privati; at de ignorantia Religionis, utpote publicâ, conſtare poſſet ex certa ſcientia. 4

Confirmatur. Quia licèt requiratur ſignum ratificantis pro nunc, cùm non valuerit actus, prout ex tunc, ſed prout ex nunc; ſufficit, acceptationem uſque nunc durare tacitè, exhibendo ſemper eundem affectum Religioſo, & conſentiendo traditioni, quam de ſe facit perſeverando. Prior enim acceptatio ſemper virtualiter operatur, cùm in ejus virtute fiat dicta acceptatio tacita: per accidens autem eſt, quòd neſciat Religio, quia adhuc ſtat veritas prioris acceptationis perfectè liberæ, & ex perfecta ſatisfactione de Perſona; ſícque Religio nullo modo gravatur. 5

Quintò. Si defectus irritat utrumque conſenſum, requiritur manifeſtatio ejus, & conſequenter nova voluntas etiam Religionis. Non enim ſufficit conſenſus quicunque, ſed legitimus, ſeu legibus qualificatus 6

tus conſenſus. c. *Dilectus.* c. *Tua.* de Sponſ. at neutra voluntas in dicto caſu erat efficax ad inducendum vinculum, ùt ſi ſit defectus Probationis. Unde etiam in ordine ad hanc requiritur dicta manifeſtatio, quia Religio ſub probatione non habuit, quem putavit Profeſſum, deficiente libertate dimittendi, & poteſtate morali probandi juxta regulam. Sicque tempus, quod trahitur ſub exiſtimatione veræ Profeſſionis, ſimpliciter inutile eſt pro computando tempore probationis.

7 Sextò. Probabile eſt, annum tunc non eſſe ex integro repetendum, ſed ſolùm quod deficit; quamvis oppoſitum fortè probabilius ſit. Sermo eſt enim ſecluſo caſu, quo juxta Sixt. V. Motum 73. irritatur ipſa probatio, conſequenter ut eſſe nequeat fundamentum Profeſſionis validæ. In præſenti autem tenet probatio quoad partem, nec per Profeſſionem fictam ſit interruptio ſimpliciter, ſed interna potiùs quàm externa, & legalis potiùs quàm naturalis. Sic ſola mala fides non ſtatim diſcontinuat poſſeſſionem pro præſcriptione, quamvis hanc dormientem faciat.

8 In contrarium eſt juxta Nav. quia eo ipſo, quòd aliquid deeſt, quod eſt de ſubſtantia probationis, hæc interrumpitur: at quomodocunque Profeſſio ſit nulla, ceſſat animus probandi. Dein ſufficit interruptio phyſica; quia moralem requiri, fingitur ſine lege, & ideo idem tenent de fide mala præſcribentis Mol. Abb. Covar. Alii verò fundari debent, quòd deſitio etiam poſſeſſionis ſit neceſſaria ad interrumpendum vi Legis: ergo hac ſilente ſtatur eo, quod ex natura rei eſt in actu. Negat tamen Nav. ſi defectus eſt ætatis &c. requiri novum conſenſum Religionis: ergo nec ſcientiâ defectûs opus erit.

Septimò. Sufficit iteratio tacita Profeſſionis. Nullum enim Jus cogit 9
ad plus; eſtque clarum, cùm manifeſtatione defectûs opus non eſt: & licèt ea fiat, adhuc Religio contenta eſſe poteſt dictâ iteratione. Sed quid tunc de Electione ſic Profeſſi? ℟. Vel conſtare in foro externo de Profeſſione tacita tantùm, vel non? Si 1mum, conſtat eo ipſo de nullitate electionis. c. *Nullus.* de Elect. in 6. Si 2dum, difficile eſt, cogi ad manifeſtandum defectum, quem probare nequeas, ùt fictionem, metum occultum &c. ergo ſicut in matrimonio præcedens ſolemnitas moraliter conjungitur cum iteratione ſubſequente, ùt tenet Communis; ita & hìc, præſertim quia ſtat ſubſtantia ſtatûs, non putatitia, ſed vera; aliàs non ſufficeret, ùt conſtat c. *Cùm ad noſtram.* c. *Officii.* de Elect.

CAPUT II.

An Profeſſio invalida habeat effectus aliquos?

1 Primò. Si bonâ fide ſit Profeſſio ſimpliciter nulla, effectum nullum habet, per ſe loquendo. Nam ex eo, quod nullum eſt, quatenus tale eſt, nihil ſequi poteſt: nec etiam ratio injuriæ hîc eſt, nec ſi quod detrimentum illatum eſt, ſarciendum erit medio tam arduo, ſeu denuo profitendo. Dein vel actus ex Jure naturæ, vel poſitivo nullus eſt? Si 1mum, natura operatur, quantùm poteſt: ergo annullando totum. Si 2dum, Jus, ùt ſupponimus, ſimplipliciter irritat actum: at ſic irritus nullum habet effectum, niſi Jure expreſſus ſit.

2 Varius enim modus eſt irritandi, ùt 1. reddendo actum inutilem tantùm, ſeu quoad proprios & per ſe effectus. 2. habendo pro infecto, ſeu omnino nullo. 3. ſolùm quoad Jus humanum, ſeu obligationem & actionem, quæ per dictum Jus dari ſolet; ſícque relinquitur valor naturalis, ùt l. *Stipulatio.* §. *Alteri.* iun. Gl. c. *Nihil intereſt.* ff de V. O. multíque exemplum ponunt in teſtamento non ſolemni. 4. irritando ſimpliciter actum, & in ſe, ſeu quoad vim naturalem, quam aliàs haberet.

3 Secundò. Ex Profeſſione ſimpliciter nulla, cùm bonâ fide ſit, per accidens ſequi poſſunt effectus, magis in extero quàm interno foro. Nam ratione ignorantiæ & conſcientiæ tenetur ſic Profeſſus ad omnia, ad quæ alius. Dein valent omnes ejus actus publicè, quia ab publicam utilitatem ſuppletur defectus ipſo Jure. l. *Barbarius.* ff. de Off. Prætor. Rurſus in dubio valoris non poteſt quis Religionem privare Jure acquiſito, cùm ſit illa in poſſeſſione, ùt notant Sanch. Leſſ. Nav. &c. & ſecùs eſſe cenſent, ſtante certitudine nullitatis coram DEO, eſto per ſententiam cogatur quis manere.

Licèt enim obligatio ſit parendi ſententiæ, ùt exteriùs juſta eſt, non 4 non reſiſtendo per vim, nec fugiendo cum ſcandalo & periculo; tamen ſententia, quia ſolùm eſt ex præſumptione, non obligat, niſi ad actus externos tantùm, non ad internos & Conſilii, ſeu ad ratificationem Profeſſionis: ſícque per luxuriam &c. non erit, qui ſic cogitur manere, ſacrilegus, nec proprietarius, nec inobediens. Quia verò Religio Jus habet retinendi talem, etiam injungere poterit expreſſam Profeſſionem ad viam occludendam dubitationibus. Igitur fictio tunc in re tam gravi erit pernicioſa & illuſoria petitæ iterationis: éſtque per accidens, cogi quem ad Conſilia; nam neceſſitas eſt boni communis, & præceſſit voluntas profitendi.

Tertiò.

5 Tertiò. Si culpa eſt profitentis, multò magìs obligare tunc poterit ad ſtatum & vota; quamvis actus per ſe non obliget ad ſtatum vel vota. Nam nec ignorantia excuſat, ut ſine ratificatione tutum ſit permanere, & actus Profeſſi exercere; nec minùs obligat ſcandalum, quia hujus occaſio data eſt propriâ culpâ, & facilè potuit, ac debuit prævideri. Porro obligatio per ſe non eſt; quia nec ob pœnam, nec ob reſtitutionem. Non prius, quia non obligat, niſi condemnatum: nec pœna ipſo Jure poſita eſt, nec poni poteſt, obligando ad Conſilium. Non poſterius, quia expenſæ vel reſtitui poſſunt, vel æquivalent obſequia facta, vel ſi secùs, damnum tanti momenti non eſt, ut per Profeſſionem ſarciri debeat.

6 Quartò. *Profeſſio* ſolo Jure Eccleſiaſtico irrita, per ſe habere poteſt effectus aliquos, ſi Jure expreſſi ſint. Nam penès Eccleſiam eſt irritare actum vel in totum, vel in parte: ergo exceptio expreſſa firmabit regulam in contrarium, eritque effectus Profeſſionis non ùt irritæ, ſed ùt validæ ſecundùm quid. Exemplum eſt c. *Placet.* c. *Quidam.* de Conv. Conjug. ubi relinquitur votum Caſtitatis. & in c. *Non ſolùm.* c. *Conſtitutionem.* de Reg. in 6. ceſſat obligatio ad Mendicantes tantùm &c.

7 Dices: Maritum ſeparatim obligari voluiſſe, præſumi nequit; vel ſi actus valuit, ùt potuit, ergo etiam quoad *Paupertatem.* 2. Sic etiam cùm fingitur Profeſſio, ex natura rei non erit irrita ſimpliciter. 3. Idem erit de Profeſſione facta in manibus Epiſcopi. Ad 1mum ℞. duo eſſe certa; unum, quòd Jus non irritet votum Caſtitatis Mariti: alterum, quòd hic ex Juris interpretatione, ut poteſtatem, ita & voluntatem ſic ſe obligandi habeat: ſícque in foro externo præſumatur ſimpliciter, in interno autem, quamdiu de contraria intentione non conſtat. Votum autem Paupertatis nec præſumit Jus, nec eſt ratio ſimilis propter repugnantiam ſtatûs.

Ad 2dum ℞. Separatam obligationem ſequi ex concomitantia alterius intentionis, ſicut juncto voto peregrinationis aut eleemoſynæ: ita enim Maritus æquivalenter vovet Caſtitatem, & ùt partem Profeſſionis, & per ſe. Vel ergo vult quis *Profeſſionem*, nolendo *Paupertatem* &c. vel vult traditionem tantùm, vel Caſtitatem tantùm? Si 1mum, nihil vult, nec velle poteſt, ſi intelligit objectum. Si 2dum, deeſt acceptatio. Si 3tium, tenet actus ſine acceptatione alia. Et in d. c. *Non ſolùm*, ſi intentio fertur ad hunc ſtatum tantùm, ceſſat obligatio ad Religionem ſimpliciter, utì & impedimentum non tenet ſimpliciter; ſed ſi caſus omnino occultus eſt, vitatur, quia nulla ſententia, vi præſumptionis tantùm juſta, obligat ampliùs. 8

Ad 3tium ℞. Caſum non eſſe ad rem. *Profeſſio* autem ſic æquivocè 9

 dicta,

dicta, ut Virginum in ſæculo, habet effectus ſuos, ſi aliàs in ſua ſpecie non habet defectum. Nec tunc intentio eſt proprii ſtatûs Religioſi, ſed ſolùm fiunt vota ſimplicia, tanquam coram teſte tantùm. Sin erroneè putatur, Epiſcopum poſſe incorporare ſic Religioni, actus corruet.

CAPUT III.

An & quomodo liceat Religionem relinquere poſt Profeſſionem irritam?

1 Primò. Si nullitas probabilis non eſt coram Judice, credendum non eſt eam aſſerenti, etiam jurato. Conſtat ex c. *Vidua*. de Regul. Nam Juramentum etiam in his, quæ pendent ex actu interno, non admittitur, quando in externo eſt vehemens præſumptio in contrarium, & intervenit præjudicium tertii, ut hîc eſt Religionis, & boni communis, & Dei: & aliàs lata porta fieret infinitis fraudibus; præſumptio autem eſt & ex actu præcedente, & ex ineptitudine teſtis, allegantis mendacium, ut in ſimili c. *Super eo*. c. *Per tuas*. de Probat. l. *Generaliter*. Cod. de non num. pecun.

2 Idémque eſt de defectu externo, ut ætatis, libertatis à metu &c. niſi cùm abſit propria turpitudo, juvet præſumptio capta ex honeſtate Perſonæ, & aliis circumſtantiis: vel ſi probes, ex juſta cauſa omiſſam eſſe proteſtationem, ſi intentio defuit. Tamen proteſtationi locus non eſt in Profeſſione expreſſa, quia eſt contraria facto, vel proteſtatio mendacii, ſi metus intercedit. Juvat verò in Profeſſione tacita, cùm non ſit per ſe ad ſignificandam intentionem talem, ut verba & ſcriptura. Igitur in dubio ſemper favendum eſt Religioni, ut matrimonio ſecundùm omnes.

Nec obſtat c. *De viduis*. 27. q. 1. quæ agit de voto ſimplici, non de Profeſſione publica. & in c. 1. de his, quæ vi &c. probatus fuit metus; ſicque ſublatum eſſe probari debebat. Nec in c. *Mulier*. de Jurejur. fides datur juranti ſed quia nec præjudicium tertii, nec rationes ſuprà factæ urgebant, mulier ſibi relinquitur, cùm matrimonium non probarit: & ideò abſolutus eſt reus. 3

Secundò. Certus de nullitate omnino occultâ, jus habet, per ſe loquendo, relinquendi Religionem propriâ authoritate, & aſſumendi ſtatum quemlibet, etiam matrimonii. Nam habet jus ſuæ libertatis, quod per Judicem conſequi non poteſt: ergo ſicut in bonis minoris momenti, & in ſervitute injuſta, & in matrimonio ſimiliter nullo, poteſt quis ſibi conſulere (ſecluſo alio modo poſſibili) authoritate propriâ; ita hîc. Injuria autem, ſi qua fuit, ſolùm in modo, non in re eſt, nec reſtitutio expenſarum obligat ad dandum Religioni rem non ſuam. 4

Ter

5 Tertiò. Secùs eſt de eo qui probare poteſt nullitatem. Nam ſtatum tunc relinquere propriâ authoritate, pugnat ſaltem cum Juſtitia Legali, & bono ordine reipublicæ; nec per accidens, ſed per ſe afferre poteſt ſcandalum: & ideo authoritate Judicis, ſi commodè poteſt, utendum eſt in Jure ſuo recuperando: nec aliàs ſic diſcedens tam graviter puniretur in Trid. ſ. 25. c. 19. de Regul. Tamen talis non tenetur redire; quia nec ratione Profeſſionis, nec ob Concilium; quia ſolùm dicit, cogi poſſe ad permanendum; nec ob culpam, quæ in modo fuit, non in re ablata, nec ob præceptum & cenſuram, nixam præſumptione tantùm; nec latam ipſo facto per Trident.

Dices, parendum eſſe citationi. 6
R. Utique, ſi tantum ſit ad audiendum cauſas: at Trid. vult puniri talem potiùs, quàm audiri: ergo ceſſat culpa, ſi ob eam rem vexetur, cum exitus ſit neceſſitatis, & Concilii rigor procedat contra non redeuntes voluntariè. Ubi autem probabilis eſt neceſſitas exitûs, facilè audiet Curia Romana; ſtylúſque habet, ut habitum reaſſumat, dum cauſa tractatur ſub ſecuritate & libertate ſufficiente. Id enim & per ſe decet, & quodammodo debitum eſt Religioni, ne re ſuâ ante ſententiam privetur.

CAPUT IV.

De Quinquennio per Concilium præſcripto.

1 Primò. Computandum eſt dictum tempus à die Profeſſionis factæ. Nam Concilium loquitur indiſtinctè. Unde dies tacitæ Profeſſionis erit, quo quis poſt probationem ſumpſit habitum Profeſſorum proprium, vel ſi communis eſt Novitiis, poſt annum completum. Eſtque probabile, quòd cùm adeò nota ſit nullitas Profeſſionis ante Probationem expletam, nec credi poſſit, feriò factam eſſe Profeſſionem, initium computetur poſt dictum annum completum.

2 Secundò. Præſumptio Juris, quam induxit Concilium, non ſufficit, ut quis verè fiat Religioſus. Nam per nullum Jus humanum id magìs fieri poteſt quàm verum matrimonium ſine proprio conſenſu. Neque Concilium obligat, ut qui non fuit, tunc incipiat eſſe Religioſus, ſed ſolùm negat actionem. Non enim verba trahi debent ad præceptum aliud, nec in rigore poſſunt ad ſignificandam ratificationem; nec hujus obligatio per indirectum ſequitur cùm homo aliter ſibi conſulere poſſit, juxta dicta cap. ſup. Rurſus res tam ardua eſt, ut juxta omnes Patres ſit Conſilii tantùm, juxta dicta de Filio; nec per præſcriptionem induci poteſt magìs quàm ſervitus, ob libertatem tam naturalem homini, ut ſine graviſſima cauſâ tolli nequeat; nec denique mora quinquennii digna eſt tantâ pœnâ.

Ter-

3 Tertiò, Regula Concilii intelligitur per ſe, ceſsátque etiam in foro externo, ſi præſumptio eliditur ſufficienti probatione. Nam eo ipſo ceſſat ratio legis contrariæ, propter defectum Juſtitiæ, onúſque graviſſimum citra titulum juſtum: omnéſque excipiunt caſum impotentiæ agendi, præſertim ſi vis metúsve fit à Religione; idémque eſt de ignorantia invincibili nullitatis, quæ probari poteſt: neutro enim caſu curret tempus, cùm ùt habile reputandum ſit. Idem eſt de adultero, qui ob ſubſequens adulterium Conjugis profeſſus eſt, & ideo repetenti negari nequit. Idem denique, ſi ad ratificandum petitur ſcientia Religionis, cujus ignorantia probari poteſt, ùt de defectu conditionis neceſſariæ; audietur enim illa: at idem & æquale jus eſt alteri, quia culpa non ſufficit, ut cogatur eſſe, quod non eſt.

Igitur Concilium intelligitur vel 4
de cauſis ibi expreſſis, ſimilibúſque juxta ſubjectam materiam, ſeu capacem præſumptionis; vel certè in caſu, quo quis facilè potuit allegare cauſam, non de caſu impotentiæ: nam tunc ceſſat & præſumptio & periculum doli, ſi quis probare velit & cauſam nullitatis & impotentiam agendi.

LIBER VIII.

De Paupertate Religioſa.

CAPUT I.

An Paupertas ſit neceſſaria ad ſalutem?

1 Primò, Conſtat Fide, non eſſe præceptam. Ita contra Apoſtolicos & Pelagianos Aug. & Nazian. referens, Julianum negâſſe actionem Chriſtianis ſpoliatis, cauſando dictum præceptum. Similiter Fratricelli damnati ſunt ab Joan. XXII. & antè à Bonif. VIII. & ipſo uſu Eccleſiæ: nam major pars ejus, etiam ſervando omnia alia præcepta, damnaretur; quod repugnat Sanctitati & Veritati Eccleſiæ.

2 Secundò, Allegari nequit præceptum naturale. Nam Deus ùt Author naturæ conceſſit Dominium, *Dominamini* &c. éſtque in ſtatu naturæ lapſæ moraliter neceſſarium; quia vix aliàs applicarentur homines ad negotia ſuſtentationi neceſſaria, ùt culturam agri &c. Idem intrinſecè ſupponitur in Decalogo: at quod ita ſupponit, eſſe nequit contra legem naturalem. Uſus etiam ſtatim cœpit à filiis Adæ, præſertim quoad mobilia, & fuit in Job, Abraham, diviſione terræ ſan-

ctæ,

ctæ, regno dato Sauli, David, Salomoni ditiſſimo: nec ratio contrarii alia fingi poſſet, niſi injuſtitia: cui autem hæc fit per diviſionem bonorum?

3 Tertiò. Nec in Evangelio ſupponitur dicta neceſſitas. Nam Luc. 19. & Matth. 19. ſermo eſt de diſcipulo ſpecialiter ſumpto, qui Chriſtum in conſiliis ſequitur (ùt ſæpe notandum in Evangelio) non generatim de credente ipſi, præſertim fide viva; ſicque ineptè exponunt Pelagiani illud: *ſi vis perfectus eſſe*, id eſt, ut nihil deſit neceſſarium ad ſalutem. Chriſtus autem expreſsè diſtinguit doctrinam de ſic neceſſariis ad perfectionem, eámque complevit, *intuitus dilexit*: aliàs mutila fuiſſet reſponſio.

4 Notatur autem difficultas, quæ non ex prohibitione divitiarum, ſed harum periculo oritur, & viribus humanis ſuperari nequit; & ad hanc exaggerandam ſubditur communi modo loquendi: *facilius eſt Camelum* &c. Denique etiam præceptum generale intelligi poteſt, quod quia affirmativum, non pro ſemper obliget, ſed in caſu neceſſitatis, ùt pro defenſione fidei &c. Quia ergo rara eſt ea neceſſitas, ùt odii erga Patrem &c. dicitur obligatio præcepti eſſe ſolùm in præparatione animi.

CAPUT II.

An Paupertatem promittere & ex voto ſervare ſit honeſtum, & de meliori?

1 Primò. Paupertas nec eſt mala, nec minùs bona. Non primum; quia nulla lege præcipitur appropriatio bonorum, & cura vitæ ac neceſſariorum aliis mediis ſuppleri poteſt. Non 2dum; quia eſt de conſilio Chriſti: *beati pauperes* &c. nec enim expoſitio litteralis, utpote piiſſima excludi poteſt, ùt patet ex conſenſu Patrum. Ineptiſſimè autem fingit Oſiand. ſoli adoleſcenti, non nobis dictum eſſe, *ſi vis perfectus eſſe* &c. cur enim non etiam illa, *ſi vis ad vitam ingredi* &c. aut *quàm difficile eſt* &c. Ratio eſt; quia cùm carentia bonorũ per ſe amabilis non ſit, ſufficit eſſe honeſtam in ratione medii ad perfectionem acquirendam: hæc verò poſcit jugem Charitatem & Contemplationem, opera activæ vitæ (præcipua autem ſunt in miſericordia ſpirituali) fugam ſuperbiæ, amorem abjectionis, puritatem à vitiis &c. ergo cùm divitiæ ad contraria omnia per ſeſe impellant, paupertas omnium malorum radicem tollit.

2 Dices: Paupertas occaſio eſt actionum turpium, & injurioſarum, Prov. 30. 2. Non debet homo tam eſſe liberalis in alios, ut ſibi tribulatio ſit. 1. Cor. 8. 3. Perfectio proponitur Abrahæ ditiſſimo; idémque eſt de David &c. Ad 1um R. Scripturam agere de paupere coacto: ùt enim voluntarius & contemptor divitiarum ad regendum optimus eſt, juxta S. Thom. ita coactus ineptiſſimus; quia omnia in propriam utilitatem convertit. Dein in moralibus nihil caret omni inconveniente, ùt hîc eſt defectus eleemoſynæ, & occaſio tentationis: at hæc facilè prævertitur, & rara eſt reſpectu oppoſiti; & ille compenſatur tum deſiderio interno, tum modis aliis ſubveniendi proximo.

3 Ad 2dum Reſp. Sermonem eſſe ad fideles communis ſtatûs, quo non mutato, grave foret excedere menſuram debitam. Tamen in eodē ſtat paupertas ſecundùm quid, ut diminuendo ſtatum &c. quantùm fieri poteſt ſine præjudicio tertii. Mutanti ergo ſtatum ſimpliciter, nullus exceſſus poteſt magnus eſſe, utpote proportionatus ſtatui. Ad 3tium R. Confundi ſtatus ab hæreticis: nam Legali perfectioni nec virginitas quadrabat, nec paupertas actualis, ſed ſolùm moderatio affectûs, quæ nomine perfectionis petebatur. Rurſus paupertas medium neceſſarium non eſt, ſed utile tantùm, uon utique ſufficiens ſe ſolo: & ideo ſibi non conſtant, qui abjectis omnibus cætera negligunt. *Si diſtribuero in pauperes* &c.

Secundò, Votum Paupertatis per ſe utile eſt. Nam ſi propoſitum bonum eſt, multò magis propoſitum immobile ſeu votum de conſilio eſt, per ſe loquendo. Eſtque per ſe veriſimile, intentum fuiſſe à Chriſto, ùt Patres de eodem intelligunt illud: *Reliquimus omnia*, utique non habita tantùm, ſed & voluntatem habendi: at perfecta derelictio votum poſcit. Idem ſumitur ex Act. 4. Nam tanta pœna non fuiſſet incurſa, niſi propter fidem violatam, cùm mendacium nec fuerit pernicioſum, nec cum injuſtitia, aut hypocriſi ad nocendum, aut ſcandalo, utpote occultum: notántque Patres, ac Conc. Acquisgran. 4 5

Tertiò. Votum ſimplex paupertatis per ſe ſanctum eſt. Si enim ſolemne eſt ſanctum, ergo & votum ſimplex, ùt eſt evidens exemplo Actorum. Sempérque id in uſu fuit, quin idem de ſolemni conſtet. Nec refert bona cedere Communitati; quia adhuc fit vera oblatio DEO per talem abdicationem proprietatis. Nec quod hìc Conſilii eſt, tollit legem providendi corpori in neceſſariis; ſed facit, ut id fiat moderatè, & humiliter, non ex arbitrio proprio, ſed Prælati, & juxta neceſſitatem, non voluntatem cujuſque, *prout cuique opus erat* &c.

CAPUT

CAPUT III.

An dictum votum extra ſtatum Religionis licitum & honeſtum ſit?

1 Primò. Etiam privatim facta promiſſio eſt per ſe optima. Patet tum ex teſtimoniis adductis cap. ſup. quæ indiſtinctè procedunt, tum exemplis Sanctorum Eremitarum, ùt Pauli, Antonii, S. Benedicti &c. tum quia in ipſa communitate laudatur carentia dominii, tum ex fructibus iiſdem, qui perinde privatim, ac in Cõmunitate ſequi poſſunt ex dicto voto, ſi eodem ſpiritu fit.

2 Secundò. Per ſe non ſequuntur incommoda ex dicto voto. Nam hoc non repugnat Charitati propriæ, nec alienæ. Non 1mùm; quia natura eget paucis, uti & perſona, quæ facilè obtineri poſſunt tum labore proprio, tum humili mendicatione, ùt patet in S. Alexio, & in voluntario Peregrino mendicante, eſto talis non renunciârit bonis: ſatíſque eſt, quòd egeat ùt peregrè agens. Non 2dum, quia datur occaſio exercendæ Charitatis, nec fit vis. Denique dictum votum ſtat ſeparatum à voto Caſtitatis, ùt in dicto peregrino, & è converſo, ùt in Clericis; imò per ſe ſtare poteſt etiam in ſtatu matrimonii.

3 Tertiò. Nihilominus ſanctè fit ab Eccleſia, dum nec conſulit nec permittit mendicitatem Clericis non Religioſis. Nam attenditur decentia ſtatûs, cavendo hujus vilipendium, quod ſequeretur, Clerico non Religioſo mendicante: & ideo quamvis olim (ùt in S. Patre noſtro, & in Sociis) ordinatio facta ſit titulo paupertatis privatæ, hodie requiritur ſtatus paupertatis per Eccleſiam approbatus. Trid. ſ. 21. c. 2. de Reform. utique ad vitanda incommoda, quæ in multis afferret paupertas coacta. Et à fortiori Epiſcopis & majoribus Dignitatibus expedit habere majores facultates, cùm ſuppoſitâ hominum malitiâ vel fragilitate, id poſcat reverentiæ conciliatio, & bonum Regimen.

CAPUT IV.

Quæ ſit materia remota Voti Paupertatis?

1 Primò. Materia remota ſunt divitiæ, ſeu bona extrinſeca, quæ latè *Pecunia* dicuntur. Nam paupertas eſt privatio: hujus autem materia eſſe nequit, niſi quod vi illius removetur, ſive remotè ſive proximè. At quod remotè paupertas removet (proxima enim materia

ſunt dominium, uſus fructus, uſus) ſunt bona extrinſeca. c. *Totum* 1. q. 3. quia ſunt totum, quod per dominium adventitium ſeu humanum poſſidetur.

2 Secundò. Præter bona extrinſeca nullum aliud complectitur materia paupertatis remota. Patet inductione, ùt in Jure utendi vitâ, Jure actionum propriarum, quod voto tantùm obedientiæ abdicari poteſt. Rurſus in ſpiritualibus actionibus non paupertas, ſed abundantia quæri debet; nec iis quis privatur, niſi ur perfectiùs abundet, ſervando obedientiam. Honor etiam, quantùm ad radicem propriam, abiici nequit, nam propriè ſoli virtuti debetur: ùt verò communiter tribuitur exteriori excellentiæ divitiarum &c. paupertas tollit quoad radicem. Denique vel fama eſt de virtute, vel de ingenio? Si 1um, abiici non debet, ſi vera eſt. Si 2dum, per ſeſe utilis eſt, & ad vitæ tranquillitatem, & ad alios effectus rationi conſonos, etiam ſpirituales, quin vel licitè prodigi poſſit, vel ab aliis auferri. Quòd ſi falſa fama eſt, Jus eſt, ne proclamer: nec illi renunciare, ſpiritualem utilitatem per ſe habet.

3 Dices: Servus computatur in bonis externis, cùm tamen membra, quibus ſervit Domino, ſint extra materiam paupertatis. 2. Uxoris dominium eſt acquiſitum per pactum matrimoniale. Ad 1um ℞. Actiones & membra ſic translati in alienum dominium æſtimari pecuniâ: reſpectu autem ejusdem hominis eſſe bona intrinſeca. d. c. *Totum* ibi. *Omnia, quorum homines Domini ſunt, pecunia vocatur; ſervus ſit, vas* &c. Ad 2dum ℞. Nec pretio æſtimari Uxorem, nec inter bona externa computari, cùm ſit una caro &c. idémque dominium eſt Jus quaſi intrinſecum utendi proprio corpore.

Tertiò. Abjectio honorum, Dignitatum &c. licèt finis ſit paupertatis, non tamen materia. Vel enim votum dictæ abjectionis ſit in confuſo, vel circa actus tantùm determinatos, ùt non procurandi dignitates &c. Si 2dum, convenienter quidem fit, ſicut ſi ex voto non admittuntur gradus Magiſterii, ùt à S. Bonave. S. Antonio &c. tenétque illud; *qui non manducat, manducantem non ſpernat* &c. Si 1um, materia erit valde lubrica, cùm difficillimum ſit vitare omnem culpam in ſimilibus, & diſcernere ſemper inter lapſum mortalem & venialem. 4

Quartò. Licèt Prælaturæ, Beneficia &c. quoad ſpiritualia & honorifica non pugnent cum dicto voto, pugnant quoad temporale acceſſoriū. Nam hoc & intentione & executione facilè ſecernitur à principali, propter proprias & peculiares actiones, quæ circa id verſantur; ergo ex tunc, cùm poſſidetur, jam amittit naturam acceſſorii, fitque principale reſpectu talium. Secus autem eſt de acceſſorio for- 5

formaliter tali, ùt in eo ſtatu durat, ſolúmque, ùt tale eſt, attingitur per actiones, quæ immediatè & per ſe verſantur circa principale; Denique jus alimentorum, quod habet Religioſus, temporale non eſt, ſed ſpirituale, ùt jus decimarum: quamvis quod vi ejus Juris exigi poteſt, ſubjectum ſit Legibus paupertatis.

CAPUT V.

Quæ ſit materia proxima dicti voti, & ad quid hoc obliget?

1 Primò. Dominium eſt *principale Jus diſponendi de re aliqua in quemcunque uſum lege non prohibitum.* Bart. addit *in re corporali.* & Nav. cum Aret. *ſalvo Jure alterius.* At verum dominium eſt etiam circa incorporalia; & ſufficit, quòd Lege prohibeatur uſus cum præjudicio alterius. Igitur pro genere ponitur *Jus*, cùm non omne Jus ſit dominium, ſed è converſo. Additur *principale*, quia qui ex commiſſione generali diſponit, non proprio nomine ſed alterius utitur ſolùm per *Jus miniſteriale*; principalis autem cauſa eſt, quæ propriâ virtute operatur; quamvis non ſit præcipua reſpectu ſuperiorum cauſarum. Nam Deo competit abſolutiſſimum dominium, Excellentiæ verò Chriſto, & altum Reipublicæ. Denique idem comprehenditur nomine Juris rigorosè ſumpti: nam dicit facultatem propriam, & quaſi intrinſecam.

2 Secundò. Uſus fructus eſt jus utendi & fruendi alienis, ſalvâ ſubſtantiâ. Conſtat ex Inſt. & ff. de Uſufr. princ. Diſtinguitur à Dominio per particulam *ſalvâ ſubſtantiâ*, quamvis radix ſeu via ſit obtinendi dominium plenum aliquarum rerum. Deinde verſatur ſolùm circa ea, quæ uſu non conſumuntur, quia ſola ſunt frugifera; tamen impropriè & per accommodationem Juris tribuitur etiam uſu conſumptibilibus, ùt cit. tit. videre eſt.

Tertiò. Uſus, ùt ab aliquibus definitur, eſt *jus utendi re alienâ, ſalvâ ſubſtantiâ.* Sed ultima particula omitti poteſt: nam qui habet uſum arboris, poteſt ex illa comedere, non tamen donare; quia ſolùm accipit ad proprium & perſonalem uſum, ut patet Inſt. & ff. de uſu & habit. Differt autem uſus ſic definitus ab uſu meri facti, quatenus hic conſiſtit in ſola actione, qua homo percipit utilitatem rei, ſine proprio Jure ad illam. Similiter enim etiam adminiſtratio, cùm ſit alieno nomine, magìs ad factum pertinet. 3

Sic etiam quoad poſſeſſionem aliud eſt facti, aliud eſt Juris. Facti eſt actualis occupatio, tentio, ſeu habitio rei, ùt ſuæ: quia verò *poſſeſſio* propriè eſt, à qua quis denominatur poſſeſſor, illa non conſiſtit in dicta actuali occupatione, 4

aut

aut in actione phyſica, vel informatione, ſed in morali tantùm reſpectu orto ex apprehenſione, vel tentione rei: ſicque eſt detentio habitualis ſeu permanens ex eadem apprehenſione; utique cum Jure (loquendo de poſſeſſione juſta) quod quis habet ad tenendum, inſiſtendum &c. Definitur ergo à Bartolo, quòd ſit *jus inſiſtendi rei non prohibitæ poſſideri*; quia poſſeſſio eſſe poteſt vel formaliter tantùm juſta (propter titulum putatum) vel omnimodè juſta, vel ſimpliciter injuſta & malæ fidei. Poſſeſſio autem facti dicitur *apprehenſio rei corpore & animo, & Juris adminiculo*, id eſt, per actionem corporalem Jure inſtitutam ſeu declaratam (ex natura enim rei non eſt definita talis actio) ùt ſufficientem ad dictum effectum poſſidendi. Additur *animo*; quia ſi quis nomine alterius tenet rem, non ipſe ſed alius per ipſum dicitur eam poſſidere.

5 Quartò. Dominium eſt prima & principalis pars materiæ proximæ Paupertatis. Patet ex conſilio Chriſti, *vende omnia &c.* & in renunciatione omnium, & ex Juribus, ùt Trid. ſ. 25. c. 2. de Regul. c. *Monachi.* c. *Super.* cùm aliis de ſtat. Mon. c. *Ex parte.* de Accuſat. c. *Non dicatis.* 12. q. 1. ubi etiam uſus pronominis *meus* prohibetur, utique ùt proprietatem ſignificat; ſecus enim, ſi applicationem ad proprium, ſeu particularem uſum, ut poſtulat conſuetudo loquendi, & circumſtantiæ occurrentes. Ratio eſt; quia paupertas eſt carentia bonorum temporaliū: ergo & dominii eorum, ſi quidem integra eſt.

Quintò. Idem eſt de uſufructu, 6 uſu, & propriâ poſſeſſione. Nam uſusfructus ſine dubio eſt verum dominium, utique utile, & fructuoſius directo, veréque divitem facit; ſicque reſpectu rei, quâ frui licet, eſt dominium utile: reſpectu ſui autem, ſeu in ſe dominium verum, quatenus in omnem uſum, lege non prohibitum, convertere licet. Sicut enim cenſus, ùt eſt jus percipiendi penſionem ex fructibus rei, in qua fundatur, eoipſo cadit ſub dominium ejus, qui eam habet: ita uſusfructus per ſe ipſum affert dominium ſui ipſius. Sic etiam uſus & jus eſt proprietarium reſpectu rei, quâ uti licet, & habet reflexum dominium ſui. Nec refert, alienari non poſſe, cùm & idem ſit in Majoratu, Penſione &c. & ſaltem de conſenſu Domini, aut huic ipſi vendi poſſit; ſicque virtute includat aliquale dominium.

Similiter voto paupertatis repug- 7 nat poſſeſſio propriè dicta. Imò inde regulariter incipit actus externus conſumatus contra dictum votum. Regulariter, inquam, quia in caſibus Jure expreſſis, ſufficit voluntas acceptandi, ùt l. *Cùm Heredes.* de acquir. Poſſeſs. & ff. de acquir. Hæred. per totum. Qui ergo votum habet, debet eventus hos prævenire, in aliquem transferendo Jura omnia,

etiam futura : ſi autem non prævenit, tenetur non acceptare hæreditatem, nec quidquam diſponere poteſt; quia omnis talis diſpoſitio eſt virtualis acceptatio, cùm non donem, niſi jure in rem priùs acquiſito.

8 Sextò. Uſus facti tantùm, utì & apprehenſio, & adminiſtratio facti, non ſunt ita materia per ſe paupertatis, ut omnino excludi poſſint, quamvis quoad moderationem ejus poſſint eſſe materia juxta intentionem voventis. Nam omnes in controverſia Minorum conveniunt, quòd habeant uſum facti, quia ſaltem quibus veſcamur, & tegamur, habere neceſſe eſt : adminiſtratio autem, ùt præciſa ab emolumento ſtipendii &c. ſolùm ſervit Domino, ſicut ſolùm huic perit, quod perit. Quòd ſi in ea Jus eſt, ergo non ùt dominium boni temporalis, ſed ùt Jus regendi : quod per ſe non facit divitem.

9 Confirmatur, tollendo æquivocum in nomine Juris. Nam ùt dicit legem, ſemper lex aliqua uſum facti, ſi licitus eſt, concedit vel probat, ùt juſtum ſeu legi conformem : ùt verò notat Jus proprietarium, utique hoc deeſt Religioſo, convivæ &c. cùm nihil diſponere poſſint ſuo nomine circa id, quod conſumunt. Rurſus ſtat, dominium penes neminem eſſe, ùt cùm quis venatur vel piſcatur, ſolùm animo tenendi & utendi, aut herbam colligit ex communi agro ſine animo dominii, quia ad licitè utendum ſufficit negatio prohibitionis juſtæ. Unde citra dominium rei intelligitur injuria, quæ fit privando invitum tentione rei &c. quia Jus naturale eſt (propter dominium in proprias actiones) ad defendendum & ſe, & quidquid apud ſe poſſidet abſque alterius injuria, ſive ejus dominus ſit, ſive non.

Dices : Non ſtat, pauperem eſſe, 10
& ſplendidè vivere : quæ ergo & quanta moderatio eſſe debet ? ℟. Conſulendam eſſe intentionem voventis, tanquam unicam regulam in præſenti : nam quod eam excedit, ſine dubio contra paupertatem eſt : hæc verò per ſe & ſubſtantialiter ſervatur, ubi nullum proprium Jus intervenit, ſive expreſſè ſive tacitè, eſtó aliunde culpa ſit ob ſcandalum, indecentiam ſtatûs &c. Nec qui abſolutè vovet, eo ipſo ſe obligat ad non utendum, niſi neceſſariis, vel vilioribus, quia eſſet valde perplexum, & periculis expoſitum propter difficultatem præfigendi in his terminum debitum, qui non ſemper idem eſt, ſed pro circumſtantiis variatur.

Septimò. Simplex votum per ſe 11
non tollit capacitatem dominii. Nam hujus capacitas remota eſt eſſe hominem, proxima verò voluntas formalis vel virtualis acquirendi dominium, utique efficax & non impedita : at per ſolam voluntatem nihil quis aufert, quod per contrariam voluntatem non reſtituatur,

nec

nec impedimentum ponit, quod per eam non tollatur, per *ſolam* inquam: nam ſi promiſſioni additur donatio, vel translatio omnium Jurium etiam futurorum, jam non poteſt Jus acquiſitum alteri tolli, utut velit Donator &c. Sicut autem votum Caſtitatis non tollit poteſtatem nubendi, ſic nec votum Paupertatis poteſtatem acquirendi, ſecluſo adminiculo Juris, vel contractu alio, quo alienatio facta ſit.

12 Octavò. Votum Paupertatis, niſi diſpoſitione Juris juvetur, ut in Profeſſis, actu non excludit dominium, ſed ſolùm obligat ad executionem carentiæ dominii. Nam dives, cùm actu vovet, ſua non transfert in alium, nec habet pro derelictis, vel quaſi, nec tali voto moraliter conjungere poteſt alienationem, ſed opus habet magnâ conſultatione, & negotiatione. Nec enim obligatio eſt præcipitandi actionem, ſed ad adhibendam moralem diligentiam, ut quàm primùm fieri moraliter & prudenter poſſit, ſe ſpoliet, ſicque ſolùm erit paupertas in fieri.

Igitur dictum votum & eſt negativum de non acquirendo dominium, & affirmativum de relinquendo omnia: éſtque arbitrii, cui relinquantur, quia illud: *Da pauperibus* diſtinctum conſilium eſt, nec ex natura voti ſequitur, poſſétque res omnino relinqui. Quòd ſi quid contra votum fuit acquiſitum, ergo ſi res eſt immobilis, ſtatim alienari debet; ſin res uſui neceſſaria ſit, animus ſaltem deponi debet, tenendo merum uſum facti: ſi denique ùt ſuperflua teneri nequit, per uſum facti, ſuppoſito priore lapſu, licitum, rectè de illa diſponis, ùt removens impedimentum Paupertatis. 13

CAPUT VI.

Quibus modis violetur Paupertas, & quàm grave peccatum illud ſit?

1 Primò. Conſtat violari votum habendo dominium, uſum fructum &c. Nam primò & præcipuè votum fit non habendi quid ùt ſuum, ſicque qui internè cupit proprium, jam violat votum, ut in ſimili c. *Voventibus*, 17. q. 1. Unde ſequitur, Sacrilegium committi ex genere ſuo mortale c. *Super* c. *Ad Monaſterium*. de ſtat. Mon. ſive votum ſolemne ſit, ſive ſimplex; nam in vi obligandi differentia non eſt.

Se-

2 Secundò. Quantitas ad gravem violationem dicti voti non poteſt ſumi ex regula de furto gravi. Nam miſſis variis opinionibus parùm receptis, communior Soti, Petri Nav. &c. eſt, reſpectu Regum ſufficere duos vel unum aureum, reſpectu mediocrium quatuor vel quinque argenteos, duos vel unum reſpectu pauperum. Magis verò conſequenter dicitur, abſolutam materiam eſſe unum aureum; quia licèt non inferatur grave damnum, aufertur tamen notabile bonum, & moraliter æſtimabile, ut quid grave & utile ad humanas actiones, ut rectè dixit Major in 4. d. 15. q. 25. Infra aureum verò nunquam erit grave ex abſoluta, ſed reſpectiva tantum quantitate: & hæc licèt rectè diſtinguatur in dicta membra, ſub his ſemper magnam varietatem habere poteſt; ſícque ſemper in particulari attendi debet ratio nocumenti gravis, cùm bonum ablatum non ſit ſecundùm ſe grave.

3 Atqui nullo modo admitti poteſt, quòd contra dictum votum non peccetur graviter, niſi in quantitate unius aurei. Id enim eſt contra judicium omnium rectè ſententium de Paupertate, eſſétque aperire januam, & nimiam licentiam tribuere; cùm d. c. *Cùm ad Monaſterium*, pro enormi læſione habeantur tres aurei. Dein alia ratio eſt de furti, alia de ſacrilegii malitia; quia in illo attenditur læſio in bonis ad vitæ uſum neceſſariis, conſequenter æſtimatio abſoluta horum, vel reſpectiva: at in hoc attenditur infidelitas in promiſſione; ſícque ſufficit hanc eſſe gravem in ordine ad cultum Dei.

Confirmatur; quia judicio cujuſque prudentis votum eleemoſynæ in minore quantitate, quàm aurei, obligat ſub gravi, ut promiſſio quatuor argenteorum jam continet gravem cultum Dei; ſícque regula extrinſeca in præſenti ſumi poteſt ex voto eleemoſynæ: at intrinſeca ſolùm ex judicio prudentûm & communi, ad ſummum extendendo ad dictam quantitatem, & in minore regulariter excuſando à gravi, niſi ex circumſtantiis aggravetur; neque certius quid in his moralibus aſſeri poteſt. Unde fit, ut idem peccatum ſit grave in ratione furti, ut ob damnum illatum auferendo aciculam, & leve conſequenter in ratione ſacrilegii; quia votum non eſt de non furando, ſed de proprio non habendo. Idémque eſt è converſo; nam quatuor argentei leve quid ſunt, cùm Regi auferuntur, & grave in ratione infidelitatis & ſacrilegii. 4

Eſtque differentia inter Religioſi & alterius votum. Nam hic non peccat, niſi per proprietatem, non per uſum facti, eſto graviter injuſtus ſit, ùt per uſum equi, conſumptionem fructuûm in magna quantitate; quanquam imputativè utatur re, ut propriâ: imputativè, inquam, non in re, quamdiu non vult eam facere ſuam, aut eâ uti ùt ſuâ. Idem ſine 5

ſine injuſtitia fit à proprietario, cùm dono datum accipit. At Religioſus etiam per uſum facti peccat, ſi licentiâ careat, quâ tamen ſæcularis vovens non eget in mero uſu facti.

6 Tertiò. Diſpenſari poteſt in dicto voto. Non enim ex reſervatis eſt; ergo poteſt dari diſpenſatio & partialis & totalis: prior quidem ad dominium mobilium, & in tali quantitate ad tollendos ſcrupulos; poſterior verò neceſſitatem moralem poſcit aſſumendi ſtatum v.g. matrimonii, vel aliam cauſam, quæ pertineat ad bonum commune, aut ſaltem plurimorum citra præjudicium propriæ ſalutis.

CAPUT VII.

Quàm ſit antiquum, ut Religioſi nullum habeant proprium: vel quo Jure inductum ſit Votum ſolemne?

1 Primò. Aliquis modus paupertatis ſemper neceſſarius fuit ad ſtatum verè Religioſum. Nam nec omnis uſus temporalium excludi poteſt, nec ſine carentia alicujus intelligi paupertas; quia hæc ordinatur ad Dei obſequium: iſtud autem præſtari nequit ſine neceſſariis vitæ. Rurſum eadem fit ad tollendam ſuperfluitatem; quæ ſollicitudinem & diſtractionem ſecum affert: id autem commune eſt omnibus modis paupertatis verè Religioſæ; ùt 1. nec licitè nec validè dominium habendo, 2. illicitè non invalidè habendo uſum proprium: 3. habendo dominium, ſed ſine uſu proprio. 4. utrumque habendo, ſed non ultra certam menſuram ſufficientem ſuſtentationi vitæ.

2 Secundò. Probabile eſt, ſtatum Religioſum aliquando fuiſſe cum ſolo quarto modo, ſicque hunc ſufficere ad dictum ſtatum ſubſtantialiter conſtituendum. Sumitur ex iis, quæ referunt Aug. & Gregor. & à fortiori ex vita Anachoretica. Ratio eſt, quia paupertas per ſe neceſſaria non eſt ad perfectionem, ſed ùt medium, ſeu tollens ejus impedimenta: & ideò, ùt notat S.Thom. non poteſt una & eadem eſſe neceſſaria in omni ſtatu Religionis, ſed quæ fini ejus proportionata eſt, dummodo ſufficiens ad tollendá impedimenta perfectionis acquirendæ; aliàs non eſſet proportionata fini veri ſtatûs Religioſi particularis, niſi ſit etiam generali cujusque.

Atqui impedimenta ſunt ſollicitudo, amor divitiarum, occaſio elationis, vel vanæ gloriæ: quorum ultima duo ex parte materiæ (affectus enim & vanitas etiam in minimis eſſe poſſunt) ſatis tolluntur, relictis ſolis neceſſariis, non autem ſollicitudo in totum. Tamen ſi ſiſtit in neceſſariis, modica eſt, ùt in 3

Anacho-

Anchoreta , parvulam poſſeſſionem habente ; vel ſi certi & moderati reditus ſunt , ſive ex eleemoſynis ſtatis, ſive reſervati à Prædicatore ex propriis , ne aliis moleſtus ſit, imitando eatenus Paulum , ſi artem neſcit , aut tempore eget ad ſtudia. Cura autem vitæ non eſt amoris proprii , ſi obſequium Dei intenditur ; ſatíſque renunciat , qui ſola neceſſaria ſervat : imò ſi cura ſuperfluorum ſolùm ſit propter eleemoſynas , adhuc ſtat perfectio , quamvis cum impedimento contemplationis.

4 Tertiò. Probabilius eſt , ſemper in Eccleſia uſitatum fuiſſe , ut in ſtatu perfectionis eſſet paupertas per abdicationem proprietatis , ſaltem quoad uſum : ídque eſt moraliter neceſſarium ad dictum ſtatum. Nam conſtat, dictum modum magis conſonare Conſilio *Niſi quis renunciaverit* , exemplo Apoſtolorum : *Ecce reliquimus omnia* , & primitivæ Eccleſiæ. Dein propria amari ſolent ùt propria , vel certè occaſio ſunt amoris impuri : at paupertatis eſt , non tantùm ſolicitudinem tollere, ſed perficere in temporalibus, ut ex pura charitate habeantur ; ſícque cæteris paribus, magis perfectum reddit ſtatum , etſi aliud non repugnet perfectioni. Certum autem eſt, ſemper in Eccleſia , præſertim in Apoſtolis & ſequacibus, fuiſſe dictum ſtatum cum modo per ſe & magis moraliter expediente ad perfectionem.

5 Confirmatur in Solitariis, quia vel ſermo eſt de dominio ; vel de uſu proprietario , ſeu pendente à ſola propria voluntate ? ſi 1um, viri perfecti poterant velle ſolam commoditatem ſine proprietate rerum , quæ non comparatur ſine intentione ejus , cùm actus agentium non operentur ultra intentionem illorum ; ſícque , quòd quæ nullius ſunt , fiant primò occupantis , intelligendum eſt ſuppoſitâ dictâ intentione. Et licèt de ea ſeparatione expreſsè non cogitetur , ſatis eſt, renunciâſſe omnibus, & practicè ſolùm intendiſſe uſum neceſſarium ſine proprietate 1. Cor. 7. *Tanquam non poſſidentes* &c. etiam in effectu. Si 2dum, ſecluſo voto obedientiæ , uſus non proprietarius tantùm fuit in præparatione animi , ùt in Joanne Baptiſta , & Paulo Eremita : at cum dicto voto (conſequenter in ſtatu verè Religioſo) dependentia uſûs fuit à Superiore , ùt Abbate, Epiſcopo , ùt in Virginibus domi degentibus.

Idémque à fortiori eſt in vita communi Religioſorum ; 6
quia licèt in privata non ſit tam aperta deordinatio , in communi eſſet ſumma confuſio , ubi liber eſt uſus rerum , cùm etiam privato occaſio ſit & nimiæ ſolicitudinis , & plurimorum defectuûm : qui facilè occurrunt in libertate utendi re qualibet , niſi amputetur per dependentiam à Superiore , ùt fit in omni vero Religioſo.

7 Quartò. Licèt carentia dominii omnium bonorum fuerit ſemper uſitata in Paupertate Religioſa, non tamen videtur ſemper obſervata eſſe in omni ſpecie, vel in omni tempore ſtatûs Religioſi. Nam etiam in vita communi ſub Baſilio, Aug. Benedicto &c. incertum eſt, an non cum licentia haberi proprium potuerit, cùm Chriſtus conſulendo unum modum paupertatis, non excluſerit alium, & unusquisque ſuum donum ex Deo habeat. Dein quòd ſolùm ſpectaverint uſum facti, ùt Viri ſanctiſſimi, non poteſt tribui omnibus in uſu mobilium; imò nec immobilium feminis, quas ſic ali decebat, ne mendicare cogerentur. Eſtque exemplum in Gordiana, quamvis incertum ſit, an fuerit Religioſa. Similiter incertum eſt, an bona Virginum fuerint Eccleſiæ, & eorum uſus cum dependentia ab Epiſcopo.

8 Quintò. Paupertas reddens incapacem dominii non fuit in principio Eccleſiæ uſitata in aliquo ſtatu Religioſo, ſed poſtea inducta eſt ex juſtis cauſis. Nam nec ex natura rei, nec ex perfectione ſtatûs, nec ex antiquitate conſtat de tali effectu ſuperaddito voto: nec in Chriſto cum probabilitate ullus eum cogitat. Sic etiam quia *domus Simonis*, *domus Joannis* dicitur, capacitas dominii colligitur, quidquid de uſu ſit. Idem à fortiori eſt circa mobilia, ùt gladium Petri, ſtipendia laborum Pauli, eſto juxta dicta ſuprà, ſolùm uſus facti fuerit, aut quæ accepêre, communia voluerint eſſe Collegii vel Eccleſiæ juxta uſum eorum temporum: fingi tamen nequit, incapaces proprietatis à Chriſto factos eſſe.

Sextò. Solemnitas paupertatis reddens incapacem dominii à temporibus Juſtiniani univerſaliter introducta eſt; an verò antea aliqua Religio ex ſpeciali conceſſione Pontificum vel Epiſcoporum eam ſervârit, mihi (ait Author) non conſtat. Ita coll. 1. tit. 15. de ſſ. Epiſc. c. 38. & tit. 5. de Monach. c. 6. & l. Si *qua Mulier*. l. *Ingreſſi*. Cod. de SS. Eccl. l. *Nunc autem*. Cod. de Epiſc. & Cler. quæ conſenſu Eccleſiæ expreſſo vel tacito recepta ſunt. c. 7. 19. q. 3. c. 2. de teſtam. c. *Cùm* ad *Monaſterium*. de ſtat. Mon. Trid. ſ. 25. c. 2. de Regul. Sic enim radicitus tollitur occaſio proprietatis, fitque votum immobilius: & rectè acceſſorium ſequitur principale, ut cum Perſona etiam res tranſeant in Monaſterium. 9

10 Conſtat autem, in Monachis antiquis ſecùs fuiſſe: nam ùt refert Hieron. teſtamentum fecit Antonius de ſuis veſtibus, & hortulum habuit arboribus à ſe conſitum. Idem refert de teſtamento Hilarionis; & extat l. *Generali*, Cod. de SS. Eccl. in favorem teſtamenti Religioſorum, facitque l. *Si quis Presbyter*. Cod. de Epiſc. & Cler. & Aug. refert de teſtamento cujusdam Januarii; & Regulâ Pachomii c. 28. ſupponit, Moniales eſſe capaces hæreditatis; idém-

idémque quidam Senator ſuppoſuit de Arſenio. Et Hier. Epiſt. 25. declarat, ſe cum fratre habuiſſe quasdam poſſeſſiones, cùm tamen Religioſus fuerit, ùt ſumitur ex Ep. 13. ad Paulin.

11 Dices, etiam poſt Juſtinianum competiiſſe proprietatem c. *Perlatum.* & c. *ſi qua mulier.* 19 q. 3. &c. agi de proprietate Monaſterii, non privati, ùt particula *ſibi* juxta contextum ad Monaſterium refertur, non ad Petroninam. Dein Patri ſolùm datur adminiſtratio, quâ inter liberos diſponat; quamvis etiam proprietas relinqui pro aliquo caſu potuerit, ùt pro aliquo tempore concedi poſſe pro inconveniente non habent Bald. Felin. Decius &c. Quod quidem probat, incapacitatem non eſſe ex natura rei: tamen ubi Jure expreſſum non eſt, admittendum non eſt.

CAPUT VIII.

An votum excludens proprium in communi liceat vel expediat in ſtatu Religioſo?

Primò. Laudabile eſt inſtitutum profitentium Paupertatem etiam in communi quoad carentiam immobilium, nec ex ſolis eleemoſynis, ſed labore manuûm viventium. Conſtat ex doctrina & exemplo Pauli Act. 20. & 1. Cor. 9. & à fortiori ex locis, quos hæretici damnantes mendicitatem objiciunt, ùt 2. Theſſ. 2. & 1. Theſſ. 4. Eph. 4. Dein vel hoc eſſet contra rationem, vel contra perfectionem? Non 1um, quia tentatio fieret, in cura ſui ſemper expectando miraculum: ergo rectè procurantur neceſſaria ratione honeſta. Non 2dum; quia præter orationem ſunt alia virtutis opera, nec illi moraliter inhærere ſemper omnes poſſunt: & labor ſtat cum mentis elevatione, auditione lectionis.

Confirmatur; quia opus charitatis eſt ſic ſe & ſocios alere, confértque ad mortificationem corporis & pœnitentiam. Magìs tamen ſemper intenditur ſcopus perfectionis intentæ, quàm ſufficientia ſuſtentationis, ita ut opera alia perfectionis & contemplationis non impediantur. Secùs enim ſuperſtitioſum foret Religioſis, ſic ex labore vivere, quaſi nefas eſſet ex eleemoſynis vivere, licèt inſufficiens ſuſtentationi ſit lucrum laboris. 2

Secundò. Laudabile eſt inſtitutum, in quo paupertas etiam in communi quoad carentiam immobilium ſervatur, & ex ſolis eleemoſynis oblatis, vel mendicando quæſitis vivatur. Nam Chriſtus ita vixit Luc. 7. imò etiam actus mendici 3

dici tribuitur ex pſ. 39. quamvis veriùs de ſtatu agatur. Idem eſt de Apoſtolis ad prædicandum miſſis Luc. 10. Mat. 10. & 1. Cor. 9. ſæpéque mendicandum eis erat, quia ſinguli vivebant non in Collegio, nec ex labore manuûm, ùt Paulus, nec ex Jure operarii, quod inter infideles moraliter exigi non poterat: at qui ſic vivunt, & ad accipiendum & petendum cibum parati eſſe debent, conſequenter ad dictum actum humilitatis & patientiæ, ùt de aliis Prædicatoribus Fidei refert Euſebius; éſtque illuſtre exemplum Alexius, licèt non Religioſus.

4 Idem cœpit in Communitate à tempore S. Franciſci (an antè, non conſtat) cum approbatione Pontificum in Conciliis Generalibus c. *Exiit*. de V. S. in 6. Clem. *Exivit*. eodem X. Jo. XXII. *Quia quorundam*. eodem. & in Conſtant. S. 8. contra art. 4. Wicleffi: *Fratres tenentur per laborem manuûm victum acquirere, & non per mendicitatem*, priorem partem dicendo *ſcandaloſam & præſumptuoſam*, & alteram *erroneam*. Confirmátque Trid. ſ. 25. c. 3. de Regul. & ipſe conſenſus univerſalis Eccleſiæ, & ita impoſſibile eſt, à Spiritu ſancto permitti errorem tam diuturnum (ùt garrit hæreſis) in re tam gravi, & ad bonos mores pertinente, ſed certum eſt, tale inſtitutum nec bonis moribus, nec perfectioni repugnare, viámque ad hanc eſſe, cùm ſub ea ratione approbatum ſit.

Ratio evidens eſt; quia vel res mala eſſet per ſe, vel vi legis poſitivæ? Non 2dum, ubi enim extat lex? Non 1um, ùt patet exemplo Chriſti: nec enim labor præcipi poteſt, niſi ratione medii & finis in præſenti: at & media alia ſunt ſuſtentationis, & obligatio magìs urgeret ſæculares, qui mendicare erubeſcunt, ac pauperes coactos, & otioſos, quibus rectè clauditur oſtium, ùt Cod. de Mendic. valid. & per ipſam Providentiam Divinam, quia aliàs vix eſſent, qui labores neceſſarios ſuſtinerent, & ex otio ſequuntur furta, violentia. Igitur propoſitio hæc: *Injuſtum eſt, eum, qui laborare poteſt, vivere ex alieno*, per ſe & ex objectio intellecta ſecundùm rigorem Juſtitiæ eſt falſa; vera autem, ùt intelligitur de Juſtitia Legali, & occaſione contra Commutativam in ſæcularibus. 5

6 Vel ergo ſermo eſt de Converſis Monaſterii, vel de Sacerdotibus & Clericis? Si 1ùm, utique laborant, ùt poſcit Auguſt. de oper. Mon. c. 21. 25. 28. graviter reprehendens eos, qui cùm fuerint in ſæculo conditionis longè inferioris, nunc vivere velint cum majore commodo, honore &c. Quamvis quos Deus ad contemplationem vocat, rectè juventur in ſua vocatione, ùt antiqui Monachi; qui tamen, quia converſi Laici carebant ſpirituali opere ad proximum, manuali occupabantur. Si 2dum, rectè mos antiquus verſus eſt ad ſtudia ſpiritualia;

lia, & dignum cibo reddunt, ùt fatetur Paulus, qui tamen ſcientiâ infuſâ, & dono contemplationis altiſſimæ uti poterat, quin labore manuûm impediretur. Olim ergo nec tanta erat multitudo fidelium, nec fortè tantæ divitiæ, ut Religioſi ali poſſent, maximè in eremo, ſed ex oblatis Monaſterio vivebatur. Paulus autem agit de communi populo, ne gravis ſit infidelibus, & contra inquietos, vitando paupertatem coactam, ùt nunc vitatur etiam in Clero: voluntaria enim (quidquid ſit de particularibus defectibus & Perſonis) etiam venerationem conciliat, ùt uſu Eccleſiæ conſtat.

7 Tertiò. Laulabile eſt inſtitutum, in quo paupertas cum abdicatione proprietatis omnis in particulari, & cum dominio bonorum in communi ſervatur. Quoad mobilia conſtat exemplo Chriſti, primitivæ Eccleſiæ, antiquarum Religionum S. Martini, Aug. Benedicti: & quoad immobilia ex Euſebio referente Decretum Conſtantini de reddendis poſſeſſionibus, quas Diocletianus abſtulerat Eccleſiis. Et Pius I. queritur de tali ſpolio; & Urb. I. Ep. 2. ait, utilius viſum eſſe, prædia tradi Eccleſiis, quàm vendi, ùt ſic ali poſſint *volentes communem vitam degere*, utique per voluntariam paupertatem. Idem patet ex antiquiſſimis fundationibus Monaſteriorum, quorum ſeptem erexit Gregor. ex ſuo patrimonio attributis prædiis.

Ratio eſt, quia ſuppoſita paupertate in particulari, dictum dominium per ſe non affert ſolicitudinem majorem, quàm ipſa acquiſitio, & adminiſtratio, vel diſpenſatio, imò minorem, cùm ſubventio certior ſit: ergo nullum eſt impedimentum perfectionis, cùm dependentia, quæ in ſingulis perſonis eſt, ſufficiat ad moderandum uſum bonorum, utut affluentium. Nam adhuc ſtat maxima paupertas, cùm nullius rei dominium habeam, nec de re aliqua diſponere poſſim, nec plus accipere, quàm mihi opus ſit; multúmque reliquit, qui totam libertatem & ſpem habendi reliquit, ùt Sancti notant de Apoſtolis. 8

Participatio autem bonorum communium non magìs divitem facit quàm Dominum: ſed eſt perfectus modus utendi bonis ſalvâ paupertate; & ita etiam, qui plurimum dedit, ſervat illud: *Habentes alimenta* &c. Porro ſic ſufficientem modum eſſe ſibi providendi, nec contra Paupertatem eſt, nec contra Conſilium Chriſti; ſed ad ejùs & Eccleſiæ providentiam ſpectat, quâ etiam quoad iſta impletur promiſſio centupli. 9

CAPUT

CAPUT IX.

Quæ Paupertas inter eas, quæ à Religionibus ſervatur, præſtantiſſima ſit?

1 Primò. Religioſis, qui ſtatum Apoſtolicum profitentur, perfectior eſt paupertas etiam in communi, quoad ſtabiles reditus, ſeu poſſeſſiones, ex quibus illi percipiantur, loquendo per ſe, & vi ſtatûs. Nam cùm paupertas propter ſe non expetatur, ex fine de ea judicandum eſt, juxta S. Thomam: ſicque activæ Religioni, ùt Militiæ, convenit habere bona etiam copioſa, cùm ſecùs ſit de mixta: ubi autem ſola contemplatio intenditur, conſtat, convenire poſſeſſiones. At dicta paupertas & de ſe aptior eſt ad communicandum cum proximo, & de ſe magìs liberat à cura temporalium; urgétque exemplum Chriſti, & plurium virtutum exercitium, ùt humilitatis, patientiæ, fiduciæ in Deo.

2 Dixi: *per ſe*; nec enim omnia incommoda, quæ Cajet. Ferrar. & alios ad oppoſitum tenendum movent, in omni Religione reperiuntur, multóque minùs in omnibus Monaſteriis, aut etiam in pluribus. Quòd ſi ſunt, nonſtatim immutanda eſt paupertas, ſed aliæ viæ omnes priùs tentandæ erunt, præſertim cùm, ùt refert Bonav. t. 1. opuſ. 17. S. Dominicus in morte ſua imprecatus ſit maledictionem omnibus invehentibus poſſeſſionem in Ordinem ſuum. Si tamen aliud per experientiam judicatum fuerit expedire, accedátque legitima authoritas, ùt in Trid. ſ. 25. c. 3. de Regul. reprehendi non poteſt, ſed laudari, quin timendum ſit, diminutum ſic iri perfectionem ſubſtantialem.

3 Secundò. Vivere ſine omni providentia in futurum, quamvis fortè cum fructu alicubi fiat; tamen moraliter & regulariter (ùt de moralibus judicandum eſt) nec expedit, nec conſulendum eſt. Nam etiam in Collegio Apoſtolico erant loculi: faciúntque plures Canones 12. q. 1. Ratio eſt; quia conſideratâ hominum conditione & indigentiâ, itémque varietate & temporum & actionum, aut moraliter impoſſibilis eſt dictus modus ſuſtentandi Congregationem, aut ita difficilis, ut ſervari nequeat ſine magna diſtractione, & periculo Religioſorum.

4 Tertiò. Carere dominio etiam mobilium, non eſt medium per ſe ordinatum, & moraliter neceſſarium ad perfectionem in quocunque tandem ejus gradu; quamvis objectum & affectus ſit bonus, & accommodatus ſtatui perfectionis. Nam dictum dominium nec tollit incertam mendicitatem, nec minuit ſollicitudinem: & ideo Minores etiam

tiam

tiam adminiſtratione immobilium ſe privant, cùm ſola carentia dominii parum faceret. Deinde alia ſollicitudo eſt inevitabilis, alia vitabilis nam domo, Eccleſiâ &c. carere non poſſumus, ſive domini dicamur, ſive non.

5 Rurſus licèt moraliter neceſſaria ſit congregatio pecuniæ, & aliorum mobilium, opus tamen eſt moderatione, quia exceſſus & majorem ſollicitudinem affert quàm poſſeſſiones, & moraliter excluderet incertam mendicitatem. Menſura autem optima erit ſtatûs cujusque Regula, & prudentia, bonáque intentio Prælatorum, & aliorum quibus cura incumbit temporalium.

CAPUT X.

Quæ obligatio ex voto ſolemni Paupertatis oriatur, & quibus modis contra eam peccetur?

1 Primò. Solemne votum obligat ad non habendam proprietatem rei. Ita omnes tenent, ùt certiſſimum. Duobus autem modis haberi poteſt proprietas: uno per voluntatem directam, altero per modum acquirendi moraliter æquivalentem acquiſitioni dominii, quantùm eſt ex parte accipientis. Prior voluntas rara eſt; nam actus ſaltem conſummatus eſſe nequit circa impoſſibilia: at ignorantia ſeu inadvertentia incapacitatis dominii vix contingit in peccante. Difficultas ergo eſt de poſteriore modo peccandi, & ita diſtinguitur triplex actio, acquiſitio, retentio, & diſpenſatio rei.

2 Secundò. Deſiderium ſeu delectatio moroſa circa uſum proprietarium, ſi nec formaliter, nec virtualiter includit propoſitum agendi contra votum, per ſe & ex objecto peccatum mortale non eſt. Licèt enim deſiderium ſit inutile & per ſe nocivum; tamen quòd delectatio moroſa ſit ejuſdem ſpeciei, cujus eſt actus, ſolùm tenet, quando malitia objectiva eſt intrinſeca materia delectationis ſeu deſiderii: at in præſenti actus ſolùm eſt conditionatus, ſi non haberem votum &c. & ideo non eſt materia voti, ſicut nec diſplicentia hujus, quia non vovi perſeverare in complacentia voti: ergo res ſolùm eſt mala, quia prohibita, ſicut in delectatione uſûs carnium die Veneris.

CAPUT XI.

Quænam acceptio ſeu acquiſitio rei ſit vitium proprietatis in Religioſo?

1 Primò. Acceptio, quæ fit ſine licentia Prælati, eſt proprietaria. Ita communis in c. *Cùm ad Monaſterium.* de ſtat. Mon. omneſque Patres Monachorum, ùt Baſil, Aug. Bened. ita declarant. c. *Non dicatis.* 12. q. 1. Qui enim vovet Paupertatem, vovet ùt non habere, ita nec accipere rem, quia contrectare illam proprio nomine & authoritate, eſt de ſe actus dominii. Vel ergo commodè haberi poteſt licentia expreſſa, vel non? Si 1mum, utique optima eſt, quia & regula, & ordinatus modus poſcit. Si 2dum, certum eſt ſufficere præſumptam, ſi urget neceſſitas vel moralis commoditas accipiendi, quamvis peti debeat licentia retinendi, niſi res conſumpta ſit; quia factum infectum fieri nequit, ſive detur conſenſus, ſive non.

2 Secundò. Sufficit licentia tacita, ſeu quæ ſecundùm rectam rationem cenſetur contineri in aliqua voluntate expreſſa. Ita l. *Expreſſa.* 156 ff. de R. J & l. *Cùm quid.* ff. ſi cert. per. l. *Quidquid.* ff. de V.O. c. 2. de Reſcript. Sic licentia peregrinandi virtute continet licentiam recipiendi, quæ aliàs prudenter & cum decentia Religioſa recipi poſſunt. Idem eſt, cùm Superior abeſt, & difficilè convenitur: nam generaliter vult munus ſuum adminiſtrate in commodum Monaſterii. Idémque eſt de titulo conſuetudinis, ſi rationabilis ſit, & conſequenter circa quantitatem moderatam juxta Inſtitutum; nam minor eſſe debet apud Minores. Magís autem oneratur tunc conſcientia Superioris, quòd morem permittat, cùm non fiat vis; & ſupponitur materiam & Perſonam eſſe capacem ac dignam licentiæ, ſolúmque peccari in modo libertatis. Idem denique eſt de receptione factâ vidente & tacente Superiore, ſiquidem taciturnitas hæc ſit approbativa, quantùm ad ſubſtantiam.

Tertiò. Etiam ſufficit licentia præſumpta, quæ non fundatur in voluntate Superioris præterita, vel præſenti, eàque vel formali vel virtuali, ſed in conjecturis probabilibus de voluntate futura ſub conditione, ſi Superior ſciret. Eſt communis S. Thom. Turrecr. Antonin. Ang. Card. Lop. Mol. Valen. Leſs. Nav. & practicè probabilis, ac ſecura ad excuſandum à gravi. Nam aliud eſt loqui de obedientia, aliud de paupertate: illa, ſeu regula utique violatur; at hæc ſolum poſcit voluntem Superioris, quæ auferat proprietatem ex parte modi operandi: & ad hoc ſufficit dicta præſumptio. 3

Con-

4 Confirmatur: quia eo ipſo non accipit quis rem proprio nomine, ſed alterius, cui ſtatim res tanquam communis ſubordinatur, ùt in ſimili l. *Inter omnes.* l. *Rectè.* ff. de Fur. ibi: *quid enim dolo facit, qui putat, Dominum conſenſurum fuiſſe? ſive falſò id, ſive verè putet.* Quòd ſi ita eſt in materia Juſtitiæ, à fortiori in præſenti; vel certè omnia, quæ opponi poſſunt, retorquentur. Licèt enim Superior invitus ſit quoad modum tantùm agendi ſine licentia expreſſa, non quoad ſubſtantiam; erit inobedientia, non proprietas, ùt in ſimili tenet Cajet. v. *furtum*, quem omnes ſequuntur.

5 Quartò. Non ſufficit licentia debita, ſed negata vel neganda præſumptivè. Oppoſita Mendozæ eſt contra communem, quæ ſolùm habet, ſi licentia debita ſit, eam præſumi: at hoc ceſſat cùm conſtat de voluntate contraria: ergo acceptio fieri tunc nequit nomine Superioris, nec hujus injuſtitia mutat vel tollit materiam voti, cùm licentia & negatio ſint facti tantùm, ùt patet in ſimili de furante eleemoſynam à divite, de ſervo &c. Exemplum autem uxoris & eſt incertum, ſi negatio licentiæ non eſt injuſta, & præterea ad rem non eſt; quia illa retinet dominium, & adminiſtrationis debita menſura eſt, ut uxor non privetur uſu debito reſpectu ſtatûs &c. Denique ſermo eſt de dicta negatione privativè irrationabili, ùt ſolùm eſt abuſus poteſtatis: ſecùs enim eſſe conſtat de irrationabili contrariè, ùt cùm pietas &c. obligat.

Quintò. Non ſufficit licentia injuſta ex parte petentis; ſecùs ſi datur cum defectu cauſæ juſtæ &c. 6
Nam ſi vis, dolus, obreptio fit, ut reticendo circumſtantias, quæ probabiliter moverent ad licentiam ſimpliciter negandam, conſtat de nullitate actûs propter involuntarium ſimpliciter, & non ſecundùm quid tantùm, ùt ſi conſenſus ſolùm difficiliùs obtinendus fuiſſet. At defectus cauſæ juſtæ in dicto conſenſu non facit proprietarium, quia repugnat conjungere proprium cum licentia, quæ non eſt diſpenſatio in Jure, ſed meri facti eſt, ſcilicet quòd Superior verè & realiter velit. Licèt ergo conſentiat ad turpe, aut ad acceptionem vel dationem intrinſecè nullam, ùt in furto, non refert, quantum eſt ex præſenti re, quia ſolùm vovi abſtinere à proprio, non verò non furari &c. &c.

Sextò. Stando præcisè in acceptione, hæc regulariter excuſatur 7
à gravi. Nam licèt peccetur, eoipſo quòd ſimpliciter deſit licentia, cùm alia regula non ſit explicandi proprietatem; tamen ſi res ſtatim traditur communitati, regulariter præſumitur licentia, ſaltem qnoad ſubſtantiam. Sin ſecùs ſit, adhuc accipere alienum cum animo mutuandi ad breve tempus, ùt 10. aureos, non cenſetur grave, ſecluſo alio nocu-

nocumento, propter materiam merè remotam. Quòd autem nec 1000 aurei, vel imagines ingentis valoris non ſufficiant ad grave, abſurdiſſimum eſt. Nam cedit in detrimentum diſciplinæ, & fit uſurpatio poteſtatis Superioris: attendi ergo debet uſus Religionis, decentia, & aliæ circumſtantiæ, ut ſufficiens quantitas taxetur.

8 Sic facilis eſt præſumptio, cùm ad proprium uſum quid accipitur loco rei ſimilis, quæ aliàs à Religione danda eſt: ſecùs autem ſi cum pretioſiore &c. commutetur, quàm Religio dare ſoleat, ſi commodè poteſt. Quòd ſi deficit in neceſſariis, & convenientibus juxta ordinarium modum vivendi, immeritò invitus eſt Superior, præſertim quia res eoipſo fit communis Religioni; utique quatenus uſus talium communis eſſe nequit, niſi ùt diviſus in ſingulos.

An verò donatio, quæ fit invito
9 Superiore, teneat, diſtinguendum eſt. Vel enim fit cum conditione, ut irrevocabiliter ſit penes Religioſum, vel ut ſaltem revocabiliter penès eum ſit, vel fit abſolutè? Si 1mum, conditio eſt nulla, utpote contra paupertatem, ùt legatum ſimiliter repugnans corruit, juxta Bart. ſicque res reddi debet. Si 2dum, jam fit coactio quædam moralis, ſatiùſque eſt, umbram hanc, ne dicam ſpeciem proprietatis tollere, quàm rei commodo frui. Si 3tium, tenet actus, ſed infirmus eſt juxta Innoc. Abb. ùt contractus alii: tenet, inquam, quatenus prodeſt, non ùt obeſt, & acceptatur ipſo Jure Trid. ſ. 25. c. 2. de Regul. ibi: *etiam quovis modo ab eis acquiſita.* Quæ verò cum conſenſu Superioris accipiuntur, tranſeunt in firmum dominium, nec alienari poſſunt.

Septimò. In acceptione quoad uſum tantùm, ùt cavenda eſt occa- 10
ſio laxitatis, ita & rigor religioſior quàm oportet. Nam aggravando homines fragiles, quales majore ex parte ſumus, non oportet exponere periculis; & ſi utrumque extremum vitari nequit, potiùs ad lenitatem propendere oportet, cùm oppoſitum ſit gravius, & magis noxium Religioni. Conſtat ergo, acceptionem, ſi ſit de bonis Religionis, eſſe & contra paupertatem & contra juſtitiam, quia ùt ſupponitur, fit invito Domino.

Vel ergo acceptio eſt pecuniæ, 11
vel cibi & potûs vel rei uſu non conſumptibilis? Si 1mum, ſufficiunt quatuor argentei juxta dicta ſuprà, eſto expendantur in rem convenientem: nam uſus eſt nimis proprietarius, & in rigore etiam graviter injuſtus. Si 2dum, regulariter Superior non eſt ita invitus, ut gravem materiam reputet, ſicut nec actio inter Patrem & Filium in hiſce gravis eſt. Si 3tium ordinariè veniale tantùm eſt, ſecluſis aliis circumſtantiis, ùt ſi frequen-

quenter fit, cum magno incommodo aliorum. &c. &c.

12 Quòdſi accipitur ab externo, conſtat, injuſtitiam non eſſe, quamvis contra paupertatem ſit, juxta uſum & ſenſum communem; quia in tali uſu facti gerit ſe quis ùt Dominum, & uſus eſt pretio æſtimabilis. Vel ergo eſt cibi, vel alterius rei ut equi, vel accipitur mutuum? Si 1mum, regulariter non æſtimatur materia gravis. Si 2dum, valor uſûs æſtimandus eſt, utpote pretio æſtimabilis. Si 3tium, minus accipitur juxta communem æſtimationem, quàm in donato. Actio tamen proprietaria eſt, præſertim quia cùm non habeat, quo ſolvat, propriâ authoritate obligat Religionem: quanquam ſi abfuit Superior, per ſe illa teneatur ſolvere pro his, de quibus aliàs debet & ſolet providere, ùt ægroto &c. &c.

CAPUT XII.

De Poſſeſſione ſeu tentione rei contra Religioſam paupertatem.

1 Primò, Proprietaria eſt dicta poſſeſſio, ſi fit ſine licentiâ. Ita c. *Monachi.* c. *Cùm ad Monaſterium.* de ſtat. Mon. c. *Non dicatis*, 12. q. 1. Qualis autem licentia ſufficiat, dictum eſt, uti & de quantitate ſufficiente ad grave. Hinc clavis non ſufficit, ſtante licentia ſaltem tacitâ; eſto excedatur affectu, & modo cuſtodiæ contra regulam. Nec enim illa eſt ſignum dominii, aut poſſeſſionis propriè ſumptæ, niſi cùm datur, & recipitur propter jus proprium; ùt Procurator ſic Domino acquirit poſſeſſionem.

2 Secundò. Tentio proprietaria eſt, ſi animus ſit tenendi, quidquid Superior velit; eſto præceſſerit licentia præſumpta; vel etiam expreſſa accipiendi rem. Idémque eſt, ſi res ita teneatur, ut Superior nec auferat, nec auferre poſſit, ſiquidem occultatio abſoluta ſit. Ita Jura cit. & c. *Joannes.* de de Regul. Nam ſi licentia datur irrevocabiliter, virtualiter diſpenſatur in voto; & ideo conditio ſic adjecta poſſeſſioni, hanc ſubſtantialiter annullat: at Religioſus ſic occultando facit, quantùm in ſe eſt, licentiam irrevocabilem: ergo intrinſecè nullam, propter animum intrinſecè proprietarium.

3 Si tamen res ſolùm miſcetur cum aliis, ut non poſſit in ſuſpicionem venire, minor culpa eſt, præſertim ſi adeſt conſenſus præſumptus, & animus ad relinquendum paratus. Vel ergo occultatio abſoluta eſt diuturna, vel brevis? Si 1um, actio eſt injurioſa, quia facto privatur Superior poteſtate &c. Si 2dum, ut

ne reſciatur, rem eſſe acceptam ſine licentia &c. ceſſit vel minuitur animus proprietarius.

4 Tertiò. Superflua habere, ſi licentia adſit, proprietarium non eſt, nec contra votum, quamvis aliunde peccari poſſit. Nam generaliter loquendo, votum eſt non habendi proprium, non verò carere ſuperfluis: ergo intentio ſic ſe obligandi debet eſſe expreſſa, vel per Regulam declarata. Alii volunt, eſſe avaritiam; ſed unde probatur? Demum ſeclusâ injuſtitiâ, illa veniale tantùm peccatum eſt juxta S. Thomam. Verum eſt, eſſe vitam ſæcularem; ſed non ſequitur eſſe per ſe mortale: quamvis per accidens ſæpe eſſe poſſit ob ſcandalum, quod vergit in magnum nocumentum, & diſſipationem Religionis. Et Superior infideliter agit & injuſtè vel contra Legalem, negligendo commune bonum, vel Diſtributivam, inæqualiter diſtribuendo, vel Commutativam, abutendo ſua poteſtate.

CAPUT XIII.

An Religioſus vel Religio nomine illius retinere poſſit uſumfructum?

1 Primò. Profeſſo non adhæret uſusfructus quaſi materialiter tantùm, & Jus mortuum, ùt vinculum matrimoniale. De commoditate uſusfructûs conſtat, quòd penes Profeſſum non permaneat, utpote incapacem ad diſponendum ſuo nomine de fructibus. Licèt autem conſiderando ſtatum perfectionis, poſſet ſtare dictum Jus, quaſi mortuum, ùt vult Bart. Ant. Gomez, & alii plures; tamen tàlis exceptio à Jure communi, quod ſimpliciter negat capacitatem proprietatis, nec in Jure ſatìs fundata eſt, nec ejus neceſſitas eſt, nec aliàs ratio reddi poſſet, cur dictum Jus extinguatur in Religione incapace proprietatis in communi.

Secundò. Uſusfructus non extinguitur quoad Jus ad inſtar Penſionis. c. *Beneficium.* de Reg. in 6. 2
quaſi contra naturam ejus ſit alienari vel transferri in alium, invito principali. Nam præter citatos obſtant Abb. Sylv. Pinel. Nav. Gigas. Innoc. Monaſterium enim non eſt propriè hæres Religioſi, ſed ſicut hic, ita & Jura ejus illi incorporantur; ſicque tranſitus hic eſt alterius rationis ab omni alia alienatione vel translatione. Penſio autem cùm ſit Beneficio oneroſa, & quædam ſervitus ejus, immobiliter adhæret Penſionario, ùt conſtat ex communi uſu & interpretatione.

CAPUT XIV.

An liceat Religioſo habere annuos redutus, ſeu bona ſtabilia ex licentia Superioris?

1 Primò De Jure communi licet habere dictum genus peculii cum licentia Superioris. Ita communis Innoc. Abb. Joan. Andr. Decii, Calder. Sylv. Nav. Vaſq. Azor. Sumitur ex c. *Cùm ad Monaſterium*, de ſtat. Mon. & c. *Inſinuante*. Qui Cler. vel vov. Nam ſupponitur, licentiam non eſſe injuſtam, ſed dari ad uſus neceſſarios & convenientes, diſponendo de reliquis ſuo quidem arbitrio, ſed juxta modum Religioni debitum: ergo ceſſat proprietas, cùm nullum accedat Jus irrevocabile, ùt filio vel ſervo concedi poteſt. Abuſus autem per accidens ſunt, & attentis circumſtantiis, aliquando nullum eſt periculum mali, aliquando ſolùm vitatur majus malum.

2 Secundò. Conc. Trid. ſ. 25. c. 2. de Regul. novi quid præcipit. Ita Cord. Navarra, Leſſ. Baſil. Molin. Azor, Vaſq. textus eſt: *Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad uſum fructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam.* In quem locum S. Congr. reſpondet. *Cum N. viro mortuo facta eſſet Monialis, ſibique reſervâſſet 50. Ducatos annuos ad uſum ſuum, quia contra Concilium eſt, habere Moniales aliquid proprium, viſum eſt, dandam eſſe illam pecuniam Abbatiſſæ, quæ provideat neceſſitatibus N.* Similiter reſpondet de Legato, donato, acquiſito per induſtriam Monialis, ſemper eſſe tradendum Abbatiſſæ, vel in communi reponendum, *licèt Monaſterium ſit pauperrimum.*

Igitur Conc. non merè declarat, 3 ùt conſtat ex vi verbi *non liceat*, præſertim additâ particulâ. *Deinceps*, ùt ſæpiſſime repetitur dictâ ſeſſ. Nec refert, rem non contineri ſub intentione voventis; nam Eccleſia præcipere poteſt moraliter neceſſaria vel convenientia ad obſervationem voti, ùt in Clauſura, & Clem. 1. de V. S. Dein ſatis eſt, licentiam Prælati fieri irritam, ùt Congreg. declarat, eſſe reſervatam Pontifici. Nec urget, quod vult Nav. ſubintelligi *ſine legitima cauſa*. Nam legitima vel eſt utilitas Monaſterii, vel privata Religioſi? Si 1um, nil demitur. Si 2dum, ceſſat in immobilibus, & quoad mobilia nil denegatur neceſſarium ad ſuppellectilem & uſum convenientem.

Tertiò. Per Conc. ſolùm prohibetur, quod olim licebat ob rationes extrinſecas, ùt merit. Religio

gioſi. Prohibetur enim extraordinaria & ſingularis conceſſio mobilium, ùt eſt, habere quid ob meram commoditatem cum diſpenſatione à communi obſervantia, & cum exemptione; ſicque exceſſus ſuperfluus nunc facillimè fit mortalis &c. Deinde Jus verum civile non poteſt eſſe in Moniali: ergo debet adhærere Monaſterio, vel reſpectu Monialis ſolùm eſt obligatio in conſcientia ad dandos cenſus; ſicque propriè non ſunt bona immobilia, vel ſi ſunt, Monaſterii ſunt.

Rurſus ſi ſermo eſt de Reditibus, 5
hos accipere cum licentia, non eſt contra Concilium, dummodo cuſtodia ſit penès Abbatiſſam vel Officialem, & Monialis ſolùm retineat de licentia, quantum convenit, contenta (in præparatione animi) applicari ad uſus etiam alios: quamquam niſi aliunde provideatur, ipſi applicari debeant. Quod ergo contra Conc. fit, abuſus eſt, nec excuſari poteſt, niſi per ignorantiam in Perſonis particularibus.

CAPUT XV.

De uſu Bonorum contrario Religioſæ Paupertati.

1 Primò. Conſtat de prohibitione uſûs proprietarii. Nam ſi Dominium prohibetur, à fortiori actus; & cum illo ſtat paupertas, ſi ligatum ſit, ſecùs cum iſto, ſi fit nomine proprio, pro arbitrio & lubitu, quod utique eſt dominari, ſeclusâ licentiâ præſumptâ ſaltem: hæc enim, ſi aliàs juſta ſit, excuſat à culpa. Ad probabilitatem autem præſumptionis faciunt plura; nam facilior illa eſt in acceptione & retentione, quàm in diſpenſatione, etiã ratione ſubſtantiæ: rurſúſque diſpenſatio facilior eſt intra quàm extra Religionem. Nec extrà tenet (de immobilibus per conſtat) niſi cùm Superior eam facere poteſt, c. *Quod autem.* de Jure Patron. at acceptio moraliter non poteſt eſſe nulla ex parte cauſæ.

Secundò. Quæ quantitas ſufficiat 2
ad mortale, determinandum eſt ex dictis ſuprà. Si enim alienatio fit extrà, & injuſtitia eſt & ſacrilegium, ſufficitque quantitas mediocris. At multò major requiritur in commodando tantùm, ſecluſo periculo nocumenti; quia is uſus vel non æſtimatur pretio diſtincto à pretio rei, ùt cibi, pecuniæ &c. vel non æſtimatur reſpectu Monaſterii, quod nec vendere, nec locare rem debet. Sin intra Monaſterium actus fit ab uno ad alium, minimus eſt in ratione proprietarii, ſicque magnam quantitatem poſcit, quamvis fœdior ſit, ſi ex communi cuſtodia quid
detur, quod dare officialis eſt. 3
Tertiò. Quod Regulari datur ad conſumendum, non licet dare al-

teri.

ſeri. Nec enim conceditur ſimpliciter Jus utendi, nec uſus facti generaliter, & ad quidlibet, ſed talis vel talis: ergo alium uſurpare, eſt gerere ſe ùt Dominum. Sic pecuniam pro libris Theologicis datam expendere non poſſum ad emptionem aliam, nec cibum, quem mihi ſubtraho, in piam cauſam.

4 Quartò. Prælatus & Procurator expendere non poſſunt, niſi quod & quatenus vi muneris conceſſum eſt. Nam facultas, quam habet Prælatus, eſt impertinens ad id, circa quod non habet, fitque exceſſus finium mandati; quia neque dominium habet, nec adminiſtrationem ſimpliciter abſolutam, ſed juxta Regulam. Unde cùm deſit, per quem proximè regatur, ſemper recurrere debet ad præſumptam voluntatem vel Superioris Prælati, vel Regulæ: ſempérque rectè præſumet, ſi quid magìs conſonum rationi judicat juxta materiam vel debitum virtutis, ùt æquitatis, miſericordiæ, liberalitatis &c.

Non tenet autem præſumptio in
5 donatione merè profanâ, nec ullo titulo debitâ; & ſi cauſa rationabilis ſit, adhuc circumſtantiæ attendi debent, & maximè quantitas & conſuetudo. c. *Fraternitatis.* & c. *Cæterùm.* de Donat. Quantitas enim debet eſſe reſpectiva ad abundantiam Monaſterii, dignitatem Prælaturæ &c. & ordinariè ſtatur conſuetudine, niſi exceſſus ſit evidens. Dein licèt ſæcularis Prælatus, liberam habens ad miniſtrationem, facere poſſit donationem merè liberalem (non tamen prodigam, ſed ratione nixam) titulo conſuetudinis; hæc in Regulari propter votum paupertatis eſt difficilis, & ſi inducta eſt, ſolùm tenet in modica quantitate, ùt ſi in gratitudinem Prælato quid conceditur pro conſanguineis.

Quintò Conceſſa à Domino ad ex- 6
pendendum aliis, ùt pauperibus &c. diſpenſare, contra votum non eſt. Nam juxta dicta c. 4. adminiſtratio & Jus adminiſtrandi, ſecluſo emolumento, non ſunt materia paupertatis, quia non faciunt divitem. Sin conceſſio Domini abſoluta eſt ad omnem uſum facti, vel ad determinatum uſum Religioſi, proprietas eſt acceptantis; quia virtute acceptatur Jus convertendi in proprium commodum. Quòd ſi ſimpliciter quid donatur & acceptatur, per conſumptionem uſurpatur res acquiſita Religioni, ſecluſâ licentiâ; quia donatio firma non eſt ante acceptationem Superioris, qui ſine cauſa rationabili repudiare eam nequit: ſi autem repudiat, reddi res debet, quia non habetur pro derelicta.

7 Sextò. Donata in uſum particularis perſonæ, quantùm fieri poteſt, cedunt quidem monaſterio, non tamen abſolutè & ſimpliciter, ſed cum onere ſublevandi perſonæ indigentiam &c. Nam aliud eſt donari quid intuitu & interceſſione Religioſi, aliud donari in uſum hujus, ùt poteſt: priori modo perſona non eſt objectum, ſed inſtrumentum tantùm donationis; & ideo ut res illi applicetur, non ſufficit gratitudo, ſine indigentia cui ùt ex aliis bonis, ita ex donato ſuccurratur: at poſteriore modo ſufficit levior cauſa ad reditus applicandos particulari: reditus, inquam; nam jus ipſum radicale ſemper manet penes Religionem, neque alienationis capax eſt, niſi in evidentem utilitatem.

8 Igitur cùm 100. donantur Moniali, & transferuntur in ſæcularem cum onere Penſionis vitalitiæ quæ Moniali cedat; vel penſio tanta eſt, ut ſolùm juſtè reſpondeat vitalitiæ, vel tam parva, ut valeat pro cenſu perpetuo redimibili? Si 2dum, licentia injuſta eſt; quia niſi ſpecialis ratio cogat, non poteſt tanta quantitas (utpote pro immobili vel pretioſâ re habenda) omnino alienari. Si 1mum, licentia tenet, ſiquidem non exceditur neceſſitas perſonæ. Nam ſimiliter poſſet Religio emere vitalitium pro ea alenda, vel conſtituere mutuum per partes ſolvendum cum æquali periculo utrinque & minuendi & excedendi ſortem.

Adde, cùm dantur mobilia pro 9
uſu particularis perſonæ, poteſt Superior, ſi ſcit diſtinguere, non acceptare dominium, ſed uſum tantùm, utpote aliàs honeſtum; ſícque dando licentiam, ùt in caſu poſito non ſit alienatio de bonis Monaſterii: videtur autem virtute ita fieri, cùm res acceptatur ſolùm in uſum Religioſi.

CAPUT XVI.

De Teſtamentis Religioſorum.

1 Primò. Profeſſus nec licitè nec validè teſtari poteſt ſine legitima facultate. Ita Auth. *Ingreſſi.* Cod. de SS. Eccl. c. *Quia ingredientibus.* 19. q. 3. Nam actio eſt proprietaria, & de re non ſuâ: ergo per ſe nulla ſine conſenſu Domini. Excipitur autem Pater, Auth. *Si qua mulier.* Cod. eod. & Auth. *Nunc autem.* Cod. de Epiſc. & Cler. & refertur. c. *Si qua mulier.* 19. q. 3. In legitima autem nec ſe nec liberos fraudare poteſt, parte ſuâ cedente Monaſterio: ergo reliquum dividere poteſt inter Filios, præferendo, quem vult, non tamen dare extraneo, nec aſcendenti, cùm diſpoſitio ſit nimis ſpecialis, claráque differentia

de

de Filio. Poteſt etiam Profeſſus ſtatim petere legitimam,& Flii viciſſim, c. *Cùm ſimus,* de Regul. quamvis cogi ille non poſſit ad diſponendum de reliquis ante mortem.

2 Secundò. Demptâ dictâ exceptione, nemo Profeſſus teſtari poteſt de licentia cujuscunque Prælati infra Pontificem. Nam duo facit Pontifex, diſpenſando in Jure, ùt Legiſlator, & dando licentiam, ùt Prælatus ſeu adminiſtrator bonorum. Vel ergo hæc ſunt Monaſterii, vel Beneficii fructus, aut induſtriæ, aut aliàs imputati degenti extrà? Si 1mum, conceſſio eſſe debet rei modicæ, & ex titulo aliàs competente, ne patiatur Monaſterium. Si 2dum, conceſſio non præjudicat J. magìs quàm in aliis bonis Eccleſiaſticis: quamvis ſemper intelligatur eſſe ad opera pietatis tantùm, cùm Pontifex ſit adminiſtrator tantùm, non Dominus.

3 Dices: Quod per privilegium, etiam per conſuetudinem fieri poteſt; ſicque dicta factio teſtamenti eſſe licita in vi conſuetudinis. R. Diſpoſitionem inter vivos licitam eſſe ſine licentia, nullo uſu induci poſſe, cùm ſit intrinſecè malum: idem ergo eſt in præſenti, quia ut parificentur privilegium & conſuetudo, oportet eandem eſſe materiam utriuſque. Sic conſuetudo interpretari poteſt, quòd detur dicta licentia, cùm alia datur expreſſa, ùt habendi Beneficium ſæculare; aut derogare poteſt Juri communi, ut ſufficiat licentia Prælati, ùt circa minuta; aut denique quòd votum non ſit de paupertate ſimpliciter, ſed cum conditione teſtandi, vel ſine licentia revocabili.

Tertiò. Pontifex revocare poteſt 4 dictam licentiam. Si enim ſecùs; ergo propter jus translatum in Religioſum: hoc autem eſt proprietarium & independens à voluntate alterius, ſicut donatio, licèt voluntaria, confert jus proprietarium, & ideo revocari nequit. At Religioſus, quamdiu talis, non habet velle & nolle firmum; & ideo ſicut donatio ejus reſcindi poteſt, ita & factio teſtamenti: rurſúmque è converſo ita firmari, ut alia non valeat vi licentiæ.

Quartò. Factio teſtamenti liberè 5 revocari poteſt à Religioſo ſic privilegiato. Nam facultas intelligitur data juxta naturam & ordinarium jus actûs: aliàs non eſſet facultas de actu conſummato, & qui poſſet habere effectum, ùt rectè Gl. recepta. c. *Ex Tenore.* de Reſcript. aliàs nec petentis, nec concedentis intentioni ſatisfit. Et gratia debet ampliari ſaltem, ut utilis ſit. & ideo licèt exorbitet, non extinguitur morte concedentis.

Quintò. Etiam Milites S. Jacobi 6 de rigore teſtari non poſſunt, niſi ad opera pia tantùm, ſiquidem deſint hæredes neceſſarii. Nam Religio ſuccedere debet: ergo contrarium & cum voto & cum bono

Religionis pugnat, ſeclusâ ſpeciali licentiâ, & conſequenter causâ legitimâ. Tamen propter tot Epiſcopos & Confeſſores doctos oppoſita conſuetudo non poteſt dici apertè iniqua. Nam vis illius eſt, ut non omnia, quæ acquirit Religioſus, Religioni acquirat, aut quòd hæc tacitè renunciet, ſaltem ex generali conſuetudine ob labores militiæ, aut quòd ob vitam ſæcularem, quæ permittitur, etiam bona reputentur ſæcularia: sícque ſufficiat diſpoſitio honeſta, licèt non in opera pia.

CAPUT XVII.

Quàm ſpecialem obligationem habeat votum de non habendo proprio in communi?

1 Primò. Religio Minorum obligatur ad non habenda immobilia in ſuſtentationem Religioſorum. Conſtat ex Clem. *Exivit*, de V. S. Trid. ſ. 25. c. 3. de Regul. utique demptâ habitatione, horto &c. quæ per mendicitatem ſuppleri nequeunt. Alia verò nec cum dominio, nec tanquam propria quoad uſum, licèt cum dependentia à voluntate Domini habere poteſt; quia aliàs tollitur incerta mendicitas, quæ in præſenti eſt regula Pontificum: & dictus uſus moraliter æquivalet proprietati. Tenet tamen donatio, ſi fructus vineæ in ſe donentur, ut colligantur: ſi verò miſcenda eſt induſtria &c. etiam commenda ad breve tempus tenet, dumodo ſemper revocabilis, & ſecluſo longo tempore; aliàs æquivalet rei immobili.

2 Secundò. Secùs eſt de mobilibus. Nam hæc colligi & conſervari poſſunt, dict. Clem. §. *Rurſus.* quamvis ſcrupuloſè loquatur: clariùs verò Sacra Congr. dicens: *Poſſunt perquirere & colligere quaſcunque eleemoſynas, exceptis pecuniis.* Quamvis autem, ubi dominio locus eſt, raro exceſſus fieri poſſit vi voti, cùm pecunia ſervari poſſit ad comparanda immobilia; tamen in Minoribus repugnat voto, quia tollitur mendicitas incerta.

Tertiò. Animalia ad fructificandum haberi non poſſunt, per ſe loquendo. Nam & uſus ita declarat, & grex ovium v. g. ùt perpetuum quid poſſidetur, fructúſque ejus ſunt veri reditus, ùt habiti ex cultura vineæ. Quòd verò labore manuûm fiat lucrum, non obſtat, quia & actio hominis permanet ſub dominio, & per paupertatem non tollitur, eſto ſubjiciatur Prælato per obedientiam. Secùs autem eſt de jumento ad communē uſum domûs, de conſumptione animalium, aut de conſervatione eorum ad recreationem, vel pro neceſſi- 3

neceſſitate occurrente; nam eſto fructificent, parum pro nihilo computatur, nec abſolutè reditus eſt, quamvis venditio, locatio &c. non liceat, quia pretium reditus eſt. l. *Qui* §. ult. ff. ad l. Falc. Sic enim ruit mendicitas vel in totum, vel in parte.

4 Quartò. Tenet legatum annuum, ſi non ſit longi temporis, ùt pro novennio tantùm. Nam revera non ſunt reditus annui, ſed certa quantitas per partes ſolvenda, quæ mendicitatem ſolùm pro parvo tempore excludit. Secùs autem eſt de legato ultra novennium, ùt patet ex dictis pro concl. prima, & c. 1. §. 1. de Rel. Dom. in 6. & ex ratione oppoſita. Unde diſtinguendum eſt circa jus ſeu actionem, quia vel eſt Jus Penſionis annuæ, vel ad debitum, quod uno actu ſolvi poteſt, & in utilitatem Creditoris converti? Si 1um, ex omnium ſententia & declaratione Pontificum computatur inter immobilia: ipſique reditus annui, conſequenter etiam pars eorum, excluduntur per votum. Si 2dum, ùt jus ad domum v. g. accipi poteſt, non ùt ad rem immobilem, ſed ùt convertendam in mobilem; ſicque eſt

5 actio tranſiens.

Dices: ergo ſimiliter tenebit legatum annuæ Penſionis, ùt convertendum in mobile. Cur enim Jus ad domum, vineam &c. ùt ſic convertendum tenet? R. obligari hæredem ſolùm poſſe in conſcientia, ùt ad puram eleemoſynam perpetuam. Nam actio civilis ſolùm eſſe poteſt vel ex voluntate Teſtatoris, vel ùt adjuta adminiculo Juris vel conſuetudinis. l. *Nummis.* ff. de Leg. 3. neutrum autem in præſenti ſtat propter incapacitatem Legatarii ad Jus perpetuum, ad quod reddendum obligari ſolùm poteſt hæres vi dicti legati. Nam nec in conſcientia obligatur ad dandam æſtimationē, quia hoc plus eſt quàm annuè ſolvere; nec ad illam à tertio, recipiendam, quia Teſtator id non injunxit. Imò ſola actio in conſcientia non eſt quid moraliter vendibile quia non emitur, niſi in quo haberi poſſit proprium Jus & actio; ſicque ſine omni effectu eſt tale legatum. 6

Unde clara eſt differentia de domo &c. legata, quia jus ad illam magis conſideratur ex termino, ad quem tendit, ſeu pretio & æſtimatione, quàm ex materia circa quam: nec votum excludit Jus in talibus ſic conſideratis, ſed ne illa permanenter habeantur, & conſequenter ùt eſt Jus de re immobili ùt tali. At in legato annuo non venduntur penſiones, ſed Jus cujus Religio incapax eſt: & domus in ſuo valore & eſſe ſupponitur ad legatum, cùm tamen dictum Jus non ſupponatur, utpote res incorporea, ſed virtute legati creari & conſtitui debeat.

Quintò. Minoribus licet legatum annuum pro fabrica templi. Ita conſuetudo, pro qua allegatur c. ult. de Teſtam. & c. *Nimis.* De Exceſs. Prælat. Quia tales reditus non ſunt 7

ſunt in uſum Fratrum, ſed Perſonæ fictæ, diſtinctæ à Monaſterio, quod ſolùm eſt œconomus Eccleſiæ. Igitur ſi quid ſuperfluum eſt, ex Juſtitia converti debet in alios uſus Templi, non verò Monaſterii aut hoſpitum ejus de eadem Religione; quia tota eſt incapax annui reditûs ſimpliciter, etiam pro Bibliotheca, atramento &c. nam ſuſtentatio complectitur omnia, quæ ad Religioſorum uſum & commodum immediatè ordinantur.

8 Idem ergo eſt de Añiverſariis, quantùm ad Jus. Nam reditus proximè cedunt ſuſtentationi perſonarũ, ſolúmque ut eleemoſyna, cum obligatione in conſcientia tantùm, accipi poſſunt, juxta communem c. *ſi hæres.* de teſtam. Bart. Bald. Anchar. qui licere ajunt interpellationem Judicis, quia non eſt actus dominii vel Juris. Tenet igitur jus, ſi eſt ad breve tempus, vel ſi datur ùt ſemper dependens à voluntate concedentis; quia licèt hic pro ſemper obligetur vi voti &c. Religioſi petere nil poſſunt juridicè, vel ex Juſtitia. At ſi jus longum ſit, æquivalet dominio; ſempérque etiam in licentia meri facti haberi debet ratio decentiæ, & ut ſcandalum vitetur.

Sextò. Penes Prælatos potiſſimùm eſt obligatio circa dicta. Nam illorum eſt accipere quid nomine Religionis; & ita de eorum obligatione participant Miniſtri & qui ſuffragium ferunt ad accipiendum, diſpenſandum &c. Similiter, quia in dicta Religione obligatio eſt mendicandi, quæ per aliquos exequenda eſt, in Prælato eſt poteſtas obligandi, & in aliis neceſſitas parendi propter votum obedientiæ, quia vi paupertatis dicta obligatio non deſcendit ad ſingulos, ùt ſinguli ſunt. Denique quod requirit Bonav. ùt *omnia, quæ in uſu ſunt, habeant, quoad poteſt, paupertatem, vilitatem, & aſperitatem*, accomodandum eſt utique Inſtituto, quia exceſſus, qui fit, contra votum paupertatis non eſt, ſed ſæpe contra Regulam. 9

CAPUT XVIII.

An diſpenſatio cadere poſſit in ſolemne votum paupertatis?

1 Primò. Papa diſpenſare poteſt, ut Monachus ſit capax dominii, relictis obligationibus aliis; quamvis moraliter id vix licere poſſit. Nam incapacitas eſt Juris humani; ergo ſine cauſa validè tolli poteſt. Dein illa non cadit ſub votum, utpote extra poteſtatem voventis, conſequenter etiam votum manere poſſet; eſto eſſet de non acceptanda diſpenſatione, quæ tamen, ſi poſtea acceptatur, tenet.

Rur-

2 Rurſus conſtat, diſpenſationem, quæ fit ſine legitima cauſa, ſemper eſſe illicitam: at quæcunque ferè cauſa vel neceſſitas pauperis occurrat, per uſum, vel uſum fructum facti ſatis ſubvenitur. Solùm contingere poteſt, ut propter magnum bonum commune expediat Jus adeundi hæreditatem Legatum, donationem, quæ tali perſonæ, non Eccleſiæ obveniat: tunc autem adire Hereditatem &c. ſuppoſitâ capacitate, licitum eſt: at facere capacem niſi propter actum, fatuum eſt: & ſi actus illicitus eſt, capacitas ſolùm erit ad peccandum, imò propter peccatum.

3 Secundò. Poteſt diſpenſari, ut Monachus etiam actu habeat dominium. Nam diſpenſatio ad capacitatem illicita eſt, niſi ſit propter dominium habendum, hujúsque neceſſitatem, ùt dictum eſt: ſícque etiam in voto Caſtitatis non diſpenſatur, niſi propter neceſſitatem matrimonii. Tamen differentia eſt, quia votum paupertatis ſolvi poteſt in uno actu Conſilii, relictâ obligatione aliorum: at in voto Caſtitatis omnino tollitur materia Conſilii, cùm cætera ſint intrinſecè mala.

4 Tertiò. Diſpenſari poteſt in voto paupertatis, relictis cæteris votis. Nam vi Clavium eadem eſt ratio totius & partis, quamvis cauſa legitima difficiliùs reperiatur in diſpenſatione totali. Et hanc locum habere in voto ſimplici, fatentur omnes, etiam Navar. qui tamen id negat in ſolemni. Ad exemplum verò de ſummo Pontifice Religioſo, qui nec ſubjacet Legi, nec alteri Superiori, à cujus aſſenſu pendeat, ut non ſit proprietarius, reſpondet, Pontificem non eſſe Dominum redituûm Eccleſiaſticorum, ſícque ex Juſtitia teneri uti facultate Chriſti interpretativâ.

5 Sed inprimis communior & verior ſententia eſt, Clericos eſſe Dominos redituûm. Dein Reſponſio non eſt adæquata, ùt de bonis non Eccleſiaſticis, præſertim liberaliter donatis, quæ Pontifex Regularis æquè congregat, donat &c. ac non Regularis. Rurſus per dictum votum ſolùm nos ſubordinamur facultati viſibilis Prælati: ergo non eſt, cur Pontifex ſemper recipere debeat dictam facultatem interpretativam: ſufficítque habere rationem Juſtitiæ, & honeſtatis aliarum virtutum, ſícque eatenus ſaltem habet uſum omnino liberum, & independentem. Hoc autem moraliter eſt habere dominium, cùm talis adminiſtratio à nemine revocari vel limitari poſſit.

6 Denique dato toto, quod vult Navar. adhuc ſtat, per Confeſſarium dari poſſe diſpenſationem, ùt in cauſis aliis datur Pontifici ad tollendos ſcrupulos. Nam propter cauſas longè minores Pontifex diſpenſat cum Epiſcopo Religioſo, dando licentiam teſtandi, præſertim ad pias cauſas: potéſtque amplior dari bene merito de Eccleſia: ergo

ergo creſcente cauſâ, votum omnino tolli poteſt, ſive id compenſando per alia opera pia, ſive quia in tali perſona & talibus circumſtantiis parum refert ad Dei obſequium, an facultas teſtandi detur cum dominio, vel ſine illo.

7 Quartò. Poteſt in dicto voto diſpenſari, quando occurrit juſta cauſa diſpenſandi in toto ſtatu, & voto etiam Caſtitatis. Sic ut cum Rege diſpenſetur, cauſa eſſe poteſt ſolùm, ut regnet, vel ut ſucceſſio ſit: priore modo caſus pertinet ad præcedentem concluſionem; poſteriore verò modo procedunt exempla diſpenſandi cum Religioſo, Moniali &c. quæ fortiùs urgent in Rege. Nam relicto voto, vix poſſet donare ſine ſcrupulo, ſempérque à Papa penderet in adminiſtrandis bonis.

8 Ad c. *Cùm ad Monaſterium.* De ſtat. Mon. reſpondent Innoc, Abb. & alii, ſolùm negari poteſtatem diſpenſandi pro arbitrio. At ſic vel ratio Pontificis non erit ſufficiens, vel Concluſio Pontificis ſolùm eſt, Abbatem non poſſe diſpenſare ſine cauſa. Sermo igitur eſt de Monachatu & diſpenſatione in ſenſu compoſito, & opportunè quidem; quia præmiſerat Pontifex. *Nec exiſtimet Abbas* &c. Et ratio, quàm ſubdit, eſt, *Quia abdicatio proprietatis &c.* docendo nimirum, dictum votum pertinere ad ſubſtantiam Monachatûs integrè conſtituti: ſicque diſpenſare in proprietate, perinde eſſe ac tollere quid intrinſecum de Monachatu.

LIBER IX.

De Voto Caſtitatis.

CAPUT. I.

An Votum hoc ſit licitum, & conſulendum?

1 Primò. Licitum eſt, ſervare perpetuam continentiam. Vel enim eſſet præceptum naturale, quod omnes & ſingulos obliget, vel poſitivum? Non 1um, quia ſolùm eſt affirmativum, ùt eleemoſynæ: ergo ſolùm obligat in caſu vel extremæ neceſſitatis, ùt in principio Mundi, vel gravis, quæ ſolùm duravit uſque ad ſufficientem propagationem ſpeciei; & ad illud tollendum homines per ſe ſatìs propenſi ſunt: unde nec Ethnici damnârunt continentiam; & in Lege ſcripta paſſim ſuppetunt exempla ejus. Non 2dum, quia *creſcite* &c. etiam di-

dictum eſt animantibus; & intelligitur paſſivè propter Benedictionem, ne quis nuptias damnaret, ùt malas, ùt colligit Auguſt.

2 Secundò. Etiam melius eſt ſervare Virginitatem. Ita 1. Cor. 7. ùt omnes Patres, & traditio univerſalis Eccleſiæ ſemper intellexerunt. Mirabiliter autem deſipiunt (ait Auguſt.) qui reſpondent, melius eſſe ad vitam temporalem; nam Chriſtus laudat caſtrantes ſe *propter Regnum Cœlorum*: & Apoſtolus indicat, dare ſe Conſilium, ùt ſupernaturale, *tanquam miſericordiam conſecutus*: nec dicit *utiliùs*, ſed abſolutè *meliùs facit*, addens: *Beatior erit* &c. propter aureolam, ſeu canticum novum Apoc. 14. Sive ergo Virginitas conſideretur, ùt utilis ad ſpiritualia, ſive ùt per ſe amabilis eſt, melior eſt, nam liberat à curis mundi, unit cor Deo, dat otium orandi &c. aliunde hominem corpore & ſpiritu ſanctificat. Denique quod in nuptiis præcipuum eſt, per ſe appetibile non eſt.

3 Tertiò. Bonum & optimum eſt, virginitatem voto conſecrari. Ita Matth. 19. nam juxta propriam & intentam analogiam non dicitur *caſtrare ſe*, qui merè abſtinet, ſed moraliter impotens &c. ergo per votum, ùt Patres & omnes expoſitores intelligunt. Cogítque locus 1. Tim. 5. quia intelligi nequit de fide maritali in vidua; ergo de fide Deo obſtrictâ, ſeu promiſſione, ùt Rom. 3. *Fidem Dei evacuavit*? Idem conſtat exemplo Virginis: *Quomodo fiet iſtud*? Et Philo refert exempla de continentia Chriſtianorum. Idémque per ſe probabile eſt in S. Joſepho, & Joanne Baptiſta, quem ideo Patres habent pro exemplari, & Principe Monachorum.

Ratio eſt; quia Virginitas per ſe bona eſt, & melior quocunque ſtatu repugnante: ergo eſt propriiſſima materia voti: ergo etiam per ſe melior eſt ſervata cum voto, quàm ſine iſto. Nec eſt, cur hæretici rem arguant, ùt temerariam, ſecluſâ certitudine gratiæ; quia aſtruere talem certitudinem de gratia præſente, ſine omni fundamento & vanum eſt, de futura autem ſtultiſſimum. Quòd ſi expectanda eſt revelatio, ergo in fine, vel potiùs nunquam vovendum erit. Nec Chriſtus invitat ad rem impoſſibilem, ſed quam innummeris conceſſit, & concedit orantibus, cùm gratia ejus ſpecialis neceſſaria ſit etiam ad aliquantulùm diuturnam continentiam. Impotentia ergo, quam hæretici cauſant, non eſt, niſi prava voluntas, ùt notat Chryſ. dicens: *Quia nolunt, ideo non poſſunt.* Sicut cùm vulgo dicitur: *Non poſſum hominem aſperum diligere*: eodémque ſenſu accipit Sanctus illa: *qui poteſt capere, capiat.* 4

CAPUT II.

Ad quid obliget Votum ſimplex Caſtitatis?

1 Primò. Prohibet dictum votum (ſermo eſt de integro) non tantùm actum externum in materia neceſſaria, ſed etiam internum deſiderii, vel delectationis moroſæ, ſeu voluntariæ de actu turpi. Eſtque duplex ratio: una, quia actus eſt contra votum; altera, quia verſatur circa perſonam adſtrictam voto, ut ſi carens voto circa Monialem peccet cogitando. Aliqui negant, quòd delectatio participet dictam circumſtantiam. Sed oppoſitum Author habet pro veriſſimo.

2 Secundò. Quantùm ad voluntariam materiam, obligat dictum votum ad non contrahendas nuptias cum animo conſummandi. Eſt de Fide ex 1. Tim. 5. & ſenſu ac uſu totius Eccleſiæ, ipſáque intentione voventium, cùm ſermo nunc ſit de voto integro. Patres congerit Gratianus 20. q. 1. & 27. q. 1. Exceptio unica eſt, ſi præceptum obliget ad oppoſitum, quod morale non eſt, juxta dicta cap. ſuperiore, & licèt agatur de pace publica, converſione gentis &c. vix obligatio tam certa eſſe poteſt, quin neceſſe ſit recurrere ad Pontificem, ut diſpenſet vel commutet. Secluſo autem præcepto, cùm votum teneat, & ſit de re maximè grata Deo, non poteſt privatâ authoritate judicari, quòd oppoſitum ſit melius.

Dices: ſufficere morale periculum incontinentiæ. ℟. Semper remedia alia ſupereſſe, quibus & occaſiones fugiantur, & difficultates ſuperentur; ùt orando, jejunando &c. ad hæc verò remedia quiſque virtute ſe obligat. Nec ad rem eſt illud: *melius eſt nubere* &c. quia ùt patet ex contextu & Patribus, non abſolutè præferuntur nuptiæ, ſed comparatè, & ſub conditione proportionatâ. Melius eſt ergo nubere, quàm labi in incontinentiam, non verò quàm ſervare votum. Tamen ante hoc oportet præmeditari, an ſeriò quis velit, & poſſit votum ſervare. 3

CAPUT

CAPUT III.

An Votum obliget ad non contrahendum matrimonium, ſecluſâ intentione uſûs?

1 Primò. Poteſt ſic contrahi, loquendo per ſe & ex natura voti. Nam vinculum matrimonii non opponitur formaliter Caſtitati, ùt patet in B. Virgine, & quatenus radicaliter ſeu virtualiter opponi videtur, ſolùm eſt per ordinem ad copulam, à qua licitè præſcindi poteſt, & citra fractionem voti, quod non eſt de non contrahendo, ſed de Caſtitate non violanda. Nec obſtant c. *Si vis.* d. 27. c. *Conſuluit.* c. *Rurſus.* qui Clerici vel vov. c. *Voventibus.* 17. q. 1. c. *Nuptiarum.* 27. q. 1. Nam nuptias accipiunt, ùt ordinario modo fiunt, ſive quia præſupponitur voluntas copulæ, ùt voluntas finis ad voluntatem medii, ſive de aliis commodis cogitetur, tamen cum animo diuturnæ cohabitationis &c.

2 Secundò. Citra periculum violandi votum poteſt ſic contrahi matrimonium, ſi cauſa ad id urgeat. Nec enim omnes perinde fragiles ſunt, nec juxta Eccleſiæ ordinationem conjungi ſtatim debent ſponſi ante ſolemnia nuptiarum, nec juſta cauſa ſemper deeſt, ùt patet in legitimatione prolis, in contractu ex metu levi cum intentione ingrediendi Religionem. Quòd ſi abſit cauſa, fit aliqualis injuria; per ſe verò utrinque ſubintelligitur conditio, *niſi ad Religionem tranſiero.*

3 Tertiò. Sic contrahentem neceſſitas urget Religionem in effectu ingrediendi, ſive id ſit immediatè vi voti, ſive vi voluntariæ commutationis. Nam aliàs manifeſto periculo exponitur Caſtitas, ut integrè ſervari nequeat: ergo id detrimentum ſarciri debet æquali vel majore bono. Nec ſolum propoſitum ſufficit; quia id poſſet mutari, reddendo debitum, citra diſpenſationem vel neceſſitatem aliam; quod planè incredibile eſt: ergo de effectu debet eſſe moralis certitudo, conſequenter cum renunciatione Probationis liberæ. Si tamen bonâ fide facta eſt commutatio prioris voti, utì hoc non redit, ita nec poſterius excludit moderationem ſubintellectam ſecundùm Jus & prudentiam.

CAPUT IV.

An Votum ſimplex per ſe & naturâ ſuâ irritet matrimonium ſubſequens?

1 Primò. Per ſe & naturâ ſuâ non irritat. Eſt certa, & omnium Theologorum & Canoniſtarum, & Sumiſtarum, & traditur ab Epiphan. Hieron. &c. adeò, ut Auguſt. de bon. viduit. c. 10. dicat: *Non mihi videntur ſatìs acutè & diligenter conſiderare, quid dicant*, qui tales nuptias vocant adulteria. Ratio eſt; quia promiſſio non eſt donatio, ſed hæc tenet, utpote oppoſita illi, ùt patet in voto eleemoſynæ, ſponſalibus juratis, & ſimilibus per illicitam traditionem violatis.

2 Dein donatio, quam quis addere vult voto, vel fit immediatè Deo, vel homini vice Dei? Non 1mum, quia dominium ſeu donatio ordinatur ad uſum: homo autem non ſe tradit Deo, niſi ut ipſe homo non utatur corpore, ſícque Deo placeat; ſícque totum reſolvitur in purum votum, ùt in eleemoſyna &c. nam ſicut in aliis votis homo ſe habet ad uſum poſitivum, ita hìc ad privativum. Non 2dum, ùt conſtat inductione. Nam ſervus fit Conjux invito Domino, ùt eſt de Jure Gentium; nec oppoſitum induci potuit, ſive ob præjudicium naturæ ſive quia remedium continentiæ competit naturaliter. Certiúſque eſt, neminem ſe vendere poſſe cum conditione inhabilitatis, ſi nubat invito Domino: idémque eſt de impotentia ſic inhabilitandi ſe in gratiam ſponſæ; aliàs ſponſa, Dominus &c. poſſent reſtituere habilitatem, quod abſurdum eſt, & extra omnem uſum, conſequenter & poteſtatem c. 1. de Conjug. ſerv. c. un. de Vot. in 6.

Secundò. Homo non eſt abſolutus Dominus corporis, nec ut alteri ſe tradat ad uſum ejus, vel non uſum, niſi per matrimonium: ſícque hoc ſecluſo, quidquid fit, promiſſio tantùm eſt, non alienatio. Non enim competit dominium corporis in quemcunque uſum, ùt eſt dominium aliarum rerum: & ideo mutilatio ſui licere non poteſt, per ſe loquendo, nec etiam Procuratori cōmitti poteſtas irrevocabilis ad contrahendum. Licèt ergo res aliæ per varios contractus alienari poſſint, tamen ſecùs eſt de dominio corporis ſimpliciter limitato, ùt ſumitur ex fine ejus, qui eſt bonum & conſervatio naturæ: & ideo libertas quidem eſt eo utendi vel non, itémque promittendi &c. non tamen id abdicandi à ſe in obſequium alterius, ſive Civile, ſive Religioſum: ſunt enim Jura diverſorum ordinum, nec unum per aliud impeditur. 3

Ter-

4 Tertiò. Jura antiqua, cùm damnant matrimonium habentis votum, agunt de voto ſolemni. Nam hujus voti uſus fuit ante Innoc. II. ùt facilè ſumitur ex variis Juribus, & maximè ex. d. c. *Ut Lex.* 27. q. 1. Patétque ex differentia voti ſimplicis, & ſolemnis: nam cum illo rectè toleratur conjugium utpote validum, quamvis pœnitentia injungatur, & fortè ſeparatio ad tempus, non tamen perpetua. At cum ſolemni Conjugium tolerare, eſt permittere concubinatum perpetuum, ſacrilegium, ſcandalum, injuriam, & infamiam prolis, cum aliis infinitis incommodis.

5 Confirmatur ex Juribus aliis, quæ objici ſolent, quaſi votum ſimplex inhabilem reddat ad matrimonium. Nam in c. *Quod interrogâſti.* d. 27. clarum eſt, agi de voto ſolemni, quamvis dicatur, quòd femina finxerit ſe Monialem *ſub eodem velamine.* Eccleſia enim non judicat de occultis, quando defectus probari nequit exteriùs. Ad c. *Ex parte.* 2. de Convers. Conjug. dictum aliàs eſt, valuiſſe Profeſſionem. Denique in c. ult. Qui Cler. vel vov. conditio de proprietate tenenda vel ſucceſſu temporis fuit ſublata, muliere in habitu permanente per biennium, ſícque tacitè profitente vel ſolùm fuit de uſu, dependente tamen à conſenſu Religionis: ſícque indecens quidem fuit, at non contra ſubſtantiam Profeſſionis.

CAPUT V.

Ad quid obliget votum ſimplex poſt contractum matrimonium?

1 Primò. Non obligat ad Religionem, per ſe loquendo. Ita Soto, Lop. Cord. Angel. Henriq. Sanch. Nam talis nec Religionem vovit, nec etiam Caſtitatem cum tanto onere mutandi ſtatum: ſicut qui vovit eleemoſynam, & ſua dilapidat, non tenetur cadere ſtatu. Idem ſumitur ex X. Joan. XXII. *Antiquæ.* de Voto, ubi qui ſic vovit, nec ſtatum mutare vult, compelli præcipitur, ſi ſponſa inſiſtat ad conſummandum matrimonium. Idémque decernitur c. *Ex parte.* 2. de Converſ. Conjug. eſto agatur de voto ſubſequente matrimonium. At Eccleſia non compellit ad illicitum, nec Pontifex limitat votum, ſed ſolùm declarat naturam ejus.

2 Secundò. Poteſt ſequi obligatio ad Religionem, ſi ex modo & intentione vovendi Caſtitatem conſtet. Vel enim intervenit formalis & directa intentio non reddendi debitum, vel ſolùm confuſè intenditur Caſtitas? Si 1mum, obligatio eſt ad Religionem, ſive in particulari de ea cogitatum ſit, ſive in generali voluntas ſit implendi votum

modo licito. Nam qui vult finem, vult & medium neceſſarium cognitum; & generalis intentio includit omnia neceſſaria, utut difficilia, ſi præviſa ſint. Si 2dum, explicatur intentio, quantùm fuerit in vovente, conſequenter citra mutationem ſtatûs.

3 Nec enim obligatio eſt ad omne medium poſſibile, ſed ad id, quod moraliter cecidiſſe intelligitur ſub intentionem; ſicque juxta Jura cit. nemo obligandus eſt ad ingreſſum Religionis, niſi de formali vel virtuali intentione ejus conſtet. Unde qui vovet ſine intentione implendi, caret eo ipſo virtuali voluntate negandi debitum; quæ tamen in vovente poſt contractum matrimonium faciliùs repeti poteſt, quàm ſi votum præcedat.

4 Tertiò. Etiam poſitâ virtuali voluntate vovendi Religionem, obligatio non eſt renunciandi Probationis libertati. Nam etiam id conſulere periculoſum foret, propter difficultatem mutandi ſtatum ſimpliciter & in totum abſque prævia deliberatione matura. Imò Epiſcopus citra aliam cauſam poteſt ob dictam difficultatem diſpenſare cum tali quoad conſummationem contractûs.

5 Quartò. Obligat dictum votum ad totam Caſtitatem, quam ſtatus permittit. Conſtat ex c. *Rurſus*. Qui Cler. vel vov. c. *Quidam*. c. *Placet*. de Conv. Conjug. & ex d. X. ibi: *Si Sponſa inſtiterit.* Obligatio enim eſt ad totum, quod ſine injuria conjugis fieri poteſt, ùt ad non petendum debitum, ad non reddendum per bimeſtre, ad non denuo contrahendum. Falsúmque eſt, eſſe improbabile, extingui votum per matrimonium ratum, magis quàm per conſummatum. Denique ſi votum eſt temporale, obligat ſimiliter ad omnia, quæ ante lapſum præfixi temporis ſervari poſſunt, utique dempto ingreſſu Religionis, ùt à fortiori ſequitur ex dictis.

Quintò. Multò minùs votum 6
non nubendi obligat ad non reddendum debitum &c. Nam aliud eſt non contrahere, aliud contractum diſſolvere: de priori eſt dictum votum, non de poſteriori, quia non ſequitur, eum, qui non vult ſtatum matrimonii, excellentiorem velle. Imò ſi non conſtat de formali intentione Caſtitatis, non præſumitur, talem ſe obligâſſe ad non petendum debitum. Nam aliàs ſacrilegus foret fornicando: at finis legis non eo ipſo eſt materia legis; nec ordo, quem dicit negatio vinculi, ſufficit, ut Caſtitas intenta ſit formaliter: ſatíſque eſt, interdicere ſibi viam ad copulam licitam, cùm alia aliunde vetita ſint. Iſte autem eſt finis dicti voti ſecundùm ſe ſpectati, quamdiu non additur intentio extrinſeca, quæ non præſumitur, ne longè difficilior evadat obligatio.

CAPUT VI.

An votum ſimplex habeat vim dirimendi matrimonium ratum?

1 Primò. Voto ſimplici ſolitariè ſumpto non competit dicta vis dirimendi. Conſtat à fortiori ex X. un. Joan. XXII. de Voto, & ex ratione, quæ ibi redditur: *cùm nec Jure Divino, nec per ſacros reperiamus canones hoc ſtatutum.* Nam ſi promiſſio non tollit vim ſubſecuti contractûs, multò minùs tollit jam factum: & ſi promiſſioni ſolemni hoc non competit, minùs ſimplici.

2 Secundò. Nulla traditio etiam pia & Religioſa conjuncta voto, ex natura ſuâ & quaſi vi intrinſecâ diſſolvit matrimonium ratum, ſecluſâ lege poſitivâ, & inſtitutione. Nam ſi id non habet circa futurum, minùs circa præteritum matrimonium, cùm difficilius ſit, rumpi factum, quàm impediri faciendum, & jus acquiſitum, quàm acquirendum tolli. Dein traditio matrimonialis, & traditio ad fines alios, ſunt diverſarum rationum, nec quod una, etiam ſubſequens tradit: imò prior, ſi repugnarent, tolleret poſteriorem, etiam Religioſam, cùm etiam de rato matrimonio procedat illud: *quod Deus conjunxit* &c. utique reſpectu privatæ authoritatis, ſicut vas donatum Petro, non poſſum dare Eccleſiæ.

3 Sin dicas, traditionem non eſſe abſolutam, ſed excipi Religionem; ergo ſimiliter excipi poterit Ordo ſacer, & omnis alius ſtatus pius: ſícque matrimonium per ſe erit diſſolubile, quantùm eſt ex parte contrahentium; quod non ſtat de Jure naturæ: aliàs etiam in lege veteri ſolvi potuiſſet matrimonium ratum. Adde, modum & traditionem, quæ ad ſolvendum ſufficiat, ſolo arbitrio ſic determinari; quia ex natura rei non eſt major ratio de hac, quàm illâ morte metaphoricâ quâ quis mundo mortuus dicitur. Denique conſtat ex praxi Societatis, vota Scholaſticorum non dirimere matrimonium, idque ideo tantùm, quia ſolùm ſimplicia ſunt.

Tertiò. Per Legem Eccleſiaſticam communi Jure contentam, nullum votum, cuicunque ſtatui adjunctum, vim habet dirimendi matrimonium, quod non etiam inhabilitet ad contrahendum. Sumitur ex c. *Commiſſum.* de Sponſal. c. 2. c. *Ex publico.* & c. *Ex parte.* 2. de Convers. Conjug. ubi omnes colligunt, *per votum obſervantiæ Regularis* intelligi ſolemne in Religione approbata. Et de eodem intelligenda ſunt Jura antiqua, quoties ſermo eſt de dicta vi dirimendi, ut c. *Deſponſatam.* c. *De-* 4

creta

creta, cum aliis 27. q. 2. Secùs eſt de voto ſimplici, utut accidentaliter ſolemnizato, ut patet ex d. c. *Ex parte* &c. ubi per *propoſitum Caſtitatis* intelligitur votum ejus ſimplex, quia aſſumptio publica veli ſemper eſt indicium certum voti in Jure, ut conſtat ex variis Juribus. 27. q. 1. & 2. quamvis velum multiplex ſit, nec ſemper ejuſdem modi, ut ſatis ſumitur ex d. c. *Ex parte*, & conſonat c. *De viduis.* 2. 27. q. 1. Denique niſi votum fuiſſet, non erat ratio declinandi virum, quem mulier abominabatur in d. c. *Ex parte.*

5 Quartò. Ex Divino Jure poſitivo nullum ſimplex votum, etiam junctum cuicunque traditioni, ſolvit matrimonium ratum. Nam aliàs etiam ſubſequens dirimeretur c. *Quemadmodum.* de Jurejur. utpote faciliùs impedibile; & femina titulo Religionis ſeparata, poſſet propriâ authoritate habere alium virum, non per diſpenſationem, ſed lege generali. Dein cur non ſimiliter votum Ordinis Sacri, ſaltem juncto ſtatu Epiſcopali? Sic etiam ſuſceptio veli ſufficere debuiſſet in d. c. *Ex parte.* nec in d. X. diceretur, Divino Jure non eſſe ita ſtatutum.

6 Nec dicas, ſolùm mediatè adjungi dictam vim dirimendi ſtatui Religionis, ſi Eccleſia ùt verè Religioſum recipiat. Nam qui hoc volunt, conſequenter addunt vim dirimendi ſubſequens matrimonium. Dein de Jure Divino certum eſt, non eſſe talem annexionem cum Religione in communi, ùt conſtat in Societate; potuítque Eccleſia in ordine S. Joannis unam vim relinquere ſine altera, & de facto dubitatum eſt, an ejus Profeſſio ſolvat matrimonium ratum. Nec ſequitur, idem poſſe fieri de omnibus Religionibus abſolutè, quamvis diviſim, ſeu in ſingulis poſſit; quia eſſet error intolerabilis non providendo in his, quæ generaliter pertinent ad perfectionem: & ita curâ Paſtorum jàm ab initio dicta vis inducta eſt.

Ad Jura, quæ opponi ſolent, jam 7 reſponſum eſt, intelligi non de ſimplici, ſed de propriè ſolemni voto, ùt Trid. ſ. 24. c. 6. tacitè ea interpretatur. Nec Patres, cùm agunt de ſimplici, affirmant vim dirimendi matrimonium ratum, nec etiam excludunt Monachatū per veram Profeſſionem fieri ſolitum, eſto mos in eorum Provinciis non viguerit. Et Athan. ep ad Diacon. loquitur de ſuſceptione liberorum ante Monachatum, ùt poſcit antitheſis de Epiſcopis *Patribus*, non utique poſt Epiſcopatum ſuſceptum.

Exempla etiam Sanctorum parùm urgent. Nam ſponſa Alenii 8 manſit innupta, dicens: *Tot annis propter te vixi ſolitaria, & hodie vidua relinquor*; pluráque refert Metaphraſtes: ſatíſque eſt, caſum eſſe, qui ſuperat legem d. c. *Ex parte* Dein in Juliano & Baſiliſſa conſtat de

de continentia ex mutuo conſenſu, at non de ſolutione vinculi. Denique S. Thecla non alligabatur ſponſo, utpote nolenti cohabitare citra injuriam Creatoris. Alia verò exempla carent ſufficienti fide, ùt eſt illud de S. Joanne Evangeliſta; & adhuc incertius eſt, an ſeparationi acceſſerit votum, ídque ſimplex tantùm.

CAPUT VII.

An votum ſimplex vim habeat diſſolvendi ſponſalia de futuro?

1 Primò. Si votum antecedat, irritat ſponſalia, per ſe loquendo. Nam hæc eſſent de frangenda fide. c. *Rurſus* Qui Cler. vel vov. utique ſeclusâ intentione non conſummandi, de quo caſu ſuprà dictum eſt. Et dato illo, non ſequitur, ſponſalia obligare, niſi urgeat neceſſitas contrahendi propter detrimentum, infamiam &c. quamvis obligatio tunc non ſit ingrediendi Religionem, ſed Caſtitatis tantùm, quoad vi ſtatûs ſervari poteſt, juxta dicta aliàs.

2 Secundò. Si ſponſalia præcedunt, per votum non eliduntur; imò hoc non licet, niſi ſub conditione, ſi pars conſentiat. Ita Palud. Anton. Sylv. Cord. Nav. Abb. Vel enim ſolverentur Jure naturali, vel Eccleſiaſtico? Non 1mum, quia votum non poteſt eſſe de re alteri debita ex Juſtitia, ut patet in reddendo debito matrimoniali, & in caſu eleemoſynæ, éſtque principium in genere certiſſimum, id, quod ſine voto non licet, nec per votum licere, quia non facit, ſed ſupponit licitũ. Non 2dum, quia non allegatur Decretum, & in c. *Veniens.* eod. reprehenditur mulier *propter mentitam fidem.* Nec cùm Patres & antiqua traditio loquuntur de ſolutione vinculi, ſermo eſt de vinculo de futuro, ſed de præſenti, cujus ſolutio ſufficit ad ſtatum perfectionis.

3 Dices cum Angel· Jo. Andr. Rich. Major. Soto, Veracrux, ſemper intelligi exceptionem melioris frugis ℞. In matrimonio rato intelligi propter privilegium publicum, cui privatus renunciare nequit: ſecùs verò eſſe in ſponſalibus. Nam aliàs ſubintelligeretur etiam Sacerdotium, ſtatus meri Converſi, votum contemplandi, Paupertatis &c. Itémque merum propoſitum Caſtitatis; quia non dicit Apoſtolus, *Qui vovit*, ſed *qui non jungit*, *melius facit.* Dein ſine tali exceptione contractus honeſtè fiunt, ut patet in matrimonio conſummato, imò & rato, ſtando in Jure naturæ, & lege veteri: nec aliàs ſponſalia eſſent affirmativa promiſſio, ſed ſolùm negativa, *non ducam aliam;* ſicque ſine ullo fun-

fundamento ſive intentionis contrah entium, ſive Juris naturalis intelligitur exceptio de cœlibatu. Denique dum minus bonum relinquitur propter majus, ſemper eſt in ordine ad eandem Perſonam Promiſſarii: at in voto proximè intenditur utilitas promittentis.

4 Tertiò. Per votum ſubſequens, ſponſalia amittunt vim reſpectu non voventis. Nam eo ipſo fit mutatio, quæ alteri affert grave onus, cùm obliget ad omnia, quæ alteri injurioſa non ſunt, ùt ad non petendum. Unde eatenus fit probabilis oppòſita ſententia ſaltem propter authoritatem; multáque exempla antiqua commodiùs intelliguntur de voto ſimplicis continentiæ, & de ſponſalibus. Quid autem nunc habeat conſuetudo, ex uſu Prælatorum ſumi debet, ſine quorum judicio ſponſalia publica ſolvi non poſſunt, quia non fieret ſine ſcandalo & perturbatione.

5 Quartò. Si ſponſalibus acceſſit copula, vel actus redundans in gravamen ſponſæ, moraliter & practicè admittenda non eſt ſententia de diſſolutione ſponſalium. Suppono enim ſponſam conſenſiſſe ſub ſpe matrimonii: ergo ſi fruſtratur, patitur injuriam; ergo votum, ſi ad hoc ordinatur, eſt de re illicita. Dein ſponſus, ſi vult, poteſt renunciare exceptioni, cùm nihil obſtat: at tunc vult.

Dices: ergo nec poteſt quis tunc 6 ingredi Religionem. ℞. Propter authoritatem legis ſaltem factum tenere, quidquid ſit de licito. Vel ergo damnum aliter reſarciri poteſt, vel non? Si 1mum, obligatio ſolùm eſt indirecta, & ratione nocumenti, ſicut cùm ſponſalia ſunt nulla ob fictionem, ſolùm attenditur reſtitutio ratione damni. Si 2dum, obligatio directè ex facto naſcitur ad reſarcitionem promiſſam, qua ſpoliari nequit ſponſa invita; ceſsátque obligatio voti, ſicut etiam ad eleemoſynam, ſi aliunde orta eſt obligatio reſtituendi, ut rem alienam vel pro damno.

CAPUT VIII.

An poſſit maritus votum Continentiæ, ſine ſua licentia factum ab uxore, irritare?

1 Primò. Quòd, *nullo excepto, vir poſſit omnia vota uxoris irritare*, ùt vult Soto, improbabile & intolerabile eſt. Patet ſaltem quoad Caſtitatem conjugalem, & non denuo contrahendum ex c. *Placet.* de Convers. Conjug. Nec enim ulla ratio prætenſæ poteſtatis fingi poteſt, aut quomodo præjudicet marito talis Caſtitas.

Secun-

2 Secundò. Neque dictum votum irritari à viro poteſt, ùt eſt de non petendo debito. Ita c. *Quidam.* eod. quia dictum votum non ſubjacet marito ob defectum rationis, ſed ratione materiæ tantùm: at vir præcipere non poteſt, ut uxor petat, cùm ad hoc illa ſe non obligârit; certúmque eſt ex conſenſu omnium, ſi votum anteceſſit matrimonium, non poſſe irritari: & ideo ex uſu Eccleſiæ ſemper neceſſaria putatur diſpenſatio. Dein par utriusque poteſtas eſt in præſenti: ergo & uxor irritare poterit mariti votum de non petendo debito; quod nemo fingit.

3 Denique vel attenditur onus, quod ſequitur; vel quies à ſcrupulis? Si 1um, per ſe oneroſum non eſt, quòd pars non petat. Et dato hoc, promiſſio ſolùm fuit de reddendo debito, non de tollenda omni difficultate in petendo: ſtatus autem non excludit meliorem frugem, quoad locus eſt citra injuriam Partis. Si 2dum, ſufficit intelligi deſiderium viri, quia lege charitatis propriâ ſtatûs tenetur tunc mulier ſuccurrere propter periculum pollutionis, quod ſequitur, niſi ſe facilem præbeat. Igitur votum ſolùm arcet petitionem puram, quæ nec ex Juſtitia, nec ex charitate habeat rationem redditionis debiti.

CAPUT IX.

Quid uxor poſſit circa votum mariti; & quid de voto ex mutuo conſenſu?

1 Primò. Votum tale irritari nequit, propriè loquendo. Nam vir & uxor ſunt paris Juris 1. Cor 7. & c. *Si quis primo.* 32. q. 1. ſicque procedunt dicta cap. ſuper. Vel ergo votum eſt de non petendo ex ſe & propter ſe, & quaſi inchoando, vel eſt de non accedendo, donec uxor expreſsè petat, licèt in periculo conſtituta ſit, & ſignificet deſiderium? Si 1um, tenet votum; quia uxor nec ſuper maritum, nec ſuper talem materiam poteſtatem habet; & gravamen, ſi quod ſit, accidentarium eſt. Si 2dum, votum indiſcretum eſt, & vel contrarium vel non conſentaneum ordini Charitatis aut prudentiæ ſervandæ in tali ſtatu; ſicque votum in eo, in quo valet, irritari nunquam poteſt.

2 Secundò. Si pactum interceſſit, ſed ſine voto, ceſſat obligatio Juſtitiæ ad reddendum. Nam conventiones juſtæ, in quibus æquale pro æquali redditur, abſolutè & ſine conditione factæ, ſunt perpetuæ; nec re-

vocantur, eò quòd alter voluntatem ſuam retractet. Solùm ergo intervenire poterit debitum honeſtatis, vel charitatis, ſi alter in periculo verſetur.

3 Tertiò. Si pactum voto firmatum eſt, non juvantur conjuges remiſſione, quamvis pœnitens excuſetur. Si enim renunciant, factum tenet quoad reſtitutionem Juris. arg. c. 2. de Sponſal. ſicut ſi contra votum contrahitur matrimonium. Aliunde autem votum obligat, ut quisque faciat, quod poteſt, pro ſervanda Caſtitate integra, poſſúntque ſi volunt, redeundo ad pactum: ergo, qui facit, quod poteſt, non peccat reddendo, cùm ceſſerit Juri ſuo ad non reddendum.

Nec urget, quod Nav. vult., talem cooperari ſacrilegio. Nam ſi 4
ſciat votum alterius ſine ſuo conſenſu factum, & poteſt & debet reddere debitum, ut expreſsè Soto tenet. Alter enim petit Jus, & actus de ſe licet: malitia autem, quæ additur, eſt valde extrinſeca, nec imputatur reddenti, quod debet. Sic & S. Thom. & multi alii tenent, peccari accedendo ad menſtruatam, quamvis ſecùs eſſe velint de reddente.

CAPUT X.

Quid dicendum de Conjuge vovente de alterius licentia; & an iſta revocabilis ſit?

Primò. Vovens de licentia alteri-
1 us, nec debet, nec poteſt reddere debitum. Non debet, quia alter ceſſit Juri ſuo. Non poteſt, quia ſecluſo Jure petentis, poteſt, & propter votum, debet non cooperari: & ideo idem eſt de eo, qui non vovit; nam eatenus procedit ratio ſuper. cap. facta à Navar. ſive votum ab uno fiat, ſive ab utroque, ſi præceſſit licentia, & res integra eſt.

2 Secundò. Peccat, qui revocat licentiam; & revocatio invalida eſt. Nam conſtat ſolùm agi de redditione: quoad hanc autem Conjuges pares ſunt; ſícque non fit licentia Superioris, ſed renuntiatio proprii Juris; & hæc eſt quædam donatio, cujus materia per votum Deo jam dicata eſt. Secùs autem eſt de Superiore; quia nec renunciat officio Superioris, nec fortè renunciare poteſt, & ideo valet revocatio licentiæ, quam ad vovendum dedit, eſto illicita ſit. At maritus gerit ſe ut æqualem in dicto voto, non ut Superiorem, quamvis in voto reali, & aliis idem ſe gerat ut Superior, retinens Jus regendi, gubernandi, conſequenter & revocandi

ſi.

licentiam c. *Manifeſtum* c. *Quod duo* 33. q. 3.

3 Tertiò. Uxor nec tenetur, nec licitè poteſt acceptare revocationem, quamvis acceptatio teneat. Nam quod ſibi donatum eſt, Deo jam promiſit: ergo per infidelitatem erga Deum ſubijcit id Juri humano. Tamen ſicut donatio rei promiſſæ alteri tenet, ita etiam dicta acceptatio: quâ poſitâ non peccatur contra votum per redditionem, quia nemo peccat ſervando Juſtitiam.

4 Dices: ergo licentia data ante votum revocari non poterit; quod eſt contra omnes. 2. Maritus poteſt eſſe in gravi periculo: ergo ſuccurri poteſt juxta dicta cap. ſup. 3. Jura concedunt repetitionem mariti Profeſſi, licèt mulier voverit Caſtitatem, & viro licentiam dederit. ℟. Ad 1um, aliud eſſe, ſi ceſſio abſoluta eſt, ut cùm recedatur mutuo conſenſu; aliud ſi illa ordinetur ad Votum. Nam priore modo non magìs revocari poteſt, quàm ſi mutua ſit: at poſteriore modo nondum conſummata eſt ceſſio, nec Jus abdicatum, ſed res adhuc integra eſt.

Ad 2dum ℟. In caſu altero retineri Jus, & tempore periculi fieri petitionem tacitam; ſicque non excuſari debitum. In præſenti autem tenet votum integrè: ergo & proprium & alterius periculum vitari debet: & ſi nequeat moraliter, diſpenſationi locus eſt citra aliam cauſam. Ad 3. ℟. Rationem eſſe diverſam; quia nec licentia ſufficiens eſt, nec firmiter acceptata; caſúſque eſt publicus, & alterius difficultatis, cui meritò ſuccurſum eſt, quin Eccleſia ad votum ſimplex extendere id debuerit, aut ullibi extenderit. 5

CAPUT XI.

An præter Pontificem aliquis per poteſtatem quaſi ordinariam, ſeu generalem diſpenſare poſſit in voto ſimplici?

1 Primò. De rigore Juris & rationis non videtur dicta poteſtas competere Epiſcopo. Nam neceſſitas non dat Jurisdictionem: vel ergo eſt à Jure Divino, vel humano? Non 1um; quia licèt detur, Epiſcopos ex dicto Jure habere Jurisdictionem, tamen hujus ablatio, ut fit in voto reſervato, nec eſt nulla, nec illicita vi dicti Juris. Non 2dum, quia in c. *Veniens.* Qui Cler. vel vov. vel ipſe Papa diſpenſat, vel ſolùm committit per particulam *Mandamus.* Inde autem deducere quaſi univerſale Jus, eſt extenſio planè improbabilis, ſine fundamento

to in textu, Jure, & contra communem conſuetudinem Eccleſiæ; imò nec ſpecialis ſeu particularis conceſſio expreſſa eſt, niſi in caſu recurſûs ad Pontificẽ, ùt d.c. *Veniens*.

2 Sin allegetur conceſſio interpretativa; vel eſt ratihabitio de futuro tantùm, vel conditionata, ſi ſciret Pontifex &c. At nec hæc pònit quid in eſſe, nec illa ſufficit, ùt per ſe evidens eſt. Quòd ſi conjecturæ ſint, talem à principio mentem fuiſſe reſervantis; illæ examine egent in re gravi & valde generali, ùt ſaltem moralem probabilitatem, & certitudinem efficiant: quia ſi leves ſunt, non ſufficiunt. At nec indicia facti ſunt de dicta mente Pontificis, cùm deſit & conceſſio ſcripta & ſignum ejus tacitum per conſuetudinem; nec indicia, ſeu conjecturæ Juris, ſeu ex ratione muneris Paſtoralis ſumptæ ſufficere videntur.

3 Nam aliud eſt debitum volendi, aliud voluntas ipſa; nec Lex generalis ceſſat, ceſſante fine ejus particulari; nec quod expedit perſonæ particulari, eo ipſo expedit bono communi; nec reſpectu hujus nimius rigor eſt, quod particulari incommodat; nec denique cujusque arbitrio janua aperienda eſt ad enervandam reſervationem & ſimilia; præſertim cùm nec reſervatio culpæ ceſſet, niſi in neceſſitate extrema, & adhuc additur indicium facti à Trid. nempe conſuetudo. Vel ergo finis legis ceſſat contrariè, vel negativè? Si 1um, Epiſcopi eſt declarare obligationem in dubio. Si 2dum, obſervandum eſt votum ſuperando difficultates, nec curando incommoda extrinſeca.

Secundò. Si in caſu difficilis recurſûs adPontificẽ ſubveniri poteſt voventi ſine abſoluta diſpenſatione, hæc non tenet. Ita convincitur ex dictis; Nam nec Jure ordinario competit Epiſcopo diſpenſatio in reſervatis, neque in d. caſu ex titulo neceſſitatis: ergo ceſſat omne fundamentum, quo firmetur valor tam amplæ diſpenſationis; & communis ſententia indebitè applicatur. 4

Tertiò. Si neceſſaria eſt aliqualis diſpenſatio, poteſt hæc dari ab Epiſcopo, ſi gravis eſt neceſſitas, & difficilis recurſus ad Pontificem. Ita communis Abb. Jo. Andr. Card. Anton. Sylv. Tab. Armil. Ang. Nav. Leſſ. Ledesm. Non enim fit diſpenſatio ſimpliciter, ſed ſecundùm quid: ergo non cenſetur reſervata pro caſu urgentis neceſſitatis, ùt facit. c. *Etſi Clerici*. §. *De adulteriis*. de Jud. c. ult. de Pœnit. & remiſſ. Trid. ſ. 14. c. 4. de Reform. *Ne occaſione reſervationis* &c. Idémque probat conſuetudo. Nam quia occaſiones & pericula, in quibus eſt neceſſaria diſpenſatio ſecundùm quid ſunt frequentes & morales, pertinet ad bonum regimen animarum, ut non omnino eximantur à Jurisdictione Ordinarii, niſi cùm 5

cùm facilis ad Pontificem recurſus eſt.

6 Dices: Licèt diſpenſatio non ſit totalis, ſit tamẽ in Lege: ergo qui in hac diſpenſare nequit, etiam ad unum actum nequit. ℟. Allata pro communi ſententia demonſtrationem non eſſe; per ea tamen explicari, quomodo faciliùs dicta diſpenſatio competere poſſit, utpote non contraria primariæ intentioni Legis, nec aſſeratur ùt per ſe competens, ſed ſolùm ex accidenti, ùt ſi mulier ex dilatione timeat maximum periculum frequentis relapſûs, & amittendi optimam occaſionem matrimonij; vel ſi poſt hoc contractum ſacrilegè, ſit periculum ſæpius peccandi; vel denique ſi periculum mortis ſit abſque legitimatione Filiorum, & fortè cum periculo animæ.

Quartò. Epiſcopus nihil poteſt, 7
ſi neceſſitas ſit diſpenſationis totalis. Nam doctrina communis ſolùm habet, quòd Epiſcopus, ſecluſo ſpeciali Jure, diſpenſare in Lege Pontificia poſſit, quando caſus occurrit frequens: at neceſſitas moralis non eſt, nedum frequens diſpenſationis totalis; & ſola neceſſitas nec dat Juriſdictionem, nec eſt ſignum ejus, niſi accedat conſuetudo, quæ hîc non eſt.

CAPUT XII.

Aliquot dubia circa reſervationem ſimplicis voti Caſtitatis.

1 Primò. Si votum eſt temporale, non eſt reſervatum. Ita communis Pal. Antonin. Sylv. & omnium Summiſtarum. Solùm enim eſt de continentia ſecundùm quid, quia negatio ſimpliciter facta deſtruit omnia, niſi vel ex ſe limitetur ad tempus neceſſarium actui promiſſo, ùt in jejunio, vel ex intentione voventis determinetur; quod ſecùs eſt in materia Caſtitatis ſimpliciter. Solùm additur, attendi in dicto voto perpetuitatem à parte pòſt, & non à parte antè, ùt ſi voti obligatio incipere debet poſt annum, ſufficit perpetuitas objectiva ad reſervationem, licèt deſit ſubjectiva, ſeu incipiens cum ipſo voto.

Secundò. Idem eſt de votis ali- 2
is, ordinatis quidem ad Cœlibatum &c. quin tamen includant votum Caſtitatis ſimpliciter. Exemplum eſt de voto non nubendi, de voto Caſtitatis conjugalis, Ordinis ſacri, tertii Ordinis, non tangendi feminam libidinoſam, non contrahendi niſi cum fœmina, quæ velit caſtè vivere. Nec enim hoc ultimum excludit matrimonium, conſe-

ſequenter nec redditionem debiti, ſed petitionem tantùm: quia ſi pactum acceſſit, ex errore ſubſtantialis objecti proceſſit intentio; vel licèt ſtet pactum cum ſubſtantia, ùt vult Palud. adhuc votum non eſt reſervatum, quia excludere deberet etiam voluntatem nubendi.

CAPUT XIII.

An obligatio ſervandi continentiam Jure Divino annexa ſit Ordini?

1 Primò. Nullus Ordo Sacer ante matrimonium ſuſceptus, reddit vi ſolius Juris Divini inhabilem ad contrahendum. Ita S. Thom. & omnes Theologi, Canoniſtæ, & Summiſtæ, pro comperto habentes, Pontificem diſpenſare poſſe, ùt quotidie fit: at impium eſſet dicere, illum in hoc errare. Nam in tota ſpecie facti, & in re tam gravi & frequenti errare per abuſum poteſtatis, quæ non eſt, gravis error foret, & valde perniciosus Eccleſiæ; præſertim quia non diſpenſat, ùt in re dubia, utendo opinione probabili (aliàs non eſſet tanta frequentia & facilitas) ſed ùt certam habens poteſtatem, ùt in aliis votis; & oppoſitum perinde eſſet, ac diſpenſare cum femina ad Ordines. Denique prætenſum Jus nec eſt ſcriptum, nec traditum.

2 Secundò. Nullum eſt præceptum Divinum, quod obliget Ordinatos ad abſtinendum à nuptiis. Nam aliàs Eccleſia non diſpenſaret, niſi in caſu rariſſimo, & ob cauſam graviſſimam, & ad bonum commune pertinentem. Dein vel præceptum eſſet connaturale & intrinſecè conſequens characterem, vel poſitivè ſuperadditum? Non 1um; quia ſolùm ſequitur obligatio tractandi Sancta ſanctè: at nuptiæ non excludunt gratiam, nec aliud per ſe neceſſarium Miniſterio. Non 2dum; quia nec vi veteris Legis, ùt per ſe conſtat; nec novæ ſcriptæ: nam illud Luc. 21. *Attendite vobis* &c. pertinet ad omnes, ut vitent, quod moralis occaſio eſt peccandi graviter: quoad alia verò Conſilii eſt. Denique traditio non probat Præceptum Divinum; quia etiam continet Præcepta Apoſtolica. 1. Cor. 7.

Tertiò. Non eſt Præceptum Divinum prohibens Ordinatis uſum matrimonii. Nam aliàs inutiliter & periculosè permitteretur uxor; & ideo Eccleſia Græca non prohibet, ùt ſumitur ex Conc. Nicœno poſt Can. 8. in verſione Piſani, & ex Socrat. Sozom. &c. qui referunt 3

runt, Paphnutium Confeſſorem interceſſiſſe decreto contrario intentato. Nec Latina id reprobat, ùt patet c. *Cùm olim.* de Conv. Conjug. & ex Trid. ſ. 24. can. 9. ubi rem totam refert in Legem Eccleſiaſticam.

4 Quartò. Ordinatos in Sacris obligari ad Caſtitatem, non eſt contra Jus Divinum, ſed quid maximè conſentaneum. Nam ſi in aliis tenet votum Caſtitatis, & Sanctum eſt, ergo à fortiori in ordinatis; quia quò ſtatus eſt aptior eorum muneri & actionibus, eò magis eſt conformis Juri & rationi naturali: at ſtatus continentiæ ita convenit & Epiſcopo, qui ad perfectionem tenetur, & Presbytero, ob Sanctitatem Miniſterii, & aliis, quos ante aſcenſum convenit profiteri continentiam. Unde talis ſtatus nec eſt contra Jus naturale, ſed huic maximè conſonat, nec contra Jus Divinum poſitivum ſive ſcriptum ſive traditum, ſed potiùs per Legem veterem adumbratus fuit, cùm non licuit Miniſterium, niſi pro tempore continentiæ, ùt notatur de Zacharia, nec Panes Propoſitionis dari poterant pollutis per copulam.

5 Neque obſtat locus Pauli 1. Tim. 3. & Tit. 1. *Unius uxoris virum*; nam conſtat non intelligi affirmativè, ſed negativè, cùm tunc ſperare non licuerit Cœlibes pro Epiſcopatu, quales optabat Paulus etiam Laicos: ergo ad ſummum inducitur ibi Irregularitas Bigamiæ. Præterea conſtat, nemini fieri vim per dictum præceptum; quia licèt imponatur Epiſcopatus, non tamen Subdiaconatus, per ſe loquendo: propter unum enim caſum induci non debet difformitas in toto. Similiter Religioſis relinquitur optio, ſi frui velint commodis Religionis.

Quintò. Certum eſt, mutationem dictæ Legis non expedire; quidquid dicat Abb. & Palac. ſentiens, Judicium remittendum eſſe S. Sedi; quaſi verò hæc judicium ſuum non dudum interpoſuerit ſatis. Multò ergo majora incommoda ſequerentur ex oppoſito; quia & ceſſaret tantum bónum, quantum eſt ipſe decor tot continentium, & cum cura liberorum non ſtaret cura, quæ debet, bonorum Eccleſiæ: & ideo ipſe Imperator optat, ne conjugati ad Epiſcopatum aſſumantur l. *Non ſemper.* Cod. de Epiſc. & Cler. 6

Unde Eccleſiæ imputari non debent lapſus, quos permittit, quia nec exponit periculis, nec quod in ipſa eſt, quidquam omittit debitæ providentiæ per canones ſuos: præterquam quòd ordinati per ſuámet miniſteria juventur ad exactam cuſtodiam Caſtitatis, ſi illa dignè & devotè obeant. Rurſus nunquam deſunt plurimi, qui ſtatum ſincerè aſſumant, non ex ambitione, avaritiâ &c. & ſine dubio ſemper major pars eſt, quæ quod debet, ſervat. 7

CAPUT XIV.

Quo tempore cœperit obligatio continentiæ in Epiſcopis & Presbyteris?

1 Primò. A tempore Apoſtolorum obſervatum fuit, ut Epiſcopi & Presbyteri jam ordinati, non contraherent matrimonium. Nam quidam Apoſtoli fuerunt Virgines, ùt Joannes, Jacobus uterque, ùt referunt Epiph. Euſeb. Hier. Et Metaphraſtes addit Andream, de Paulo autem colligitur ex 1. Cor. 7. ut notat Ambroſ. dicens: *Nec diceret omnes homines volo eſſe, ſicut me ipſum: ſi enim habuerit uxorem, & hoc dixit, Virgines eſſe voluit.* Idem ſumitur ex conditione & vita Pauli; nam filius erat Phariſæi de ſecta profitente continentiam ad longum tempus juxta Epiph. Adoleſcens autem tempore Stephani fervebat ſtudio Judaiſmi ſupra coætaneos; quod moraliter repugnat cogitanti de nuptiis; multóque magis ſtatus poſterior, quo Deo militans, utique ſe non implicavit negotiis ſecularibus.

2 Exemplum Apoſtolorum, licèt merè voluntarium, ſecuti ſunt primi Epiſcopi, ut Timotheus, Titus, Evodius, Clemens, qui Cœlibes aſſumpti ſunt. De conjugatis conſtat, manſiſſe monogamos, cùm Eccleſia ſemper deteſtata ſit bigamiam: ſatíſque eſt conſtare, quòd nullus laude vitæ celebris contraxerit poſt Ordinationem. Quo verò tempore cœperit obligatio, certò definiri non poteſt; quia nec Canon. Apoſt. habent certam autoritatem, nec Can. 6. Trullan. ùt conſtat ex c. 1. 3. & 4. diſt. 16. Cœpit verò ante Urban. II. c. ult. d. 27. Seu ante annum 1077. ùt patet ex Neocæſar c. 1. uſus ergo non contrahendi ſemper fuit, quamvis ſciri nequeat ritus non ordinandi niſi voventes Caſtitatem.

3 Secundò. Epiſcopi & Sacerdotes poſt matrimonium ordinati tenentur continere, ſecluſâ conſuetudine Græcorum. Eſt de fide certum. Ita enim Apoſtoli & exemplo (*Reliquimus omnia*, utique etiam uxorem) & verbo docuêre, ùt notat Carth. II. tempore Siricii congregatum, & refertur c. *Cùm prætérito.* d. 84. Plura alia decreta antiquorum Conciliorum paſſim extant.

CAPUT

CAPUT XV.

Quæ & qualis ſit ac fuerit obligatio in Epiſcopis & Presbyteris Eccleſiæ Orientalis?

1 Primò. Continentiæ ſtatus etiam in Eccleſia Græca probatus fuit. Conſtat ex teſtimoniis Patrum Græcorum, ùt Cyril. Hier. Epiph. Chryſ. Orig. Euſeb. Greg. Nazian. & Hieron. addit contra Vigil. *Quid facient Orientis Eccleſiæ &c. Si uxores habuerint, mariti eſſe deſinunt.* Unde à fortiori reprobatur. Cajet. volens, licuiſſe poſt Ordinationem denuo contrahere, quod nullo teſtimonio probari poteſt; & c. ult. d. 31. ſatìs intelligitur de uſu matrimonii priùs contracti, ùt ibidem notatur. Regulariter ergo ſervabatur, ut Epiſcopi non ordinarent, niſi promittentes Caſtitatem.

2 Secundò. Obligationem fuiſſe generalem ad continentiam in dicta Eccleſia, dici nequit. Sumitur ex c. *Nicæna* ead. diſt. nam difficile eſt hiſtoriam habere pro apocrypha, cùm eam referant Sozom. Caſſiod. Niceph. & ſufficit, ſaltem ante Nicænum rem fuiſſe liberam. Paphnutius autem, cujus Conſilium refertur, fuit Sanctus Confeſſor, & miraculis illuſtris, ac Conſtantino venerabilis, ùt teſtatur Ruffin. Theod. Niceph. Nec Viri authoritas elevatur, licèt (ùt vult Piſanus) poſtea ſchiſma Meletii ſecutus ſit: nam ſatìs eſt, tempore Concilii fuiſſe Sanctum. Adde, Epiphanium de dicto ſchismate notare Paphnutium Anachoretam; prior autem Epiſcopus fuit &c. Plura alia teſtimonia de dicta libertate ordinatorum reddunt Socr. Gangr. Can. 4. l. *Eum qui* Cod. de Epiſc. & Cler.

CAPUT XVI.

De obligatione, quam habent Diaconi & Subdiaconi, & de antiquitate ejus.

1 Primò. Conſtat utrorumque obligatio ad Cœlibatum, vel ſi uxorati ſunt, ad continentiam perpetuam. Ita tit. de Cler. Conjug. per tot. & Trid. ſ. 24. can. 9. Résque antiquiſſima eſt, nam Diaconi, quantum ad impedimentum contrahendi, ſemper æquales fuerunt Presbyteris, Ordine ſemper habito pro Sacro, conſequenter impediente Can. 27. Apoſt. Nec obſtat c. *Presbyter.* d. 28. quia reticet Diaconum ſolùm quoad pœnam, cùm peccatum Sacerdotis ſit ſcandaloſius. Et c. ult. d. 31. intelligi poteſt de uſu Orientalium in contrahendo cum animo permanendi etiam poſt Ordinationem.

2 In c. *Diaconi.* d. 28. ex conſenſu Epiſcopi conceditur licentia, non quidem ad contrahendum, contrahendum, ſed ad uſum matrimonii. Et ideo dixi *ferè æquales* fuiſſe Diaconos Presbyteris. Concilium tamen, quod ita ſtatuit, Græcum eſt, nec credi debet, rem mero arbitrio Epiſcopi relictam fuiſſe, ſed licentiam ſolùm ex magna cauſa datam fuiſſe. Adde, quòd etiam in Occidente videatur uſus fuiſſe dictæ licentiæ; nam Araus. I. c. 22. habet: *Deinceps* (ergo antè ſecùs erat) *non ordinentur Diaconi conjugati, niſi qui prius converſionis propoſito profeſſi fuerint Caſtitatem.* Quia tamen oppoſitum habetur in Carth. II. quod antiquius eſt, incertum eſt, an univerſaliter receptus fuerit uſus perpetuæ Continentiæ.

3 Alii allegant Can. 5. Apoſt. qui habet: *Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus uxorem ſuam ne ejiciat Religionis prætextu.* Quia ergo textus videtur contraire teſtimoniis aliis Patrum, habent illum pro apocrypho; ſed ſine cauſa. Nam optimè intelligi poteſt iuxta locum Pauli: *Qui ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet &c.* Itémque, Epiſcopum *Filios habentem in omni Caſtitate* &c. non utique quos poſt Epiſcopatum genuerit. Et Greg. ait: *Uxores, quas caſtè regere debent, non relinquant.* Tunc enim fidi poterat Sanctitati mariti, licèt poſtea interdicta fuerit cohabitatio.

Secundò, Etiam quoad Subdiaconos impedimentum fuit antiquiſſimum. Conſtat ex Conc. Rom. ſub Sylv. c. 8. & Can. 27. Apoſt. & Epiph. Hær. 59. Quoad continentiam verò non conſtat ſemper & ubique fuiſſe inductam, ſed oppoſitum patet ex c. 1. d. 31 & c. 4. d. 24. etiam quoad Eccleſias Occidentis: quamvis Greg. indicet, uſum continentiæ in Romana Eccleſia ſervatum eſſe; & ideo eundem induci præcipiat in Sicilia, non ordinando niſi promittentes Caſtitatem d. c. 1. Unde aliud eſt loqui de annexione dicti uſûs ad Subdiaconatum; aliud de computatione hujus inter Ordines ſacros: prius ſine dubio antiquius eſt, ſaltem à tempore Synodi VI. & Greg. I. At poſterius cœpit ſub Urb. II. c. *A multis*, de æt. & qual. jun. c. ult. diſt. 60. & c. 1. & 2. de Cler. Conjug. cùm olim non ob continentiam ſolam, ſed ob habitudinem ad Evchariſtiam Ordo diceretur ſacer. 4

Dicès, Alexand. II. in c. *Epiſcopus.* de Præbend. non præcipere, ut provideatur Subdiacono. ℞. Vel caſu prætermiſſam eſſe mentionem, vel ne Epiſcopus pariformiter gravaretur etiam in Ordine minore perperam collato. Tamen poſtea eadem providentia impoſita eſt Epiſcopo abſolutè & citra exceptionem, ùt conſtat ex c. *Cùm ſecundùm* eod. 5

CAPUT

CAPUT XVII.

An obligatio ſervandi Caſtitatem in Clerico ſit ex voto, vel præcepto?

1 Primò. Eccleſia intendit votum, & ad id obligat ordinandum in Sacris. Conſtat ex traditione Conciliorum & Patrum juxta dicta ſuperiùs, & maximè ex Gregorio I, qui refertur c. 1. d. 31. & c. un. de Vot. in 6. & Joanne XXII. in X. *Antiquæ.* eod. utique ſupponendo, quòd ſolemne ſit verum votum: ſicut hoc ab omnibus dividitur in ſimplex & ſolemne, cum ſubdiviſione hujus in votum Religionis, & Ordinis Sacri. At Eccleſiæ intentio eſt efficax: ergo obligando ad votum; aliàs eo ipſo liceret diſpenſat o etiam ſine cauſa, eſsétque facilior.

2 Secundò. Implicitè fit dictum votum, eo ipſo quòd non excluditur, ſed Ordo bona fide ſuſcipitur, cum animo parendi Eccleſiæ in eo ſtatu ſuſcipiendo. Ita omnes. Nam ideo præmittitur admonitio: & licèt non exprimat promiſſionem, ſatis eſt, ſuſceptionem Ordinis intelligi juxta intentionem Eccleſiæ, conſequenter cum onere, ſub quo ille datur. Imò ſecluſa admonitione, lex ipſa oneris ſatis per ſeſe monet, & aliàs qui non expreſsè vovent, peccarent, deberétque peti Profeſſio externa, cùm merè interni non præcipiantur. Sicut ergo in Religione ſufficit Profeſſio, ita hîc promiſſio tacita.

3 Tertiò. Qui Ordinem ſuſcipit cum expreſſa voluntate contraria, ſeu nolendo vovere, quamvis graviter peccet, non vovet, quamvis ordinatus maneat. Conſtat non fieri votum, cùm de hujus ſubſtantia ſit voluntas obligandi ſe &c. ſtat tamen intentio ſuſcipiendi Sacramentum: ergo licèt iniqua ſit, tamen ſi cætera neceſſaria, materia, forma &c. concurrunt, Sacramentum tenet. Supponitur autem, talem velle ordinari; quia intentio non vovendi non excludit neceſſariò voluntatem Ordinis, & ordo ſine voto eſſe poteſt: ſicque objecta ex ſe ſeparabilia ſunt.

4 De peccato ſic ordinati conſtat: nam & omiſſio ſacrilega fit voti ſacri, & ſuſceptio ſacrilega Sacramenti citra diſpoſitionem debitam, & infidelitas mendacii pernicioſi, quaſi contra pactum. Inde autem ſequitur obligatio reſtituendi, quia Eccleſia non obligat præcisè pro fieri ſtatûs, ſed pro conſervari potiùs, nec eſt terminus finiendæ, ſed non differendæ obligationis. Contrahitur etiam impedimentum Ordinis, utpote ab omnibus diſtinctum ab impedimento Voti,

ut ſatis ſumitur ex c. 1. & 2. ipſáque Rubrica Qui Cler. vel vov. quia formaliter & proximè ſtatuitur ab Eccleſia, quamvis mediante voto vero vel præſumpto.

5 Præterea ſic ordinatus mala fide, fit ſacrilegus fornicando, eſto non voveat. Nam nec voluntas deeſt Eccleſiæ, nec poteſtas obligandi ſub ea ſpecie, ut à pari ſumitur de Impedimento, & in furto Eccleſiæ, & in percuſſione Clerici. Et decreta antiqua abſolutè prohibent Ordinati peccatum, tanquam grave ſacrilegium; ſicque rectè occurritur fraudi. In praxi tamen conſtat aperiri debere peccatum omiſſivum voti, ſeu dilationem hujus, & in facie Eccleſiæ peccantem haberi pro ſacrilego.

6 Quartò. Impubes ordinatus, perinde ut alii, ligatur: ſecùs ordinatus ante uſum rationis, aut per metum cadentem in conſtantem virum. Nam impuberem etiam alia vota ligant, & præſens irritari à Patre nequit, cùm Lex neminem excipiat ab impedimento, idémque potiùs ſupponat quàm reprobet c. *Pueri* 1. q. 1. quod Abb. objicit. Nam ſecluſo voto, periculum cadendi, de quo ibi ponderatio fit, per ſe ceſſaret. Argumentum à Profeſſione eſt à diverſis, & illa irritari poteſt, non Ordo; nec votum nunc teneret, niſi poſt 16. ætatis annum.

7 Alia ratio eſt de infante; nam Eccleſia onerari non vult, niſi voluntariè ſuſcipientem Sacramentum: vel ergo talis pro ſemper abſtinere vult Ordine, vel non vult? Si 2dum, eo ipſo voluntariè ſubit onus. Si 1mum, conjugium conceditur. Idémque eſt de paſſo metum juridicè gravem; quia Lex Eccleſiæ per ſe loquendo, non obligat cum probabili vitæ periculo, aut æquivalentis nocumenti; aliàs nimis dura foret obligatio, & citra neceſſitatem. Sicut autem non obligat Eccleſia ad vovendum, ita nec ad Caſtitatem, cùm hæc juxta omnia Jura ſit Conſilii, non præcepti. c. *Integritas* 32. q. 1. & licèt affinitas &c. citra culpam contrahatur, non tamen impedimentum abſolutum. 8

Dices: Baptizatus ex metu tenetur ad Religionem Chriſtianam: ergo idem eſt de ordinato ex metu, ut tenet Tolet. VIII. 2. Idem dicendum de Profeſſo ex metu, & ſuſcipiente Ordines. 3. Quid erit de ordinato cum proteſtatione contra votum? Ad 1mum ℞. & baptiſmum, & quod conſequitur, eſſe Legis Divinæ omnibus latæ. Similiter autem lex Ordinis ferri potuiſſet, loquendo abſolutè, ut fortè fecit Concilium provinciale, quamvis uſu receptum non ſit. Ad 2dum ℞. Metu continuato nec Profeſſionem, nec Impedimentum tenere. Sin metu non continuato, Ordo ſuſcipitur, tenet Impedimentum, non Profeſſio, quia per Ordinem ficto titulo ſuſceptum, nec verè, nec præſumptione Juris ratificatur. Ad

3tium

ſtium R. proteſtationem nec tollere, nec addere obligationem. Sin ex ignorantia fit, quaſi ſic per diſpenſationem Epiſcopi tacentis vitetur onus, hoc voluntarium non eſt; ſicque ſtat optio ſtatûs tenendi, vel non.

CAPUT XVIII.

Quibus modis peccare poſſit contra Votum ordinatus in ſacris ante matrimonium?

1 Primò. Matrimonium à tali contractum, eſt nullum. Conſtat ex c. 1. & 2. Qui cler. vel vov. & c. un. de Vot. in 6. & c. *Ut Lex.* 27, q. 1. Sicut autem Laicus graviùs peccat contra votũ contrahendo, quàm fornicando, ita à fortiori Subdiaconus &c. Porro initium hujus irritationis incertum eſt. Urban. II. enim, qui 40. annis præceſſit Innocentium II. meminit ejuſdem Inſtitutionis c. *Preſbyteris.* 27. diſt. & ùt antiquioris. Contingere tamen potuit, ut ſimul & prohibitio & irritatio induceretur.

2 Secundò. Sic peccans excommunicatur ipſo facto, additâ pœnâ privationis Beneficii. Prior pœna conſtat ex Clem. un. de Conſang. & affin. altera ex c. *Decernimus.* d. 28. Et hanc ipſo facto incurri vult Abb. propter c. 1. de Cler. Conjug. ne pejoris conditionis ſit Clericus in minoribus, & validè ac licitè contrahens. At in d. c. *Decernimus* non ponitur particula *ipſo facto*: ergo ſatis eſt privationem fieri per ſententiam hominis. Nam argumentum à ſimili ex d. c. 1. nullum eſt in materia pœnali, nec etiam à ſimili; quia Clericus in Sacris in pœnam privatur, & alter ob incapacitatem; ſicque ſecùs erit, ſi ejus contractus eſt irritus, ùt tenet Card. & alii apud Covar.

Nam talis nec *accipit uxorem*, ùt 3 textus in proprietate poſcit ad privationem, nec ad *retinendam* illam compelli poteſt: ceſsátque ratio reatûs, quòd ſerviat Beneficio, & uxori. Et aliàs privabitur etiam ſciens nullitatem, quia verba ad utrumque caſum aptantur, cùm in neutro ſit incapacitas. Nec privatio fit propter ſolum affectum & propoſitum, ùt patet de merè interno, ſed propter ipſum matrimonium; quia non refert, actum externum accedere, ſi inefficax eſt, ùt in Impubere, cùm ùt huic, ita alteri lex reſiſtat. Denique nec renunciatio efficax eſt; quia veriſimile non eſt, quòd quis utroque commodo privari velit; quidquid ſit de c. *Eum qui.* de Præb. in 6. Nam argumentum eſt à diverſis, & in re pœnali propter delictum uſurpationis, cùm titulus privandi ſit hîc incapacitas.

Ter-

4 Tertiò, Clericus in Sacris, ſecluſo ſacrilego contractu, maximè punitur ob concubinatum. Ita latè dictum eſt tom. 5. in 3. par. tùm de Irregularitate, tum de Suſpenſione; conſtàtque ex c. *Si Clerici.* de Judic. c. *Veſtra.* c. *Quæſitum.* cum aliis de Cohab. Cler. & mul. & Trid. ſ. 25. c. 14. de Reform. quamvis pœnæ ferendæ ibi impoſitæ ſint, non latæ ipſo Jure, demptâ privatione tertiæ partis fructuûm, quæ tamen poſcere videtur ſententiam declaratoriam. Dicitur autem concubinarius, non qui frequenter labitur cum diverſis perſonis, ſed qui ad turpem uſum certam fœminam deſtinatam, & ſpeciali amicitiæ fœdere conjunctam habet, quacum pravam conſuetudinem exercet.

CAPUT XIX

Ad quid obligetur, vel quomodo peccet Clericus in Sacris, vivente uxore?

1 Primò. Si licita eſt Ordinatio, votum operatur, quod aliàs in Cœlibe. Nam & inhabilem reddit ad denuo contrahendum, & integrè obligat ad Caſtitatem, etiam ad non reddendum debitum. Cohabitatio tamen, ſequeſtrato cubiculo, permittitur, ſi uxor ſexagenaria eſt. c. *Volumus*, d. 81. quamvis oppoſitum ſuadeatur ob periculum qualecunque, & exemplum, de quo Greg. Dial. c. II. Pœna autem ſacrilegæ copulæ eſt depoſitio, ſicut ſi Sacerdos cum Moniali peccat. De Irregularitate alibi dictum eſt.

2 Secundò. In illicitè ordinato votum omnia operatur, demptâ redditione debiti. Conſtat enim, hoc peti non poſſe, ſtaréque impedimentum contrahendi, & ſolùm excipi poſſe, quod tenderet in injuriam Conjugis, quæ ſine culpa vel conſenſu non poteſt privari ſuo. Si autem authoritate Judicis fit perpetuum divortium; ergo nihil obſtat integræ obligationi voti c. *Agathoſæ*, 27. q. 2. Idem eſt, ſi Ordo ſuſcipitur cum intentione ſolvendi matrimonium ratum per Profeſſionem. c. ult. de Temp. ord. in 6. ibi: *volenti Religionem intrare, aut ad ſacros Ordines promoveri, prout eſt Sacris canonibus definitum*: ſicque dicta intentio neceſſaria eſt, quia aliàs & ſacrilegium eſt velle conſummare, & non velle injuria. Oportet ergo ſervare cautelas neceſſarias in dicto caſu, de quibus ſuprà, & quia actus eſt publicus, authoritate Epiſcopi definiendum erit, quid facto opus ſit ad tollendum ſcandalum.

3 Tertiò. Seclusis dictis caſibus neceſſarius eſt conſenſus Conjugis, iſque expreſſus. Conſtat de conſenſu ex c. *Quidam*, cum aliis de Convers. Conjug. quia aliàs clara foret injuſtitia. Nec hîc taciturnitas

haberi

haberi poteſt pro conſenſu præſumpto; quia in præſenti nec eſt favor, nec etiam obligatio contradicendi expreſsè: unde enim? Solùm ergo mulier ſe non defendit, injuriam patiendo, præſertim ſi intervenit timor, vel ignorantia c. *Accedens.* c. *Veniens.* eod. Idem à fortiori convincitur ex dicendis.

4 Quartò. Ultra dictum conſenſum requiritur, ut uxor continentiam profiteatur voto ſolemni per ſe loquendo. Ita c. 1. c. *Conjugatus.* eod. præſertim junctâ lect. integrâ ex Conc. Lateran. Et aliàs onus zelandi pro uxore eſſet graviſſimum, & valde diſtrahens à Miniſteriis: ergo rectè ponitur *pariformis converſio, cùm incongruum ſit, partem converti, & partem in ſæculo permanere.* Exceptio tamen fit, ſi ob ſenectutem uxoris excluditur ſuſpicio: quia tunc ſufficit votum continentiæ. c. *Ad Apoſtolicam.* c. *Significavit.* eod. Quod non extenditur ad alios caſus ceſſantis ſuſpicionis, cùm ſit particulare & extra conſiderationem Juris; imò de Conjuge Epiſcopi excluditur exceptio c. *Sanè* eod. propter eminentiam Dignitatis.

CAPUT XX.

An in votum Ordinis Sacri cadere poſſit Diſpenſatio?

1 Primò. Indubitanter dictum votum diſpenſari poteſt & antecedenter & conſequenter. Ita S. Thom. Soto, Arag. quamvis de Profeſſione secùs ſentiant. Nam potuit Eccleſia non annectere dictum votum, ùt in Græcis fit: idémque à fortiori eſt de impedimento contrahendi. Rurſus ſingula iſta vincula laxari poſſunt: at ſimul juncta non faciunt unum vinculum intenſivè majus, neque propter concurſum elevantur extra vel ſuprà ordinem proprium, ut poteſtati Petri ſubtrahantur.

2 Secundò. Per Diſpenſationem, licèt deſit cauſa, tollitur impedimentum, non tamen votum. Conſtat, ut juſta diſpenſatio ſit, requiri majorem cauſam, quàm in diſpenſando voto ſimplici; neque in voto diſpenſari poſſe ſeclusâ juſtâ cauſâ: ergo eo ipſo poſt ſublatum impedimentum ſine juſta cauſa, validè contrahitur matrimonium, non tamen licitè, quia obſtat Votum.

Dices, Votum quaſi per irritationem tolli propter ſubintellectam conditionem *Quamdiu Eccleſia, quæ impoſuit, voluerit*; ſicut Votum Religioſi tollitur. ℞ Decreta omnia pariformiter loqui de dicto voto, ùt de alio c. un. de Vot. in 6. X. *Antiquæ.* eod. Nec enim in Clericum Pontifex habet ſpecialem poteſtatem Dominativam, 3

vam, præter generalem Juriſdictionem in omnes Chriſtianos juxta cujuſque ſtatum; At Votum Religioſi non ex ſpeciali intentione, ſed ex natura ſtatûs, & ſubjectionis voluntatis ſemper pendet à poteſtate Superioris: cùm ergo Eccleſia à Clerico votum exigit, tale petit, quale ab eo fieri poteſt, conſequenter abſolutum; nam aliud intendi nec eſt veriſimile, nec cedit in ædificationem, ſed deſtructionem.

4 Tertiò. Inter Latinos nec per abrogationem dictæ legis, nec etiam per diſpenſationem, moraliter loquendo concedi poteſt uſus Ordinis. De Græcis conſtat ex c. *Cùm olim.* de Cler. conjug. ubi Abb. putat, idem expedire in Latinis. Sed exceſſit, peccata quorundam attendendo, non verò commoda infinita Cœlibatûs, & contraria libertatis incommoda. Abrogatio igitur dictæ Legis non habet cauſam legitimam, cùm ad hanc pravi mores quorundam non ſufficiant. Licèt autem juſtè diſpenſetur in voto & impedimento, etiam ex cauſa privata (dummodo compenſetur bonum Caſtitatis, & æquale incommodum, quod in Ordinem ſacrum redundat) non tamen permiſſo uſu Ordinis, niſi fingas penuriam Miniſtrorum.

CAPUT XXI.

Quàm ſit antiquum Votum ſolemne Religionis, & dirimens Matrimonium?

1 Primò. Solemnitas dicti Voti non poteſt refundi in Jus Divinum naturale. Nec enim oppoſita opinio Soti & Cajetani ſibi conſtat; non illius: quomodo enim vult Milites S. Joannis inhabiles fieri ex ſolo ſtatuto Eccleſiæ? non hujus, cùm aliàs dicat, ſolemnitatem eſſe ab Eccleſia. At in c. *Ut Lex.* 27. q. 1. clarè æquiparantur Votum Ordinis & Religionis, dicendo, Copulationem, quam *contra Eccleſiaſticam Regulam conſtat eſſe contractam*, Matrimonium non eſſe cenſendum. Et ſi traditio corporis per Profeſſionem ex natura rei facit inhabilem juxta Cajet. ſimiliter dicetur, per Ordinem fieri traditionem ad obſequia Dei repugnantia matrimonio, ſicque ex ſe ſufficere ad inhabilitandum; quod conſtat eſſe falſum.

Secundò. De fide conſtat, dictum Votum, cùm in Religione approbata fit, reddere inhabilem. 2
Conſtat ex c. un. De Vot. & X. un. Joan. XXII. eod. & Trid. ſ. 24. can. 5. Clem. un. de Conſang. & Affin. Et ſaltem à tempore Innoc. II. generaliter ſic obſervatum fuit, cùm oſtendi nequeat d. c. *Ut Lex.* antiqua-

tiquatum vel derogatum eſſe: præ-præſertim quia Innoc. vixit anno 1140 & ſeculo ſequenti introducti ſunt Ordines Mendicantes.

3 Tertiò. Ex ſola ratione, vel natura ſtatûs Religioſi non poteſt oſtendi, rem hanc eſſe antiquiorem. Nam vi d. c. un. eſt ex ſola inſtitutione Eccleſiæ: & dato, eſſe ſermonem de ſolemnitate extrinſeca tantùm, tamen ſermo eſſe debet de ſolemnitate, ſine qua ſtatus non acceptetur ab Eccleſia; alioquin impertienter ſe habet ratio, quòd ſolùm ſolemnia ſint, quæ ab Eccleſia habentur talia. At tunc etiam nequit oſtendi, quando Profeſſio cœperit non acceptari, niſi ùt ſufficiens ad irritandum. Rurſus in d. c. un. ſermo eſt de Profeſſione in Religione approbata, utique juxta c. ult. de Rel Dom. ùt notat Gl. ab omnibus recepta. At in d. c. *Ut Lex.* abſolutè ſermo eſt de omnibus Monachis: num ergo hi ſinguli ante Innoc. II. fuerunt inhabiles, omnéſque Congregationes approbatæ?

3 Quartò. Ante Innoc. II cœpit dictum votum ſolemne eſſe. Nam æquiparatur voto Ordinis, quod utique jam antè habuit vim dirimendi. Rurſus idem conſtat ex ſeparatione Monachi, quæ præcipitur, ùt ſimiliter præcepta eſt ab Innoc. I. Greg. & pluribus Conciliis apud Grat. 27. q. 1. Unde quia non obſervabatur, denuo ſtatui cœpit; ſicque particula *cenſemus*, cùm ratio cenſendi antiqua adducitur, eſt declarativa tantùm. Denique ſeparatio perpetua indicat nullitatem matrimonii. ùt c. ult. Qui Cler. vel vov. c. *Preſbyteris.* d. 27. Conc. Turon. II. cap. 16. & per plura capita 27. q. 1. Pœna enim eſſet duriſſima, & periculoſa, & ſæpe involveret innocentem, cùm Jura nihil diſtinguant, & præſumptio ſæpe elidi poſſit.

Dices. ergo res reduci debet uſque ad tempora Apoſtolorum, juxta regulam Aug. l. 4. de Bapt. c. 44. *quod univerſa tenet Eccleſia, nec Concilii inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi Apoſtolica authoritate traditum rectiſſimè creditur.* Quæ regula, ſi poſitiva oſtenſio petitur, planè deſtruitur. ℟. Obſtare loca alia, in quibus poſt votum violatum, actámque pœnitentiam, permiſſus eſt ſtatus Matrimonii. ùt c. *Quotquot Virginitatem.* & c. *De viduis.* 2. 27. q. 1. Nec in re incerta dici aliud poteſt, quàm veriſimile eſſe, quòd Epiſcopi, quorum olim erat inſtituere Religionem, alii dicto voto adjecerint impedimentum dirimens, alii non. 5

CAPUT XXII.

Votum ſolemne Caſtitatis Religioſæ vim non habere ſolvendi matrimonium ratum & conſummatum.

1 Conſtat veritas ex Mat. 19. & 1. Cor. 7. c. *Sunt qui dicunt.* cum alijs 27. q. 2. & tit. de Conv. Conjug. per tot. Nec enim mors civilis æquiparatur naturali quoad omnes effectus, ſed Jure expreſſos, ùt notat Bart. cum gl. in c. *Suſceptum.* de Reſc. in 6. & gl. c. *Placuit.* 16. q. 1. Repugnátque dicta ſolutio Juri naturali, & ſpecialiter perfectæ ſignificationi Sacramenti matrimonii: unde nec Deus, utendo præcisè poteſtate Gubernatoris, & ordinariâ; ſolvere poteſt dictum vinculum: nec Eccleſiæ poteſtas extenditur ad omnia, quæ Deus facere poteſt de potentia abſoluta, & ſupremo dominio.

Igitur facta quorundam aut ignorantiæ imputanda ſunt aut ſpeciali motioni Spiritûs Sancti. Nam odium uxoris &c. ſi intelligitur Luc. 14. Mat 10. de omni Chriſtiano, non præcipitur, niſi ùt conſentiendo uxori repugnatur Chriſto. Sin intelligitur de Diſcipulo quoad Conſilia, ſuadetur odium etiam in his, quæ perfectioni repugnant, amando uxorem: Perfectio autem ſupponit obſervantiam Præceptorum: ergo ut uxor non privetur ſuo Jure; ſicut nec Pater, nec Filius relinqui poſſunt ſine ſubſidio, quo graviter egent. 2

CAPUT XXIII.

An dictum Votum vim habeat ſolvendi matrimonium ratum?

1 Primò. Conſtat de fide, ſic ſolvi matrimonium Ita Trid. ſ. 24. can. 6. c. 2. c. *Ex publico.* c. *Ex parte* 2. de Conv. Conjug c. *Commiſſum.* de Sponſal. c. un. de Vot. in 6. & d. X. un. Joan. XXII. eod. & ex uſu Eccleſiæ, quo fit, ut relictus in ſæculo contrahat denuo. Non enim duas ſimul habere poteſt c. 1. cum aliis. de Spon. duor. & Trid. ſ. 24. can. 2. Falſum autem eſt, declarari nullitatem ob defectum intentionis: nam & pugnat cum verbis Trid. d. c. 6. & eſt per ſe vanum, quis enim revelat dictum defectum, imò regularem falſitatem? & quomodo ſecutâ conſummatione, ſtatim fit verum matrimonium?

Rurſúmque eſt falſum, irritari matrimonium antecedenter, & depen- 2

pendenter à propoſito melioris frugis. Nam Sacramenta nec ita pendent, nec pendere poſſunt ab eventu futuro. Et talis inſtitutio eſſet magis ſacrilega, quàm in privata perſona ſit ſuſpenſio actûs : ergo & error intolerabilis in Eccleſia. Denique ſicut propoſitum haberi poteſt poſt contractum, ita & antè, ùt conſtat ex c. *Commiſſum.* Ubi clarè ſupponitur veritas contractûs ; aliàs Juramentum non impleretur.

3 Secundò. Vis ſolvendi matrimonium ratum non ineſt dicto Voto ex natura rei. Vel enim propter mortem civilem Profeſſi, vel propter ſubintellectam conditionem melioris frugis, vel propter formalem repugnantiam Profeſſionis & matrimonii ? Non 1um ; quia quod dicta mors ex natura rei non habet, habere nequit citra adminiculum Juris, atque adeò extra caſus Jure expreſſos. Non 2dum, quia aliàs idem eſſet in donatione profana, in matrimoniis Legis veteris (paria enim ſunt cum noſtris quoad naturalia) in Voto Clerici in Sacris, in Matrimonio etiam conſummato. Nec enim traditio fit per copulam, ſed antè ; aliàs à rato priore non diſſolveretur poſterius conſummatum. Denique cur ſolùm exceptio frugis antonomaſticè talis ſubintelligitur ? Si enim voluntaria eſt contrahenti, quælibet poni poterit. Non 3ium ; aliàs rueret Profeſſio, ut contractus poſterior, ut in omnibus aliis contractibus per priorem ſequens traditio fit irrita. Idémque eſt in obligatione, ut in duplici donatione, Juramento, duobus ſponſalibus.

Aliud ergo eſt, utrumque vin- 4
culum licitè non aſſumi ſimul ; aliud, unum per aliud excludi. Prius fit etiam in ſervo Profeſſo contra voluntatem Domini, & univerſim, quoties mutatio fit in his, in quæ alius jam habet Jus acquiſitum. Rurſus aliud eſt, duò vincula obligare ad actus inter ſe repugnantes; aliud vincula ipſa repugnare : hoc enim ex illo non ſequitur, ut patet in naturalibus, & moralibus, ut in contrahente Matrimonium poſt Votum ſimplex, in Profeſſione conjugati factâ ſine conſenſu relictæ. Rurſus ſicut cum Voto Clerici in Sacris ſtat matrimonium ratum, ita cum Profeſſione habente effectum formalem eundem, quem dictum Votum, ſtaret. Exemplum de Calice non obſtat, quia Conſecratio hîc nihil eſt, quàm promiſſio & oblatio : at neutra ſeorſim ſufficit, nec etiam ſimul juncta ad irritandum matrimonium ex natura rei, ut aliàs dictum eſt.

Tertiò. Vis dicti Voti non eſt 5
immediatè ex Jure Divino poſitivo. Si enim Chriſtus annexuit iſtam vim, cur non & alteram ad inhabilitandũ ? Cur illa ſine iſta nullibi viſa vel

audita eſt? Dein vel omni Voto ſolemni annexa eſt dicta vis? ergo & Voto Clerici: vel non omni, ſed ſolemni ſimpliciter, ut ajunt? ergo perinde eſt ac dicere, quòd ſic ſolemne ſit ab Eccleſia. Secluſo enim hujus ſtatuto nulla proprietas ſtatûs Religioſi fingi poteſt, à qua ſeparari non poſſit dicta vis, ut conſtat in Votis ſimplicibus Societatis: & ſi Chriſtus non prohibuit, cur negatur poteſtas ſeparandi? Cur Eccleſia non poſſit etiam in matrimonio rato poſcere conditiones, quas in conſummato, ſaltem in aliqua Provincia &c?

6 Confirmatur; quia ſi Eccleſia hîc nil poteſt, cur in d. X. dicitur: *Nec per ſacros canones?* Cur non eadem vis eſt in dictis Votis ſimplicibus, in caſu d. c. *Ex parte*, in Voto Clerici in Sacris, Eremitæ &c. in ſtatu Epiſcopi? Fatendum ergo neceſſariò eſt, licèt Chriſtus voluerit ſolutionem fieri per aliquem ſtatum, determinationem reliquiſſe Eccleſiæ. Sicut ergo hæc poteſtatem habet in cæteros contractus, imò & juramentum relaxandum, invitis partibus, ita etiam in matrimonium ratum; quia particulare incommodum quaſi nihil reputatur in cauſa publica & pietatis. De conſummato autem ſecùs eſt, & ex vi contractûs propter injuriam naturæ & prolis, & ex vi Sacramenti. c. *Debitum.* de Bigam. & de eodem ſonat pronibitio Chriſti: *erunt duo in carne una*; quia unitas hæc & commixionem poſcit, & mutuam poteſtatem; nam cum meretrice minor unitas eſt.

CAPUT XXIV.

Quo tempore cœperit dicta vis dirimendi matrimonium ratum?

1 Primò. Extat de dicta vi decretum antiquiſſimum. c. *Deſponſatam.* 27 q. 2. Nam licèt verba non cogerent, communis tamen conſenſus interpretum illud accipit de ſponſalibus in præſenti. Dein ex particula *licet* colligitur, rem eſſe antiquiorem dicto Canone Euſebii Papæ; aliàs hic dixiſſet *liceat.* Eodémque modo accipitur c. *Decreta.* ead. cau. & q. quod eſt Gregorii.

2 Secundò. Ex factis antiquis Sanctorum non poteſt ſumi dicta vis dirimendi matrimonium. Nam planè apogryphum eſt, quod allegatur de nuptiis Joannis in Cana Galilææ, quia nec eſt, qui vicinus tempori Apoſtolorum id referat; nec factum præſumitur de adoleſcente, imò puero; nec cadit in perfectam Apoſtoli virginitatem, ob quam ſpecialiter dilectus fuit; nec facit, ut Chriſtus ſic probaverit

rit matrimonium. Similiter Chriſtus nec cum uxore Apoſtoli Petri uſus eſt poteſtate excellentiæ, ſed ſuaviter diſponendo omnia, & eandem cum viro ad continentiam vocando.

3 S. Thecla receſſit à non baptizato (ùt refert Ambr.) nolente cohabitare ſine injuria Creatoris; præterquam quòd Paulus potuerit diſpenſare, ùt per Votum ſimplex (ſtatum enim Religioſum fuiſſe, doceri nequit) ſolveretur matrimonium, ùt à Greg. XIII. factum eſt citra ingreſſum Religionis, teſtante diplomate ejus proprio. In Iphigenia præceſſit Votum, ob cujus obſervantiam interfecta eſt; & S. Cæcilia contraxit poſt Votum ex præſcientia integritatis, cùm non conſtet de ſolutione ſtatûs. Denique exemplo eſſe nequeunt S. Alexius & Macarius; nam ſolùm oſtenſum eſt, Deo placere, quòd modus inſtituatur legitimè aſcendendi ad ſtatum perfectiorem

4 Tertiò. Eccleſia rectè annexuit dictam vim Voto potiùs Profeſſi quàm Clerici in Sacris. Nam Monachus eſt in via perfectionis, mundo mortuus, & penitus abſtractus à ſeculo: at ſecùs eſt de ſtatu Clericali, qui vel jam ſupponit perfectum, ùt in Epiſcopo, vel multa impedimenta habet, quæ diſtrahant à cura perfectionis.

CAPUT XXV.

Expediuntur aliquot dubia, quæ ex dictis oriuntur.

1 Primò. Intra bimeſtre aut ingreſſus Religionis ſequi debet, aut redditio debiti. Ita c. *Ex publico*, de Conv. Conjug. junctâ opinione communi, & fortè ipſo uſu. Quanquam arbitrium Judicis excludi nequeat, cùm & res gravis ſit, quæ deliberatione egeat, & vocatio ſubſequi poſſit. De anno Probationis ceſſat quæſtio poſt Trid.

2 Secundò. Non refert, præceſſiſſe copulam. Nam Jura loquuntur de matrimoniali: quæ autem præceſſit, ſolùm fictione Juris habetur pro tali in ordine ad legitimationem prolis; & ideo, quæ ſubſequitur ſponſalia, olim tranſibat in matrimonium præſumptum, quatenus in inchoatione actûs ſignificabatur contractus, ídque neceſſariò, ùt liceret actus. Nec obſtat injuria, quæ fit, magìs quàm in raptu virginis: quia adhuc ſtat matrimonium eſſe ratum tantùm.

3 E converſo, licèt per vim conſummetur matrimonium, jam tenet illud: *quod Deus conjunxit &c.* Nam nec eſt fornicatio, nec acceſſus ad alienam, nec raptus propriè, ſed uſus rei propriæ, quamvis indebi-

to

to modo. Sæpe autem ex peccato refertur commodum carnale, quin fiat homo melioris conditionis, cùm perdat bona majora. Nec Jus attendit incommodum Innocentis, quod per accidens ſequitur, ſicut aliàs poſito uno inconvenienti, etiam alterum ſequi ſolet. Eſtque certius in foro externo, quia non præſumitur uxor meram vim paſſa eſſe: at internum forum non diſcrepat ab externo, quia valor talium actuum non pendet ex præſumptione, ſed ex diſpoſitione Juris. Denique non deeſt ſignificatio unionis hypoſtaticæ, quia non fundatur in conſenſu animorum, ſed corporali conjunctione, ùt ſecutâ vi vinculi.

4 Tertiò. Tenet ingreſſus ſecluſâ conſummatione, utut debita fuerit. Ita omnes. Nam ſequi commodum peccantis, cùm per accidens ſit, non habetur pro inconvenienti; nec injuria obligat ſive ad remanendum in conjugio, ſive ad reſtitutionem aliam. Non enim prius; quia ſtat habilitas ad dictum ingreſſum, nec eſt ratio oneris amittendi illam. Non poſterius, quia negatio uſûs tranſiit, nec reliquit damnum reparabile, ſed pro indiſſolubilitate ſuccedit libertas utrique communis: ergo Jus dicti ingreſſûs.

5 Quartò. Idem eſt, ſi uxor adulteranda tradita eſt. Nam juxta Jura Profeſſio ſolùm ſit irrita per matrimonium conſummatum Nec ad rem eſt c. *Diſcretionem.* de eo, q. cognov. quia ſolùm dicit, non poſſe obiici adulterium. Vel ergo uxor volens tradita eſt, vel per metum gravem? Si 1um, etiam licita eſt Profeſſio. Si 2dum, vir ex alio capite inhabilis erit in foro externo propter motum Sixti V. per ſe verò nec Jus, nec ratio cogens eſt ad reſtituendum per manſionem in ſtatu, ſi quidem alius ſit modus ſatisfaciendi. Quòd ſi deſit, conſtat ex ſuprà dictis, illicitè admitti obligatum alteri.

Quintò. Non refert, ex mutuo 6 pacto utrumque profiteri. Nam Jura nihil diſtinguunt, ùt per ſe conſtat, ſi merè contingenter ſe habeant ingreſſus utriusque. Conformitas autem potiùs juvat tollendo reſiſtentiam, quæ eſſet ex parte alterius; nec obſtat intentio, ne illa aliter tollatur. Jus enim tollit vinculum, non dicta intentio. Et ideo matrimonium habentis Votum ſimplex tenebit; ſicut etiam inter utrumque, ſi in amborum Voto ſolemni diſpenſetur, dummodo novus fiat contractus, ſicut neceſſarius eſt, altero à mortuis ſuſcitato poſt conſummatum Matrimonium. Denique dicta hucusque accipienda ſunt de Profeſſione integrâ, ſeu non relaxatâ quoad Vota, & editâ in Religione approbata:

batâ : nam ſecùs eſt de Militibus S. Jacobi, & de Tertiariis, non viventibus in communi, ùt declaravit Sixtus V.

CAPUT. XXVI.

An cadere poſſit diſpenſatio in Votum ſolemne Caſtitatis Religioſæ?

1 Primò. Diſpenſatâ Profeſſione, per ſe cadit dictum Votum, niſi de contraria intentione conſtet, aut in Jure aliud expreſſum ſit. Ita omnes. Quia dictum Votum non fit, niſi ùt annexum ſtatui, nec eſt ſolemne, niſi ratione Profeſſionis; conſtátque, cùm hæc irrita eſt, Vota omnia cadere, loquendo, ùt dixi, per ſe. Imò moraliter loquendo non aliter licet diſpenſatio Profeſſionis, quia cauſa non eſt, niſi matrimonium, quia ſi jugum obedientiæ ſit intolerabile, ſufficit licentia vivendi extra communitatem, & contra lapſus in Paupertate diſpenſatio in ſolis circumſtantiis, vel uſu aliquarum obſervantiarum.

2 Secundò. Eſt poſſibilis diſpenſatio in dicto Voto ſecundùm ſe. Nam ſicut cum integro Ordine militari diſpenſatum eſt, relictâ continentiâ tantùm conjugali, ita cum aliis diſpenſari poſſet, ut Soto fatetur de Militibus S. Joannis: & ſicut Votum ſolemne commutatur in inferius, ita etiam commutatio fieri poſſet in ſtatum Religioſum ſecundùm quid, ut pro tali tantùm Soto habet Religionem Militarem. Dein Profeſſio & vinculum matrimonii ſimul ſtant: ergo ſicut hoc manet ſuſpenſum quoad uſum, ita & illa manere poteſt ſuſpenſa, ut in marito reddito uxori petenti, vel ſervo reddito. Eſtque exemplum in Regiis Conjugibus Profeſſis poſt ſuſceptum hæredem; nam ob denuo emergentem neceſſitatem poſſet eſſe licentia redeundi ad ſuccurrendum Regno cum onere denuo revertendi.

LIBER X.

De Voto Obedientiæ.

CAPUT I.

An ſimplex Votum obedientiæ ſit honeſtum, & ſub Conſilio?

1 Primò. Honeſtum eſt dictum Votum. Vel enim ipſa obedientia non eſſet bona, vel Votum ejus non eſſet Sanctum? Non 2dum; quia quò firmior & conſtantior eſt obedientia, eò Sanctior eſt, ùt dictum eſt de paupertate, &c. Non 1um, quia ſupponimus agi de obedientia ſupererogationis, ſeu in his, quæ præcepta non ſunt: at in his ſequi voluntatem alterius & ex parte materiæ honeſtum eſt, ùt per ſe conſtat & ex hac ipſa circumſtantia faciendi, quod alter vult; ùt nunc demonſtrabitur ex doctrina Evangelica.

2 Secundò. Obedientia, quatenus eſt ſubordinatio & ſubjectio voluntatis propriæ ad alienam, eſt ex bonis ſupererogationis, loquendo per ſe, & cum debita menſura, & circumſtantiis. Duplex enim ſequela eſt Chriſti, uti & diſcipulatûs: alia omnibus neceſſaria, Mat. 16. Luc. 9. alia ſpecialis, ad quam fit invitatio Mat. 19 utique ùt diſtinctam à Conſilio Caſtitatis & Paupertatis: & de eadem paſſim ſermo eſt, ùt *JESUS & Diſcipuli ejus* &c. & *ſecuti ſumus te.* Hæc verò per ſe includit obedientiam ſeu ſubordinationem, quia aliàs fuiſſet mera confuſio, nec ſtarent illa: *Vocatis me Magiſter & Dominus* &c. nec uſus mandandi, mittendi ad prædicandum, ad Paſcha parandum &c.

Confirmatur: Quia Patres omnes, tractando illud *ſequere me*, docent, tradi meliorem vivendi normam. Nam, ùt rectè ait Baſil. Conſt. Mon. c. 23. *Res omnium difficillima, ſe ipſum cognoſcere & curare, propterea quòd naturaliter ſe ipſum quiſque amat: & quilibet, quòd in ſe ipſos propenſi ſunt, in virtutis judicio falluntur: porro ab alio cognoſci curarique facile eſt.* Neque enim, quòd ex malitia alter erret, moraliter timere poteſt: & ſi res non eſt contra bonos mores, ſemper in ſpiritualem profectum obedientis redundat. 3

Tertiò,

4 Tertiò, Rectè voto firmatur dicta ſequela. Nam etiam in Apoſtolis non deſuit propoſitum irrevocabile pro ſemper, ùt colligitur ex derelictione omnium, quæ habuerant, & quia vocati ſunt, ut fierent *Piſcatores hominum*, quod erat opus totius vitæ: & ideo, cùm dicitur; *quid ergo erit nobis?* ſermo eſt de præmio, non quidem perſeverantiæ actu præſtitæ, ſed immobiliter propoſitæ. Nec dicas, aliud eſſe Chriſto, aliud alteri homini ſubdi; nam ſic omne regimen humanum vitandum eſſet: at Chriſtus, cùm ſic invitat ad obediendum, virtute invitat ad obediendum Vicariis ſuis.

5 Dices: quòd res fiat ex voluntate alterius, qui non poteſt præcipere, eſt quid merè indifferens: per votum autem non fit, ut ea voluntas præceptum eſſe poſſit; quia votum ſupponit, non facit honeſtatem materiæ. R. In materia Voti ſufficere etiam utilitatem citra ſpecialem rationem honeſtatis, ùt in paupertate: at Conſilia, ut executioni mandanda ſunt, egent arbitrio prudenti, cùm per præceptum determinata non ſint; & rectiùs alieno quàm proprio determinantur. Dein actus promittendi, ſeu conſtituendi ſibi Superiorem, eſt actus Religionis, cùm in Dei cultum fiat ob utilitatem ad perfectionem. Ex fine tamen participat honeſtatem obedientiæ, cùm huc tendat aſſumptio, ſicque virtute fiat mactatio propriæ voluntatis, omniáque alia encomia obedientiæ in dictum actum cadant.

6 Quartò. Etiam ſimplicem obedientiam promittere, eſt actus ex objecto bonus, prudens, Religioſus. Patet uſu piorum ab omnibus laudato. Nam approbatio Eccleſiæ non eſt neceſſaria ad omnem modum vivendi, qui ſtatum propriè Religioſum imitatur; rectéque promiſſio fit vices Dei gerenti, ſeu potiùs Deo, ut homo nomine ipſius præcipiat, quæ ad majus bonum animæ ſunt: ad hoc autem ſufficit poteſtas dominativa citra Juriſdictionem, junctâ morali probabilitate, quòd alter munere ſuo rectè functurus ſit. Regulariter tamen ſecurius eſt, votum fieri Epiſcopo, Parocho, ac diſcreto Confeſſori, cui in particulari confiditur.

CAPUT II.

An ſimplex hoc Votum conjunctam habeat promiſſionem homini factam: & è converſo?

1 Primò. Promiſſio obedientiæ fieri poteſt Deo & homini conjunctim. Patet in promiſſione eleemoſynæ, & in dote promiſſa Patri & Filiæ

&c. Licèt enim eadem res non poſſit promitti duobus, ſecluſo ordine eorum ad invicem; ſecùs eſt, ſi ſint objecta, vel termini diverſarum rationum cum aliqua ſubordinatione; quia tunc duæ obligationes juvantur potiùs quàm ut ſe impediant. Tunc autem transgreſſio duplicem malitiam habet, ſcilicet ſacrilegii & infidelitatis, ſicut in promiſſione jurata.

2 Neque ſupperadditur ſpecies inobedientiæ, aut vitii, in cujus materia ſit prohibitio. Nam conſtituere actum in ſpecie virtutis eſt proprium poteſtatis legislativæ: & malitia inobedientiæ nunquam eſt ſpecialis, niſi transgreſſio præcepti fiat directè ex intentione non parendi Superiori, qui ex poteſtate Jurisdictionis ferre legem poteſt: nam ſecùs eſt de obedientia latè ſumpta reſpectu præcipientis quovis titulo juſto. Poteſt autem dicta promiſſio obligare vel ex Juſtitia, vel ex pura fidelitate: conſequenter etiam graviter poſteriore modo, quia materia poteſt eſſe gravis, perpetuitate ex parte materiæ multùm augente gravitatem promiſſionis.

3 Secundò. Poteſt obedientia promitti promiſſione unicâ. Conſtat de Divina: idem autem eſt de promiſſione humana. Nam habet ſe ùt materia voti: ergo quod eſt prius, eſſe poteſt ſine poſteriore; & aliàs votum eſt voluntarium: ſicut pactum poteſt eſſe ſine juramento & voto. Nec refert, quòd obedientia debeat tendere in cultum Dei, quia propria ratio Voti non ſumitur ex materia, quæ promittitur, ſed ex perſona, cui promittitur, ùt patet promittendo Sacrificium. 4

Tertiò. De facto in Religioſis utraque promiſſio concurrit; ſecùs in aliis, loquendo per ſe, & reguláriter. Nam in Profeſſione intervenit pactum mutuum; & Religio habet vim cogendi: at in voto Novitii vel alterius nec Superior acceptat poteſtatem ſpecialem, nec alter intendit in commodum Confeſſoris v. g. Nec tunc obligatio parendi oritur ex dominio præcipientis, ſed merè ex obligatione Fidelitatis erga Deum; & homo ſolùm ſe habet, ùt applicans materiam voti, ad quam cogere nequit. 5

Idémque eſt de voto ſequendi Conſilium alterius: nam largè nunc ſumitur votum obedientiæ pro voto faciendi voluntatem alterius. Hæc autem per ſe efficax non eſt ad obligandum, ſed ad præſentiam ejus votum obligat: ſicut in voto eleemoſynæ dandæ petenti, hic non obligat, ùt habens jus vel poteſtatem in alium, ſed ùt exhibens, ſeu proximè applicans materiam voti; nec in voto Religionis ſi Pater conſentiat, huic quid promittitur &c. Unde ſi votum obedientiæ purè ſit, non pendet in valore ab acceptatione alterius, ſed in uſu tantùm: ſecùs ſi conditionatum ſit, ſi alter acceptet &c.

CAPUT

CAPUT III.

Ad quid obliget, & ad quam materiam ſe extendat ſimplex Votum obedientiæ?

1 Primò, Non obligat, niſi ad honeſtum, quod non ſit impeditivum majoris boni. Nam obligatio eſſe nequit ad malum. c. *Qui reſiſtit.* c. *Non ſemper* cum aliis 11. q. 3. Et Votum ordinatur, per ſe loquendo, ad majorem perfectionem voventis: ergo non obligat ad eam impediendam: & ideo Prælatus non poteſt quid præcipere, quod eſt contra regulam. Tamen actio particularis, ex genere ſuo inferior, non impedit Perfectionem, quia nec excludit meliorem, nec Deo minùs grata eſt in individuo, ſi fit cum debita humilitate & abnegatione proprii judicii, ùt rectè dicit Abbas Daniel Rurſus licèt totus modus vivendi præſcriptus videatur impedire, per accidens eſt, ſi quodlibet opus in individuo eſt utile ad virtutem, quia impeditio eſt ex defectu operantis; quoad obligationem autem opus per ſe attenditur: ergo vel obediendum eſt, ſi Superior nolit ſubdito providere; vel remedium quærendum, ut poteſtas ceſſet.

2 Secundò, In dubio de honeſtate præceptū non obligat. Nam qui præcipit, non habet jus proprium, pro quo ſtandum ſit; nec eſt proprium mandatum propter poteſtatem, ſed mera applicatio materiæ, & dubia: ſicut cùm dubia eſt paupertas, votum dandi pauperi petenti non obligat. At Prælatus Religionis habet Juriſdictionem, & Abbatiſſa jus proprium propter traditionem: & ideo in poſſeſſione ſunt Juris ſui. Regulariter tamen melius eſt obedire in dicto dubio, quia periculum materiale peccandi eſt utrinque; formale autem tollitur per judicium practicum ſubdendi ſe judicio vices gerentis Dei: ad quod ſufficit, nullam eſſe probabilem rationem ſuſpicandi, quòd alter temerè vel ex malitia præcipiat. Secùs eſt ſecluſo voto, quia hujus reverentia urget, ne quid omittatur, quod fortè ſub ejus materia comprehenditur.

3 Tertiò. Votum non obligat niſi ad poſſibile moraliter, ſeu citra nimiam difficultatem. Vel enim hæc eſt extrinſeca & accidentaria ſeu extraordinaria, vel operi intrinſeca. ùt in voto Religionis? Si 1mum, ſicut minùs cadit ſub cogitationem, ita minùs ſub intentionem obligandi ſe. Si 2dum, ſemper Votum habet limitatam materiam, quoad varietatem, multitudinem, & difficultatem operum; aliàs eſſet indiſcretum & inhumanum: ergo menſurandum eſt per proportio-

nem ad Perſonam, & modũ vivendi, quem profitetur. Nec enim aptior menſura eſt conjectandi intentionẽ, nec votum tendit, niſi ad perfectionem proprii ſtatûs; ſicut nec obedientia religioſa obligat, niſi juxta regulam, quæ eſt ratio vivendi, quamdiu de oppoſita intentione non conſtat, ùt ſemper ſubintelligendum eſt.

4 Sic dictum votum non obligat ad mutationem ſtatûs, nec etiam ad omittendam, ùt in vidua, nec ad extranea omnino, & aliena à ſtatu, minúsque ad directè pugnantia cum illo. Nec enim diviti præcipi poteſt, ut utatur vili veſte, vel actione vili, & ſimilibus, de quibus veriſimile non eſt, cecidiſſe ſub intentionem. Nec dictum votum neceſſariò connectitur cum paupertate, vel caſtitate, ſicut nec Religioſus vi bedientiæ obligari poteſt ad aliam Religionem: quia neque ad ſtrictiorem, ùt per ſe conſtat; nec ad inferiorem, utpote impeditivam majoris boni.

Quartò. De ſe cadere poteſt dictum votum in quemlibet, etiam Pontificem. Nam fit ſoli Deo, & citra ſuperioritatem hominis, ſi ſermo ſit de Pontifice. Quamquam etiam ille in foro Confeſſionis ſic ſe ſubdere poſſit: & à fortiori Prælatus alius Religionis. Dixi, *de ſe*; an enim quoad uſum expediat, pendet à circumſtantiis; de ſe autem non eſt contra decentiam ſtatûs ullius. Magis tamen cadit in Cœlibem ſui Juris, quia in aliis multùm obſtat ſubjectio, quæ per votum impediri non poteſt. 5

CAPUT IV.

Quale peccatum ſit tranſgreſſio obedientiæ; & quomodo excuſetur, vel ceſſet obligatio?

1 Primò. Ad tranſgreſſionem præſupponitur voluntas obligandi ex parte Superioris. Nam obligans ſe ad obediendum, obligationem ad hoc vel illud remittit in voluntatem Superioris: ergo hujus eſt, illam determinare, ùt patet in obedientia Religioſa, quam ſimplex habet pro exemplari. Alia autem eſt voluntas operis, alia voluntas obligationis ad opus, ùt conſtat in præcepto dato Abrahæ, Adæ; & ſimiliter Superior habens Juriſdictionem, vel dominium, poteſtatem non ſemper applicat, licèt velit opus: & è converſo.

2 Igitur prior voluntas ſolùm eſt affectiva, ſeu motiva generali modo: poſterior præceptiva, & efficaciter obligans, quantùm poteſt, vi ſubjectæ materiæ. Oportet autem explicari dictam voluntatem verbo vel ſcripto: & in dubio aut parendum eſt, aut quærendum,

quæ-

qualis voluntas ſit. Quantùm ad priorem voluntatem, conſtat ex uſu Religionum obedìri laudabiliter, quia executio redundat in majorem Voti obſervantiam, & reverentiam, cùm voluntas ſit poteſtatem habentis ad neceſſitatem conſtituendam.

3 Secundò. Ad dictam transgreſſionem neceſſaria eſt materia gravis. Nec enim obligatio ſub gravi eſſe poteſt ad leve, nec ſub levi ad grave, loquendo de Voto. Poteſt autem gravitas materiæ eſſe, vel ſecundùm ſe eam conſiderando, vel ratione finis & circumſtantiarum, ùt frequentiùs fit in Religione propter commune bonum. Vel ergo præceptum ſignificatur ſimplici verbo, vel formâ uſitatâ: *in virtute obedientiæ?* Si 2dum, clara eſt obligatio ſub gravi. Si 1mum, per ſe nec veniale fit (quamvis regulariter accidat deeſſe finem bonum) ùt uſu Religionum conſtat, non ſufficere tale verbum, quamdiu non conſtat de contraria conventione, & promiſſione.

4 Tertiò. Excuſatio ab obligatione ſumenda eſt ex iiſdem capitibus, quæ à lege excuſant. Nam juxta omnes tenet à fortiori: conſtátque ex dictis cap. ſup. præceptum iniquum eſſe, quoties excedit intentionem voventis. Vel ergo periculum gravis nocumenti non eſt per ſe annexum operi præcepto, nec à Superiore prævìſum, vel eſt per ſe connexum? Si 1mum, excuſatio certa eſt juxta omnes, loquendo per ſe & ſecluſo ſcandalo; quia nec Lex naturalis ita obligat regularìter; & intentio ſic ſe obligandi eſſet temeraria, & omnino imprudens, conſequenter inſufficiens ad ſic ſe obligandum. Si 2dum, præceptum merè privatum in re tam ardua poni nequit, ſecluſo bono communi, quamvis etiam per obedientiam, urgente cauſa, aliquando poni poſſit, imò facilè, ſi Votum ſit obediendi Præfecto Xenodochii in cura infirmorum: ſecùs autem erit de profitente vitam diſſimilem.

Quartò, Conſtat, per Epiſcopum diſpenſari poſſe in dicto voto. Non enim reſervatum eſt. Superior verò, ſi non ſe adſtrinxit ad curam gerendam, poteſt ſubtrahere materiam, nolendo præcipere: & Epiſcopus, prout materia ei eſt ſubordinata, uti poteſt irritatione indirectâ. Si tamen illa eſt omnino ſupererogationis, nihil poterit, niſi diſpenſando ex cauſa; quia non poteſt præcipere quamlibet actionem bonam, ſícque ſibi reſervare obedientiam Confeſſori promiſſam. 5

CAPUT

CAPUT V.

An Votum obedientiæ ſit diſtinctum à Traditione?

1 Primò. In Religione ſit verum & propriũ votum obedientiæ. Conſtat ex uſu omnium Religionum & Juribus, ùt in X. *Quorumdam* Joan. XXII. de V. S. ibi: *Magna quidem paupertas, ſed Integritas majus bonum eſt, ſed obedientia maximum, ſi cuſtodiatur illæſa; nam prima rebus, ſecunda Carni, tertia verò menti dominatur & animo.* Igitur ſi promiſſio ſit *Deo & Prælato*, dativi duos terminos ſignificare poſſunt, ſcilicet promiſſionis, & obedientiæ; & illa, ùt Votum eſt, ſit Deo, non Prælato: hæc verò huic exhibetur, & fortè Deum immediatè non reſpicit. Neceſſarium autem non eſt, ut promiſſio fiat homini.

2 Secundò. Formaliter diſtinguitur dictum votum à Traditione incluſa in Profeſſione. Nam promiſſio & traditio genere differunt; & illa in rigore ſumpta reſpectu ejuſdem rei includit negationem hujus; ſicut futurum ùt tale negationem præſentis. Rurſus Votum ſit Deo immediatè: at traditio Religioni, cujus membrum quis efficitur; ſicut diſtinguuntur Votum & donatio Calicis: nam illa non dat jus Eccleſiæ, ſed poſterior appropriat. Denique in dicta traditione includitur pactum inter Religionem & Religioſum; quod ſecùs eſt de voto.

3 Tertiò. Ad renunciationem Evangelicam perfectam neceſſaria eſt & traditio & dictum votum. Nam homo & ſpoliare ſe debet dominio ſui, & hoc totum offerre Deo in holocauſtum. Prius non ſit ſine traditione; quia homo non poteſt eſſe nullius, nec ſe tradere immediatè DEO ſine acceptatione hominis. Poſterius traditionem formaliter perficit in eſſe Religioſæ, & ſpiritualis, quia aliàs non conſecratur homo DEO per proprium vinculum Religioſum, nec tenetur obligatione Religioſâ ad fidelitatem ſervandam in dicta traditione; eſto eam ordinet ad finem Religioſum: deeſt enim ſtatûs perfectio propria.

CAPUT VI.

Quotuplex ſit malitia in transgreſſione obedientiæ Religioſæ?

1 Primò. In dicta transgreſſione duplex eſt malitia, ſcilicet ſacrilegii contra Votum, & injuſtitiæ contra pactum cum Religione initum, ſeu

Jus

Jus illi acquiſitum. Addi autem videtur infidelitas contra promiſſionem; & alia malitia contra præceptum vel legem latam ex Jurisdictione: & denique quinta ſpecies vitii juxta materiam præcepti. Sed de ultima malitia, quæ ex materia eſt, conſtat, illam nec tolli nec mutari per præceptum, ſi quidem hoc ſit de materia neceſſaria.

2 Secundò. Si præceptum non eſt de materia neceſſaria, non additur nova ſpecies malitiæ, loquendo regulariter. Nam ſi deſit Jurisdictio, ut in Abbatiſſa &c. per ſe conſtat, non poſſe addi novam ſpeciem. Rurſus nec Prælatus habens Jurisdictionem ſic præcipete per ſe & directè poteſt in materia ſupererogationis & Conſilii, ſed ad ſummum, ut quatenus materia ratione Profeſſionis facta eſt neceſſaria, obligatio impleatur; at tunc per præceptum non conſtituitur actus, ùt neceſſarius intra propriam virtutem, ſed ſolùm Religionis & obedientiæ.

3 Confirmatur: quia ſi Epiſcopus per Cenſuram urget Clericum, ne contrahat matrimonium, non dat actui neceſſitatem intra virtutem Caſtitatis, quia ùt ſic non eſt materia præcepti, ſed intra virtutem Religionis ſolùm, quæ ratione Profeſſionis exigi poſſunt, injungit, loquendo ordinariè, quamvis in materia proportionata etiam veras leges ferre poſſit, conſequenter cum neceſſitate virtutis intra eandem. Veriſimile tamen eſt, tunc ceſſare obligationem obedientiæ, quia juxta modum ordinarium in vi directiva proceditur ex dominativâ poteſtate, & in coactiva ex Jurisdictione, ſicut ex illa irritatio, & ex hac diſpenſatio fit.

Tertiò. Propter additam legem Regularem non multiplicatur malitia actûs per aliam legem vetiti. 4
Conſtat ex principio recepto in materia de Legibus: nam furtum prohibetur & lege naturali, & poſitivâ humanâ; & ſimiliter leges plures concurrunt in jejunio ejuſdem diei: ſecùs autem eſt, ſi additur obligatio Voti, & traditionis; nam ſi Pater vi ſuæ poteſtatis obligat Filium ad audiendum Sacrum die feſto, omiſſio duplicem malitiam habet, imò triplicem, ſi filius ex voto tenetur. At Prælatus & per Jurisdictionem, & per dominativam imperare poteſt Religioſo, itémque vi voti.

Quartò. Vi Fidelitatis non additur nova ſpecies in dicta transgreſ- 5
ſione. Nam cùm traditio eſt in ordine ad futurum uſum, ſæpe ſignificatur traditio ipſa, non promiſſio nova; quia ſolùm explicatur obligatio traditionis ad uſum futurum per verbum promittendi. Sic ſuppoſitâ rectâ intelligentiâ, ſufficit hæc forma in matrimonio: *Promitto te ex nunc ſemper habere in Conjugem.* Vel: *Promitto ex nunc tibi eſſe Conjugem fidelem.* Et licèt dica-

tur: *trado & promitto ſervare Jura matrimonialia*, ſolùm ſignificatur voluntas faciendi contractum, & ſervandi. Idémque eſt in Profeſſione Legis Evangelicæ, cùm dicitur, votum fieri in baptiſmo. Idem ergo eſt in Promiſſione religioſa, ſive nomine Promiſſionis, ſive traditionis ſignificetur.

CAPUT VII.

An Votum obliget ad totius Regulæ obſervationem?

1 Primò. Obſervatio regulæ continetur ſub materia Voti obedientiæ religioſæ. Nam Votum eſt obediendi Prælato: perinde autem eſt, an is præcepto perſonali præcipiat, an Lege ſtabili. Dein obedientia promittitur *ſecundùm regulam*: at præceptum non eſt magis *ſecundùm regulam*, quàm ipſa regula præcipiens. Idem ſupponitur uſu omnium Religionum, cùm quibuſdam regulis additur: *in virtute ſanctæ obedientiæ*; & ſine hoc addito præceptum Prælati, quoties tale eſt, in vi voti obligat, cùm certior & notior omnibus ſit obligatio obedientiæ, quàm alia Juſtitiæ, vel Fidelitatis.

2 Secundò. Non additur regulæ per dictum votum obligatio ſub mortali, niſi in ipſa regula vel ſupponatur, vel exprimatur. Oppoſita Henrici eſt nimis rigoroſa & acerrima, redditque ſtatum magìs periculoſum, quàm ſecurum. Unde ut conſtet de quantitate obligationis, addi ſolet *in virtute* &c. Poteſt tamen addi Excommunicatio, vel alia declaratio gravitatis: & tunc, quia præceptum eſt objectum obedientiæ, ſicut illud grave eſt, ita etiam materia Voti; & è converſo, ſi illud ſive ratione materiæ, ſive ob intentionem præcipientis leve eſt, etiam materia Voti levis eſt, quia Votum non obligat niſi modo proportionato ipſi præcepto.

Tertiò. Si regula, ùt ea eſt ex Jurisdictione vel poteſtate dominativa, obligat ſub veniali (ſive ob materiam, ſive ob intentionem præcipientis) Votum addit obligationem alterius ſpeciei ſub veniali. Nam tunc regula habet veram rationem præcepti: ergo cadit ſub Votum. Si enim quis vovet ſervare omnia præcepta Eccleſiæ, & hæc præcipiat jejunare v. g. in vigilia Epiphaniæ, jejunium fit conſequenter materia Voti, quin neceſſe ſit ſignatè exigi debitum obedientiæ. 3

Quartò. Si regula de ſe non obligat ad mortale vel veniale, etiam Votum non addit obligationem. 4

Nam

Nam deeſt materia obedientiæ, ſcilicet præceptum; quia non fit Votum ſequendi Conſilium, vel quamlibet voluntatem Superioris; aliàs ſemper eſſet (ſpectatâ materiâ) mortale in violatione regulæ: quod pugnat cum ſenſu & uſu omnium, interprete optimo obligationis. Aliud ergo eſt Votum de actu ſecundùm ſe ſpectato, aliud de obedientia, ſeu ſupponendo præceptum ſive Juris, ſive ab homine. Nec Auguſt. cùm in ſua regula ſubdit: *hæc ſunt, quæ ùt obſervetis, præcipimus*, plus vult, quàm ut more paterno rem inculcet: nam regula exigit minutiſſima & etiam interna.

CAPUT VIII.

An dictum Votum obliget in quacunque materia honeſta?

1 Primò. Materia remota dicti Voti (proximum enim eſt præceptum) debet eſſe Actio honeſta, vel utilis ad finem honeſtum, nec contra regulam. Nam nec obligatio eſſe poteſt ad malum vel otioſum, nec poteſtas in deſtructionem ſeu ad impediendum majus bonum in ſtatu Religionis. Si autem Superior diſpenſare poteſt in regula, ergo non præcipit contra hanc.

2 Secundò. Materia præcepti eſſe poſſunt omnia & ſola, quæ cadunt ſub regulam directè vel reductivè, ſeu quæ ad perfectam ejus obſervantiam neceſſaria, vel convenientia, aut utilia eſſe poſſunt, loquendo de Religione contractè, ſeu de obligatione Profeſſi in particulari. Ita S. Bern. de præc. & diſp. c. 7. & 8. dicens: *ſolùm á me poſſe exigi arbitror, quod promiſi.* Sequitur S. Thom. Bonav. Antonin. Umber. Summiſtæ communiter. Non enim promittitur obedientia illimitata, ſed ſecundùm regulam: ergo quæ omnino ſupra hanc ſunt, præcipi nequeunt, ùt de arctioribus fatentur omnes, ùt teſtatur S. Thom. quodl. 10. ar. 10 concludens, idem eſſe de aliis, niſi quatenus aliquo modo reducuntur ad regulam.

3 Confirmatur: quia vel præcipitur major auſteritas in juſtam pœnam delinquentis, vel quid aliud ad præcavendum delictum? Si 1mum, ſubditus ſe ſubjecit juſtæ pœnæ: ergo dictæ auſteritati, ſi ordinaria non ſit condigna pœna, ſed aliàs debita. Si 2dum, non ſolùm, quæ per ſe neceſſaria ſunt vitando peccato (id enim commune eſt vitæ Chriſtianæ) ſed & alia, quæ prudenter judicantur expedire, præcipi poſſunt, ùt patet de clauſura Monialium; nec enim alia ratio poteſtatis talis reddi poſſet.

4 Tertiò. Nec Religio ipſa edere poteſt Conſtitutiones auſteriores, ſi quidem nec neceſſariæ ſint, nec conducant ad perfectam obſervantiam regulæ, ſed ſolùm ad majorem perfectionem in genere. Nam juxta oppoſitam opinionem Innoc. & Abb. exigeretur obedientia illimitata, & non ſecundùm regulam: at nec totum Capitulum exigere poteſt plus, quàm promiſſum ſit in re meri conſilii. Imò idem eſt de Pontifice, ùt Prælato Religionis, quamvis propter ſupremam poteſtatem, ſuppoſito ſtatu Religionis, addere poſſit, quæ expedire judicat ad majus bonum Eccleſiæ, vel decentiam Religionis, ùt interdum factum eſt, non tamen ſine violentia aliqua talis Religionis, & ideo ſine diuturnitate. Regulariter verò ſolùm præcipi ſolent, quæ moraliter neceſſaria videntur ad obſervantiam Regulæ.

5 Quartò. Obligatio non eſt acceptandi Reformationem, ſeu reductionem ad Regulam primitivam, loquendo per ſe. Vel enim relaxatio facta eſt per diſpenſationem Pontificis, aut juſtam moderationem Religionis, vel per conſuetudinem malè cœptam, ſed præſcriptam, vel per meram corruptelam, ùt eſt contra Vota? Si 3tium, conſtat, materiam directam voti non mutari propter ſupervenientem corruptelam, quia intenditur obedientia ſecundùm Regulam, prout actu obligare poteſt: & alia intentio, utpote prava, non præſumitur, ſempérque, non obſtante erroneâ, prævalet abſoluta profitendi ſecundùm Regulam c. *Ex parte.* de Regular. & Trid. ſ. 25. c. 1. de Regul. In materia autem indirecta, ùt Clauſura, non erit quidem obligatio vi Caſtitatis, ſed tamen vi Voti obedientiæ.

6 Si 1mum, nemo cogi poteſt ad id, quod nec directè, nec indirectè promiſit. At ſolùm promiſſa eſt obedientia ſecundùm regulam mitigatam; ſicut nec Juramentum de ſervandis ſtatutis obligat ad derogata. Imò diſpenſatio tolli nequit, niſi vel per Pontificem, vel per renunciationem Corporis, ſi quidem moraliter expedire judicet ad finem talis Religionis. Si 2dum, idem eſt juxta dicta; nam regula debet eſſe communis. Conſuetudo tamen non potuit auferre Jus Religioni ad eam auferendam, maximè cùm ordinariè ſoleat eſſe neceſſaria abolitio c. ult. de Stat. Monach. & Trid. ſuprà.

CAPUT

CAPUT IX.

An perfecta obedientia Evangelica requirat univerſalem materiam ſine limitatione Regulæ?

1 Primò. Obedientia Evangelica, ut perfectiſſima ſit, ampliſſima eſſe debet, & aliquo modo extendi ad omnia perfecta citra limitationem. Ita ſumitur ex Baſil. Gregor. Bern. Bonav. Nam ſicut ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis: at abnegatio voluntatis bona eſt: ergo major abnegatio eſt melior; & quò generalior fuerit, eò plus confert ad perfectionem, Deóque gratior eſt. Oportet autem, ut dicta generalitas nec ſit contra bonos mores, ut per ſe conſtat, nec contra Regulam, quia perfectio hujus vitæ poſcit firmum ſtatum, in quo quis tendat ad certum ſcopum, quo mediante evadat perfectus: ergo ſi huic repugnat obedientia, deſtruit ſtatum proficiendi per talia media, & impedit profectum.

2 Secundò. Obedientia perfecta cadit etiam in actus internos. Nam aliud eſt de obedientia Legis vel Præcepti, quod ex Juriſdictione, vel dominio naturali aut coacto in hominem naſcitur: aliud de obedientia & ſubjectione, quæ fit vi Voti. Sicut enim hoc eſſe poteſt de actibus internis, ita de ſubjectione in uſu illorum; & dirigi homo in iis poteſt & quoad ſpecificationem, & quoad exercitium, ùt conſtat in uſu meditandi &c. Similiter eget directione in moderandis affectibus internis, non tantùm per externa, ſed etiam interna media, quæ ad perfectionem conſequendam neceſſaria ſunt. Atque in hunc modum homo per obedientiam non tantùm fit Sacrificium, ſed etiam Holocauſtum.

Tertiò. Non omnes Religiones in perfectione obedientiæ æquales ſunt. Nam ad eſſentiam ſtatûs Religioſi ſufficit profiteri Conſilia ſecundùm aliquam prudentem Regulam, quæ perfectò alicui fini accommodata ſit, ùt conſtat in Voto Paupertatis: ergo ſtat, ut in perfectione extenſivâ una alteram Regulam ſuperet. Aliud enim eſt obligari ad obediendum ſecundùm determinatam & particularem Regulã, ſive in iis, quæ directè vel indirectè in eâ continentur: aliud obligari ad omnia, quæ ei non repugnant, per Regulam univerſalem obediendi in omnibus, quæ cæteris ſtatutis non repugnant. 3

Confirmatur; quia alia eſt univerſalitas obedientiæ quoad exercitium, alia quoad ſpecificationem actuûm. Prior convenit omni Religioni; quia ſubditus, cùm ſui Juris non ſit, ſemper occupari poteſt in aliquâ actione ſibi proportionata, conſequenter abſtinendo, ab omni 4

alia repugnante. At non propterea imperari ei poteſt actio quælibet, ſed ex Regula definitur ejus modus, utí & habitationis &c. ſicque quoad ſpecificationem obedientia eſt particularis. Secùs autem eſt, ſi obedientia non limitetur poſitivè ad particularem Regulam, ſed negativè tantùm cum extenſione ad omnia ei non contraria, quæ Superior ordinariè præcipere poſſit; id quod poſcit animum magìs indifferentem & vacuum &c.

CAPUT X.

An per dictum Votum obligetur quis ad permanendum in ſtatu, aut ad alium ſuſcipiendum obligari poſſit?

1 Primò. Tranſitus ad vitam ſæcularem nec per Pontificem vi Voti præcipi poteſt. Conſtat, illum de ſe eſſe Apoſtaticum, & contra factam traditionem ſui, Votúmque obedientiæ, quod ſaltem in præparatione animi poſcit ſubjectionem perpetuam. Dein licèt neceſſitas ſit tranſitûs, Votum, quantum in ſe eſt, repugnat deſtructioni ſtatûs ſuſcepti, nec tranſitus eſt res Conſilii, & perfectionis, ſed meræ neceſſitatis, atque adeò præcepti ex Juriſdictione lati vel ferendi.

2 Secundò. Tranſitus ad aliam vitam Regularem aut Voto aut ſtatui repugnat, aut nec præcipi, nec prohiberi poteſt. Conſtat prior pars de tranſitu ad inferiorem, vel æqualem ſtatum, quia eſt de minore bono vel ſimpliciter, vel ratione inſtabilitatis: & ideo nec licere poteſt ſecluſo præcepto, nec etiam præcipi vi Voti. Sin ſit tranſitus ad ſtrictiorem, conſtat prohiberi non poſſe, quia impediretur majus bonum contra conditionem per ſe incluſam in voto. Rurſus nec præcipi poteſt, quia non eſt ſecundùm Regulam, ſed deſtructio ſtatûs; nec ad ſtatum pertinet, ſed ad viam, & mutationem. Dein ubi obedientia perfectiſſima eſt, Votum tranſitûs per ſe non pertinet ad perfectionem ſtatûs, quia ſtabilitas & quies magìs confert ad profectum, quàm mutatio. Nec ſtatûs eſt, omnia facere ex Voto, ſed ſolùm, quæ eſſentialiter ad eum pertinent, & præcipua media ejus.

Tertiò Tranſitus ad Pontificatum nec invalidus nec illicitus eſt, 3 Nam neque ex Jure naturæ, neque ex poſitivo; quia c. *Si Religioſus* de Elect. in *6.* agit de Prælatione *extra ſuum Monaſterium.* At Pontifex non extra, ſed ſupra omnem Eccleſiam eſt; nec ſub Regula generali caſus tam ſpecialis comprehenditur, ſicut nec vi Voti, loquendo in communi de Religioſis; quidquid ſit de Noſtris. Similiter non obligatur talis ad redeundum; quia

quia eo ipſo, quod acceptet, jam eſt Pontifex, & conſequenter ſolutus à jugo Religionis, & ab omni humano Superiore, etiam quoad directivam, quia ſolùm ad ſuas leges tenetur, potiùs conſecutione quadam naturali, quàm per humanam poteſtatem. Dein non tam ſe ſubtrahit Corpori, quàm præſtantiùs ei uniatur, aſcendens ſupra illud, & cum magno commodo ejus. Deniq; reſtitutio non urgeret cum onere deſcenſûs, uti nec obtento Generalatu validè, ſed contra obedientiam.

4 Quartò. Tranſitus ad Epiſcopatum poſcit conſenſum Prælati. Ita d. c. *Si Religioſus.* Clem. ult. eod & c. *Quàm ſit.* 18. q. 2. Ratio eſt, quia Religioſus nullum contractum facere, aut jus firmum acquirere poteſt ſine licentia Prælati; & ita ratio d. c. *Religioſus.* quòd non habeat velle &c. extenditur ad omnem aliam proviſionem, quæ vim habet electionis. c. *Quorundam* eod in 6. quia Jus, quod purè declarativum eſt, extenditur ad omnia, in quibus æqualis ratio eſt. Unde ſecùs eſt de Præſentatione & ſimilibus, in quibus nullum Jus acquiritur. Secùs etiam eſt, ſi Pontifex per ſe offerat Epiſcopatum; quia eo ipſo cenſetur dare licentiam, ùt dando pecuniam: nec veriſimile eſt Pontifices talem Proviſionem ſubmittere voluiſſe dicto Juri, ùt etiam patet expendenti dictos textus.

5 Quintò. Vi Voti dictus tranſitus præcipi nequit. Nam nec eſt materia Voti, nec ſervat ſubjectionem, ſed deſtruit, nec ſubeſt juriſdictioni Prælati, utpote ſolùm extenſæ ad providendum ſuo Corpori. Nec eſt idem de Beneficio Curato; nam & abeſt periculum, ùt in Epiſcopatu ob honorem, potentiam, libertatem, & abundantiam rerum; & miniſterium ſit ſub obedientia Prælati, quod ad nutum tolli poteſt, per ſe loquendo (ſeu ſecluſis privilegiis, & Prioratibus per Canonicam Electionem collatis. c. *Monachi.* de Stat. Monach.) arg. c. *Ad noſtram.* & c. *Porrectum* de Con. fir. ut. Denique Beneficium Regulare pertinet ad Regulares, ùt miniſterium proprium Ordinis arg. d. c. *Quorundam.* & c. *Cùm ſingula* §. *Prohibemus.* de Præb. in 6.

Sextò. Pontifex per ſuam Juriſdictionem præcipere poteſt dictum tranſitum. Patet, ſi ſolùm declaret magnam neceſſitatem ejus. Secluſâ autem illâ, idem poteſt, quia veriſimile non eſt in c. *Vos autem.* 16 q. 1. & c. *Diſplicet.* 23. q. 8. neceſſitatem tranſitûs fuiſſe graviſſimam. Dein cum proportione idem poteſt Imperator, per plures leges Cod. de Decur. & Cod. de Excuſ. Mun. & quidquid ſit, an pro arbitrio id poſſit Pontifex circa idoneum; præcipienti & perſiſtenti poſt preces obediendum eſt in dubio, quia pro illo præſumitur, quamdiu præceptum non eſt evidenter injuſtum; poteſt enim habere ſpeciales rationes: & licèt non 6

ha-

habeat, cùm quilibet excuſare ſe poſſet, poteſt quemlibet ligare, ſi quidem Eccleſia egeat, & perſona idonea ſit: examen autem de digniori remittitur Pontifici.

CAPUT XI.

Cui parendum ſit vi Voti obedientiæ Religioſæ?

1 Primò. Vi dicti Voti homini, ſeu Deo per illum præcipienti parendum eſt, & tantùm. Nam Dativi *Deo & tibi* in forma vovendi ponuntur ſub diverſo reſpectu, ita ut Votum Deo, obedientia præſtetur homini: quia per hunc intendimus dirigi juxta finem & inſtituti & Profeſſionis: ẽſtque per ſe neceſſarium in Communitate, ut eſſe ordo poſſit. Dixi *tantùm*; nam Deo per ſe præcipienti obedire neceſſarium eſt vi naturalis poteſtatis. At dicta obedientia præſtatur in ſupererogatoriis: & ideo transgreſſio legis Divinæ non habet novam ſpeciem vi dicti Voti, ùt fatentur omnes, ſaltem tacendo. De Beatis per ſe conſtat, illos nihil poſſe præcipere propriâ authoritate, ſed ſolùm intimare præceptum Dei.

2 Secundò. Votum non obligat ad obediendum cuilibet homini, ſed ei, cui quis ſe voluntariè tradidit. Hinc vi dicti Voti non additur nova ſpecies peccato contra præceptum Eccleſiæ; quia non vovetur obedientia per ſe neceſſaria, ſed voluntariè ſuperaddita. Sic etiam inobedientia filii, ſervi &c. huc non pertinet, ſicut nec obedientia, quia non eſt Religioſa. Si ergo plures ex diverſis titulis præcipere poſſunt, Prælatus ſolùm præcipit, ubi Jus aliorum ceſſat, vel non extenditur ad talem materiam. Sic ſervus obedit, ubi Domino non derogatur; & filius magis Patri ſpirituali obedit, quàm Carnali, quia hujus Jus ceſſavit. In caſu autem gravis neceſſitatis obedit legi, ſub directione tamen Prælati.

Tertiò. Obligat dictum Votum ad obediendum omnibus Prælatis, ſub quibus quis conſtitutus eſt, ſervato reſpectu & ordine inter eos. Nam propriè loquendo, eorum poteſtas non niſi una eſt, ſicut & unum fundamentum eſt, nempe Profeſſio; nec illa in multis eſt, niſi cum ordine & dependentia, quia nemo poteſt duobus Dominis ſervire, utique ùt duo ſunt, & ex æquo, ſeu æquè primò ſine aliqua ſubordinatione, alternatione, anticipatione, aut in diverſis materiis. Unde forma ſonat: *Tibi & locumtenenti* ſecundùm Regulam. 3

Quartò. Ubi contraria præcepta ſunt, obligatio Voti eſt ad Superiorem, omiſſo inferiore Prælato. Nam ex natura rei eſt, ut Juriſdictio- 4

ctio inferioris non obſtet Juriſdictioni Superioris, nec hujus præceptum per illum caſſari poſſit: ſicque Juriſdictio, licèt à Pontifice ſit, ſemper manat cum dicta ſubordinatione, ergo parendum eſt præcepto Superioris, niſi inferior in eo diſpenſare poſſit. Similiter poteſtas dominativa poſcit dictam ſubordinationem; & ſi Provincialis mutare nequit præceptum Superioris localis; ergo eatenus non eſt Superior hujus, quia alius Superior ita diſpoſuit inter utrumque ſibi ſubordinatum.

5 Quintò. Pontifex Religioſis præcipere poteſt in quacunque materia, capaci præcepti reſpectu illorum, conſequenter in omni materia, quæ ſubeſt aliis Prælatis. Ita S. Thom. Cajet. Sot. Nav. Bonav. Pendet enim hoc non ex intentione voventis, ſed ex ordine Hierarchiæ, & poteſtate paſcendi oves; nam ideo ad Pontificem ſpectat approbatio Religionis. Deìn licèt vita Regularis abſolutè ſit Conſilii, tamen ſuppoſito ſtatu, eſt neceſſitatis ad ſalutem; ergo cura obſervantiæ regularis primò & principaliter pertinet ad Paſtorem ſupremum. Sícque Profeſſio ſolùm eſt conditio neceſſaria, tanquam applicatio materiæ, circa quam Paſtoralis cura verſetur: ſicut ſubjectio Clericalis ſupponit voluntariam aſſumptionem ſtatûs, tanquam conditionem; quin ſit radix poteſtatis ſpecialis Epiſcopi in Clerum.

6 Unde etiam Epiſcopo competit dicta Juriſdictio in non exemptos. Nam & ejus olim erat approbatio, ùt per ſe neceſſaria bono animarum; & cura Paſtoris extenditur ùt ad alia, quæ neceſſitatis ſunt, ita ad obſervantiam regulæ, ſuppoſito ſtatu: oſtendítque uſus, præſertim circa Moniales; & facit axioma, quòd in his, quæ ad ſpirituale Regimen ſpectant, Epiſcopus in Diœceſi poſſit totum, quod Pontifex in Eccleſia, niſi prohibeatur. Tandem ab eodem eſt Juriſdictio Prælatorum Religionis non exemptæ.

Sextò. Pontifici competit etiam poteſtas dominativa, quæ ex traditione Profeſſi conſequitur. Nam licèt ſecùs ſit in Voto omnino ſimplici, tamen in Religione intenditur obedientia reſpectu omnium Prælatorum, qui ſecundùm Regulam præcipere poſſunt: ergo non excluditur præcipuus, nec ſubordinatio debita; nec enim conveniens ordo foret, ſi major vi Voti obligatio foret ad alios, quàm ad Pontificem, qui approbando Religionem, ùt hanc ſub ſua cura principaliter acceptat, ita & Vota. Videtúrque idem eſſe etiam de Epiſcopo circa non exemptos, quamvis alii negent. 7

Septimò. Extenditur obligatio dicti Voti ſaltem uſque ad ordinarium Prælatum localem, quovis demum nomine vocetur. Patet uſu omnium Religionum in præcipiendo in virtute S. obedientiæ, itémque ex neceſſitate talis poteſtatis 8

ad gubernationem domûs: quia eſſe debet ſaltem in proximo capite, utpote Monarchica. Quòd ſi quoad alia miſcetur Ariſtocratia, vel Democratia, eatenus poteſtas eſt in Capitulo locali, vel in communi Concilio, ſeu Definitorio; ſicut reſpectu Provinciæ eſſe poteſt; taliſque Communitas ſubintelligitur ſub Provinciali, vel Abbate, Guardiano &c. reſpectivè. Tamen in iis, qui participant poteſtatem Prælati localis, ùt pro choro, ſcholis &c. per ſe neceſſaria non eſt dicta poteſtas, ſed meliùs ſiſtitur in uno capite, ne præcepta ſine neceſſitate multiplicentur.

9 Octavò. Extenditur dictum Votũ etiam ad Delegatum Prælati. Nam hujus poteſtas eſt ordinaria, quia vi muneris neceſſaria: ergo eſt delegabilis: ergo niſi Votum limitatum ſit ad perſonale præceptum Rectoris &c. Delegatus ligat: ſicut ſi abſolutè vovi obedientiam Petro, & hic velit, ut Pauli voluntatem exequar, tenebor. At Votum fit ſub forma: *Tibi* & *locumtenenti* &c. & aliàs etiam abſolutè ſonat.

10 Nonò. In Abbitiſſa ſufficit poteſtas dominativa ad ſic præcipiendum. Nec enim talis obligatio Voti repugnat Juri naturali Divino, vel Eccleſiaſtico; ſed ſicut Mater carnalis filiis, ita ſpiritualis præcipere poteſt ac debet Monialibus ſuis in his, quæ ad ſuam adminiſtrationem pertinent; quia moraliter neceſſarium eſt ad convenientem gubernationem. Tamen dicta poteſtas magìs quàm in viris, limitata eſt, ùt conſtat uſu, & revera ita expedit; ſicque quantitas ejus ſumenda eſt ex ſtatutis, & conſuetudine Monaſterii.

CAPUT XII.

An in Votum ſolemne obedientiæ cadere poſſit Diſpenſatio?

1 Primò. Diſpenſando in Profeſſione, etiam dictum Votum tollitur. Nam cum principali ſimul etiam ruit acceſſorium, & in non Religioſo ſtare nequit obedientia Religioſa: at hæc ſola fuerat promiſſa. Pontifex tamen comutare poterit, ut maneat obligatio obedientiæ omnino ſimplicis, juxta modum in diſpenſatione præſcriptum.

2 Secundò. Retento ſtatu Religioſo, diſpenſatio integra in dicto Voto eſſe nequit. Nam Pontifex licèt Perſonam eximat à poteſtate inferiorum Prælatorum, non tamen à ſua; nec etiam fingi poteſt cauſa juſta talis exemptionis: ergo ex defectu cauſæ dicta diſpenſatio impoſſibilis eſt. Secùs eſt de diſpenſatione quoad aliquas Regulas; quod ſolùm eſt ſubtrahere materiam, & eximere ab inferioribus. Denique aſſumptus ad Pontificatum deſinit habere Superiorem: carere autem hoc, eſt per accidens ad Votum.

TOMUS TERTIUS
De Religione.
TRACTATUS SEPTIMUS.
De Regularibus.
LIBER I.
De Statu Perfectionis, variíſque ejus modis.
CAPUT I.

1. Quid ſit ſtatus Chriſtianæ Religionis. 1
2. Utrum d. ſtatus rectè diſtinguatur in ſtatum Perfectionis, & vitæ communis. 2
3. Quæ ſit Perfectio Chriſtiana. 3
4. Qualis Perfectio Charitatis per ſtatum Perfectionis intendatur. 4
5. Quid ſit ſtatus Perfectionis. 6
6. V. in Lege Evang. diſtinguantur Conſilia à Præceptis 7
7. Ratione probatur veritas Catholica. 8
8. Occaſione objectionis declaratur materia & varietas Conſiliorum. 9
9. Satisfit fundamentis Hæreticorum. 10
10. Statum Perfectionis etiam Conſiliorum obſervantiam includere. 12
11. V. Status Perfectionis principaliùs conſiſtat in obſervantia Præceptorum. 12
12. V. d. ſtatus conſtituendus ſit per Votum. 13
13. V. Rectè dividatur in ſtatum Incipientium &c. 15
14. V. Rectè dividatur in ſtatum acquirendi & exercendi Perfectionem. 16
15. V. Status Epiſcopatûs ſit ſtatus Perfectionis exercendæ. 17
16. V. Ejus vinculum Jure Divino indiſſolubile ſit. 18
17. V. Prælati ſeculares Epiſcopis inferiores, vel Parochi ſint in ſtatu Perfectionis. 19
18. V. Status Epiſcopatûs ſit perfectior ſtatu Religioſorum 20
19. V. adeò perfectus ſit, ut in eo impleatur Votum Religionis. 21

20. Reſolvuntur dubia circa c. *Per tuas.* de Voto. 22
21. V. Status inferiorum Prælatorum ſit perfectior ſtatu Religioſo. 24

LIBER II.

De Religioſi ſtatû, eſſentia, origine &c.

CAPUT I.

1. V. Status Religioſus, & ſtatus acquirendæ Perfectionis idem ſint. 25
2. V. Tria Conſilia, & ſola ſint de ſubſtantia d. ſtatûs. 26
3. V. Obligatio Voti perpetua neceſſaria ſit ad d. ſtatum. 27
4. V. Præter Vota ſit neceſſaria promiſſio vel traditio facta homini. 28
5. V. Vota debeant eſſe ſolemnia. 30
6. V. Solemnitas Voti Caſtitatis poſita ſit in Benedictione vel conſecratione. 31
7. V. conſiſtat in traditione Religioſi. 33
8. Opinio Antiquorum impugnatur ex Jure. 35
9. Ratione oſtenditur, traditionem ſolo Jure naturæ non dirimere matrimonium ſubſequens. 36
10. Vera ſententia de ſolemnitate Voti Caſtitatis. 37
11. Corollaria ex præcedenti reſolutione. 38
12. Qualis & unde ſit ſolemnitas Voti Paupertatis. 39
13. Qualis & unde ſit ſolemnitas Voti Obedientiæ. 41
14. V. Solemnitas trium Votorum ſit de ſubſtantia ſtatûs Religioſi. 43
15. V. Approbatio Eccleſiæ neceſſaria ſit ad d. ſtatum. 44
16. Dubia expediuntur. 46
17 V. Poteſtas approbandi in ſolo Pontifice ſit. 48
18. V. Poteſtas Jurisdictionis neceſſaria ſit ad ſtatum Religioſum. 51

LIBER III

De Authore ſeu causâ efficiente Religioſi Statûs.

CAPUT I.

1. V. Status Religioſus ſit proprius Legis Gratiæ. 53
2. V. à Chriſto ipſo fuerit inſtitutus, 54
3. V. perpetuâ traditione duraverit. 56
4. V. In exordio Eccleſiæ fuerit ejuſdem rationis cum præſenti. 58

LIBER IV.

De Voto aſſumendi Statum Religionis.

CAPUT I.

1. V. d. Votum bonum & validum ſit. 59
2. Quando obliget ad ingreſſum Religionis. 60
3. V. obliget ad perſeverandum in ea. 62
4. Ad quid obliget Votum perſeverandi. 63

5. V.

5. V. Simplex Votum Religionis dirimat ſponſalia. 65
6. V. per propriam irritationem extingui poſſit. 66
7. Quodnam Votum Religionis ſit reſervatum. 67
8. V. Quoad gradum arctioris Religionis reſervatum ſit. 68
9. Quomodo Commutatio facienda ſit. 69

LIBER V.

De Ingreſſu Religionis & Novitiatu.

CAPUT I.

1. V. Ex parte ingredientis requiratur certa ætas. 70
2. Quæ ſit parentum poteſtas offerendi filium adultum. 71
3. V. expediat pueros admitti. 73
4. Quæ perſonæ inhabiles ſint. 74
5. V. propter neceſſitatem parentum teneatur quis non ingredi Religionem. 75
6. V. etiam propter neceſſitatem filiorum aut fratrum. 78
7. V. Oneratus debitis licitè ingrediatur. 78
8. V. Ingreſſus ex perfecta libertate fieri debeat. 80
9. Quæ libertas requiratur 82
10. A quo & quâ formâ fieri debeat receptio. 84
11. Quos effectus habeat Ingreſſus 85
12. V. neceſſarius ſit annus integer Novitiatûs. 86
13. Quando Novitiatus incipiat. 87
14. Quæ ſint de ſubſtantia ejus. 88
15. V. de ſubſtantia ſit annus continuus. 90
16. V. Novitius teneatur ad obſervantiam Regularem. 91

LIBER VI.

De Profeſſione Religioſa.

CAPUT I.

1. V. neceſſaria ſit, ſempérque fuerit. 94
2. Quid ſit formaliter & ſubſtantialiter. 94
3. V. Neceſſarius ſit conſenſus omnino liber & in ætate perfecta. 97
4. V. Conſenſus liber à metu 98
5. V. Liber ſine dolo vel ignorantia. 100
6. V. Libertas à ſervitute neceſſaria ſit. 101
7. V. Libertas à vinculo Matrimonii. 101
8. V. Epiſcopus poſſit profiteri Religionem. 103
9. V. Obligatio erga parentem impediat. 104
10. V. neceſſaria ſit libertas à quocunque debito. 107
11. Quæ conditiones neceſſariæ ſint ex parte Religionis. 108
12. Quæ forma ſervanda ſit. 109
13. Quos effectus habeat Profeſſio expreſſa. 111
14. V. per eam extinguantur Vota præcedentia. 111

15. V. Profeſſio, quatenus contractus indiſſolubilis ſit per contrahentes. 113
16. V. Indiſpenſabilis per Pontificem. 114
17. Solvuntur difficultates. 115
18. V. Poteſtas diſpenſandi ſit in ſolo Pontifice. 118.
19. Quot modis fieri poſſit Profeſſio tacita de Jure antiquo. 118
20. Quomodo poſt Concilium Tridentinum. 119
21. Quos effectus habeat. 120

LIBER VII.

De Profeſſione invalida.

CAPUT I.

1. Quibus modis poſſit eſſe invalida. 121
2. V. habeat effectus aliquos. 124
3. V. liceat poſt irritam Profeſſionem relinquere Religionem. 126
4. De quinquennio per Concilium præſcripto. 127

LIBER VIII.

De Paupertate Religioſa.

CAPUT I.

1. V. Paupertas ſit neceſſaria ad Salutem. 128
2. V. eam vovere ſit de meliore. 129
3. V. d. Votum extra Religionem ſit licitum. 131
4. Quæ ſit materia ejus. 131
5. Quæ ſit materia proxima. 133
6. Quot modis violetur. 136
7. Quàm ſit antiquum, ut Religioſi non habeant proprium. 138
8. V. Votum excludens proprium in Communi, liceat vel expediat. 141
9. Quæ paupertas Religionum præſtantiſſima ſit. 144
10. Quæ obligatio ex Voto ejus ſolemni oriatur. 145
11. Quæ acceptio rei ſit vitium proprietatis. 146
12. De Poſſeſſione rei contra paupertatem. 147
13. V. Religioſus retinere poſſit uſumfructum. 150
14. V. habere annuos reditus. 151
15. De uſu contrario Paupertati. 152
16. De Teſtamentis Religioſorum. 154
17. Quam obligationem habeat votum de non habendo proprio in communi. 156
18. V. Diſpenſatio cadere poſſit in votum ſolemne Paupertatis. 158

LIBER IX.

De Voto Caſtitatis.

CAPUT I.

1. V. d. Votum licitum & conſulendum ſit. 160
2. Ad quid obliget Votum ſimplex Caſtitatis. 162
3. V. obliget ad non contrahendum matrimonium, ſecluſâ intentione uſûs. 163

4. V. per ſe & naturâ ſuâ irritet matrimonium ſubſequens. 164
5. Ad quid obliget poſt contractum matrimonium. 165
6. V. dirimat matrimonium ratum. 167
7. V. vim habeat diſſolvendi ſponſalia. 169
8. V. Maritus poſſit uxoris Votum continentiæ ſine ſua licentia factum irritare. 170
9. Quid uxor poſſit circa votum mariti. 171
10. Quid ſit de vovente cum licentia conjugis. 172
11. V. alius præter Pontificem diſpenſare poſſit in d. Voto. 173
12. Dubia circa reſervationem d. Voti. 175
13. V. Obligatio Caſtitatis Jure Divino ſit annexa Ordini. 176
14. Quando d. obligatio in Epiſcopis & Presbyteris cœperit. 178
15. Quæ fuerit obligatio in Eccleſia Orientali. 179
16. De obligatione, quam habent Diaconi & Subdiaconi. 179
17. V. d. obligatio ſit ex Voto vel Præcepto. 181
18. Quibus modis peccare contra votum poſſit Ordinatus in Sacris poſt matrimonium. 183
19. Ad quid obligetur, vivente uxore. 184
20. V. in Votum Ordinis Sacri cadat diſpenſatio. 185
21. Quàm ſit antiquum Votum ſolemne Religionis, & dirimens matrimonium. 186
22. d. *V*otum non poſſe ſolvere amtrimonium ratum & conſummatum. 188
23. *V.* vim habeat ſolvendi matrimonium ratum 188
24. Quando cœperit ea vis. 190
25. Expediuntur dubia. 191
26 *V.* cadat diſpenſatio in d. Votum. 193

LIBER X.

De Voto Obedientiæ.

CAPUT I.

1. *V.* *V*otum ſimplex Obedientiæ ſit honeſtum. 194
2 *V.* habeat conjunctam promiſſionem homini factam. 165
3. Ad quid obliget. 197
4. Qaale peccatum ſit transgreſſio ejus. 198
5. *V.* d. Votum ſit indiſtinctum à Traditione. 200.
6. Quotuplex malitia ſit in transgreſſione obedientiæ Religioſæ. 200
7. *V.* d. *V*otum obliget ad obſervationem totius Regulæ. 202
8. *V.* Obliget in quacunque materia honeſta. 203
9. *V.* perfecta Obedientia requirit materiam univerſalem. 205
10. *V.* d. *V*otum obliget ad permanendum in ſtatu. 206
11. Cui parendum ſit vi d. Voti. 208
12. Diſpenſatio cadat in Votum ſolemne Obedientiæ Religioſæ. 210

[illegible]

TOMUS QUARTUS.

De Religione.

TRACTATUS VIII.

De Obligationibus Regularium.

LIBER I.

De Obligationibus propriis Religioſorum, quatenus ſub Regula vivunt.

CAPUT I.

Quid, & Quotuplex ſit Regula Religioſa, & ut differat à Conſtitutione?

1 PRimò. Vox *Regula* accipitur vel ut nomen commune; vel ut collectivum. Priori modo ab inſtrumento artis transfertur ad principium aliquod, quod eſt inventum ad actiones morales, l. 1. ff. de R. J. & c. 2. diſt. 3, sícque aliquando ſignificat Jus ipſum, aliquando ſynopticam ejus doctrinam. Idem eſt de voce *Canon*, unde olim denominati ſunt Clerici in communi viventes; & poſtea ad eorum differentiam *Canonici Regulares*, quia non utcunque communiter, ſed ſub alia obligatione vivunt: idémque eſt de denominatione *Regularium* à Regula, quidquid Ludov. Vives calumnietur circa d. voces.

2 Poſteriore modo Regula Religioſa ſumitur pro collectione totius normæ vivendi Religiosè ab Authore ſuo adinventæ: & ita in Jure quatuor Regulæ numerantur, ſcilicet Baſilii, Auguſtini Benedicti & Franciſci, c. *Perniciofam.* 18. q. 2. jun. Clem. *Exivit.* de V. ſ. & c. *Exiit.* eod. in 6. Quæ verò d. Regulis ad-

adduntur in variis Religionibus, vocantur *Conſtitutiones*. Quia enim d. Regulæ, ut Baſilii, & Auguſt. nimis breves ſunt, nec de omnibus neceſſariis vel convenientibus Communitati Religioſæ diſponunt; quæque Religio ſubſequens juxta finem ſuum addit ſpeciales obſervantias, priores pro fundamento aſſumens: at S. Franciſcus ſuam Regulam ex integro condidit, ſingulis ejus familiis ſuas ſubin conſtitutiones addentibus.

Secundò. Licèt prò rata poteſtatis per Approbationem datæ, quæque Religio mutari poſſit Regulam primævam, ſingulariter ſumptam, non tamen ſumptam collectivè: idémque eſt de Conſtitutione. Nam aliàs Religio deſtrueret ſeipſam. Sicut autem ſucceſſores Pontifices non minorem poteſtatem habent, quàm Anteceſſores: ita cùm plures nunc ſint Regulæ in Eccleſia, recentioribus non minor eſt authoritas, quàm antiquis. 3

CAPUT II.

Quam obligationem inducat d. Regula; & quomodo cognoſcatur quantitas obligationis?

1 Primò. Regula (idémque eſt de Conſtitutione) poteſt eſſe vel mera inſtructio & doctrina, vel Lex Conventialis tantùm ex mutuo pacto, vel Lex Jurisdictionalis. Nam in principio Religionum potiùs fuit inſtructio data per Regulas; poſtea acceſſit vis Conventionalis: & deniq; per Approbationem & Confirmationem Jurisdictio conceſſa eſt ad exigendam obſervantiam Regulæ etiam purè Religioſæ. Alia enim eſt ratio de his, quæ per Jus præcipiuntur Regularibus: nam quæ ſit obligatio, ſumendum eſt ex interterpretatione Legis. Solùm nunc ſumitur, d. Regulam non eſſe merum conſilium, quia ultra illam dantur Conſilia, quorum omiſſio non imputatur, ut neglectus Regulæ.

Secundò. Regula Conventionalis poteſt eſſe vel ad pœnam tantùm, vel etiam ad culpam. Conſtat enim, per illam imponi poſſe neceſſitatem moralem per coactionem, aliàs planè nullam vim haberet. Rurſum neceſſitas eſſe poteſt etiam in conſcientia, ut ſi fides data exigitur in Regula. Neutra tamen neceſſitas poteſt eſſe tam rigoroſa, ut in Regula Jurisdictionali, ſive quoad vim Coactivam, ut patet de Excommunicatione, ſive etiam quoad Directivam, ut obligando ſub mortali, extra caſus raros. 2

Tertiò. Regula Jurisdictionalis poteſt 3

poteſt eſſe vel ad pœnam tantùm, vel ad culpam, eámque vel gravem vel etiam levem, licèt materia gravis ſit. Ita alibi dictum eſt contra Vaſq. & Bellarm. & tenent Sylv. & Nav. diſtinguendo mandatum à præcepto, non ſolùm in materia, ſed modo jubendi: itémque omnes, qui volunt, leges humanas ſolùm ſub veniali obligare, ſi verba plus non exigant. Favet etiam S. Thom. 22. q. 105. a. 2. & Martinus V. in approbatione Regulæ S. Hieron. declarat, per ejus violationem non incurri mortale; ſicque non excludit, poſſe peccari venialiter; & ideo S. P. N. utrumque explicandum duxit, quòd nec venialiter, nec mortaliter peccetur. Unde à fortiori falſum eſt, obligationem Regulæ ſumi ex Voto, ut Henricus vult; non enim vovemus obſervare Regulam, ſed obedire ſecundùm Regulam.

4 Vel ergo ſignatè explicatur, mentē Regulæ eſſe obligandi quantùm poteſt juxta materiā; vel obligationem eſſe ſub veniali tantùm; vel ad pœnam tantùm; vel citra declarationē aliam, ſolùm ordinando, ſtatuendo &c. quæ agenda ſunt? Si 1um, Clem. *Exivit* de V. S. ſuppoſito uſu interpretandi, declarat, obligationem eſſe ſub gravi, ſi adſint verba *præcipiendi* &c. ergo ſecùs eſt, ſi deſint illa; aliàs ſi omnes Regulæ ita ligarent, eſſent in laqueum, & vix aut nunquam vitaretur mortale. Si 2dum, vel 3tium, ſubintelligitur exceptio & in materia directa Voti, & addito præcepto expreſſo, aut Cenſurâ ipſo facto. Si autem ferenda eſt, ſiſti poteſt in comminatione, donec accedat præceptum hominis; ſicque non eſt ſignum omni exceptione majus, ut cogat ad affirmandam obligationem gravem, ſuppoſitâ d. declaratione. Minùs autem ſufficiunt verba præcipiendi &c. aliàs vix eſſet effectus d. declarationis, ſi non eſſet ad limitandam vim verborum illorum.

Denique licèt tranſgreſſor Regulæ ſit ex natura rei Reus pœnæ, tamen ad hanc, eſto taxatam in Regula, non eſt obligatio in conſcientia, ſuppoſitâ d. declaratione, ut rectè notat Cajet. quia declaratio eſt generalis: ergo d. obligatio ſolùm radicaliter fundatur in Regula, quatenus pœna eſt juſta materia præcepti, nec imponi juſtè poſſet, ſeclusâ Regulâ. De ultimo modo Regulæ dicetur cap. ſeq. 5

CAPUT III.

Quomodo dignoſcatur, Regulam obligare, quando id non exprimit?

1 Primò. Non obligat d. Regula ſub mortali extra materiam Votorum, & ubi aliud non colligitur ex adiecta pœna &c. Nam Sancti noluerunt laqueum damnationis inijcere; at major pars in communitate, eſt fragilis. Dein verba ſimplicia ſunt ſaltem ambigua, ut pater ſæpe iis utitur, & Chriſtus Mat. 7. *Præcepit ne cui dicerent*; & c. *Dilectiſſimis*, 12. q. 1. ibi. *Doctrinis & exemplis Apoſtolorum obedire præcipimus*, utique vel declarando ſimplicem ordinationem, vel eam comprehendendo: ergo in dubio rectè utimur interpretatione mitiore. Rurſus tenor Regulæ Baſil. Aug. Benedicti valde ſimplicibus verbis conceptus eſt, & S. Franciſcus ter tantùm ponit particulam. *Firmiter præcipio*, valdè accuratè diſtinguens, quando præcipere, & quando ſolùm monere vult; & in Clem. *Exivit*, de V. S. fatetur Pontifex, verbum *Teneatur* non æquivalere verbis præceptivis. Denique oppoſitum nemo tenet præter Henric. & Jo. de Neapoli.

2 Secundò. Regula præter Statuta complectitur etiam Conſilia, quæ nec ad veniale, nec ad pœnam obligant. Exemplum eſt in Summatio Conſtitutionum Societatis de exuendo affectu carnis, de affectu inſignium Chriſti, & ſimilibus, in quibus generaliter componitur homo interior. Statuta enim aliquo modo verſari debent circa actus externos (ut determinando tempus v. g. quo ab externis vacetur) & ordinare aliquid determinatè agendum. Quia tamen etiam ad priora aſpirandum eſt, & in iis directione Superioris utendum, differentia Statuti, & Conſilii ſolùm eſſe videtur, quòd ob interna nemo judicetur, vel puniatur, niſi ea ſponte aperiantur extra Confeſſionem; & ideo fortè jubemur pœnitentias generaliter petere.

Tertiò. Per transgreſſionem Regulæ neceſſariò non inciditur in veniale, quamvis per accidens & frequentiùs ita fiat. Nam aliàs nimis repugnaretur intentioni Fundatorum nolentium obligare, etiam ſub veniali. Dein in opere de ſe honeſto, conſiderandum eſt motivum, quo fit: ſi ergo id honeſtum eſt, per transgreſſionem non inficitur, Legislatore diſertè obſtante: frequentiùs tamen finis eſt otioſitas, vel delectatio; & ita peccatur. Rurſus de omiſſione contra Regulam, judicandum eſt ex cauſa. 3

Vel enim directè eſt volita omiſſio orandi, vel tantùm indirectè propter inadvertentiam, negligen- 4

tiam &c. Si 2dum, non ſufficit, quia omiſſio nec in ſe eſt mala, nec propter prohibitionem. Si 1um in individuo judicandum eſt ex motivo. Idémque eſt de omiſſione petendi licentiam; nam practicè oriri ſolet ex tepiditate in ſuperanda difficultate: ſícque non ob obligationem Regulæ, ſed propter irrationabilem modum volendi, vel nolendi in individuo peccatur. Neque his obſtat illud: *Turpis eſt pars* &c. Nam ſi intelligitur de turpitudine contra rectam rationem, procedit, ſi Lex obliget in conſcientia: imperfectio autem latiùs patet, quàm peccatum veniale. Supponimus autem abeſſe ſcandalum, nec recuſari pœnam transgreſſionis, ad quam quis in conſcientia tenetur.

CAPUT IV.

An Religioſus teneatur ſub præcepto ad non contemnendam Regulam, & conſequenter ad progrediendum ſecundùm Regulam?

1 Primò. Religioſus abſolutè tenetur aliquo modo progredi in via Perfectionis. Nam tenetur ſervare ſtatum; & hoc in rigore ſufficit; aliàs ſervare Caſtitatem & Paupertatem, quæ Conſilii ſunt, non eſſet tendere ad Perfectionem: quod eſt planè abſurdum. Dein ſat eſt, uti aliquibus mediis de ſe non præceptis; neque eſt quis tam diſſolutus, qui non faciat aliquid ſupererogationis: at omnibus mediis uti, vix eſt moraliter poſſibile, vel ſaltem rariſſimum. Denique aliud eſt tendere; aliud currere.

2 Secundò. Per ſe loquendo, & vi objecti, Religioſus non tenetur habere propoſitum ſervandi omnia, vel aliqua ex his, quæ nec promiſit, nec ſpecialiter ſibi præcepta ſunt quamvis moraliter loquendo, vix fieri poſſit, ut habeat debitam intentionem ſalutis propriæ, quin hoc etiam intendat. Aliud eſt enim, velle totam Regulam non ſervare; aliud nolle ſervare omnia. Juxta prius procedit ſententia communis S. Thomæ, quia nec ſecularis habet firmum propoſitũ neceſſarium, quin conſequenter velit aliqua ſupererogationis: nam ſubſtantia ſine accidentibus non eſt, dicente Gerſon. *raro fieri, ut homines præcepta ſtrenuè compleant, quin quodammodo ſupererogent & miſceantur Conſiliis.*

Sin autem per ſe ſermo ſit, nón 3
poſſumus obligare, ubi non conſtat de Voto, vel præcepto: at ſolùm ſiunt tria Vota; & in d. objecto non eſt malitia intrinſeca, minùs mortalis, cùm tantùm ſit de minùs bonis, vel indifferentibus: nec hîc eſt Jus Divinum, nec etiam humanum, præter Regulam, cujus tamen Author non diſtinxit inter particulares Regulas, & earum collectio-

lectionem, abſolutè negans obligationem. Rurſus unitas propoſiti non ſufficit, niſi in ipſa materia ejuſdem vitii accreſcat malitia, ut in furtis; at in præſenti objecta diverſarum rationum ſunt. Et aliàs, quia in moralibus idem ſunt propoſitum formale, & virtuale, ſciens & videns ſe deficere longo tempore, peccaret moraliter, cùm habeat plus quàm virtualem voluntatem non proficiendi ſecundùm Regulam.

4 Confirmatur, quia aliàs idem foret de Epiſcopo: quod eſt incredibile, quia ſine fundamento rationis, aut Legis: eſsétque damnare quàm plures, vel fortè ordinarium modum vivendi Epiſcoporum: nec tamen prudentes, & etiam pii Confeſſores plus ab eis exigunt, cùm tamen initio deberet ſupponi, & ſignificari Perfectio; ſicque mortale eſſet ſuſcipi ſtatum ab imperfecto. Denique idem foret de neglectu unius Regulæ, quia Bern. de qualibet loquitur; & poteſt illa moraliter eſſe neceſſaria ad Perfectionem, ut Oratio quotidiana.

5 Tertiò. Quando Regula ſolùm obligat ad pœnam, mortale non eſt per ſe, & vi objecti, habere animum non ſervandi quamcunque Regulam; dummodo paratus ſit ad ſuſtinendam pœnam. Nam talis ſatis ſe ſubjicit Regulæ, eligendo partem alteram Legis Pœnalis, quæ disjunctivè fertur: secùs autem contra Votum ageret, reſiſtendo pœnæ. Exemplum eſt, ſi quis ſecum ſtatuat non ſervare, quoties occultè potuerit, vel aliter pœnam vitare, vel certè quoties majus onus ſenſerit, quàm in pœna, ut proponendo alios actus honeſtos ſibi ſuaviores. Sicut autem nolle eſſe Religioſum, peccatum non eſt, ita nec reſiſtere vocanti ad meliora.

Licèt autem moraliter nemo ſit rectus in ſubſtantialibus, qui intendit nullam omnino ſervare Regulam, aut ſemper in omnibus tranſgredi: tamen morale eſt, contentum eſſe neceſſariis, ſine ſollicitudine de aliis; ſicque ſtatuere, non ſemper ſervare Regulam, ſed quando Diſciplina ipſa compulerit, vel quando ſine gravamine fieri poſſit. Cum hoc autem ſtat, multa ſupererogari, præſertim ſæpius exercendo actum Charitatis, & efficax propoſitum non recedendi à Deo, ut ab ultimo fine propter ullam rem Mundi: quod moraliter neceſſarium eſt. 6

Quartò. Ubi Regula ſolùm obligat ſub veniali, grave veniale eſt, 7
velle illam frangere, ſi occaſio tulerit; non tamen mortale, ſecluſo periculo gravioris lapsûs, & contemptu. Prima pars per ſe conſtat, & additur una tantùm malitia contra generalem rationem obediendi Legi. Sicut enim omnes obſervationes in ea ratione conveniunt; ita trangreſſio ut ſic, opponitur ſoli illi rationi generali; & ita ſumit ab ea unam ſpecificam malitiam. Pars altera conſtat ex dictis, & exemplo ſecularis, nolentis cavere venialia: in quo omnes ferè conveniunt.

8 Prior limitatio rarò habet locum propter d. remiſſionem animi, quia ſolùm eſt diſpoſitio remota, niſi ſit periculum in particulari materia, & ſpecie peccati mortalis; & aliquâ certâ ratione & experimento conſtet, ex neglectu talis Regulæ, vel ex talibus culpis non vitatis, id ſequi. Altera exceptio ſupponit, ſermonem eſſe de nolente ſubjici in neceſſariis, ut reſiſtendo pœnæ &c. Nam nolle ſequi Conſilium, quia tale, ſi ſenſus eſt, quia non neceſſitat, per ſe peccatum non eſt; ſicut nec grave per ſe, velle veniale, quia tale tantùm. Sin ſenſus ſit, quia majus bonum, actus eſt impoſſibilis, ſicut velle malum, quia malum, ſecluſo errore in Fide, & diabolico Dei contemptu; & ideo non facit ad doctrinam practicam. Igitur alio modo fit transgreſſio mandati ex contemptu mandantis, & tunc eſt gravis &c. Alius denique modus eſt, habere Regulam ut minùs ſibi utilem: quod nec eſt error in Fide; nec (ut ſupponitur) affectus odii &c. poteſt tamen eſſe periculum illuſionis, quia, ut ait Auguſt. *melior eſt claudus in via, quàm curſor præter viam.* Erítque ſuperbia mortalis, cùm quis exponitur periculo cadendi à neceſſariis ad ſtatum.

Ad ea, quæ ex Hier. & Bern. opponi ſolent. ℞. Religioſum vi ſtatûs nil habere præter Chriſtum, quia nihil proprii habet, nihil ſeculi, Matrimonii, & curarum ejus, nil voluntatis propriæ; ſicque ſtat propoſitum proficiendi ſubſtantialiter, ut ſic dicam, ſeu in neceſſariis. Non progreſſio autem defectio eſt, non quidem in Charitate, ſed quoad operationem, ſine qua eſſe nequit: & ita per eam vel proficit, vel deficit, utique per veniale, aut augendo affectum inordinatum, qui facilitatem virtutis impediat. Denique conſtat differentiam eſſe inter particularem, & univerſalem neglectum Regulæ, quia in hoc certum periculum eſt, imò occaſio perveniendi ad verum contemptum. 9

CAPUT V

An Religioſus teneatur non dimittere ſuum Habitum?

1 Primò. Religioſus ſub mortali tenetur retinere, ſeu non mutare proprium Habitum Religionis. Aliud enim eſt mera ſpoliatio Habitûs, aliud mutatio ejus. Prior vi Juris non prohibetur; quidquid ſit vi Regulæ in unaquaque Religione. De poſteriore, omnes ſupponunt, ut certum, eſſe illicitam ſub gravi, c. 2. Ne Cler. vel Mon. in 6. nam Excommunicatio ſupponit mortale. Facit à ſimili c. *Deus qui.* c. *Clerici* 7. cum aliis de Vit. & hon. Imò eo ipſo fit apoſtaſia, ſi adſit animus defe-

deferendi ſtatum, c. 1. & c *Viduas* c. *De viduis.* cum aliis 27 q. 1. & c. 2. 20. q. 3 quod tamen univerſale non eſt, ut patet in Monaſterio Monialium, vel Militia ſic relaxata. Igitur d. Præceptum eſt poſitivum, & ſuppoſitum ad omnem Regulam, uſúque & per ſacros Canones confirmatum.

2 Secundò. Poteſt d. mutatio aliquando excuſari, vel ſimpliciter, vel ſaltem à gravi. Conſtat, ſi gravis cauſa & neceſſitas ita exigat, ut eſt generale in Legibus humanis, ut cùm urget neceſſitas tuendi vitam, vitandi infamiam, ſcandalum: ſic enim etiam arma deferre, poteſt licitum eſſe. Dein aliud eſt de merè ſuperinduendo; aliud de mutando Habitu; prior enim nec dimiſſio hujus eſt, nec mendacium, ſed ex fine judicandum erit, an fiat animo apoſtatandi, imò liberè tantùm, & diu evagandi; quia tunc fit virtualis dimiſſio Habitûs. Secùs erit, ſi tantùm ex parte mutatio fit, ita ut proprium inſigne appareat: indecentia autem alia, quamvis contra Canones ſit, tamen dimiſſio non eſt, ut fieret, ſi ſola interna retinerentur, quin quis cognoſci poſſit.

3 Alii excuſant à gravi, ſi ad breve tempus dimiſſio fit; quia parum pro nihilo reputatur, arg. l. *Divortium* ff. de Divort. Sed vel fit publica mutatio, & ad latendum, vel ſolùm repræſentandi gratiâ, non ſeriò? Si 1mum, deformitas intrinſeca eſt, & repugnans ſtatui, ut cùm quis ludum publicum ſic adit. Si 2dum, conſtat uſu timoratorum, quòd excuſetur. Nam ipſa intentio intrinſecè mutat rationem actionis, ut non cenſeatur vera mutatio, ſicut eſt, cùm quis videri alius vult.

Tertiò. Prælatus Religionis non 4
poteſt diſpenſare in d. mutatione. Nam aliud eſt, licentiam ad hanc directè & per ſe dare; aliud ad iter vel opus, quod illam poſtulat. Poſterius per ſe & directè pertinet ad Jurisdictionem Prælati, & circumſtantia loci eſt per ſe & intrinſecè intenta in d. licentia, ejusdémque Prælati eſt, authenticè declarare ſufficientiam cauſæ ad mutandum Habitum. At prior licentia eſt diſpenſatio in Jure communi, quæ nec expreſsè conceſſa eſt, nec virtute, ut ea, quæ frequenter & ordinariè occurrunt, cùm res ſit extraordinaria, & ſolùm ex cauſis extrinſecis & accidentariis concedatur.

CAPUT

CAPUT VI.

An Religioſi ad Clauſuram ſervandam non egrediendo, teneantur ex praecepto?

1 Primò. Obligatio d. Clauſuræ non eſt ex ordinatione Regulæ, ſed rigoroſo præcepto. Ita c. *Placuit*, 1. & 2. c. *Monachi*. 2. c. *Juxta* c. *Qui verò* 16. q. 1. c. *Quando*, de Off. Ord. Trid. ſ. 25. c. 4. de Regul. Et Clem. VIII. inter caſus reſervatos refert, *nocturnam & furtivam à Monaſterio egreſſionem, etiam non animo apoſtatandi factam.* Jus enim Superioris læditur, ſicut cùm ſervus diu ſe ſubtrahit domino, aut filia patri, eſto ſine intentione mala, vel periculo. Dein Votum obligat, non tantùm cùm actu quid præcipitur, ſed etiam ad perſiſtendum in proxima ſubjectione, ut mandari poſſit.

2 Secundò. Ex genere ſuo d. obligatio eſt gravis in ſua materia proportionata. Nam ſequitur Regulam aliarum Legum, in quibus quantitatem obligandi metimur ex materia, niſi de oppoſito conſtet: at nec ſcripto, nec uſu expreſſa eſt in præſenti limitatio ad merum veniale. Conſtátque, ſiquis diu extra Clauſtrum vivat, licèt cum animo revertendi, peccari graviter, juxta Trid. ſuprà; idémque eſt de egreſſione nocturnâ furtivâ, juxta Clem. aut diurnâ cum animo pernoctandi, ut fatendum eſt de puella, propter læſum jus cuſtodiæ in re gravi: idem autem debetur Superiori propter cuſtodiam Caſtitatis.

3 Tertiò. In individuo peccatum fit leve ratione materiæ. Paret exemplo ſervi, puellæ &c. ad horam ſe ſubtrahentis, & ex ſenſu & uſu Timoratorum. Et aliquando ſimpliciter non peccatur, ut ex præſumpta licentia exeundo ad moribundum &c. Quòd ſi illa negatur, in dubio obediendum erit: deſinit autem illa neceſſaria eſſe, ſi evidens eſt neceſſitas proximi, & conſequenter obligatio Charitatis, dummodo abſit ſcandalum, & infamia Religionis. Caſus tamen moralis non eſt.

4 Quartò. Licentia, utut imprudens, ſufficit in præſenti ad excuſandum. Nam nec fit apoſtaſia, nec fuga, nec furtiva egreſſio: licentia autem non eſt diſpenſatio ſed materia & conditio in præcepto poſita, quia non prohibetur exitus ſimpliciter, ſed ſine licentia. Nec refert, aliunde peccari, ut conſtat in præcepto non comedendi ſine licentia, non edendi carnes &c. nam ſervatur, non ſervato præcepto temperantiæ. Denique Prælatus hìc non peccat: nam quam alteri dat, etiam ſibi licentiam ſumere poteſt; ſicque implet illud: *Patere Legem, quam tuliſti* &c.

CAPUT VII.

An Religioſi teneantur rigoroſo præcepto, non admittere externos ad Clauſuram?

1 Primò. Jus commune in præſenti nihil diſponit, ſed naturale eſt, ut curetur & decentia, & vitatio ſcandali tam reſpectu Regularium, quàm Secularium. Ita Ambr. de Off. c. 20. *Quid neceſſe eſt dare Secularibus obtrectandi locum?* Conſtátque, quietem eſſe maximè neceſſariam Religioſis, præſertim contemplativis. Tamen moderatio ſubintelligitur, ut conſtat circa hoſpites; nam juxta Baſil. decet, illos aliquando ad menſam admitti; & juxta Ambros. ſuprà, potius eſt, ut illi nos operis causâ conveniant, quàm nos illos. Quid verò Jus cujuſque Religionis habeat, ſcient, ad quos pertinet.

2 Secundò. Per Motum Pii V. 22. *Regularium*, & Greg. XIII. 36. *Ubi Gratiæ*, nec omnes mulieres arcentur ab ingreſſu Clauſuræ, nec ſolæ utentes facultate abrogatâ. Nam nec ſimilitudo rationis probat, nec ratio ſine voluntate Legislatoris operatur, nec eſt identitas rationis, quia fortè ſola revocatio facultatum ſine prohibitione abſterrebat. Uterque enim Pontifex addit, *Mulieribus cujuscunque ſtatûs* &c. & *Aliis cujuſcunque ſtatûs* citra expreſſionem Reginarum. Et Gregor. ad Minimos declarat; Fundatrices non comprehendi, quia ſunt quaſi Dominæ ſui Monaſterii, cum Jure Patroni aliàs privilegiato: eſsétque ingratitudo.

3 Tertiò. In d. Motibus non prohibetur abſolutè ingreſſus, ſed qui fit prætextu privilegii. Nam intentio non fuit, condere novas Conſtitutiones, ſed ſervare Jus Religionis, ne contra Regulam moleſtetur; nec hæc permittens aditum Reginæ cum decenti comitatu, rectè dicitur facultas. Potuit tamen uterque Pontifex declarationem ſuam ampliare ad Infantes, Princeſas &c. & Navar. allegat uſum ſacræ Pœnitentiariæ. Tamen extenſio poſcit promulgationem, non ſolam relationem Navarri. Tandem in Motu Pii V. *Romanum Pontificem*, edito 16. Jul. 1570. habetur abſoluta prohibitio, ſicque ceſſat locus dubitandi: & à secùs facientibus incurritur Excommunicatio ipſo facto, non verò pœnæ aliæ, ut eſt probabilior & communior doctrina de Legibus.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Clauſura Monialium, quoad non egrediendum Monaſterio.

1 Primò. Nec Votum, nec Præceptum Clauſuræ eſt de eſſentia Statûs Religioſi. Nam licèt poteſtas præcipiendi quod convenit, neceſſaria ſit, non tamen hæc vel illa Lex determinata; potuitque Eccleſia non admittere Profeſſionem, niſi cum ordine ad obligationem Clauſuræ. Nec propterea idem eſt de Voto ſimplici viventium collegialiter, quia Profeſſio conſtituit membrum ſtatûs Eccleſiaſtici, cuius inſtitutio & Regimen ſpeciali ratione pertinet ad Prælatos: at Votum ſimplex eſt actio privata, & relinquitur cujuſque conſilio, quamvis ſi de eo conſtet, Prælati ſit curare, ut ſervetur.

2 Secundò. Poteſt Eccleſia præcipere d. Clauſuram. Nam ſuppoſito ſtatu, multa præcipi poſſunt. tit. de Vit. & Hon. de Cohab. Cler. & Ne Cler. vel Mon. quia qui aſſumit Statum, virtute ſe obligat ad ea, quæ in eo expediunt, vel decent, cùm eorum determinatio nec ex ſola rei natura ſit certa & ſufficiens, nec cujuſque arbitrio relinqui poſſit. Dein ad Votum pertinent, quæ directè vel indirectè ſub Regula continentur: at Clauſura eſt moraliter neceſſaria, vel ita utilis, ut ſine ea difficulter ſervetur integritas Caſtitatis, & impedimenta tollantur Perfectionis, & ideo c. un. de Stat. Reg. in 6. dicitur oppoſitus ſtatus *periculoſus*, & *deteſtabilis*. Non ergo eſt res ſupererogationis, ſuppoſito ſtatu, nec decipitur Novitius, quia virtute ſe his ſubjicit, utique intelligens, præcipi poſſe, quæ ad Regulæ obſervationem conveniunt.

Tertiò. De facto ita præceptum 3
eſt. Conſtat ex d. c. un. & Trid. ſ. 25. c. 5. de Reg. & c. 22. ubi ampliat Decreta à ſe edita de Monialibus, ſubdens, *Non obſtantibus omnium & ſingulorum Privilegiis &c. nec non Conſtitutionibus &c. Conſuetudinibus &c. etiam immemoriabilibus.* Non obligantur autem niſi Profeſſæ, ut Pius V. expreſſit in Motu 8. *Cura Paſtoralis*, de Tertiariis, idémque eſt de Novitia, ſi de licentia Abbatiſſæ (aliàs interrumpit annum propter retroceſſionem à Corpore) exeat. Excipit tamen ſuprà Pius Converſas Profeſſas, quæ eleemoſynas colligere debent, ſervatis quatuor conditionibus, ut ſint annorum 40. & in domo contigua, nec Clauſuram ingrediantur, niſi in caſibus expreſſis in Conſtitutionibus, & ne domo exeant ad colligendum ſine licentia Ordinarii, & Superiorum.

Addit Pius, *De cætero nullæ Pro-* 4
feſſæ Converſæ ampliùs recipi poſſint; & illarum receptio nulla ſit. Quod Greg.

 XIII.

XIII. in Conſt. 13. *Deo ſacris*, ait, eſſe intelligendum, *præter illas Converſas, quæ extra Monaſterium in domibus contiguis degerent.* At hoc intelligi nequit de intrà degentibus: quo enim fine, aut titulo talis prohibitio? quia neque eſt propter Perfectionem ſtatûs (& cur magis pro Monialibus, quàm Monachis) nec propter Clauſuram. Aliunde talium miniſterium eſt, ut aliæ Choro vacent; & non Profeſſæ inconvenientiùs recipiuntur. Dein obſtat recepta, & ferè univerſalis conſuetudo, quæ circa cauſam urgentiſſimam abrogari nequiit; & quomodo pauperes ſic excluduntur?

5 Confirmatur, quia Gregor. non ſimpliciter prohibuit, ſed ut vel profiteantur, & intrò maneant, vel dimittantur. Solùm ergo vult, ut novæ Profeſſæ non recipiantur, niſi intra ſint, ſi poſſint; nec extrà degentes ſint plures, quàm collectio eleemoſynarum poſcat, mutando quoad hoc mentem Pii ex parte, quia circumſtantiæ, quas ille addiderat, videbantur miniſterium reddere tutum, quod per Profeſſas fideliùs fit, quàm per alias. De Oblatis tamen neuter Pontifex quid diſponit, ſed rem relinquit Juri communi & naturali; quod ut in virorum, ita mulierum Religione ſanctè ſervari poteſt.

CAPUT IX.

Quis poſſit diſpenſare in prædicta Clauſura Monialium?

1 Primò. Exceptio in d. Lege eſt, *niſi ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbatâ.* Ita Trid. ſ. 25. c. 5. de Regul. temperans rigorem c. un. de ſtat. Regul. in 6. quia ſatis *legitima* cauſa eſt, quæ eſt conformis Legi *rectæ* rationis. At Pius V. in Conſt. 100 *Decori* reſtringit ad cauſam *incendii, aut infirmitatis lepræ, aut epidemiæ*, nec ut ampliùs liceat extra Monaſterium ſtare, quàm ad tempus neceſſarium. Negat ergo Gutier, extra d. cauſas ſufficere aliam, quæ non vergat in damnum Communitatis, quia hanc approbat Bonifac. in d. c. un.

Sed inprimis Epidemia non accipitur ſtrictè pro peſte, quæ majorem partem, quam ferit, necat, ſed juxta Medicos pro quolibet morbo contagioſo. 2 2. Valent caſus per æquiparationem, ut inundationis, hoſtilis incurſûs &c. utpote materialiter, non in formali ratione diſtincti ab expreſſis. 3. Valet caſus Electionis, Trid. ſ. 25. c. 7. de Regul. & Juramenti Fidelitatis: d. c. un. §. *Verùm*, quia generi derogat ſpecies, etiam antecedens. 4. Idem eſt ptopter pravos mores, ſeu *ſcandalum*, d. c. un. 5. Idem de morbo gravi non contagio-

tagioſo, quia Lex non obligat cum tanto diſcrimine; & Pius ſolùm ex præſumptione, quòd non ſit neceſſitas exitûs, omittit caſum. Státque æquiparatio cum incendio, ex quo una periclitatur.

3 Dices; ergo tunc pro balneo v. g. non opus erit licentiâ. 2. Urgere poteſt translatio rationabilis, fundatio Monaſterii &c. 3. *Per* reſtrictionem *Pii* derogatur Tridentino. Ad 1um ℞. incendium non permittere moram; & ideo æquiparatio non tenet, niſi ubi eſt paritas. Ad 2dum ℞. in facti contingentia negatam eſſe à S. Congreg. ſufficientiam cauſæ. Licèt enim dura ſit reſtrictio *Pii*, ſic ſcripta eſt; conſequenter non ſufficit caſus, niſi vel in Jure expreſſus ſit, vel per æquiparationem habeatur; ſícque juxta *Pium* ſolùm ſufficit vel neceſſitas præciſa tuendi vitam, vel vitandi contagium. Ad 3ium. ℞. Limitationem fieri, non derogationem, ut *Bart.* diſtinguit, & favorabilem potiùs, quàm correctoriam arg. c. 2. §. *Statuimus.* de Decim. in 6. ſícque dicit *Pius*, ſe adhærere Concilio. Dein Lex ejus fieret planè inutilis; quod ſemper vitandum eſt.

4 Secundò. Diſpenſatio in d. Lege competit ſoli Pontifici; conceſſio autem facultatis ſoli Epiſcopo ſeu Ordinario, etiam quoad Exemptas. Nam diſpenſatio ſolùm eſt, cùm ſit ſine cauſa & facultate expreſſa in Lege: at poteſtas ad ſic diſpenſandam nec expreſsè, nec virtute ullibi conceditur, ut à fortiori conſtat ex reſtrictione facultatis ad ſolum Ordinarium. Quod enim Rodriq. vult, etiam Provinciali competere, eſt meri facti, quod probandum eſt: nam Lex Eccleſiaſtica nec pendet ab acceptatione, nec vim amittit, niſi poſt longiſſimam præſcriptionem, præſertim cùm dat Juriſdictionem, contra quam præſcribendum ſit. Poſcitur autem approbatio *in ſcriptis expreſſa*, *& causâ cognitâ.*

Tertiò. Egrediens cum licentia, ſed ſine cauſa juſta, non eſt tuta niſi pro Superiore præſumi poſſit. Ita reſtringit Pius ſuprà; nec aliter vitatur culpa & cenſura. Quòd ſi negatio approbationis evidenter injuſta eſt, ſufficiet Exemptæ licentia Prælati, ſine qua tamen moraliter loquendo, egredi non poterit, quia tunc præter d. Legem ligat intrinſeca obligatio Obedientiæ; víxque vitatur grave ſcandalum & apoſtaſiæ vel periculum, vel ſpecies cum infamia Religionis. Quod maximè tenet, ſi Votum ſit Clauſuræ, cùm ſemper includat in ſua materia licentiam Prælati: unde nec diſpenſatio Papæ valet ſine cauſa legitima. 5

CAPUT X.

De altera parte Clauſuræ, ſcilicet quoad ingreſſum Monaſterii Monialium.

1 Primò. Nemini citra licentiam ingredi licet d. Monaſterium. Ita c. un. de Stat. Reg. in 6. Trid, ſ. 25. c. 5. de Regul. Unde incapaces rationis, ſi pueri ſunt, admitti poſſunt, quia incapaces d. Legis *Nemini liceat*; nec Moniales per indirectum eam violant, niſi ùt directè in aliquem cadit. Secùs ergo eſt de perpetuò amente; nam ſolùm per accidens excuſatur à Lege; ſicut oblito diei jejunii dare carnes, peccatum eſt.

2 Secundò. Solus Epiſcopus, vel Superior licentiam dare poteſt, nec niſi in caſibus *neceſſariis*. Ita Trid. ſuprà, & Greg. XIII. in Conſt. *Dubiis*, 75. declarat, nec Epiſcopum ingredi poſſe, niſi in caſibus neceſſariis. Unde limitatur d. c. un. nam ingreſſus matris v. g. eſſet ſatìs rationabilis. Gradus autem, vel ſpecies neceſſitatis non determinatur, & ideo arbitrium Prælati, vel Epiſcopi poſcitur. Vel ergo illa eſt ordinaria, vel extraordinaria? Si 1um, ex natura rei intelligitur excepta, ut in Medicis, Chirurgis Sutoribus. Idem eſt, ſi neceſſitas ſit famulæ, dummodo Converſa non ſit (aliàs ceſſante neceſſitate dimitti non poſſet, ut præcipiunt Pius & Gregor.) & Profeſſa deſit, quæ ſerviat. Oportet tamen, ut ſit pro ſervitio Communitatis, & non unius perſonæ; aliàs quælibet aliquam ſibi adſciſcere poſſet: ſervare etiam debet clauſuram, aut non redire. Si 2dum; ergo vel delegata eſſe debet, Prælato abſente, poteſtas Superiori Locali (nec enim talis habet Jurisdictionem quaſi Epiſcopalem, loquendo ſimpliciter) vel per epiickiam Abbatiſſa poterit neceſſitati urgenti conſulere; nam Lex moralis eſt, & ideo moraliter intelligenda: imò propter talem neceſſitatem maximè appoſita eſt d. particula.

Simili ratione admittuntur puellæ uſque ad 25. annum ætatis, ſed ſine famula, & clauſæ, dummodo Inſtituto non repugnet. Et juxta Declarationem S. Congreg. etiam maritatæ admittuntur ad tempus, utique titulo neceſſitatis: quia hæc attenditur non reſpectu Monialium tantùm, ſed reſpectu proximæ, cui ſic conſuli poſſit citra incommodum, vel violationem Regulæ. Semper tamen in d. caſibus ſupponitur licentia Abbatiſſæ, tanquam ex natura rei neceſſaria, niſi caſus ſit juſtæ coactionis ad aperiendum &c. 3

Ter-

4 Tertiò, Prohibetur etiam merus acceſſus, præſertim frequens. Ita d. c. un. & c. *Monaſteria*, de Vita & hon. c. *In Decima*. c. *Definimus*. cum aliis. 18. q. 2. Dicitur autem *frequens*, ſi intra breve tempus ſæpius acceditur; nam interpolatio longa tollit frequentiam. Dein ſcribere non eſt accedere; nec Jura ultra proprietatem extendi poſſunt: ergo ſolùm ex Jure naturali judicandum eſt de peccato ſcriptionis, cùm Jus poſitivum non extet; conſtétque, ut acceſſu, ita etiam ſcriptione peccari poſſe.

5 Peccatum enim mortale in utroque fit, ob pravam intentionem. 2. ob materiam locutionis vel ſcriptionis 3. ob ſcandalum, ſive reſpectu Monialis, ſive aliorum propter ortum rumorem & ſuſpicionem pravam, ſive etiam proprium. 4. ob injuriam infamiæ conflatæ Monaſterio. 5. Regulariter per quemlibet acceſſum furtivum, ſeu ſine licentia Abbatiſſæ, etiam ſecluſo mortali fine. Nam eſt contra Jus & Monaſterii & Superioris: ſicut accedere puellam, quæ ſub cuſtodia Patris eſt, ex genere ſuo eſt gravis injuria, & gravior, ſi fit loco inuſitato, quia augetur injuria, & periculum ſcandali.

Quartò. Si acceſſus nec eſt furtivus, nec frequens, nec cum ſcandalo; ex Jure naturæ non eſt mortalis, licèt fiat ex cauſa ficta &c. Nam res ex objecto gravis non eſt. Tamen ſi prohibitio d. c. un. antiquata non eſt, utique obligationem gravem induceret. Idémque eſt de ſtatuto, & cenſura per Epiſcopum latâ: obligaret enim etiam in individuo; quia licèt ſic ceſſaret ratio Legis, non tamen ipſa Lex, & à fortiori ita tenendum eſt de acceſſu poſt factam monitionem, nam hac ſecluſâ, poterat excuſari, niſi evidenter nimia fuerit frequentia. 6

CAPUT XI.

An omnes actiones ſæculares vel profanæ, & univerſim omnes pravæ ſint ſpeciali er prohibitæ Religioſi?

1 Primò. Demptis, quæ ex Voto & ſtatu intrinſecè conſequuntur, Jure naturæ & Divino non eſt facta ſpecialis prohibitio Religioſis, quà talibus. Nam nec eſt cauſa fingendi talem prohibitionem; nec quæ vi muneris, miniſterii &c. eſſe poteſt, propria eſt Religioſi, ſed accidentaria, & communis cum a[illegible]. Per Canones autem prohibe[illegible] dam Religioſis & Clericis [illegible] niter, ut c. 1. & 2. Ne C[illegible] Mon. c. *A crapula* c. *clerici*. [illegible] de Vit. & hon. Clem. 1. [illegible]

Mon.

Mon. Trid. ſ. 22. c. 1. & ſ. 14. c. 12. de Refor.

2 Et quædam quidem ſunt intrinſecè mala, ut ebrietas &c. quædam ad decentiam habitûs ſpectant, alia ad decorem ſtatûs, & quia aliàs multùm impediretur finis ejus, ut per negotiationem, actionem forenſem, conductionem ſecularium rerum &c. Licèt enim per ſe mala non ſint, periculum habent & implicant negotiis. Alia magis indifferentia ſunt, ut ludus alearum, venatio &c. nam ſecluſo ſcandalo venatio mortalis non eſt; imò licita eſſe poteſt, ſi fit causâ juſtæ recreationis, & ſervatis aliis circumſtantiis. Idémque eſt de ludo aliàs non prohibito, & ſalvâ paupertate; aliàs lucrans à Religioſo tenetur reſtituere. Denique de propriis Religioſorum obligationibus videri poteſt Diſp. 22. & 23. & 31. ſ. 6. de Cenſur. & partim in ſuperioribus dictum eſt, partim in ſequentibus dicetur.

3 Secundò. Præcepta communia, quantùm eſt de ſe, æqualiter obligant Religioſos, & alios. Nam præceptum loquitur indiſtinctè, & poteſtas eſt æqualis reſpectu omnium, & voluntas obligandi etiam eſt generalis & indifferens: ergo ex nullo capite ſumi poteſt inæqualitas obligationis Si enim, quia perſona ſacra eſt, inæqualitas eſt; ergo idem erit de Baptizato reſpectu infidelis; de Clerico reſpectu Laici; de peccatis in loco Sacro: at certum eſt, non habere ſpecialem gravitatem, niſi ſpecialiter ibi prohibitum ſit, aut loco directè injurioſum: ergo ſimiliter in præſenti aggravatur ratione Voti, vel ſpecialis præcepti, vel ſi aliunde directè injurioſum ſit ſtatui, ut rectè Cajet. 1. 2. q. 7. a. 1. S. Thom. 22. q. 186. a. 10.

Tertiò. Regulariter loquendo, gravius peccat Religioſus, quoties peccat cum perfecta libertate, leviùs verò, ſi ex ſubreptione. Nam conditio perſonæ redundat ad augendum peccatum ratione intellectûs, & voluntatis, cæteris paribus ex parte præcepti: at ſi peccatum eſt deliberatum, regulariter fit cum majore ſcientia, lumine, atque adeò libertate, & etiam cum majori ingratitudine erga Deum, ob ſingularia beneficia. Hæc tamen neque addunt ſpecialem malitiam ſacrilegii, neque augmentum notabile. Ubi autem defectus eſt libertatis, peccatum non imputatur magis propter ſcientiã &c. Et ita videtur ſuo modo idem eſſe de peccato mortali ex infirmitate, ſeu vehementi paſſione: tamen cæteris paribus, aggravatur in Religioſo, quòd is poſt tot auxilia vinci ſe ſinat. 4

Quartò. Neque gratitudo ſpecialiter obligat Religioſum ad actus alios non præceptos, neque juſtitia vi pacti cum Religione. Non enim prior, ut per ſe conſtat; non poſterior, ſive erga Benefactores Religionis (quia ſupponimus abeſſe 5

pa-

pactum) ſive erga Religionem; nam Prælatus ex officio tenetur me alere, non exſpectatâ monitione; & meum ſolùm eſt obedire, non verò hoc vel illud agere, niſi poſtquam præceptum eſt; & Prælati eſt, poſſe & debere præcipere, ubi opus eſt.

LIBER II.

De Religioſis, quatenus Prælati ſunt, & eorum obligationibus, ut ſic.

CAPUT I.

An in Religioſo ſtatu requiratur Prælatus Juriſdictionem habent; & unde eam habeat?

1 Primò. Licèt in ſtatu Religioſo, ut ſic, per ſe non ſit neceſſaria Prælatio, niſi quam intrinſecè ſupponit Votum Obedientiæ; tamen juxta uſum Eccleſiæ modernum major neceſſitas eſt Prælationis. Nunc enim d. ſtatus non eſt, niſi in Communitate: at *ubi non eſt Gubernator, populus corruit.* Prov. 11. Licèt autem in pluribus congregatis intelligi poſſit unus Gubernator: tamen moraliter loquendo, uſus Regiminis reducitur ad ſingulares perſonas: quia fieri nequit, ut ſingula, quæ occurrunt, ſemper ordinentur per conventum plurium. Et licèt in Conſilio eſſe poſſit ordinaria poteſtas, quæ per Vicarios dein adminiſtretur: tamen Regimen imperfectum eſt, & Religioſo ſtatui minùs accommodatum, & ideò ſaltem quoad proximam Gubernationem, receptum eſt Imperium Monarchicum, ut natura docet 8. Eth. c. 10. & Chriſtus in Eccleſia inſtituit.

Secundò. Neceſſarius eſt in d. ſtatu Superior, qui poteſtatem Dominativam habeat; quamvis Juriſdictio illi neceſſaria non ſit. 2
Nam Dominativa ex traditione Religioſa ſequitur, ut correlativum, & ut effectus à cauſa. Sufficítque illa, ut in Gubernatione domûs, ita etiam ad plures domos regendas ſeu conventus; conſtátque exemplis in Monachis antiquis non Sacerdotibus, Fratribus Miſericordiæ, Monialibus. Juriſdictio tamen in aliquo eſſe debet, quia non poteſt eſſe ſtatus Eccleſiæ, qui non ſit ſubjectus Paſtoribus ejus, ſecundùm modum aliquem, vel à Chriſto vel ab Eccleſia inſtitutum: éſtque moraliter

raliter neceſſarium ad perfectam gubernationem, directionem, & coactionem, ubi eâ opus eſt.

3 Tertiò. In Religione exemptâ neceſſarii ſunt Prælati propriè dicti, ſpecialem, imò Epiſcopalem Jurisdictionem habentes. Eſt certa, & communis Doctorum pro veris Prælatis cenſentium Generalem, & Conventualem Præpoſitum loci exempti, qui non tantùm Jurisdictonem in externo Foro (ut Parochi, latè dicti *Prælati*, quia præſunt) ſed etiam in contentioſo habeant. Nam Pontifex per ſe immediatè non regit ſic exemptos, nec regere convenienter poteſt per meros Commiſſarios, quia in omni Congregatione neceſſarii Paſtores Ordinarii ſunt, qui ex Officio curam habeant Regiminis. Imò Med. Rodriq. & Mirand. volunt, d. Jurisdictionem eſſe ex Jure Divino, allegando illud, *Qui Eccleſiam non audierit &c.* & *Quæcunque alligaveritis*; & quia non eſt arandum in bove & aſino c. *In nona* 16. q. 7. c. *Cùm cauſam.* de Elect. Clem. 1. eod.

4 Quartò. Ex Jure Divino non eſt d. Jurisdictio. Oppoſita ſententia eſt nova, & ſine dubio falſa. Vel enim in Scriptura fundaretur, vel in Jure Canonico? Non 1um, quia argumentum ex citatis locis ſumptum, virtute fit in quatuor terminis: & aliàs idem eſſet de Archidiacono, Archipresbytero, Priore. &c. Sicut enim eſt præcepti Divini, ut obediatur Prælatis; & tamen ſtat Prælationem, Regnum &c. eſſe ab homine; ita effectus poteſtatis Clavium eſt à Jure Divino, quin ipſa poteſtas ab hac ſit, ut aliàs dictum eſt de Jurisdictione Epiſcopi. Imò dato oppoſito, quoad Epiſcopum differentia eſt, quia ut Eccleſia per Epiſcopos regatur, præcepti Divini eſt; nullatenus verò exemptio Religioſorum, quæ non niſi ſub Innoc. III. cœpit. c. *Cùm dilectus.* de Relig. dom. Unde nec 2dum dici poteſt, quia conſtat, ſtatus Religionis vi Sacrorum Canonum ſemper ſubjectos fuiſſe Epiſcopis ante Innocentium.

Confirmatur, quia ſtatum Religioſum eſſe in communitate non eſt de Jure Divino, ſed ſolùm ea, quæ ad eſſentiam d. ſtatûs pertinent: ergo multò minùs d. Jurisdictio, vel exemptio eſſe poteſt de Jure Divino. Dein ſicut ad Eccleſiam Regularem, ſi Cathedralis ſit, eligi poteſt Clericus ſæcularis, arg. d. Clem. & c. *Nullus.* de Elect. in 6. c. *Quòd Dei timorem*, de ſtat. Regul. ita etiam ad non Cathedralem. Nec Jura in oppoſitum citata obſtant, quia non de præciſa neceſſitate agunt, ſed de congruitate, juxta d. Clem. ubi nova Conſtitutio fit per particulam, *De cætero.* Per accidens autem ratione multitudinis Conventuûm fit, ut unus Epiſcopus non ſufficiat omnibus: poteſt tamen ſubſtituere Vicarios & Delegatos, ut olim; nec Abbas habet poteſtatem ordinariam, niſi cum dependentia ab Epiſcopo, & ſolùm ex liberali gratia Pontificis c. *Abbates.* cum aliis 14. q. 2. 5

CA-

CAPUT II.

Quotuplex ſit Prælatus Religionis, & quem ordinem inter ſe ſervent.

1 Primò. Sicut in Hierarchia tres Ordines à Dionys. diſtinguuntur, ita hîc tres Prælati ſunt. Conſtat de Infimo ſeu Locali (Miniſter enim vel Vicarius Oeconomicam tantùm habet Dominativam, aut poteſtatem ſpiritualem delegatam tantùm) & Supremo, qui præeſt omnibus Prælatis Ordinis, nullíque durabiliter gubernanti (Congregatio enim non excluditur) ſubeſt. Quòd ſi plures ſunt, ergo vel citra ſubordinationem, ut Generalis Minorum in Hiſpania; vel cum dependentia; ſícque independens, erit Caput ſimpliciter. Denique Medius Prælatus eſt, qui & ſupra ſe habet alium, & alios infra ſe; ſícque univerſalis aliquo modo Prælatus eſt. Stat tamen, ordinem gubernari per Locales tantùm, aut per Supremum ſine Medio. c. *In ſingulis* de ſtat. Mon.

2 Secundò. Conveniunt d. Superiores in his, quæ de ratione Prælaturæ ſunt. Nam quiſque habet Juriſdictionem ſpiritualem in Foro interno & Religioſo, ut conſtat ex præſenti uſu Eccleſiæ. Dein talis Juriſdictio ordinaria eſt, quia competit vi muneris, ſive de Jure, ſive de conſuetudine; notántque Innoc. & Abb. c. 1. 2. & 3. de Offi. Ord. & ſatis exprimitur l. 1. ff. de Off. ejus, cui mand. &c. Rurſus eiſdem competit Juriſdictio *quaſi Epiſcopalis.* c. *Abbates.* de Privil. in 6. quia poſſunt excommunicare, diſpenſare in Voto &c. ſecùs ac Archidiaconus, qui tantùm in minoribus judicare poteſt. Tamen non quidquid Epiſcopus, etiam illi poſſunt; imò nihil eorum, quæ ille poteſt, ut Delegatus Pontificis. Denique quiſque eorum habet im̃ediatam Juriſdictionem in omnes ſibi ſubditos; ſecùs ac Patriarcha & Archiepiſcopus in ſubditos Epiſcopi, ſeclusâ Appellatione &c. &c.

3 Tertiò. Differunt d. Prælati tum in amplitudine Juriſdictionis, tum in dependentia alterius ab altero. Nam Infimus curat bonum commune Domûs, Medius Provinciæ, Supremus Ordinis; ſícque ad diverſos hos fines diverſa ſunt media, & univerſaliora quidem ac plura, quò Superior univerſalior eſt; unde etiam perſonæ ſubjiciuntur Medio, ut membra & Domûs & Provinciæ. Similiter multiplex poteſtas requiritur, quatenus ita ſpectat bonum ſingulorum, ordinando ad id bona commmunia, ut tamen Communitas non lædatur: ergo quidquid Inferior, etiam Superior poteſt; non tamen è converſo.

 Nam

4 Nam Generalis vel creat, vel ſaltem confirmat Medios, non è converſo; quia licèt is eligatur, hi ſolùm concurrunt, ut Electores: quod eſt diverſi muneris. Rurſum Inferior pendet à Superiore in operari; non è converſo; non enim tanquam à dante virtutem, nec ut à cauſa intermedia, cùm ſine illa operari poſſit. Tamen ſicut influxus cauſæ primæ non fit ſine influxu ſecundæ, ita propter bonum pacis & ordinis regulariter convenit, ut Superior univerſalis adhibeat concurſum Inferioris, quamvis aliquando oppoſitum conveniat propter defenſionem innocentis, conſolationem afflicti, & fines alios.

5 Quartò. Inferior in his, quæ vi muneris competunt, licitè non poteſt impediri ſine juſta cauſa; validè tamen. Nulla enim eſt Lex irritans, loquendo per ſe, & ſecluſis ſtatutis particularibus (quod ſemper ſubintelligendum eſt) ut à ſimili patet in Reſervatione caſuûm factâ ſine cauſa: expedítque bono communi, ut hæc timeantur. Cúmque magìs in modo, quàm in ſubſtantia defectus ſit, & contra Legalem potiùs quàm Commutativam Juſtitiam, ratio non debuit haberi privatæ injuriæ, quamdiu quidem non additur error intolerabilis contra bonos mores.

6 Conſtat autem, illicitè ita agi, per ſe loquendo, ut in d. exemplo Reſervationis. Nam vel fit in pœnam, conſequenter injuſtam, quia ſine cauſa, vel ſaltem invertitur ordo per ſe inſtitutus ad bonum commune; unde regulariter ſequi poteſt perturbatio pacis, & ſcandalum: quod ad minimum eſt contra Charitatem, & Juſtitiam Legalem; quidquid ſit de læſione Juris, quod alter habet in ſua Jurisdictione ordinaria. Hinc licèt quæ ultra Jus ordinarium conceſſa ſunt, liberè, & licitè revocari poſſint pro arbitrio, cùm Delegatio ſit favor; tamen cavenda ſunt, quæ per accidens ſequi poſſunt contra pacem &c. &c.

Quintò. Inferior amoveri pro libito non poteſt licitè ab Officio, quamvis validè, per ſe loquendo. 7 Pro libito, inquam & ſine juſta cauſa, ſi quidem tempus Officii definitum ſit. Id enim ſatis probant dicta pro ſuperiore Concluſione. Quòd ſi tempus definitum non ſit, adhuc attendi debet, ne quid fiat contra conſuetudinem, quod meritò generet perturbationem, vel amoti infamiam &c. &c. Poteſtas tamen etiam licitè amovendi non deeſt, ſi cauſa id poſcat, ut in juſtam pœnam delicti, vel propter bonum commune urgens. Nec enim Officium datur propter privatum commodum Prælati, ſed propter commune bonum: hujus autem cura eſt penes Superiores univerſales: ergo & poteſtas juvandi efficaciter.

CAPUT

CAPUT III.

De Electione Supremi Prælati, déque conditionibus in eo requiſitis?

Primò, Generalis creandus eſt
1 per Electionem legitimam. Nam neque fit per Succeſſionem Hæreditariam, neque per nominationem decedentis, ne dignitas videatur legari, & ut abſit periculum arbitrii relicti affectioni cujuſque, ut notat Grat. §. *His omnibus* 8. q. 1. Nec etiam Pontifex ſe miſcet, magis quàm in Epiſcopatu, ut ſic Comunitas ipſa ſibi provideat, & certius ſit teſtimonium de Electo, majórque in eum amor: & ita idem jus etiam Moniales ſibi retinent.

Secundò. Ad d. Electionem Jure Divino nihil poſcitur, præter ea, quæ in omni Electione humanâ
2 ſunt Jure naturæ neceſſaria. Ut eſſe perſonam humanam, ratione utentem, aptam aliquo modo ad Regimen. Quia verò Jurisdictio ſpiritualis poſcit Baptizatum, Jure Divino connaturali ſequitur, ut eligi nequeat niſi perſona Baptizata, cùm ipſa Religio & fundetur ſuo modo in Fide, & ordinetur ad finem ſupernaturalem. Igitur quæ ultra dicta poſcuntur, de Jure humano ſunt, eóque vel ſpeciâli ſeu proprio cujuſque Religionis, vel generali ſeu communi cuique, vel generaliſſimo & neceſſario in omni Electione.

3 Tertiò, Eligendus debet eſſe legitimæ ætatis, & Profeſſus. Poſcitur enim ætas 25. annorum, Trid. ſ. 14. c. 12. de Ref. c. *Cùm in cunctis*, de Elect. Dein Congregatio ad Electionem activam & paſſivam, propriè non eſt niſi Profeſſorum, c. *Cùm ad noſtram*, c. *Cùm in Magiſtrum*, eod. Imò Profeſſio poſcitur expreſſa, c. *Nullus*. c. *Indemnitatibus*. eod. in 6. & in eadem quidem Religione, Clem. 1. eod. c. *Abbatem*. 2. c. *Quàm ſit*. 18. q. 2. c. *Nullus invitis*. c. *Obitum*. diſt. 61. Trid. ſ. 14. c. 10. & ſ. 25. c. 21. de Regul. Quæ verò d. Seſſ. c. 1. ordinantur circa feminas, ad viros non extenduntur. l. *Si ita ſcriptum*, ff. de Leg. 2. quia neque à ſimili, neque ex ratione, cùm quod deeſt experientiæ, per alias dotes ſuppleri poſſit. Alia autem ratio eſt de caſu c. *Officii* de Elect. ubi quis eodem die & Monachus & Abbas fit: nam ſuſpicio erat ambitionis, & defectus Probationis, cui tunc renuntiari poterat; nec eſt Jus irritans ipſo facto: & ſi intervallum à facta Profeſſione poſcitur, quis determinat quantum ejus? 4

Quartò. Eligendus eſſe aptus debet ad Sacerdotium, & actu Clericus. Ratio poſterioris conſtat ex dictis, quia aliàs non eſt capax Juris

 ris

riſdictionis , ſed ſolius poteſtatis Dominativæ , ut in Religione Laicorum. Porro munus poſcit Sacerdotem, ut ſacrificare poſſit pro ovibus , abſolvere &c. &c. c. 1. & c *Præterea.* de Ætate, & qual. Nec obſtat c. *Tuam.* eod. quia agit de Irregulari , & in caſu neceſſitatis , quamvis Clericum poſcat cum aliis Juribus , ut c. *Contingit* de Arbit. c. *Si pro Clericis.* de Præb. in 6. Unde c. *Accedens.* d. 50. procedit de Jure antiquo, quo Laicus regere poterat.

5 Per ſe enim , & de facto obſtat Irregularitas eligendo , quia Prælatio , quantùm ad ſpirituale , eſt verum Beneficium. c. *Studeat.* d. 50. & qui ad aliquid , etiam ad connexum inhabilis eſt, juxta dicta D. 40. ſ. 2. de Cenſur. quod maximè procedit de Irregularitate ſimpliciter & totali. Si autem ſit ad ſacros Ordines tantùm ; nec reddit incapacem Jurisdictionis , nec eſt Jus directè irritans ipſo facto, imò ipſo Jure diſpenſatur in d. c. *Tuam.* Unde ſi poſt Electionē obtinetur diſpenſatio Irregularitatis , illa fortè caſſari non poterit , quia impedimentum jam ceſſat , ſecluſo Jure directè irritante factum.

CAPUT IV.

De Conditionibus eligentium Generalem.

1 Primò. Eligentes debent eſſe Religioſi Profeſſi , imò in Sacris conſtituti. Conſtat prior pars ex uſu omnium Religionum , & c. 2. 4. & ſequentibus. 18. q. 2. c. 1. & c. *Cùm in Magiſtrum* de Elect. c. *Ex eo* §. *In Eccleſiis* c. *Indemnitatibus.* eod. in 6. ubi ſiletur de Profeſſione expreſſa eligentis. Pars altera ſumitur ex d. §. *In Eccleſiis* , éſtque expreſſa in Clem. *Ut ii* de Æta. & Qual. quia Laico non competit munus ſpirituale , quale eſt Electio : & hæc eſt propria & per ſe cauſa excludendi Converſos. Quia verò in d. Clem. Ordo, non ætas poſcitur, ſufficiet, ſi quis per diſpenſationem ordinatus ſit.

Secundò. Abeſſe debet Excommunicatio, aut ſimilis Cenſura eligentis. Ita latè D. 14. ſ. 2. de Cen. éſtque exemplum in ordinato ſubreptitiè ; nam tunc ſuſpenſio impediet , juxta dicta D. 31. ſ. 1. de Cenſ. ſi quidem culpa intervenit, aliàs ceſſat pœna , conſequenter defectus ætatis non obſtabit juxta d. Clem. Quæſtio autem de occulto Excommunicato &c. nunc ceſſat , quia licèt illi non fiat favor, tamen alii vitare illum non tenentur. Nec etiam unius inhabilitas obſtat , per ſe loquendo, quia utile, per inutile non vitiatur ; nec privata unius malitia officit , niſi cæteri conſpirent. 2

CAPUT V.

De Forma eligendi Generalem.

1 Primò. Debent omnes, qui jus habent, convocari, ſi commodè poſſint. Nam forma, quæ præſcribitur in c. *Quia propter.* de Elect. extenditur ex communi Doctorum, & reſponſis S. Congreg. ad Eccleſiam etiam Regularem per particulam *Eccleſiis viduatis*: at ſi non ſit convocatio, præſentes eſſe nequeunt, *qui debent, & volunt, & poſſunt commodè intereſſe*, ut textus poſcit, & c. *Coram.* c. *Bonæ.* 2. c. *Cùm inter* 2. c. *Quod ſicut.* eod. Particula autem *debent* intelligitur paſſivè, quia nemo cogitur adeſſe, nec abſentia eſt injuſta, aut contra debitum Electionis, niſi aliud expreſſum ſit in ſtatuto.

2 Dices, Quid ſi pauci venire velint? 2. Quæ forma convocationis? Ad 1mum ℞. duas tertias partes ſufficere, & poſci ad univerſitatem. l. *Nulli* ff. Quod cujusq. Univerſ. Si ergo duæ tantùm partes vocatæ ſint, & ex his deſint; conſtat, Univerſitatem non ſufficienter vocatam eſſe. Sin omnes, qui debent, vocati ſint, perdunt, qui abſunt, jus; ſicque Univerſitas ad paucos redit. Abb. c. *In cauſis* de Elect. ex c. *Cùm nobis.* eod. Superioris tamen eſt, providere de numero competenti: aliàs in caſu culpæ, vel impotentiæ ad eligendum proviſio devolvitur ad Papam. Ad 2dum R. ex ſtatuto, vel conſuetudine d. formam ſumi, an opus ſit ſpeciali intimatione, an verò ſufficiat generalis publicatio. d. c. *Cùm inter.* In præſenti autem intimatio ſigillatim per Provincias fieri debet, quin obſtet diſtantia ſeu difficultas; cùm per ſe ſit conjuncta, non extraordinaria, ut locus ſit excuſationi. Secùs eſt de difficultate, quæ nec Lege, nec Conſuetudine attendi poſſit; nam ſtandum tunc eſt arbitrio prudenti, an *commodè* evocari quis poſſit.

Secundò. De ſubſtantia Electionis eſt omnium eligentium præſentia in uno loco. Ita d. c. *Quia propter.* & c. *In Geneſi.* eod. Quæ enim fiunt ab Univerſitate, ut tali, fieri debent per congregatos in unum; aliàs non operatur propriè Univerſitas per modum unius Corporis, nec intelligitur actus Communitatis, ut talis. Dein omnibus ſimul congregatis, habetur majus examen, notitia, certitudo perſonarum, meritorum, votorum. Quòd ſi legitimè impeditus habet Votum; ergo per eundem, per quem id fert, præſens eſt. 3

Tertiò. Tres de Collegio fide digni aſſumi debent, qui ſuffragia exquirant. Quia enim & certitudo & ſecretum Suffragiorum intenditur. 4

tur, d. numerus præciſus eſt de ſubſtantia formæ. Et de eadem eſt, ut fint de Collegio, ſeu numero eligentium, quia & contextus poſcit & ratio magis fidendi talibus. Porro modus aſſumendi non definitur; uſúſque habet, ut ſtatuto determinentur aliqui ratione muneris, ſenii &c. Quòd ſi ultrò aliqui ſe ingerant, aliis tacentibus; præſumuntur feciſſe per potentiam contra invitos: ſecùs autem præſumptio eſt de conſtitutis per Legem, eſſe dignos; quamvis jus opponendi ſuſpicionem nulli negetur.

5 Quartò. Commiſſarii *ſecrete, & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirere debent, & in ſcriptis redacta mox publicare in communi.* Ita d. c. *Quia propter.* Exquiſitio autem fit vel ſuffragii ſcripti ab unoquoque, vel voce Prælati, ut textum intelligit communis Interpretum, & ipſa S. Congregatio, cenſens non obſtare Trid. ſ. 25. c. 6. de Regul. ſed rem adhuc fieri ſecretè, quia Commiſſarii publicare nomina nequeunt; aliàs & Electio & hujus Confirmatio eſt nulla, juxta S. Congregationem. Imò nec in futurum d. publicatio fieri poteſt, cùm ſit res momenti magni, ut lateant d. nomina. Porro d. particulæ ſingulæ ad ſubſtantiam actûs pertinent, tum propter textum, *Aliter electio facta* &c. tum ob c. *Eccleſia veſtra*, 2. eod. tum quia ſingula pertinent ad formam intrinſecam, neç hanç conſequuntur, aut præambula ejus ſunt. Aliud enim eſt, non vocari ad eligendum; aliud, non recipi votum præſentis &c. quia in tali caſu aut communitas patitur vim, aut agit cum intolerabili errore.

Idémque eſt de publicatione *mox* 6 per aliquem Scrutatorem faciendâ, & citra moralem interruptionem, ùt interponendo actum alium impertinentem, vel cœtum ſolvendo ſine cauſa cogente, arg. c. *Cùm poſt.* eod. Idem eſt de *Collatione* votorum, tam in numero, quàm qualitate eligentium. d. c. *In Geneſi.* c. *Cùm Anna.* c. *Eccleſia.* 2. eod. Exquiri enim debet habilitas cujuſque, & in dubio propter ejectos vel admiſſos conſtare debet de numero ſufficiente, ut Electio certa ſit, præterquam quòd Vota eſſe poſſint qualificata, ut Preſbyteri, Prælati &c. quæ, utut occulta penſanda ſunt, ut in ſuffragiis Cathedræ.

Dices, quomodo ſcietur, quæ 7 ſit *major* & *ſanior pars*: Nam & pro *vel* poni, violentum eſt contra proprietatem & uſum vocis; & duæ electiones ſimul valerent, altera facta à ſaniore, altera à majore; conſtátque, majorem partem eſſe de ſubſtantia Electionis, d. c. *Cùm Anna.* d. c. *In Geneſi*, cum aliis. eod. R. Utramque qualitatem neceſſariam eſſe, per ſe loquendo, niſi pars altera ſcienter indignum eligendo amiſerit jus, d. c. *Eccleſia.* Præſumptio tamen ſemper eſt, majorem etiam eſſe ſaniorem, quamdiu

nòn

non conſtat oppoſitum: ubi autem conſtiterit, Superioris erit judicare; ſicque ceſſat perturbatio. Nec obſtat diſſenſiones ſequi; quia incommoda omnia vitari non poſſunt; præſtátque illas, quàm malam Electionem pati. Dein quamdiu non conſtat de indignitate Electi, major pars ſemper præſumetur ſanior; ideo enim eligentes non publicantur.

8 Quintò. Collationem Votorum ſubſequi debet Electio, quæ per unum nomine Capituli fit. Nam ante hunc actum Electus non habet jus; & ideo ille ſtatim fieri debet, d. c. *Cùm poſt.* & c. *Sicut*, eod. in 6. Ex natura tamen rei ſpectat d. actus ad Præſidem, qui nunquam deeſt, niſi Capitulum monſtroſum ſit; tamen alteri, quàm Præſidi, actum committi, nihil vetat. Denique quod formam attinet conſequentem, conſtat poſci Confirmationem Superioris immediati Electo, quia niſi præviâ illâ, utens Prælatione, excidit Jure acquiſito, c. *Avaritiæ*, eod. in 6. Vi tamen Privilegiorum in præſenti, qui electus eſt, eo ipſo cenſetur etiam confirmatus; nam ſtatim ei reverentia fit, munúſque is ſuum obit.

CAPUT VI.

De Electione aliorum Prælatorum infra Generalem.

1 Primò. Ferè omnia, quæ ſuprà in Electione Generalis, requiruntur etiam in præſenti. Nam Juris diſpoſitio vel fit in communi, vel etiam ſpecificè de electione Abbatis, ut conſtat per varia capita tit. de Elect. Quòd ſi ſecùs habeant ſtatuta aliqua, neceſſe eſt, à Pontifice approbata eſſe, aliàs Juri non derogant. Et licèt Supremus in Religione providere ex natura rei poſſit de Prælatione inferiore; tamen Monarchica poteſtas, niſi ſuprema ſit in Eccleſia, ſemper limitari poteſt.

2 Igitur in eligendo petitur ætas 25. annorum, & Profeſſio expreſſa, non quidem in eodem Conventu (ut fortè olim c. *Abbatem* 2. cum aliis. 18 q. 2.) ſed eâdem Religione, Clem. 1. de Elect. quod Jus extenditur etiam ad Moniales. Quod verò additur in Trid. ſ. 25. c. 7. de Regul. nec eſt Jus irritans, nec ſimpliciter præceptivum, dummodo cætera neceſſaria adſint ad gubernandum, ut ex Jure naturali neceſſarium eſt. Poteſtque juxta S. Congreg. in aliis conditionibus diſpenſari per ſecundam Dignitatem Cathedralem: quod licèt non pertineat ad doctrinalem interpretationem, ſed authenticam & poteſtativam, ſicque ut univerſaliter obliget, promulgationem poſcat; tamen quia ſufficientis authoritatis eſt, ſer-

ſervari poteſt. Et c. *Juvenculas* 20. q. 1. uti in una, ita & altera parte videtur carere vi, ſtatúrque c. *Indemnitatibus.* de Elect. in 6. An verò illegitimitas obſtet, dubium eſt; quia Jure expreſſum non eſt, quamvis communis opinio, quæ ad formam ſpectant, etiam ad feminas extendat, ſícque *Prælatio* etiam Abbatiſſam comprehendat c. 1. de Fil. Presbyt.

3 Secundò. Eligens eſſe debet Profeſſus de eodem Conventu. Ita c. *Cùm dilectus.* de Conſuet. arg. c. 1. de Elect. & 18. q. 2. per multa capita; & ferè ex natura rei ſequitur, ſuppoſitâ conceſſione Electionis, ut quæ ſecluſo Jure ſpeciali, pertinet ad Communitatem; conſequenter etiam ad Monialem Converſam Profeſſam. De ſpeciali ætate, ſi aliàs ſit legitima ad Profeſſionem, nihil diſpoſitum eſt; nam d. c. *Indemnitatibus* procedit de uſu antiquo. Denique Patrono competit aſſenſus in Electionem jam factam, non in faciendam. c. *Nobis.* de Jure Patron. ubi ita explicatur d. c. *Abbatem*, quia ſolùm eſt cæremonia, & honor, iſque utilis, ſi quid objici poſſit; nam Superior audiet. Secùs autem nec per conſuetudinem acquiri poteſt Jus, quia Laico nec Jurisdictio, nec adminiſtratio ſpiritualis competit; éſtque contra Diſciplinam & utilitatem Eccleſiaſticam.

Tertiò. Quantùm ad formam, ſtandum eſt c. *Quia propter.* de Elect. 4
Ita omnes Interpretes juxta Gl. in d. c. *Indemnitatibus* §. 1. & expreſsè declarat Trid. ſ. 25. c. 6. de Regul. quoad Moniales. Quòd ſi per Prælatum Superiorem providetur citra Electionem; ex parte præponendi conſtat requiri eaſdem conditiones, quæ in via Electionis, quia propter terminum proviſionis, non propter modum requiruntur; & vox *eligatur*, notat modum ordinarium providendi: & ideo ſubſtituitur vox *aſſumatur.* c. *Tuam* de Æt. & qual. Quia verò in Poſtulatione non acquiritur jus in poſtulato, ſatis eſt, diſpenſare validè & licitè eum à quo poſtulatur.

CAPUT VII.

An Prælatio Religionis perpetua ſit, & quanto tempore durare poſſit, & debeat?

Primò. Prælaturam eſſe debere
1 perpetuam, nullo Jure definitum eſt. Nam licèt propter jus acquiſitum auferri illa nequeat ante tempus ſine legitima cauſa; tamen neque ex Jure naturali poſcitur perpetuitas, neque ex Divino Poſitivo, ſcripto vel tradito, neque ex Eccleſiaſtico in c. *Nullum* 18. q. 2. aut tit. de ſtat. Mon. per tot. ſed ſolùm non prohibetur, imò probatur uſus antiqui temporis, nihil poſitivè definiendo. Ab uſu

ta-

tamen veteri abierunt tum Monachales multæ, tum Mendicantes: nec S. ſedes unquam temporalem Prælaturam mutat in perpetuam, ſed è converſo.

Sed objicit Navar. vileſcere au-
2 thoritatem. c. *Vicit.* 16. q. 2, & oriri ambitionem multorum. c. *Quorundam.* de Elect. in 6. deficere experientiam, curam contentorum, ut ſit pax in diebus ſuis; & vix unum, nedum plures reperiri aptos Regimini. ℞. Incommoda potiùs Electioni, quàm temporalitati Officii imputari; nec remedia deeſſe. Nec Superior dominus eſſe debet, ſed pater, ſciens compati, atque adeò obedire: & ob ſecuritatem naſcitur incuria, præſertim ſpiritualium; & in Temporalibus ſtudetur Carni & Sanguini, unde manant detractiones, odia &c. Porro Magiſtratus oſtendit virum, & uſus perficit; ſicque res eſt arbitrii: punctum autem prudentiæ eſt, eligere, non quæ nullis, ſed quæ minoribus incommodis laborant.

Secundò. Ubi vitari poteſt fre-
3 quens Electio, maximè per plurium Capitulum, magis convenit mutatio. Ita ſequitur ex dictis. Nam ſubjectio & humilitas, quoad poteſt, locum habere debet, cùm Prælatio ſit ſolius neceſſitatis: illa verò magis in Charitate fundanda eſt, quàm aliis reſpectibus, quia aliàs, quò longiùs, eò in deteriùs abit. Defectus autem experientiæ eſt communis omni incipienti, nec durat, quia res unius domûs brevi tempore noſcuntur; Provinciæ verò res per gubernationem plurium domuûm. Adde exempla Prædeceſſorum, Conſilia præſentium, monita Superiorum, quibus obediendo. error non durat.

Tertiò. Ubi Electio eſt per Ca-
pitulum, convenit Prælaturam vel 4
perpetuam, vel valde diuturnam eſſe. Nam ſuppoſitâ fragilitate, & experientiâ, damna ex mutatione ſunt intrinſeca Electioni; & ideo hæc apud aliquos reducitur ad Definitorium: Moniales autem vel aliter ſibi providere nequeunt, vel in ſimplicitate procedunt, nondum expertæ incommoda; quod eſt deſiderabile.

Quartò. Convenit, ut Tempora- 5
le Regimen habeat tempus definitum. Ita probat Conſuetudo; nam ſi res eſt arbitrii, ſit quaſi nova Electio; raróque vitatur infamia in mutatione. Dein quia S. Sedes approbat, ut per tempus aliquod vacetur à Regimine, hujus tempus rectiùs definitur, non quidem ut ipſo facto ceſſet, ſed ne novum differatur notabiliter; ſicque tollatur occaſio murmurationum, acceptionis perſonarum &c.

CAPUT VIII.

An Prælatus poteſtatem habeat obligandi in Conſcientia &c.

1 Primò. Habet Prælatus poteſtatem directivam præceptivam. Conſtat de Fide, ſuppoſito univerſali conſenſu Eccleſiæ, & vero ſtatu Religioſo. Patet vi Voti obedientiæ, cùm paſſio non ſit in ſubdito, niſi ſimul vis agendi in Superiore: & de voce eſt, an hic ſolùm applicet materiam obligationis, quia ſufficit, hanc non conſurgere, niſi mediante imperio Superioris. Rurſus uſu conſtat, Jurisdictionem Eccleſiaſticam per privilegia competere Prælatis; quæ etiam extenditur ad præcipiendum ſub anathemate. Licèt autem cuique competat ferre præceptum, non tamen Legem, quod eſt meri & mixti Imperii, conveníτque ſoli Tribunali Supremo, quia alii non participant plenè Epiſcopalem Jurisdictionem, ſed *quaſi Epiſcopalem.*

2 Provincialis enim ſubeſt Generali, & hic Capitulo Generali, quod ejus poteſtatem limitare poteſt. Statutum autem, ſi peculiare eſt pro Provincia vel Conventu, diſcrepantiam facit à Corpore; & ſufficere poſſunt Ordinationes: ſin plus requiratur, tutiùs confirmatur per Generalẽ, c. *Cùm acceſſiſſent.* de Conſtit. nam ad illum ſpectat Providentia etiam ſingularum Provinciarum: ergo diſſonantia perpetua rectiùs fit cum conſenſu totius Corporis, loquendo per ſe, & ſalvis Statutis Religionis. 3

Secundò. Ad præcipiendum non requiritur Conſultatio in re ordinaria; ſecùs in gravi. Nam oneroſum foret propter actus vel perſonas ſingulas congregare Conſilium. At ſi res eſt gravis, oneroſa & extraordinaria, periculum errandi per ſe admonet, quia rectum judicium pendet ex multis circumſtantiis, rationibus, vel Legibus ſpecialibus; quod maximè urget, ſi præceptum ſit Generale, quamvis non duret, niſi ad vitam præcipientis, ut ſuppono ex materia de Legibus, & Cenſuris. Idem à fortiori eſt de condenda Lege, arg. c. *Novit.* de his, q. fi. à Præl. c. *Cùm conſuetudinis* de Conſuet. imò illa condi nequit ſine conſenſu Capituli, arg. eorum, quæ cõmuniter traduntur in d. c. *Cùm acceſſiſſent.* 4

Tertiò. Præcipi nequit, niſi materia vel ſit cõmunis vitæ Chriſtianæ, vel juxta Regulam. Nam amplior Jurisdictio nec data eſt ex intentione Pontificũ, nec dari poteſt, ſicut ſuppoſito ſtatu Clericali, ſolùm quæ huic conveniunt, præcipere Epiſcopus poteſt, & quæ neceſſaria ſunt, etiam debet, ut aliud virgini, aliud nuptæ &c. Quia autem poteſtas non eſt contra Legem Superioris, c. *Quod ſuper*

ſuper de Major & Obed., c. *In iſtis* d. 4. cum ſimilibus, in dubio an actus ſit honeſtus, præcipi nequit (quamvis obedire neceſſe ſit) cùm carendo probabilitate Superior exponatur manifeſto periculo errandi. Denique vel eſt præceptum, vel ſtatutum? Prius ſufficienter intimatur per internuntium fide dignum, vel litteras. Ad poſterius ſufficit editio ſolennis in Capitulo Generali, cùm ibi Communitas ſit etiam ad audiendum; & inde dimanet publica notitia & divulgatio, abſque ſpeciali promulgatione domeſtica, quæ in vi Legis neceſſaria non eſt.

5 Quartò. Lex generalis ligat omnes. Vel enim eſt de materia, quæ per ſe cadit ſub Juriſdictione Epiſcopali citra reſpectum ad Profeſſionem, ut de dicendo vero, relinquendâ occaſione peccati; vel de materia alia? Si 1um, etiam Novitius ligatur, & ſub cenſura etiam in Religione exempta. Si 2dum, nemo Religioſus excipi poteſt, quia Lex eſt à Capitulo Generali, quod eſt ſupra Generalem; vel ſi hic ſine illo Legem ferat (quod non ſcitur, in ulla Religione eſſe) adhuc ejus poteſtas non eſt in deſtructionem Diſciplinæ, ut eſſet, ſi Superiores non obſervarent Regulas communiter pertinentes ad omnes: idémque eſt de Ordinationibus communibus. Vnde & Capitulum, ſi peccet, quà tale, reatum pœnæ incurrit, quamvis ea à ſolo Pontifice irrogari poſſit. Dixi *Generalis*: nam reſpectu præcepti per inferiorem lati, Superior nec directè ligatur, nec vi pacti impliciti in munere, ad quod debitè explendum neceſſaria ſit ea conformitas, ut in Legibus.

Quintò. Peregrini, ſecluſâ ſpeciali Regulâ, non tenentur præceptis generalibus Provinciæ vel Domûs. Ita c. *A nobis* 1. de S. E. Nam illa directè afficiunt ſubditos: at hoſpes non eſt ſimpliciter ſubditus, ſed ſolùm quoad ea, quæ pertinent ad univerſale Regimen Religionis: ſcandalum autem & tantùm contra charitatem eſt, & tollitur ablatâ ignorantiâ Juris, quaſi obligatio ſit, aut facti, putando domeſticum. Secùs eſt de ſtatuto, juxta Innoc. Abb. & communem ex c. *Quæ contra* d. 8. & oppoſita opinio de peregrino eſt minùs probabilis. Imò idem eſt de Generali, quia generalis ratio ſocietatis poſcit conformationem in moribus: nec ſtatutum vim habet, niſi ut confirmatum ab eadem; & ita non poteſt dici merè latum ab inferiore. Nec excuſat, quod Communitas ſit perſonalis potiùs, quàm localis, ut patet in Clericis Eccleſiæ; nam neque diſparitas eſt ex Jure naturæ, nec exceptio ex Poſitivo: & adhuc Religioſa Communitas, licèt præcipuè conſiſtat in perſonis, habet certos terminos terræ, & numerum Domuûm, ſicque territorium ſuo modo. 6

7 Sextò. Verba præceptiva, cùm oretenus præcipitur, non obligant ſub gravi, per ſe loquendo, licèt materia vel ex ſe gravis ſit, vel ex fine & circumſtantiis. Ita enim d. verba interpretatur uſus, de quo Bern. S. Thom. Cajet. Gerſ. Secùs eſt, ſi Superior mentem ſatis explicet, ut ex uſu intelligitur forma. *In virtute S. Obedientiæ*, *In nomine Domini J. C.* Idem ſignificat Excommunicatio ipſo facto, imò & ferenda, niſi oppoſitum ex indiciis conſtet; quidquid alii velint, quia illâ non fit quis dignus, niſi præceptum obliget ſub gravi; raràque eſt talis comminatio inter Religioſos, & ſatis explicari ſolet voluntas.

8 Septimò. Poteſt præcipi quid etiam cum periculo mortis &c. Nam perfecta Gubernatio hanc poteſtatem poſcit, utpote neceſſariam. v. g. ut ſerviatur fratri in morbo contagioſo, cùm cura ei debeatur, & providentia toti Corpori; ergo obligatio, quæ ex ſe indifferens eſt, applicari debet per Superiorem ad hunc vel illum. Idem eſt de tempore peſtis, ſi inſtitutum, & commune bonum poſcit expoſitionem, quia Prælati eſt cura de munere explendo; ſufficítque ad hoc ſtatus & Profeſſio, ratione cujus etiam miles obligatur ad dura: ergo licèt talia pro libitu præcipi nequeant, tamen poſſunt conſentaneè ad Regulam. Vel ergo periculum eſt per ſe conjunctum actioni rectè præceptæ, vel non? Si 1um, conſtat de obligatione. Si 2dum. ſecùs eſt, per ſe loquendo, niſi reipsâ intercedat neceſſitas Religionis, oppoſito vergente in gravem ejus ignominiam, vel detrimentum; nam tunc ſine dubio obligatio eſt, vel ex natura rei, vel ex implicita voluntate præcipientis, juxta communem ſententiam de præceptis Eccleſiæ.

CAPUT IX.

An in Prælato poteſtas ſit coërcitiva, præſertim ſpiritualis?

1 Primò. Prælatus vi ſtatûs Religioſi habet coactivam, ſed modo paterno tantùm, & juxta limites Regulæ. Nam ſine timore & diſciplina non poteſt Communitas in officio contineri, quia *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*; & *Septies in die cadit Juſtus*; ergo ut pax, ordo, & inſtitutio Religioſa ſervetur, coërcitiva eſt omnino neceſſaria. At vi ſtatûs Religioſi Prælatus ſolùm habet Dominativam, quantam pater, ut iſte in corporalibus, ita in ſpiritualibus præcipuè; non tamen propriè ut Judex, qui gravem pœnam imponere poſſit, nec ultra limites Providentiæ familiaris: quia plus dari non poteſt à

vovente, ſed ſolùm per poteſtatem publicam. Quantitas autem relinquitur prudenti arbitrio, attento uſu communi.

2 Secundò, Prælatus ratione Jurisdictionis habet perfectam Coactivam Epiſcopalem. Conſtat uſu Exemptorum, quia illa non eſt in Epiſcopo, nec reſervatur Pontifici, utpote ordinariè neceſſaria: uſus autem dat Jurisdictionem, c. *Duo ſimul.* de Off. Ord. Rurſus ſpiritualis poteſtas puniendi, ſi non eſt limitata per Regulam, tanta eſt, quanta in Epiſcopis, per ſe loquendo, niſi vel ex natura rei, vel ex Jure Poſitivo limitetur in Epiſcopis, quia ubi Lex non diſtinguit vel limitat, fingi non poteſt limitatio.

3 Unde ferre Prælatus poteſt Cenſuras omnes (dempto interdicto Locali, quo gravarentur non ſubditi) ut excommunicando, ſuſpendendo, & etiam interdicendo perſonaliter (quamvis rarius ſit, propter privationem ſpiritualium mediorum) quia id connexum eſt poteſtati ordinariæ, & eſt utile ad gubernandam Communitatem, nec eſt ratio excipiendi. Secùs eſt de Irregularitate, cùm hæc nec per Epiſcopum ferri poſſit; nec etiam Prælatus novas ſpirituales pœnas imponere præter præſcriptas à Jure communi, vel proprio, vel ad inſtar illarum, ubi res relinquitur arbitrio.

4 Tertiò. Moniales nunquam poſſunt ſpiritualem pœnam ferre, exercendo veram Jurisdictionem ſpiritualem, & uſum Clavium. Nam poteſtas Clavium, etiam quoad Jurisdictionem tantùm, ſolis Clericis communicatur, juxta ordinarium & perpetuum Jus Eccleſiæ: omnis autem Jurisdictio ſpiritualis pertinet ad poteſtatem Clavium. Aliud ergo eſt de actibus Jurisdictionis ſubſtantialiter temporalis; aliud de actibus propriè ſpiritualibus. Priores committi poſſunt titulo Eccleſiaſticæ perſonæ in Clericum, vel aliam perſonam Eccleſiaſticam, ut Monialem, quæ corripi poteſt ab Abbatiſſa; nam actus præcipiendi & caſtigandi de ſe ſunt temporales; & ideo competere poſſunt Abbatiſſæ in Clericum ſubditum ratione villæ, oppidi &c.

5 Rurſus quoad ſpiritualia, aliud eſt, actum propriè ſpiritualem fieri à Moniali; aliud, actum ad cujus præſentiam Prælatus det quid ſpirituale, ut in facultate præſentandi, eligendi Confeſſorem. Nec enim femina dat Jurisdictionem, c. *Nova* de Pœn. & Rem. c. *Ea noſcitur.* de his q. f. à Præl. &c. ſed ad ſimplicem deſignationem, & quaſi electionem, Pontifex ipſo facto confert Jus ſpirituale. Sic dare poſſeſſionem Beneficii, non eſt actus Jurisdictionis in Executore, ſed præcipiente; idémque eſt de titulo ſeu teſtimonio Beneficii collati, utique à Pontifice ad nominationem feminæ, & idem de privatione Beneficii; Pontifice auferente Jurisdictionem ad

ad voluntatem Abbatiſſæ, quæ ſolùm removet à poſſeſſione.

6 Quamvis autem repugnantia non foret, idem fieri in Cenſuris; in uſu tamen non eſt propter periculum abuſûs: ſed Pontifex committit Officialibus, ut ad deſignationem, vel mandatum Abbatiſſæ excommunicent, ſicut Conſervatores Judices à Religione eliguntur, Pontifice dante eis poteſtatem. Latiùs tamen loquendo, femina ſuſpenſionem, ſeu potiùs inhibitionem ferre poteſt, ut ſupponitur in c. *Dilecta.* de Major. & Obed. & c. *Dilecta.* de Exceſſ. Præl. Sicut enim Moniali præcipi poteſt, ne communicet, ita Clerico, ne celebret, non per privationem ſpiritualem, ſed ut inducit notam & ruborem, quaſi pœna exilii vel ſeparationis.

CAPUT X.

An in Prælato ſit poteſtas coërcitiva ad pœnas corporales?

1 Primò. Non poteſt d. poteſtas extendi ad ferendam ſententiam mortis. Ita c. *Cùm non ab homine.* de Judic. Licèt enim vi Profeſſionis extendi poſſet & ad ſententiam ferendam de delicto, & ad Reum tradendum brachio ſeculari, exuendo incorrigibilem habitu & Privilegiis; tamen Prælatus nec Clericum degradare poteſt, nec ſi ipſe eſt Clericus, tradere ſic aliquem citra irregularitatem. Rurſus quia Immunitas Religioſi eſt propter Religionem, Prælatus illam auferre nequit; nec poteſtas expedit, ſed pugnat cum decentia & honore Religionis.

Deinde aliud eſt, tradi Reum Ju-
2 dici poſitivè & immediatè, utpote convictum, & damnatum; aliud, ſolùm permiſſivè & remotè. Prius eſſe nequit, niſi de ſpeciali Privilegio, quod excuſet ab irregularitate, ut in cauſis Inquiſitionis. Poſterius eſſe poteſt de conſuetudine, quatenus per hanc Privilegium Fori amiſſum eſt, maximè ſi ejectus nec habitum portet, nec Epiſcopo obediat. Eſſe, inquam, poteſt in delictis novis, nam priora in alio Foro commiſſa ſunt, & jam judicata ac punita per definitivam ſententiam ejectionis.

Secundò. Nec ad mutilationem, 3
ut per ſe conſtat, nec etiam ad pœnam publicam corporalem extendi poteſt d. poteſtas. Nam neque regulariter eſt in uſu Eccleſiæ, neque per Canones deſignatur, neque per arbitrium Prælati imponi poteſt, c. *Univerſitatis.* de S. E. Secùs eſt de pœna Triremium, quæ per Superiorem poteſtatem imponitur, cùm & intrinſecè injuſta non ſit, & neceſ-

ceſ-

ceſſaria eſſe poſſit ad terrorem. Olim autem nec tanta erat multitudo Religioſorum, nec tanta remiſſio; & periculum animæ permittitur, quia vitari viâ commodâ nequit citra pœnam mortis. Denique punitio fit more Laici, non Religioſi, ut c. 1. de Calum. & c. *Quia juxta.* 5. q. 6.
4 ut in tortura per Laicos.

Tertiò. Statui poteſt pœna exilii intra Religionem in Provincia alia. Nam Reus & expulſione & exilio dignus eſſe poteſt, ita ut utrumque conferat ad pacem & honorem Religionis. Si autem ex hac tota ejicitur, deſinit ſubdi Prælato, quia extra territorium ejus. c. 2. de Conſtit. in 6. Nec cùm jubetur aliam Religionem ingredi, tenetur vi præcepti, ſed pacti, tanquam conditione juſtâ, & acceptatâ, ſicut cùm damnatus ad mortem cogitur talem mulierem ducere &c. 5
nam metus eſt juſtus,

Quartò. Imponi poſſunt pœnæ aliæ, opera aſpera, labores &c. Ut verò non comedat, cogi in conſcientia nequit, quia & nimis repugnat naturali inclinationi, & neceſſarium non eſt communi bono, cùm per alios cibus ſubtrahi poſſit, & nec Votum Obedientiæ, nec Paupertatis obliget ad d. abſtinentiam. Quia verò privilegium vitæ eſt maximum, & juxta omnes mors licitè effugi poteſt; etiam ſic incarcerato idem licebit. Nam licèt Reus teneatur ex Juſtitia parere ſententiæ *juſtæ*, & vi Obedientiæ ſiſtere intra præfixos terminos Clauſtri; tamen d. detentio conjunctam habet inediam continuam, & conſequenter mortem ab intrinſeco ſequentem; & ita perinde eſt, ac damnari ad mortem, & ideo fugere licet.

CAPUT XI.

An Religioſi à ſententiis, & præceptis ſuorum Superiorum appellare poſſint?

1 Primò. Appellatio, etiamſi ex natura rei injuſta non ſit, regulariter interdicta eſt Religioſis. Ita c. *Reprehenſibilis* c. *Ad noſtram.* de Appell. & c. *Licèt.* de Off. Ord. conſtátque ex variis Privilegiis, ſtatutis, & uſu Ordinum. Nec dicas, intelligi, ſi modus correctionis non exceditur; nam ſic nihil concederent Privilegia, ſed idem eſſet de Religioſo reſpectu Prælati, & Clerico reſpectu Epiſcopi, contra d. c. *Reprehenſibilis*, & communem ſenſum. Non enim appellare à correctione moderata, eſt ex Juſtitia debitum. Denique argumentum à defenſione naturali eſt à ſpecie ad genus negativè, cùm ſuperſit modus

dus tuendi ſe per ſimplicem querelam, ſupplicationem Gratiæ, vel Juſtitiæ.

2 Confirmatur, quia non interdicitur Appellatio ad Tribunal extraneum tantùm, ut c. *De priore.* de Appell. c. *Ad Romanam.* cum aliis. 2. q. 6. quia per ſe nullius momenti eſt appellare ad non Superiorem; imò caſus Bullæ Cœnæ incurri poteſt. At poſt jam factam exemptionem concedit Paulus III. Societati Privilegium præcluſæ Appellationis; & Trid. ſ. 25. c. 4 de Regul. ſimpliciter illam interdicit, cùm facto fit, ſeu iter arripiendo ad Prælatum, eſto cauſa eſſet gravis, ſeu injuſtum gravamen; aliàs ſine fructu diſponit Concilium, cùm pro arbitrio accedere, ſemper prohibitum fuerit. Et ratio Concilii optima eſt, ne bonum commune patiatur, ut fit, cùm honor & decor Religionis paulatim deperit, ſi defectus extrà innoteſcunt; & faciliùs veritas cauſæ ad intra cognoſcitur, quàm per extraneos, etiam Pontificios Judices.

3 Quod verò d. Privilegia maximè intendunt, eſt, ut ſalva ſtet diſciplina Religioſa: at hanc retardaret, imò everteret Appellatio, ſuſpenſâ vi obligandi per præceptũ vel ſententiam, & procedendi in cauſa. Contemneretur enim reverentialis timor Superioris, vixque fieret ulla correctio propter hujusmodi fraudes, negotiationes, dilationes; nec Prælati Superiores ſufficerent tot cauſis.

Secundò. Simplex Recurſus ad altiorem Prælatum legitimum nullibi negatur. Nam eſſet contra omnem rationem, maximè in ſuſtinendis pœnis; & d. Prælatus utitur Jure ſuo, Jurisdictionis nempe immediatæ in ſingulos, quibus conſequenter licitum eſt, adire illum liberè, quin propterea gravari poſſint à Superiore proximo. Nec hic impeditur, cùm vis devolutionis nec annexa ſit d. Recurſui, nec eſſe poſſit ſine adminiculo Juris. Dixi *Legitimum*; nam Principem ſecularem v. g. adire, utique peſſimum eſt, quia aut odium ejus incurritur, aut enervatur diſciplina, & ſcandala ſequuntur; ſicque fit vis moralis. 4

Tertiò. In cauſis gravioribus admittenda eſt aliquando Appellatio. Nam niſi ſuſpendatur tunc ſententia & executio, imminet periculum nocumenti gravis, & fortè irreparabilis: at ſi Superior gladium ſtringeret, utique liceret vim vi repellere; idémque eſt, ſi ferret ſententiam mortis; ergo etiam licebit repellere injuriam gravem & manifeſtam. Correctio enim Religioſa dici nequit, nec ſequitur detrimentum boni communis, nec injuria tertii, ſed propria propulſatur. Quia ergo caſus non eſt moralis, & res morales ex his, quæ frequentiùs accidunt, judicantur, cit. Jura rectè loquuntur abſolutè, quamvis utique intelligi nequeant pro caſu, quo ſequitur abſurdum. 5

Quar-

6 Quartò. Secùs eſt in cauſis, quæ nec infamiam inducunt, nec pœnam acerbam. Conſtat ex cit. Juribus. Nam licèt venditio non fiat, niſi pro pretio rigoroſo, non propterea injuſta eſt: idem ergo eſt de ſententia correctoria rigoroſa. Nec ſufficit dubium de hujus injuſtitia, quia in dubio Superior poſſidet jus ſuum; nec cit. Jura, cùm abſolutè loquuntur, admittunt exceptionem, niſi quam ratio naturalis poſtulat, ùt neceſſariam. Dein vel eſt dubium de facto ſeu exceſſu, vel de pœna? ſi 1um, Superior non tenetur ad rigoroſum ordinem Judicialem. c. *Qualiter.* 2. de Accuſ. ergo præſumitur rectè inquiſiviſſe &c. Si 2dum; aut Regula taxat pœnam, ſicque exceſſus eſt evidens; aut illam relinquit arbitrio Superioris; ſicque juſta ea eſt, quamdiu de oppoſito non conſtat.

Confirmatur, quia neque infamia eſt tanti momenti, quin compenſetur, imò ſuperetur per humilem Obedientiam; neque etiam dolor correctionis tantus eſt, quin etiam ſine culpa poſſit facilè ſuſtineri à profitente ſtatum perfectionis; ſicque recenſeri debeat inter auſteritates ſtatûs, quas quis ſponte aſſumere debet, & Superior aliquando præcipere poteſt propter ſolam exercitationem. 7

CAPUT XII.

An in Prælato poteſtas ſit diſpenſandi: & ad quam materiam extendatur?

1 Primò. In perfecto Prælato eſt d. poteſtas. Nam ſine illa non poteſt moraliter conſiſtere humanum Regimen; vel ergo Ordo eſt exemptus, vel non? Si 2um, ergo ſicut in non voluntariis ſubeſt Epiſcopo, ita in voluntariis, nec plus habet, quàm quod competit ex conceſſione Epiſcopi, Privilegiis & conſuetudine, nihil verò de Jure ordinario. Si 1um; ergo Jure ordinario, ſeu vi muneris diſpenſare poteſt, ergo in omnibus, ſervatâ proportione, quæ Epiſcopo, quà tali competunt, ſeu ordinariè neceſſaria eſſe poſſunt, & ſtatui accommmodata ſunt; nec enim major ratio eſt limitandi d. poteſtatem ad unum, quàm alium actum: uſúſque extenditur ad omnia, quæ moraliter & prudenter ad ordinarium Regimen animarum neceſſaria fuerint, ut ipſa ratio naturalis poſtulat.

Secundò. Secùs eſt de his, quæ Epiſcopo, quà Delegato S. Sedis, aut per novam conceſſionem competunt. Nam prior Jurisdictio eſt Apoſtolica & non Epiſcopalis, nec ejus Delegatio extenditur ultra pro- 2

prietatem verborum, conſequenter non ad Prælatum alium ſecularem, nedum Regularem. Rurſus nec Epiſcopo competit pro Diœceſi, quidquid Pontifici pro Eccleſia, niſi excipiatur, ut l. 6. de Legi. c. 4. & D. 7. de Cenſuris ſ. 4. ſatis oſtenſum eſt: & ordo de ſe præpoſterus eſt, mutare Legem Superioris, nec expedit, niſi in certis materiis, & caſibus. Multò ergo minùs Regularis Prælatus tantum poteſt, nec etiam ea, quæ ſpecialiter Epiſcopo conceſſa ſunt, nec plus, quàm quod Epiſcopus poteſt ſecundùm commune Jus, non ultrà, ſiſtendo in eodem Jure; quidquid nunc ſit de Privilegiis.

3 Tertiò. Regularis diſpenſari ab Epiſcopo poteſt in caſibus huic conceſſis quoad irregularitatem. Nam Exemptio non facit Regularem conditionis deterioris, nec privat commodo omnibus communi, ſicut nec tollit ſubjectionem quoad actus alios Epiſcopi proprios, & omnibus reſpectivè neceſſarios; multóque minùs quoad actus voluntariæ Juriſdictionis, qui merus favor ſunt, ut in Indulgentiis, & in d. diſpenſatione. Quòd ſi hæc poteſtas Epiſcopi ſemel extenditur in Regulares; non tollitur per Privilegium ſimile conceſſum Prælato Religionis, quamvis is prohibere poſſit uſum impetratæ Gratiæ, & à fortiori impetrationem ejus.

4 Secùs eſt in caſibus aliis Epiſcopalibus, qui attingant poteſtatem ligandi. Nam Prælatus Jus habet, ne alius, ubi ipſe ſufficit, ſe intromittat, etiam validè, ut non tantùm in abſolutione, ſed etiam in diſpenſatione præcepti communis videtur certum eſſe. Nec enim ſubditus renuntiare poteſt Exemptioni, ubi id noxium eſt Religioni; & ex natura rei eſt, ut pœna v. g. quæ ab uno impoſita eſt, remitti nequeat, niſi ab eodem, vel Delegato ejus.

Quartò. Quoad diſpenſationem in præceptis Eccleſiæ, Prælatus poteſt, quidquid Epiſcopus, per ſe loquendo & regulariter; ſicut etiam eidem negatum intelligitur, quidquid huic conceſſum non eſt ſive Lege, ſive uſu. Nam Prælatus habet totum onus Epiſcopale quoad curam Animarum; ergo & poteſtatem connexam curæ: hæc autem nec perfectè geri poteſt, nec etiam commodè, ſi in frequentibus Romam recurri debet. 5

Quòd ſi ſpecialis conceſſio eſt, vel Epiſcopo ſit propter majorem authoritatem, & ne frequens ſit, quin poſcat, quantùm ad materiam & cauſam diſpenſandi, proprii Prælati providentiam; vel poſcitur hujus providentia? Si rum, non poteſt conceſſio talis regulari per generales regulas, recedendo à proprietate verborum; ſi quidem materia non pertinet ad ſalutem animarum, & bonum earum regimen (nam tunc utique ſubeſt Paſtori proprio, ut dictum eſt) ſed ſolùm ad externum ordinem, ut omnia decen- 6

center fiant. Si tum, ut in Interſtitiis; Prælati eſt diſpenſare, non Ordinatoris, quamvis hic rogandus ſit, ut non ſervatis Interſtitiis ordinet; aliàs Litteræ Dimiſſoriæ nihil operantur quoad non expreſſa.

7 Quintò, Prælatus diſpenſare poteſt in Votis Epiſcopalibus, non tamen in reſervatis, demptâ Peregrinatione, nec in Votis, quæ ad Statum Religionis cujuſque pertinent, ſive ſolennia ſint, ſive etiam ſimplicia tantùm. De prima & altera parte conſtat ex dictis aliàs; licentia enim peregrinandi negari ſemper poteſt: ut autem Votum firmetur, ſicque diſpenſetur, nec neceſſarium moraliter eſt, nec conceditur. Ratio ultimæ partis eſt, quia alia ſunt Vota perſonæ; alia Statûs, ſeu quæ vi Inſtituti emittuntur, ſive ut principalia, ſive ut paſſiones & complementum Profeſſionis, & ideo, tanquam acceſſoria imitantur principale: ergo licèt quoad priora ſit neceſſaria poteſtas diſpenſandi, non tamen quoad poſteriora; aliàs ſimiliter ac illa irritari poſſent: quod ſine dubio falſum eſt; eſsétque poteſtas in deſtructionem.

8 Sextò, Quoad obſervantias Ordinis Prælatus diſpenſare poteſt, loquendo indefinitè. Sequitur ex dictis à fortiori; nam neceſſitas diſpenſandi eſt frequens, nec aliter ſatìs proviſum eſſet vitæ Regulari; ſicque Epiſcopus, ut cum Clericis in Clericalibus, ita in Regularibus rebus cum non exemptis diſpenſat: ſatíſque indicatur hæc poteſtas in c. *Cùm ad Monaſterium.* de Stat. Mon. & Trid. ſ. 25, c. 1. de Reg. Privilegia autem quæ dantur, vel declarant tantùm Jus ordinarium ad ſcrupulos tollendos, vel addunt facilitatem, ut ex minore cauſa diſpenſetur.

Dixi, loquendo indefinitè: nam de ſubſtantialibus Obſervantiis, quà talibus ſecùs eſt, juxta dicta de Votis Statûs, convincítque ratio Trid. ſuprà: *Si enim illa, quæ baſes ſunt & fundamenta totius totius Regularis diſciplinæ, exactè non fuerint conſervata, totum corruat ædificium, neceſſe eſt*: ergo eſſet poteſtas in deſtructionem, quia vix aut difficulter ſine talibus dari poſſet perfectio Charitatis in tali ſtatu. Licèt autem obſervantia talium in toto Corpore, ſit neceſſaria, non tamen ut applicata ad ſingulos; ſolúmque ſequitur, diſpenſationem difficiliorem eſſe debere, ita ut moraliter conſtet, inde non minui ſubſtantialem obſervantiam Religionis. At in aliis diſpenſatio facilior erit etiam reſpectu totius, ſuppoſitâ poteſtate, & cauſâ proportionatâ. 9

Univerſim enim conſtat, diſpenſationem, quæ fit ſine cauſa, eſſe nullam; nam fit in Lege Superioris, niſi ipſa Congregatio diſpenſet, aut Generalis vel Provincialis in Ordinatione ſua reſpectivè. Aliud tamen eſt diſpenſare; aliud dare licentiam: quia juxta hanc agere, eſt 10

agere juxtà Regulæ conceſſionem, cùm ſic compleatur materia & modus operandi per Regulam poſtulatus. Utque illa detur, ſufficit in opere hîc & nunc nil eſſe incommodi, ſed poſſe honeſtè fieri; etiam titulo honeſtæ recreationis tantùm; ſæpéque annuit Superior, ne nimis auſterus videatur; quamvis ad licitas diſpenſationes id non ſufficiat, ſed propria & ſpecialis cauſa intervenire debeat.

11 Atque in hunc modum intelligitur conceſſio Minoribus facta à Pio II. ut *Prælati poſſint annuere, ſeu diſpenſare cum Subditis debilibus & infirmis, quæ non ſunt contraria Regulæ.* Quædam enim abſolutè prohibentur, quædam non abſolutè, ſed ne ſine licentia fiant, neceſſitate urgente; ſicque quoad ſubſtantiam non ſunt contraria Regulæ, ſed quoad modum: nec in iis propriè diſpenſatur, ſed ex providentia ordinaria, & quaſi ratione muneris debetur conceſſio, ſecùs ac cùm ſit mera liberalitas aut benignitas ex peculiari cauſa vel poteſtate.

CAPUT XIII.

Quibus Prælatis, & quâ ratione conceſſa ſit poteſtas diſpenſandi cum ſuis?

1 Primò. Unusquiſque Prælatus, etiam infimus, poteſt in præſenti, quod à Jure, vel Privilegio ac Regulâ conceſſum eſt. Ita communis Innoc. Abb. Antonii &c. in c. *Etſi Clerici* §. *De adulteriis*, de Judic. Non enim, quod poteſt, habet à ſe, nec ab alio Ordinario, quàm Pontifice: ergo vel conceſſum à Jure communi, vel à ſpeciali, ſeu per Privilegium.

2 Secundò. Vi Juris communis habet quiſque Prælatus totam poteſtatem diſpenſandi, quæ ratione Juriſdictionis Epiſcopalis ad ſtatum Regularem applicatæ haberi poteſt. Nam quiſque eſt verè Prælatus; nec minor eſſe debet poteſtas, ut eſt favorabilis, quàm ut eſt rigoroſa, utpote æquè neceſſaria cuique ratione muneris. Nec enim ex toto orbe recurri debet ad Generalem, nec ſemper ad Provincialem, ſæpe & diu abſentem, cùm caſus ſæpe urgeant, & quaſi quotidiani ſint. Et ſicut Religioſus tenetur ad Perfectionem, ita etiam juvari debet his mediis & modis omnibus. Denique & potuit hæc poteſtas dari, & eſt in ædificationem; conſtátque, cur ſecùs ſit in Eccleſia ſeculari, pendente ab Epiſcopo tantùm, vel gerente vices ejus.

Tertiò. Abbati non Exempto non competit d. poteſtas vi Juris communis. Nam c. *Nullam.* 18. q. 2. loquitur de poteſtate ſolùm Dominativa: hæc autem non extenditur 3

ditur

ditur ad diſpenſandum in Votis, præceptis, vel impedimentis Eccleſiaſticis, ut conſtat in Monialibus: & quod habet d. Abbas, ſolùm eſt facti, ſeu quantum Epiſcopus dare vult; ſicque regulariter ſolùm eſt Delegatio, non poteſtas ordinaria. Tamen quoad Regulam intrinſecum eſt ſtatui, poſſe in ea diſpenſari per Superiorem, etiam ſecluſâ Juriſdictione, niſi Epiſcopus tanquam proprius Prælatus, prohibeat vel reſervet. Nec eſt ſimplex licentia tantùm, quia Abbas vi muneris, licèt Regula abſolutè loquatur, poteſt aliquem ab ea eximere, nullâ factâ mutatione in materia.

4 Quartò, Abbas Exemptus vi Juris communis poteſt diſpenſare in caſibus Epiſcopalibus. Patet ex dictis cap. ſup. Nec enim Jus limitat d. poteſtatem ad Prælatos Superiores, imò potiùs totam tribuit Conventuali, de eodem ſpecificè loquens: ergo ſi qua eſt limitatio, eſſe debet ex Jure ſpeciali. Unde ſequitur, unumquemque Conventualem Prælatum poſſe totum vi Juris ſpecialis, quidquid Prælato Superiori reſervatum non eſt vi Regulæ; nec enim aliunde principium eſt limitandi. Et à fortiori, ſi conceſſio fit inferiori, ut Guardiano &c. ſemper includitur Prælatus univerſalis, ſicut Epiſcopus ſub nomine proprii Sacerdotis. 5

Vel ergo attenditur d. poteſtas, ut vi muneris competit Prælato habenti Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ſeu vices Epiſcopi; vel ut competit ex ſpeciali Privilegio, quod directè, vel per Communicationem conceſſum eſt Religioni? Si 1mum, procedit, quod generaliter dictum eſt, d. poteſtatem nempe eſſe in omnibus, niſi vi Regulæ, vel per aliud Indultum limitetur. Si 2dum, & modus conceſſionis eſt generalis, ut *Religioni*, ſeu *Prælatis*, tenet eadem regula. Secùs ſi dicitur *Generali*, vel *Provinciali* in conceſſione ſpeciali; nam eo ipſo virtute includitur prohibitio ex natura rei, cùm nec ibi, nec alibi, quod ſic datur, aliis conceſſum ſit.

CAPUT XIV.

Quæ perſonæ à Prælatis Religioſis poſſint diſpenſari?

1 Primò, Ceſſat quæſtio tum de Profeſſis ſubditis Prælati, tum de Religioſis aliis non ſubditis. Nam priores habent ſe, ut propria & per ſe ſubjecta materia circa quam d. poteſtatis; in alios verò certum eſt, nihil poſſe Prælatum, ſive de Jure communi, ſive de ſpeciali Religionis, cùm quæſtio non ſit de poteſtate Fori merè interni, quæ ex Privilegiis ſumenda eſt. At d. diſpenſatio eſſet contra debitum ordinem, & pareret confuſionem; & cuique promptus eſt recurſus ad

ſuum

ſuum *Prælatum*, cujus eſt agnoſcere vultum pecoris ſui; & ideo inferior *Prælatus* non poteſt diſpenſare Superiorem, nec *Prælatus* unius *Prælatum* alterius Conventûs, nec Hoſpitem Religioſum.

2 Secundò. *Prælatus* ſupremus poteſt ſecum diſpenſare. Nam aliàs non eſſet ſatis proviſum, ſi remedium extrà quæri debet; eſsétque contra intentionem tum Facultatum quæ indifferenter dantur omnibus, tum Religionis, cujus eſt providere, non minùs Capiti quàm aliis, cùm illi committit poteſtatem Generalem. Quamvis autem conſtitui poſſet Commiſſarius d. *Prælati*, tamen quamdiu id non fit, reſtringere non poſſumus poteſtatem Supremi.

3 Tertiò. Idem eſt de *Provinciali*. Nam cenſetur poſſe in *Provincia*, quidquid per ſtatuta non eſt expreſsè reſervatum Generali: ergo niſi conſtet de contraria conſuetudine, non tenetur ad eum recurrere. Conventualis tamen regulariter recurrit; & ita ex uſu conſtare debet, quæ ſit voluntas Superioris *Prælati* circa diſpenſationem propriè dictam. Licentiam enim, quam aliis, etiam ſibi dare poteſt Rector, quia moraliter neceſſarium eſt ſtatui ejus: & actus potiùs eſt dominii, & eo ipſo, quòd ille ſit pater Domûs, relinquitur dominus ſuarum actionum, quæ ad ordinarium vitæ modum attinent, quamdiu nihil ſpecialiter prohibetur aut reſervatur.

Quartò. *Prælatus* poteſt diſpenſare Novitium in his, quibus pro tempore eget, ut in Jejunio, Votis &c. Nam pro tunc ille gaudet Exemptione; éſtque ſub propria cura Religionis; nec convenienter recurſum habere poteſt ad extrà. Imò ſi ſpecialia ſunt Privilegia Ordinis, iiſdem ille gaudet, quia in favorabilibus comprehenditur ſub Religioſis; & facultas diſpenſandi latè interpretanda eſt, licèt ſecùs ſit de diſpenſatione. Et à fortiori quoad obſervantias cum illo diſpenſatur, cùm illis propriè non ligetur, niſi in quantum probationi ſatisfacere debet, per Regulas ſtringatur. 4

Quintò. Secùs eſt de diſpenſatione perpetua, aut ad effectus perpetuos, ut ad Ordines ſuſcipiendos, Interſtitia &c. Nec enim Novitius abſolutè & perpetuò ſubditus eſt: ergo diſpenſatio perpetua eſſet irrationabilis, cederétque potiùs in nocumentum Religionis; unde nec ex Jure, nec ex Privilegio oſtendi poteſt talis poteſtas. Similiter in injuriam Epiſcopi cederet diſpenſatio ad Ordines; nam habere deberet ordinatum ſine ſua licentia; quod eſt contra debitum ordinem, nec à Pontifice volitum, cùm talis extenſio Privilegii, nee ex proprietate verborum, nec ex ratione ſumi poſſit, ſed nominatim expreſſum eſſe debeat. 5

Sextò. Cum familiaribus Monaſterii diſpenſari nequit, per ſe loquendo. Nam neque per proprietatem 6

tatem verborum comprehenduntur, neque per extenſionem aliquam, quæ vel in Jure, vel in communi modo loquendi habeat fundamentum: ergo opus eſt indulto expreſſo, ut Eugenius IV. conceſſit quoad carnes, jejunia &c. Ordini S. Hieronymi.

CAPUT XV.

An in Prælato poteſtas ſit abſolvendi à culpis non reſervatis, & eam delegandi?

1 Primò. Prælati Exempti habent d. poteſtatem ordinariam. Sequitur ex ipſa Exemptione, cùm in eos transferatur tota cura Animarum; conſtátque uſu. Nec d. poteſtas eſt penes unum, ſed quemlibet Prælatum; nam Rector comparatur Parocho, Provincialis Epiſcopo, & Generalis Archiepiſcopo, tamen cum immediata Jurisdictione in ſingulos ſubditos. Quoad non Exemptos, Epiſcopus per ſe vel ſuos Vicarios gerit curam, vel juxta eorum Privilegia.

2 Secundò. Quilibet Prælatus Exemptus poteſt d. poteſtatetem delegare. Non enim ratio eſt limitandi poteſtatem Ordinariam; imò eſt ratio non limitandi, ſed eſt debita & præcepta Delegatio (ſecùs ac in Parocho) juxta Decretum Clem. VIII. de Caſ. Reſerv. pro Regul. *Non liceat Superioribus Regularium Confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſervatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſponte, aut proprio motu id ab eis petiêrint.*

3 Imò ex natura rei obligatio eſt delegandi, quia contrarium eſſet abuſus Jurisdictionis, & contra Religionem Sacramenti, & ſalutem animarum, quæ periculo exponuntur. Dein magna dependentia eſt à Prælato, & metus, ne Forum Foro miſceatur: ſícque diverſa eſt ratio de Parocho. Et in d. Decreto particula *Proprio Motu* videtur excludere etiam petitionem, & inductionem quamlibet: tamen quia disjunctiva ſit, particula *ſponte* obſtat huic rigori, dummodo abſit timor reverentialis, aut perſuaſio nimia, quæ virtualis foret præceptio, & moralis coactio.

4 Tertiò. Quisque Prælatus obligatur ſub gravi ad delegandum *duos* vel *plures pro numero Subditorum.* Nam verbum, *Non liceat*, eſt præceptivum, & in re gravi, & ſermo eſt indefinitè de Superioribus. Non tamen præcipitur, ut Electio ſit, nec id indicat particula *pro numero*: onúsque extraordinarium fuiſſet ampliùs declarandum. Idémque probat uſus Monialium, quibus æquè

què providendum eſt; ſolùm enim bis vel ter per annum ab alio audiuntur. Trid. ſ. 25. c. 10. de Regul.

5 Dices: ergo Confeſſarius talis erit verus Parochus, cùm vi Legis ad id munus deputetur. ℞. eſſe Delegatum tantùm, ut à poſteriori conſtat, quia non poteſt delegare. Pendétque ejus Jurisdictio ex conceſſione & voluntate Superioris; ſicque Legi per Delegationem ſatisfit, præſertim quia attenditur induſtria perſonæ, cui vices committantur. Rurſus Superior poterit dare Jurisdictionem etiam extraordinariam, dummodo nec facultas abſoluta ſit, ſed pro uno vel altero caſu, nec multiplicet ordinarios, præter Regulam, nec denique per nimiam facilitatem cauſa detur damni ſpiritualis, ut facilè contingit, niſi in perſonarum delectu magna adhibeatur conſideratio.

CAPUT XVI.

An poteſtas abſolvendi competat aliis, quàm Prælato Religionis, & Delegato ejus.

1 Primò. Cruciata nihil operatur circa Religioſos in re præſenti. Ita Bullæ Leonis X. Pii V. Alex. VI. Greg. XIII. ipſáque clauſula Cruciatæ, *exceptis, quæ conceſſæ ſunt Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum Fratres.* Abſolutè enim omnes Gratiæ intelliguntur, quia indefinita æquivalet univerſali, nec reſtringi poteſt ad unam potiùs, quàm aliam Gratiam, cùm cadat in omnia præcedentia. Et Pius ait: *Nonnulli his Facultatibus uti præſumunt: & illarum prætextu &c.* ergo ſine uſu legitimo. Et Gregor. ait, *non eſſe, nec fore mentis ſuæ, aut Apoſtolicæ Sedis &c.* ergo non reſtrictio, ſed Juridica declaratio ſit Cruciatæ, eáque perpetua, univerſalis, & omnes afficiens, in quibus tenet ratio Declarationis, eſto factæ ac pe itionem particularium.

Secundò. Idem eſt de ſimilibus Bullis, ut Ordinis SS. Trinitatis. Nam præter dicta, facit R. J. *In generali* in 6. & c. 2. de Pœn. & Rem. Dein agitur ſpeciale præjudicium tertii, quia datur occaſio relaxandi diſciplinam, cujus cuſtos domeſticus eſt Prælatus, ſecùs ac Parochus & Epiſcopus. Nec obſtat exemplum Jubilæi; nam licentia tantùm eſt pro ſemel, non pro toto anno, aut per modum Legis, ut in præſenti prætenditur: ſic autem multi timorem & pudorem amitterent non ſine infamia Religionis. Et Trid. ſ. 25, c. 10. de Reg. nec extraordinarios concedit, niſi deſignatos per Epiſcopum. 2

Ter-

3 Tertiò, Secùs eſt, ſi Superior concedat. Nam tunc Religioſus ſe gerit, ut liber, & abſque præjudicio tertii; ſicque praxis excuſatur, quia fit ſciente & tacente Superiore. Hic tamen viderit, cur & quomodo taceat: excuſat autem ignorantia, quaſi oppoſitum ſit practicè probabile, quod ego mihi (ait Author) non exiſtimo, niſi circa Novitios: nam in his non timetur præjudicium, nec rigoris extenſio ad eos fit, conſequenter nec exceptionis in Cruciata, cujus verba aliàs generalia ſunt. Denique d. conſenſus Superioris non comprehendit reſervata, ut ex generalibus principiis notum eſt.

4 Quartò. Sine aſſenſu proprii Prælati Religioſus confiteri nequit Delegato Pontificis. Ita uſus omnium gravium Religionum, & ſumitur ex conceſſione Innoc. IV. factâ Prædicatoribus, & conſequenter aliis per Communicationem; facítque c. *Inter cunctas*, de Privil. & declaratio S. Congreg. in d. c. 10. Trid. quòd Moniales præter approbationem Epiſcopi, egeant licentiâ Superioris circa extraordinarium. Nam quæ à Deo, & ejus Vicario ſunt, ordinata ſunt: at Prælatus à Pontifice Jus habet prohibendi extraneum &c. ergo non ſtat licentia altera. Nec idem eſt de Parocho, & Epiſcopo; quia ſæcularis nec ita pendet ab his, nec ejus intima cognitio tam neceſſaria eſt, nec ſimile detrimentum ſequitur, ut in diſciplina Religioſa.

CAPUT XVII.

An d. poteſtas detur ſaltem pro Religioſis Peregrinis, & Novitiis?

1 Primò. Peregrino negari non poteſt facultas confitendi alteri. Nam & eſt neceſſaria fragilitati, & confert ad perfectionem. Vel ergo ille habet ſocium ſui Ordinis, vel eſt hoſpes in loco hujus, vel ibidem ſimul cum ſocio, vel extra locum Ordinis & ſine ſocio? Si 1um, ratio & uſus convincit, à ſocio abſolvi poſſe, ex tacita voluntate Prælati, incluſâ in licentia peregrinandi. Si 2um, abſolvitur ab Ordinario loci, juxta dicta de aliis peregrinis tom. 4. de Pœnit. Si 3um, uterque ſufficit juxta conſuetudinem, nec eſt ratio præſumendi excluſionem alterutrius, niſi Regula, uſus, vel Superior aliud declaret.

2 Secundò. Peregrinus extra locum Ordinis, carens Socio, poteſt adire Sacerdotem quemlibet. Ita

Ita conceſſit Sixtus IV. & Innoc. VIII. Minoribus, & Ciſtercienſibus, quia Religioſus non debet eſſe pejoris conditionis, quàm Peregrini alii, quamvis differentia ſit. Nam pro illo manat Jurisdictio à proprio Prælato, & erga hunc retinet ille ſemper ſubjectionem actualem, cùm nunquam ſit extra Diœceſin ſuam, utpote non circumſcriptam terminis localibus. Aliunde nec ex natura rei, nec ex Trid. neceſſaria hîc eſt Approbatio, nec præſumitur onus tale à *Prælato* impoſitum; aliàs ille expreſſiſſet, ſi voluiſſet, cùm non perinde, ac in aliis neceſſarium ſit, ſuppoſito tam frequenti uſu confitendi &c.

3 Tertiò. Novitius confiteri poteſt Delegato Pontificis, non verò ſolius Epiſcopi. Ratio prioris eſt, quia Delegatio fit pro omnibus Fidelibus, per ſe loquendo; & exceptionis fundamentum ſubſtantiale ceſſat in Novitio, juxta dicta cap. ſup. Tamen aliquando Privilegium non deſcendit ad ſingulos, niſi mediante conceſſione Religionis: ergo ſi hæc abſolutè & directè prohibeat audire Novitium, nihil fit, quia ſine dubio intendit vetare, quantum poteſt: ergo auferendo Jurisdictionem, juxta communem Canoniſtarum de Legibus, ut cùm limitatio ſit, ut viri tantùm audiantur.

4 Ratio poſterioris eſſe debet, non quòd non poſſit quis ſimul habere duo domicilia (oppoſitum enim conſtat in ſubjecto duobus *Parochis*) ſed quia exemptio eſt univerſalis, ut in Bulla Pauli III. Greg. XIII. *Ipſámque Societatem, & univerſos illius Socios, & perſonas &c. ab omni Superioritate, Jurisdictione, & Correctione quorumcunque Ordinariorum eximimus.* At Privilegium eſt ampliſſimæ interpretationis, præſertim propter additam particulam *perſonas*: gaudétque Novitius non tantùm *Privilegio* Canonis, ſed etiam Fori, & propriæ Exemptionis Religionis quoad alios actus. Dein gratia eſt Ordinis, non perſonæ, eſto aliquando huic, etiam Profeſſo, oneroſa ſit; quod in præſenti non eſt niſi ex accidenti.

CAPUT XVIII.

Quid Clemens VIII. ſtatuerit circa Reſervationem Caſuûm?

1 Primò. Eſt penes Prælatum poteſtas reſervandi peccata. Nam fundatur hæc in Jurisdictione Epiſcopali: at Religioſus non incurrit Caſus Epiſcopales: ergo proprios, juxta mentem Trid. ſ. 14. c. 7. & ſupponit Clemens VIII. numerans caſus, quorum reſervatio eſſe poſſit apud Regulares, non verò aliorum, niſi in Capitulo Provinciali, vel Generali

nerali ſtatuantur. Porro aliud eſt de reſervatione peccati per accidens propter annexam Cenſuram; aliud de per ſe tali, & immediatè facta: de priore non agit Pontifex, conſtátque Cenſuram (conſequenter & peccatum) reſervari ferenti, ſi quidem ſpecialis ſit.

2 Caſus Clementis ſunt 1. Veneficia, Incantationes, Sortilegia 2. Apoſtaſia à Religione, ſive dimiſſo Habitu ſive retento, quando eò pervenerit, ut extra ſepta Monaſterii egreſſio fiat. 3. Nocturna ac furtiva è Monaſterio egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta. 4. Proprietas contra Votum Paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. 5. Juramentum falſum in Judicio Regulari, ſeu legitimo. 6. Procuratio, auxilium ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto. 7. Falſificatio manûs aut Sigilli Officialium Monaſterii. 8. Furtum de rebus Monaſterii in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale. 9. Lapſus carnis voluntarius, opere conſummatus. 10. Occiſio, aut vulneratio, ſeu gravis percuſſio cujuscunque. 11. Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad Inferiores, vel ab Inferioribus ad Superiores.

3 Igitur in 3io caſu comprehenditur egreſſio etiam Prælati, ſi iniqua eſt; quia ſecundùm rectam voluntatem Superioris Prælati eſt *Furtiva*. Idem eſt, ſi conſenſus Superioris iniquus ſit, quia cùm ſit contra honorem Dei, & Religionis, eſt nullus, nihílque operatur. Idémque eſt, ſi conſenſus ſit extortus per vim & metum: nam egreſſio fit, invito Prælato, ſeu ſine conſenſu legitimo: ergo *Furtivè*. Tamen particula *Ac* ſumitur complexivè; ſícque egreſſio eſſe debet & *Furtiva* & *Nocturna*.

In quinto caſu comprehenditur 4 quodlibet Judicium Forenſe, quod eſt *actus legitimus duarum perſonarum ſub eodem Judice &c.* Gl. in c. *Forus* de V. S. Per particulam *Legitimo*, excluditur Judicium privatum per arbitria privata &c. itémque cùm injuſtè quis interrogatur, aut à non legitimo Judice, aut in Judicio ob aliam cauſam nullo. Nam perjurium verum non fit, aut non verè, ſed apparenter, in Judicio.

In ſeptimo ſub voce *Officialis* venit Miniſter, Procurator &c. 5 utique ſi ſigillum habeat Officialis, ut talis, quod à Religione authoritatem habeat, non verò merè privatum, aut commune aliis. Nec ſufficit illud fabricare, furari &c. ſine conſignatione litterarum, ſicut non fit falſificatio manûs, niſi illis ſubſcribendo. Extenditur autem caſus ad Sigillum *Provinciæ* &c. quia pertinet ad fidelitatem debitam Officio Prælati, & conſequenter per actum d. Sigilli fit injuria Officio. Idémque eſt, etiamſi litteræ ſolùm fa-

familiares ſint, dummodo in materia gravi.

6 In decimo *Malitioſum* ſignificat fieri non tantùm cum culpa gravi, ſed ex malitia, ſeu ex directa intentione impediendi effectum litterarum. Eadémque malitia poſcitur in aperiendo illas, utique ſi ſciatur, aut præſumatur, eſſe contra voluntatem Superioris; nam tunc ſufficiens malitia eſt.

CAPUT XIX.

Quis poſſit abſolvere Religioſos à culpis reſervatis?

1 Primò. Peregrino implicitè datur facultas cuique confitendi reſervata, cum onere tamen comparendi coram Prælato. Nam qui unum, etiam alterum virtute dat, quod ad prius convenienter exercendum moraliter neceſſarium eſt: at cogi Sacerdotem, ut diu non celebret, & ſcandaloſum eſt, & nocivum perſonæ, & nimis moleſtum: in Laico autem pœna eſt nimis rigida (ſeclusâ Cenſurâ) & non multùm medicinalis, & periculoſa fragilitati; ſicque d. facultatem probat conſuetudo univerſalis, utique ſub d. onere comparendi, quia plus licentiæ non datur, quàm neceſſitas poſcat, nec plus præſumi poteſt, ut conſtat ex c. 2. de Pœn. & Rem. in 6.

2 Secundò. Confeſſarius ordinarius Religioſum ſui Ordinis abſolvere à reſervatis nequit, niſi de licentia ſpeciali Prælati. Ita d. c. 2. Aliquando autem d. licentia vi muneris competit, ut Magiſtro Novitiorum; ſicque reſervatio eſt disjunctiva vel Prælato vel d. Magiſtro &c. Dein duplex exceptio eſt; una per facultatem datam Minoribus ſemel eligendi Confeſſorem de Obſervantia, qui ab omnibus reſervatis abſolvat, imò diſpenſet in omnibus Irregularitatibus, dempto homicidio. Altera ex Privilegio Sixti IV. ſic habet: Quicunque Confeſſor quemlibet Mendicantium ab omnibus caſibus, nullo excepto, cum omnimoda authoritate in articulo mortis, ac ſi in illo actu eſſet ſummus Pontifex, abſolvere poteſt, & eâdem authoritate ei Indulgentiam plenariam concedere.

In neutra tamen Gratia intelligitur Sacerdos ſimplex (ſeclusâ neceſſitate) ſed Ordinarius Religionis, quia facultas ſemper intelligitur, ſalvo Jure in aliis, conſequenter approbationis per Prælatum, ſicut in extenſione prioris Gratiæ ad ſervientes, intelligitur approbatus per Epiſcopum; quia ſolùm intenditur plena remiſſio, quæ fieri poteſt citra mutationem Ordinis. Sicut autem in Gratia poſteriore exprimuntur etiam Novitii quoad Indul-

dulgentiam : ita à fortiori intelliguntur quoad magis neceſſarium. Addunt Eugen. IV. & Nicol. V. *Quòd ſi de illo reputato tunc mortis articulo &c. non diſceſſerit, ſemper Indulgentia prædicta intelligatur reſervari ad verum mortis articulum*, non merè putatum.

4 Tertiò. Operatur d. Gratia in quolibet vero articulo, nec ſuſpenditur, donec mors ſequatur. Nam conceſſio indefinita (*in articulo mortis*) æquivalet univerſali, præſertim in beneficio amplæ interpretationis, nec illa fit ſub conditione, ſed abſolutè : ergo etiam abſolutio à pœnis conditionata non eſt, aut ſuſpenſa, ſed abſoluta ; quia mens concedentis eſt, ut detur imminente periculo mortis, ſícque alia in alio periculo, donec per partes ſequatur plenaria remiſſio intenta.

5 Idem à fortiori eſt de abſolutione à peccatis, ut quæ ſuſpendi nequit, ſed ſolùm iterari, ut in præſenti debet : aliàs plenaria non eſt. Dein illa ordinatur ad Indulgentiam; ſícque quamdiu quis hujus, etiam illius capax eſt, utpote diſpoſitionis, ut in Jubilæis, & Cruciatâ, quia qui dat formam, dat etiam conſequentia ad illam : éſtque ratio planè eadem, quia morte non ſecutâ, prior abſolutio non eſt plenaria. Utilitas ergo Privilegii eſt, ut præter Prælatum etiam Ordinarius abſolvere poſſit, citra aliam Delegationem ; & ut ceſſet onus denuo comparendi ; quod ſecùs eſt de Sacerdote ſimplici.

Denique verba alterius Privilegii 6
in Compend. Ord. S. Hieron. habent : *Cum aliquis Fratrum incurrerit in dementiam &c. antequam abſolvatur, vel quia non fuit copia confeſſoris: in tali caſu vel ſimili abſolvere eum poſſit in articulo mortis, & remiſſionem plenariam authoritate Apoſtolicâ impendere quilibet Presbyter Secularis aut Regularis.* Quæ quidem de Abſolutione Sacramentali ſolùm accipi poſſunt, ſi præceſſerunt ſigna particularia doloris : ad alteram verò ſufficit pia diſpoſitio, quæ præſumitur, quando non conſtat de oppoſito.

Quartò. Prælatus non tantùm 7
reſervans, ſed etiam cui reſervantur caſus, ut Rectori, poteſt jure ſuo abſolvere à reſervatis, vel alteri id committere. Patet ex dictis. Quòd ſi Provinciali reſervatio fit, inferior nihil poteſt, ut nec Parochus in reſervatis Epiſcopo. Debet tamen Commiſſarius præſens provideri ſubditis, vel ſimpliciter ad abſolvendum conſtitutus, vel cum onere ſubditi ad comparendum tempore commodo, quia cogi nequit ad diu confitendum diminutè, vel non communicandum, vel (ſi reſervatio eſt propter Cenſuram) ad remiſſionem impetrandam per litteras cum periculo revelationis.

Intereſt autem inter Commiſſa- 8
rium, & Prælatum, cui fit reſervatio : nam ille non poteſt delegare :

gare , ſecùs iſte , quia ſolùm ei ſit traditio ordinariæ Juriſdictionis , nihil ex ea auferendo. Sibi verò imputet moram Pœnitens , ſi per litteras , omiſſo Expoſito , recurrat ; quamvis utique ſuavius foret , delegari duos quàm cogere ad Rectorem v. g. in caſu reſervato Provinciali. Si verò non ſit delegatio, contra præceptum Pii V. falſa & improbabilis præſumptio eſt , à Generali vel à Papa concedi ; aliàs Sacramentum valeret per ratihabitionem de futuro ſine ullo ſigno præterito vel præſenti ; & quoad directam abſolutionem clarè obſtat Trid. ſ. 14. c. 7.

9 Dices , ergo ſufficit in d. caſu contritio , ſi urget neceſſitas celebrandi. ℞. Peccatum Superioris vel ſolùm conſiſtere in nimio rigore , aut periculo reddendi Sacramentum odioſum , vel in intentione abuſûs ſigilli ? Si 1um , difficultas, ſecluſo alio probabili incommodo, vel injuriâ Sacramenti , non excuſat in Lege Divinâ confitendi integrè , loquendo moraliter. Si 2um Ordinarius rectè utitur Juriſdictione certâ circa non reſervata , ut in multis caſibus admitti debet abſolutio indirecta reſervatorum. Nam & reverentia Euchariſtiæ ſervatur , & rigor reſervationis.

CAPUT XX.

An Prælati Regulares abſolvere ſuos poſſint à Cenſuris ?

1 Primò. Prælatus Jure communi abſolvit à Reſervatis per Jus ſive Commune ſive Religionis. Ita c. *Nuper.* de S. E. quia Prælatus eſt *proprius Sacerdos.* Idem eſt de alio Approbato pro peccatis non reſervatis ; aliàs non eſſet differentia inter Cenſuram reſervatam , & non reſervatam. Tenétque Regula, quòd qui ad unum , etiam ad neceſſaria fini deleget.

2 Secundò. Prælatus Jure Communi abſolvit ab omni Cenſura ab homine , niſi latâ per Superiorem. Nam Cenſura tolli poteſt , à quo lata eſt , ejúsque Superiore : poni autem illa non potuit ab extrà ſimpliciter , nec inferior ab intra mutat Sententiam Superioris. Secùs tamen habet uſus in Cenſura generaliter lata , ſi qui tulit , tacet ; d. c. *Nuper.* Porro Epiſcopus vel agit, ut Delegatus S. Sedis in ferendo Cenſuram , vel ut Epiſcopus ? utroque autem modo ligat ; altero , ut non Superior tantùm , ſed ut Supremus: altero quatenus Exemptio non obeſt Juri antiquo Ordinarii. Trid. ſ. 25. c. 13 de Reg. & ſ. 5. c. 1. de Ref.

3 Tertiò. A reſervatis per Religionem Jure ſuo abſolvit & Prælatus, cui reſervantur , & ejus Superior , & eorum Delegatus. Conſtat ex dictis cap. ſup. Quòd ſi reſer-

ſervatio abſolutè fit, comprehenditur Prælatus etiam Conventualis; quia indefinita æquivalet univerſali: ergo de omni vero Prælato intelligitur. In Delegatione autem expreſſio fieri debet, per ſe loquendo, propter c. 2. de Pœn. & Rem. in 6. Nec enim certum eſt, Delegationem abſolvendi à peccatis ſufficere; licèt uſus ita extendat d. c. *Nuper.* Dein ſi in Religione non ſunt cenſuræ, niſi reſervatæ; jam fit ſufficiens determinatio, dicendo, à *Cenſuris.*

4 Quartò. Prælatus tum Jure communi, tum per Privilegia abſolvit à reſervatis Papæ, quæ Jure communi conceſſa ſunt Epiſcopo. De conceſſis Epiſcopo, quà tali conſtat: ſecùs autem de conceſſis, quà Delegato Papæ, juxta dicta D. 30. de Pœnit. ſ. 2. Porro Vicarius Prælati nihil poteſt, niſi ut hujus delegatus; cenſetúrque eſſe, quoties alter abſens eſt. Denique vi Privilegiorum, præſertim Mendicantium, Prælatus abſolvere poteſt ab omni Cenſura, tam à Jure, quàm ab homine latâ, ut colligitur ex diverſis Privilegiis ſimul collatis in Compend. verbo, *Abſolutio.*

CAPUT XXI.

A quibus Cenſuris & pœnis poſſint Prælati ſuos abſolvere per Privilegia Mendicantium.

1 Primò Materia d. poteſtatis ſunt omnes Cenſuræ Pontificiæ. Nam Sixtus IV. in Comp. v. *Abſolutio* ſolùm excipit *relapſum in Hæreſin, Schiſma, Litterarum Apoſtolicarum falſificationem, & delationem prohibitorum ad Infideles*: ergo quia exceptio firmat Regulam, committitur Hæreſis: ergo à fortiori caſus alii Cœnæ. Dein Greg. XIII. addit circa Noſtros *Relapſum in Hæreſin:* per quod tamen non ruunt exceptiones aliæ Sixti, quia Delegatio poteſt eſſe de maximo crimine, quin ſit de minore; & qui plus, non propterea minus poteſt. Igitur d. exceptiones ſublatæ ſunt per alia verba: *Etiamſi talia forent, propter quæ ſedes Apoſt. eſſet conſulenda*: quæ tamen non ſufficiunt pro d. relapſu, utpote ſpecialiſſimo.

Secundò. Cadunt d. Privilegia in Reſervationes futuras. Nam ſenſus eſt de Reſervatione, quæ ſit, & conſequenter præceſſerit, cùm fit Confeſſio & Abſolutio; quod Pontifex & velle poteſt, & vult, cùm dat facultatem perpetuam & Generalem ad omnia: éſtque favor, qui in nullius, niſi concedentis, præjudicium tendit. Sic licèt creſcat oppidum, gaudet exemptione ab onere, & Conceſſio facta Regi ad Præſentationes Beneficiorum Regni, comprehendit futura Si-

Similiter ergo Pontifex cogitare poteſt de his, quæ quotidie fiunt, vúltque valere in utilitatem ſpiritualem & publicam; ut ſupponit Succeſſor, revocando expreſsè, quæ non vult valere.

3 Tertiò, Bulla Cœnæ non obſtat ſpeciali conceſſioni. Nam Sixtus V. & Clem. VIII. addunt: *Niſi in eis etiam caſus præſentibus litteris expreſſi comprehendantur.* Juxta formam autem antiquam cenſuit Card. Alexandrinus (ut refert Collector Privilegii Mendic.) eſſe revocatoriam, quantùm ad Succeſſorem concedentis, ut quotidie mutatio fit, non attendendo incommoda privata. Quod tamen in uno & eodem foret inconſtantia, imò virtualis deceptio, concedendo, quod ſtatim auferas: talíſque conjectura, cùm vehemens ſit, vim habet in interpretando, juxta Tiraq. ad L. *Si unquam* num. 37.

4 Dices, in d. Bulla dici: *Etiam prætextu quarumvis facultatum quibuscunque perſonis &c. Ordinum etiam Mendicantium, ipſiſque Ordinibus &c* ℞. Sicut generalis conceſſio non ſufficit ad caſus Cœnæ, ita nec revocationem generalem ad conceſſionem ſpecificam. Si inſtes; ergo nec revocatur generalis facultas, quæ per ſe limitatur; ergo revocatur ſpecialis, ſeu extenſa ad d. caſus. Retorqueo in Clauſula Sixti, qui utique per additionem non deſtruit revocationem.

5 Quartò. Non reſtringuntur d. Privilegia ad peccata non commiſſa ex eorum fiducia. Nam talis reſtrictio, niſi expreſſa ſit (ut in Bullis Compoſitionis propter præjudicium tertii) non præſumitur, maximè in per ſe ordinatis in medicinam, quæ etiam cum fiducia peccantibus neceſſaria eſt. Sic Deus non intendit incentivum peccandi, nec tamen limitat miſericordiam promiſſam: hánceque exaltat malitia hominis, egens utique eo remedio. Dein facultas extenditur etiam ad relapſum Hæreſis, qui gravior eſt peccato alio ex fiducia commiſſo; & limitationes, quas Pontifex vult, adduntur: at aliàs addere nobis non licet. Unde etiam oppoſita opinio excipit, niſi peccator nimiâ triſtitiâ abſorbeatur: at talis triſtitia non reddit facultatem ampliorem, quàm ſit: ergo hæc eſt univerſalis.

6 Denique quia Conceſſio ſæpe utitur verbo *abſolvendi* ab Irregularitate, Inhabilitate &c. fatendum eſt, materiam cogere ad d. vocem ampliandam pro verbo *abolendi*, *tollendi* &c. Comprehenditur enim ſub poteſtate ligandi & *ſolvendi*; & ita effugitur major improprietas, accipiendo Irregularitatē pro culpa, cùm tamen *Bigamia*, quæ præter homicidium excipitur, culpa non ſit.

CAPUT

CAPUT XXII.

In quibusnam Religionibus competat Prælato facultas abſolvendi ab omnibus Cenſuris?

1 Primò. Si conceſſio fit Prælato, intelligitur & Conventualis, & à fortiori Superior alius reſpectu eorundem ſubditorum. Nam indefinita æquivalet univerſali: & in Rectore, licèt minor, tanta tamen Jurisdictio eſt, quanta ſufficit vero Prælato: aliunde autem propter proximam curam Animarum ſpecialiter neceſſaria eſt, imò in c. *Cùm illorum*, cum ſimilibus, de S. E. ſolùm exprimitur Abbas. Tamen Prælatus Superior magis propriè Paſtor eſt, ſicut Epiſcopus ſub voce *proprii Sacerdotis* comprehenditur, quin vox *Parochus* eum excludat, magis quàm debitum ordinem. Secùs eſt de Vicario, Confeſſario &c. quia *Prælati* non ſunt, nec privilegium plus valet, quàm ſonet. Quòd ſi conceſſio fit Conventui, Generalis ut talis, nil poteſt, ſed ut Superior tantùm d. Conventûs. Tamen Pius V. & Greg. XIII. dant Noſtris, quidquid etiam particulari Domui conceſſum eſt.

2 Secundò. Vicarius gaudet d. facultate, ſi vel vacat Sedes, vel non ſolet de alio provideri; ſecùs ſi Prælatus præſens gubernet. Utrumque certum eſt apud Authores; prius quidem, quia Vicarius in re Prælatus eſt in d. caſu, ſecùs in poſteriore; nec conceſſio fit niſi Prælato. Unde incertum eſt, quid Prælato abſente, Vicarius poſſit. Nam Emman. & Antonin. referunt privilegia, in quibus conceſſio fit etiam vices gerenti: quod non fit gerenti præſente Prælato, quoad Jurisdictionem, ſed ſolùm quoad adminiſtrationis domeſticæ miniſterium proprium. Optimum eſt, ut Lege, vel Conſuetudine ſtabili, Prælatus communicet Vicario omnem poteſtatem, ne res pendeat à memoria, vel cujusvis arbitrio.

Tertiò. Poteſt delegari d. facultas. Ita Communis, fundando rem 3 in eo, quòd Epiſcopus ſeu Prælatus poſſit in abſolutionibus, quidquid prohibitum non eſt. Sed hoc principium neque ratione, neque Scripturâ, neque Traditione conſtat, quaſi quidquid Pontifex conſtruit, deſtruere poſſit Epiſcopus. Ratio ergo eſt, quia Commiſſarius ex privilegio perpetuus poteſt delegare, c. ult. de Off. Ord. jun. Gl. ſufficítque in Prælato, Commiſſionem ratione Officii factam eſſe per privilegium perpetuum, licèt poteſtas non competat, ut ordinaria, ut notat Abb. Felin, & alii c. ult. de Off. Del. Nec Prælatus dat Confeſſario privile-

vilegium, ſed utitur nudo ejus miniſterio ad exequendum ſuum Privilegium; ſicque ad id delegat Juriſdictionem. Adde, per reflexum Privilegium competere Societati d. facultatem, ut in Conſt. Pauli III. & Greg. XIII.

4 Quartò. Superior Prælatus poteſt reſtringere uſum Privilegii conceſſi Prælatis, niſi aliud expreſſum ſit. Nam Pontifex confert ſimilia juxta debitum & convenientem ordinem Religionis, nec Generali aufert poteſtatem reſervandi d. caſus; præſertim ſi Privilegium ſolùm juxta Juriſtas eſt ablatio prohibitionis. Tamen licèt ſit poſitiva conceſſio, adhuc penes Religionem eſt, diſtribuere facultates, ut expedire ſibi judicat: eadémque juri ſuo renuntiare poteſt, ut non valeat pro ſingulis Prælatis. Tamen quælibet reſtrictio, cùm ſit nova reſervatio, interdicta eſt per Clementem VIII. ſi non ſit de conſenſu Capituli.

Quintò. Caſus Papales ſunt altioris Reſervationis reſpectu Religioſorum, quàm proprii Religionis. 5 Nam Papa, committendo Abſolutionem, nihil remiſit de ſua Reſervatione: ergo non delegantur d. caſus, cùm proprii delegantur, quia iſtorum commiſſio eſt ex ordinaria poteſtate, illorum ex Privilegio. Et inter Papales non intelliguntur caſus Cœnæ, nec in his Hæreſis, ſed hæc Generali reſervatur in Societate, ſicut Epiſcopus committens ſuos caſus, non comprehendit caſum Canonis. *Si quis ſuadente.* Concedere ergo Superior debet, *quantùm poteſt per Privilegia*, & diſtinguere inter abſolutiones à culpâ, aut à Cenſura, quamvis in Pontificiis conjungantur.

CAPUT. XXIII.

An etiam in Epiſcopis ſit d. poteſtas abſolvendi Religioſos?

1 Primò. Quantùm ad Exemptos (alii, qui ſubduntur Epiſcopo, ſcient ſua Privilegia) in caſu percuſſionis Clerici, & ſimilibus non ſubduntur Epiſcopo. Quamvis enim non debeant relinqui ſine ordinario Judice, c. *Si Papa.* de Privil. in 6. & ideo ſi in aliqua cauſa Fori externi non poſſent judicari à proprio, eatenus non eſſent exempti; tamen nunc vi Privilegii ſtat exemptio ſimpliciter, ídque in favorem Religionis, ut Pius V. expreſſit Prædicatoribus circa caſus Tridentini, dicens: *Ne Prior Conventualis &c. in hac parte deterioris conditionis exiſtat*: ergo huc non pertinet licentia recurrendi ad Epiſcopum. c. *Monachi.* & c. *Cùm illorum.* de S. E. quia nec Religionis favor eſt, nec perſonæ, quæ ſumeret licentiam peccandi &c. &c.

Secun-

2 Secundò. Licèt difficilis recurſus ſit ad proprium Prælatum, non propterea caſus ſit Epiſcopalis, ut Abbas cenſet per epiikiam in d. c. *Monachi.* Nam titulus epiickiæ in materia Jurisdictionis, & Lege irritante, non ſufficit, nec inferior quid poteſt in Reſervatis. Trid. ſ. 14. c. 7. at Inferior dicitur reſpectu Reſervantis. Rurſus Epiſcopus nihil poteſt circa non ſubditum, nec difficultas recurrendi ad proprium, hujúſque injuſtitia dat illi Jurisdictionem; aliàs etiam erit licentia appellandi ad eundem. Denique ad Interpretativam Jurisdictionem recurri nequit, ubi habetur expreſſa: at poteſt tunc quis abſolvi ab Ordinario, ſed cum onere ſiſtendi ſe, ſicut agens in itinere, ſi ita Prælatus conceſſit etiam in Reſervatis: ceſſat ergo vera neceſſitas alterius recursûs.

Tertiò. Prælatus Conventualis à Provinciali abſolvitur, ut iſte à Generali, & hic à Deputato per Capitulum. Nam Privilegium & Exemptio eſt pro omnibus, nec illi ſunt deterioris conditionis. Imò ſi Superior non obſtat, quilibet, quem vult, eligere poteſt, c. ult. de Pœn. & Rem. ibi: *Præter*(non *contra*) *ſui Superioris licentiam*; nec quamdiu Capitulum non determinat aliud, ſupereſt modus alius fruendi Privilegiis, quibus privari non debent. Quòd ſi uterque excommunicatus vitandus eſt (à tolerato enim ſubditus validè & licitè petit Abſolutionem) Prælatus adhibere debet Sacerdotem extraneum, quia ſubdito dare licentiam, eſſet uti Jurisdictione: at extraneo hanc dat Superior Prælatus, non Prælatus pœnitens. 3

CAPUT XXIV.

Ad quas perſonas abſolvendas extendantur d. Privilegia?

1 Primò. Conſtat, extendi d. poteſtatem ad omnes Profeſſos, & Scholaſticos &c. juxta declarationem expreſſam Pii V. Imò & ad Hoſpites Religioſos. Ita Clemens IV. in Monum. Minor. dicens: *Nec non fratribus aliis ejuſdem Ordinis, interdum ad eos declinantibus undecunque.* Et alia Privilegia indefinitè agunt de Monachis: ergo pro omnibus, qui pro hoc Foro ſubſunt Prælato Domûs.

Secundò. Idem eſt de Novitiis. Conſtat ex Bulla ultima Pauli III. qui etiam addit *volentes ingredi* &c. diſtinguens à Novitiis, *qui poſt aſſumptum Habitum* &c. Opus ergo eſt bonâ fide, ſeu propoſito permanendi: aliàs Abſolutio eſt nulla. Tamen hæc non datur ad reincidentiam 2

tiam, ſi non perſiſtant, quia particula *Niſi intraverint* plus non poſcit, quàm ingreſſum Novitiatûs: rationi autem non eſſet adeò conſonum privare Novitium jure libertatis, ſícque moraliter cogere ad permanendum; quod Jura deteſtantur. Imò Paulus ſine addita conditione comprehendit Novitios, *ſub Obedientia, pro tempore degentes*; & infrà apponit d. conditionem, loquendo de *volentibus ingredi.*

3 Tertiò. Idem eſt de Oblatis, quoad aliqua Privilegia. *Aliqua*, inquam, quia quæ loquuntur de *Monachis, Religioſis &c.* ad illos non extenduntur, cùm ſit & contra proprietatem vocis, & intentionem Pontificum, qui ſi plus volunt, exprimunt; ſícque communis uſus interpretatur. Alia ergo non loquuntur de his, qui tria Vota non faciunt; nam eo ipſo eſſent Religioſi. Alia denique generaliùs comprehendunt omnes, *qui in tali Religione* (ùt S. Benedicti) *propoſuerunt perpetuum Deo reddere famulatum.* Item, *Qui ſub Obedientia talis Religionis vivunt*: ergo & per ſimplex Votum tantùm ligati, vel per pactum perpetuum ſerviendi.

4 Quartò. Uſus Privilegii de abſolvendo à Cenſuris, poteſt eſſe extra Sacramentum. Nam aliquando datur facultas directè pro *peccatis* reſervatis, & tunc conſequenter tantùm abſolutio à Cenſuris conceditur. Aliquando autem d. facultas eſt directè à *peccatis* & *Cenſuris*; & tunc *Cenſura*, ut habet natura ejus, tolli poteſt extra Sacramentum, & per abſentem, ut in abſolvenda Moniali: non enim hanc Epiſcopus accedere cogitur propter caſum occultum. Nec obſtat forma, *In Foro conſcientiæ tantùm*, aut additum, & *Pœnitentiali*: quia aliud eſt modus, aliud effectus Abſolutionis, utique pro Foro interno tantùm. Sícque & altera particula ſolùm declarat modum ſolvendi, ut non ſolvatur niſi paratus ad pœnitentiam & ſatisfactionem juxta formam: *Salutari Pœnitentiâ injunctâ, & ſatisfactâ parte.*

CAPUT XXV.

An vi Privilegii Prælatus abſolvere poſſit etiam à Cenſuris ſpecialibus ab homine?

1 Primò. Poteſt abſolvere à ſententia generali, Nam hæc ex conſuetudine generali æquiparatur Cenſuris à Jure latis: conſtátque d. poteſtas à fortiori ex Privilegiis. Sic enim Clemens IV. in Monum. Minor. concedit Caſus Bullæ: & Martinus V. pro Benedictinis addit: *Etiamſi talia forent, propter quæ eſſet Sedes Apoſtolica conſulenda* &c.

Et

Et Eugen. IV. pro Ciſtercienſibus. *Ab omnibus etiam qualitercunque enormibus.* Item, *Ab omnibus Cenſuris, & Sententiis, à Jure, vel ab homine, in genere vel in ſpecie promulgatis vel promulgandis.* Denique Greg. XIII. Miniſtris Infirmorum concedit Cenſuras à Jure vel ab homine (non tamen *nominatim*) quomodolibet latis.

2 Difficultas autem eſt, an per d. Privilegia concedatur abſolutio etiam à ſententia ſpeciali? In contrarium enim eſt, quia argumentum à fortiori, eſt nullum in Delegatione, ut patet in Jubilæis, in quibus dantur caſus Bullæ Cænæ, non tamen ſpeciales ſententiæ; quia non attenditur quantitas, culpæ, ſed Jus Judicis, ne Ordo Judiciarius turbetur. Dein Clemens loquitur de Cenſuris à Jure vel à Judice *generaliter* promulgatis, utique per d. vocem excludendo *ſpeciales* ſententias. Idem eſt de particula *Nominatim* à Gregorio poſitâ, quia ſpecialitas delicti, ut talis furti commiſſi à particulari perſona, non tollit generalitatem ſententiæ. Denique in generali Clauſula non veniunt ſpecialia.

3 Secundò. Poteſt Prælatus vi Privilegii abſolvere etiam à ſententia *ſpeciali*, per ſe loquendo. Nam particula *in ſpecie* propriè ſignificat d. Sententiam, cùm ſcilicet perſona *nominatim* expreſſa eſt; nec eſt cur d. particula arctetur ad ſpeciem delicti, vel pœnæ, ſi verba abſoluta ſunt. Adde, Paulum III. concedere Cenſuras, &c. à Jure, vel ab homine *quomodolibet* latas & promulgatas; ſicque ſublata eſt d. arctatio & reſtrictio, cùm particula *quomodolibet* poni nequiverit, niſi ad eam tollendam. Unde etiam non obſtat particula *nominatim* in indulto Gregor. quia non ſufficit, ſententiam *nominatim* denunciatam eſſe, niſi etiam *nominatim promulgata* ſit.

Tertiò. Ad d. Abſolutionem neceſſaria eſt debita ſatisfactio. Ita expreſſè indultum Pauli III. Nec d. ſatisfactio intelligi debet ſolùm reſpectu partis læſæ, ſed etiam reſpectu Eccleſiæ læſæ, ſeu Judicis per Contumaciam inobedientis; ergo ſaltem poſt hanc depoſitam, offerri debet ſatisfactio, quæ poteſt, Judicem reddendo certum de Obedientia præſtita, & de obtenta Abſolutione, ita ut Indultum ſortiatur effectum cum minima læſione Juris alieni. Vel ergo Generalis reſtringit Jurisdictionem Inferioris, vel non? Priori modo conſtat, nihil agi poſſe per Prælatum Conventualem. Si eum, ergo intentio eſt, ut Reus, ſtatim ac ad cor redit, abſolvatur, ut in cit. Indulto Mart. V. tribuitur Conventuali 4

CAPUT

CAPUT XXVI.

De Poteſtate circa adminiſtrationem Bonorum temporalium permiſſam Jure antiquo.

1 Primò. Ex natura rei eſt d. poteſtas in ipſa Communitate Religioſa. Nam hæc eſt per ſe primò Domina vel Uſuaria, non verò perſona particularis; quia nec eſt ratio, cur pènes hanc potiùs, quàm aliam ſit d. poteſtas, nec ulla vi Voti capax eſt proprietatis, aut habendi nomine proprio, ſed ſolùm alieno: ergo à primo ad ultimum reſolvitur d. poteſtas in ipſam Communitatem. Nec enim ad extra recurrendum eſt, ut ad Pontificem vel Epiſcopum, quia in præſenti opus non eſt Jurisdictione, ſed Dominio &c.

2 Secundò. Juxta primævam Inſtitutionem tota adminiſtratio & eſt & fuit penes Abbatem. Ita non tam inſtituendo, quàm declarando c. *Nullam.* 18. q. 2. c. *Edoceri.* de Reſcript. c. *Ad Apoſtolicam* de Regul. c. 2. c. *Cùm ad Monaſterium.* de ſtat. Mon. Idémque conſtat ex Regulis Baſil. Aug. Pachom. Caſſian. Benedicti. Jam enim tunc placuit Monarchia, erántque Abbates veri Patres, & bona parva &c. & ideo neceſſarium non erat adjungere Conſilium; debitúsque Ordo, & perfecta Obedientia poſcebat, ut cura quam Communitas per ſeipſam immediatè gerere non poterat, Capiti committeretur.

3 Tertiò. Competit Abbati poteſtas plena acquirendi ſuo Monaſterio. Nec enim ſibi, nec privatæ perſonæ acquirere poteſt, obſtante Voto; nec Monaſterio diverſo, d. c. *Nullam*, cùm Prælatura ad id non extendatur. Rurſus nulla fit exceptio d. poteſtatis, ſed eſt ad *univerſa quæ vel ad Divini Cultûs reverentiam, vel ad utilitatem ejusdem Monaſterii pertinent*: at quælibet acquiſitio, ſi juſta & decens eſt, tendit ex ſe ad alterutrum finem. Licentia tamen dari poteſt Monachis, ut alibi erigant Monaſterium, ſícque non ut ſinguli, ſed ut omnes recipiant oblatum, utique accedente Diœceſani conſenſu.

4 Quartò. Poteſtas Bona conſervandi ſimiliter plena competit Abbati. Nam exceptio non fit in d. c. *Nullam.* éſtque ex natura rei neceſſarium tum ad bonum Regimen Bonorum, tum ob intentionem Domini, ſeu Communitatis volentis ea fideliter adminiſtrari, ac ſi propria eſſent; ergo ut oportet, ad majus Dei obſequium, & majorem Monaſterii utilitatem. Quia autem Ab-

Abbas curæ omni non ſufficit, poteſt conſtituere Officiales, qui eandem Officii obligationem participent, & poſitivè ex Juſtitia, & negativè nequid diſſipetur. Et olim ſi cui tres lenticulæ manibus excidiſſent, negligentiæ reatus publicâ pœnitentiâ diluebatur, teſte Caſſiano, qui addit: *Si quid fuerit Monaſterio illatum, ut Sacroſanctum* (quia non ſuum, ſed Deo conſecratum) *communi decernunt reverentiâ debere tractari.*

5 Quintò. Competit Abbati poteſtas mobilia alienandi plena, ut Jure naturæ eſſe poteſt. Patet inductione. Nam quæ uſu conſumuntur, aut alienantur purâ amiſſione ſeu conſumptione (ut per ſe neceſſarium eſt in his, quæ immediatè ordinantur ad ſuſtentationem naturæ, vel ad Sacra miniſteria) aut per venditionem & emptionem, ſub hac comprehendendo omnemcommutationem; ut exigere poteſt conſervatio vel adminiſtratio Bonorum, vel ſuſtentatio Fratrum, ut Paulus vendendo opera, emit ſibi ſuiſque neceſſaria. Sicque ſub Emptione comprehenduntur ſumptus omnes, qui prudenter judicantur vel neceſſarii vel decentes, ut ad fabricam, ornamenta Eccleſiæ, & ſalaria Miniſtrorum ſecularium Eccleſiæ.

6 Idem eſt de fabrica Monaſterii, ſupellectili & communitati & ſingulis neceſſariâ, lecto, veſtitu &c. omnibúſque, quæ ſpectant ad corporis conſervationem, & ad quotidianam ejus ſuſtentationem convenientem, & ad miniſteria Inſtituti, juxta limites tamen Regulæ & facultatum. Debentúrque hæc à Prælato vi Officii, vi cujus ut poteſtatem ſuſcipit, ita & obligationem pacti mutui, quod eſt inter Religionem & Religioſum. Et ſicut Abbas terminos Regulæ cum aliis transgredi nequit, ita minùs ſecum, tùm propter exemplũ, tum propter periculum errandi ex propenſione ad ſe: ergo licèt abſoluta pariformitas non ſit inter ipſum & alios, tamen æqualitas proportionalis ſervanda eſt in diſtribuendo ſingulis; eritque optimum, ſi ſit juxta exemplum Act. 4.

Sextò. Donatio ex ſolo titulo liberalitatis fieri nequit, ſed eſt contra Juſtitiam & Paupertatem. Nam Prælatus non eſt dominus, ſed tantùm diſpenſator: hujus autem non eſt ſic donare ex alieno, ut dando libertatem ſervo alieno. c. *Abbati.* d. 54. ſiletúrque titulus talis in d. c. *Nullam.* Idem à fortiori eſt de omni donatione turpi, ut ob ſolam oſtentationem, & alium finem turpem. Secùs eſt de titulo Gratitudinis, quia & ex naturali obligatione debetur, & vi Officii, utpote ſolutio debiti moralis, pertinentis non ad ſingulos, ſed Prælatum, penes quem poteſtas eſt, & eſſe debet. Nam deeſſe non poteſt in re neceſſaria adminiſtrationi perfectæ, & maximè decente ſtatum, 7

multúmque utili ad conſervandam benevolentiam & amicitiam. Imò non tantùm remunerari licet, ſed etiam prævenire beneficia, ut quis ſe præferat benevolum & urbanum &c. Semper tamē reſpiciendo ad majorem proximi ædificationem, vel utilitatem Monaſterii, ſicque & finem largitionis, & facultates Monaſterii.

8 Septimò. Donatio ex titulo Miſericordiæ & licita eſt, & etiam debita, ſpectatâ proportione neceſſitatis ex parte indigentis. Nam hæc vel eſſe poteſt extrema, vel gravis, vel communis tantùm: Si 1mum, conſtat dandum eſſe etiam ex neceſſariis, habitâ ratione aliorum, qui ſolent concurrere ad ſublevandum. Si 2dum, ſuperflua omnia danda ſunt, niſi alii concurrant. Si 3tium, neque præcepti eſt dare omnia, neque conſilii, neque poteſtatis, regulariter loquendo; quia ut notat Navar. majus Dei obſequium eſt, augere Monaſterium in Cultu Divino, vel reditibus perpetuis, quàm abundans eleemoſyna in communibus neceſſitatibus.

9 Octavò. Alienatio mobilium, quæ uſu non conſumuntur, ita licet, ut in uſu conſumptibilibus. Nam donatio rarò licere poterit Diſpenſatori, & ſolùm ferè in rebus parvæ æſtimationis, & ſupervacaneis. Venditio verò frequentiùs eſſe utilis poteſt, vel neceſſaria, ut patet in ſupervacaneis &c & ferè ſolis. Nam quò res de ſe ſtabilior eſt, eò firmiùs poſcit dominium, & poſſeſſionem, quia & gratior ex genere ſuo eſt, imò in individuo melior, & in commutando vix affert utilitatem.

Nonò. Competit *Prælato* alienatio etiam Immobilium. Nam poteſt eſſe juſtus titulus, ut conſtat applicando dicta, & latiùs ſumendo venditionem pro locatione, evidens eſt neceſſitas d. poteſtatis. c. *Nulli*, de Reb. Eccl. non alien. Quia verò non datur poteſtas in deſtructionem, conſtat, d. alienationem non licere ſine compenſatione æquivalente, vel meliori; quia d. bona ſunt fundamenta Monaſterii in his, quæ ad conſervationem corporum pertinent, & ſine quibus Spiritualia non ſubſiſtunt. Rurſus cùm hæc res inter gravia computetur, ex natura rei neceſſarium eſt conſilium prudentum, imò olim neceſſarius erat conſenſus Epiſcopi, c. *Abbatibus*, 12. q. 2. *In venditionibus*. 17. q. 4. 10

CAPUT XXVII.

De Poteſtate Adminiſtrationis Immobilium juxta poſterius Jus Canonicum.

1 Primò. Demptâ reſtrictione, quæ nunc eſt circa Immobilia, poteſtas adminiſtrandi eadem eſt, quæ olim fuit. Nec enim recedimus à Jure antiquo, niſi ut in novo immutatum eſt, nec forma, quæ traditur l. *Jubentur*. 2. cum aliis. Cod. de SS. Eccleſ. Legem facit, nec Gratianus eam canonizare potuit, & ideo ab eadem recedunt Gl. c. *Nul-*

ff. de Reb. Eccl. &c. Rebuff. Innoc. Abb.

2 Secundò, Alienatio non tenet ſine cauſa legitima. Ita c. *Sine exceptione* 12. q. 2. Licet enim author ejus incertus ſit, Jus tamen certum eſt, c. 1. de His q. fi. à *Præl.* éſtque conſenſus communis. Cauſæ autem numerantur quatuor, ſcilicet Neceſſitas, Utilitas, Nocumentum rei, & Pietas. Sed primæ tres pro una & eadem ſumi poſſunt, nam *utile* etiam dicitur neceſſarium ſecundùm quid, ſeu ad melius eſſe; & ſi utile pro utiliori rectè commutatur, ergo à fortiori damnoſum pro utili, imò utilis eſt ſaltem vitatio damni. Quòd ſi ſine damno res poteſt retineri, alienari nequit, ſicut nec utile pro æquè utili claro, quia juxta cit. Jus eligi debet, quod profuturum ſit Eccleſiæ, & quod nunc utile eſt, poterit etiã eſſe aliàs; ſícque intelligi oportet, c. *Terrulas*, ead. cau. & q. c. *Fugitivi*, de Reb. Eccl. &c.

3 De titulo Pietatis conſtat ex c. *Sacrorum.* c. *Sicut.* c. *Aurum.* d. cau. & q. ita ut ſi neceſſitas urgeat ob famem, captivitatem &c. non ſolùm pretioſa Mobilia alienari poſſint, juxta l. *Sancimus*, Cod. de SS. Eccl. ſed etiam immobilia. Quamvis autem hæc videantur ad titulum utilitatis, vel potiùs neceſſitatis referri; tamen titulus proprius eſt *Pietatis*, ſeu æquitatis, ut ſumitur ex c. *Ad aures*, de Reb. Eccl. &c. Addunt alii, non ſolùm aliquam ex d. cauſis ad rite alienandum neceſſariam eſſe (ut Jure naturæ neceſſarium eſt in omni diſpenſatore non Domino) ſed etiam inſtrumentum publicum teſtificans de cauſa. Tamen cùm hoc neque in c. 1. eod. in 6. neque alibi expreſſum ſit, difficile eſt ad formam poſtulari, quod neque Jure naturæ, neque Poſitivo neceſſarium eſt.

Tertiò. Alienatio fieri nequit ſine prævio tractatu. Ita d. c. 1. & d. c. *Sine*. Expendi enim debet utilitas ſeu cauſa alienandi, nec ſi deſit judicium de hac, progreſſus fieri poteſt, utpote fundamento deficiente. Tractari autem debet Capitulariter, ſeu cum omnibus, qui vocem habent, ut communis interpretatio ſumit ex cit. Juribus; facítque c. *Tertiò*. de *Probat.* 4

Quartò. Neceſſarius eſt *Prælato* conſenſus Capituli ad d. alienationem. Ita Jura cit. & Clem. 1. eod. Quamvis enim ſine Prælato nihil fieri poſſit, etiam à Capitulo Cathedrali, & conſequenter Sede vacante, d. c. 1. & c. *ſi qua*, c. *Precariæ*. 12. q. 2. tamen in præſenti reſtringitur ejus poteſtas, ne ſit Monarchica, ſed Ariſtocratica. Sufficit autem conſenſus majoris partis, ut rectè notatur in Cod. Gregor. ad d. c. *Sine*; ſícque ubi Prælatus non condiſtinguitur à Capitulo, poteſt ipſe facere majora, agerèque, ut pars & Caput. 5

Dices: ergo ſi Prælatus habet Conventum, ſufficiet hujus conſenſus ſine conſenſu Superioris, arg. d. Clem. à contrario ſenſu. R. per 6

d. Clem. nec antiquari Jura. c. *Abbatibus* 12. q. 2. c. *In venditionibus* 7. q. 4. nec tolli ſpecialia Religionis. Sicut autem Rector alienare nihil poteſt ſine conſenſu Provincialis, aut Abbas non exemptus ſine conſenſu Epiſcopi; ita nec *Provincialis* ſine conſenſu Rectoris, nec Epiſcopus ſine conſenſu Abbatis, aut Clericorum Eccleſiæ, de qua agitur, ut ſolùm poſcitur in d. c. *Sine* per particulam *ſuæ*, ubi omnes colligunt, conſenſum Capituli non eſſe neceſſarium Epiſcopo ad alienationem de aliis Eccleſiis. Vel ergo Eccleſia Regularis habet Capitulum, cum voto deciſivo, vel non? Si 1um, utique opus erit hujus conſenſu. Si 2dum; secùs erit, quia nec in d. Clem. nec in d. c. *Sine* definitè poſcitur conſenſus Capituli.

7 Quintò. Sub Immobilibus alienari prohibitis comprehenduntur non tantùm res corporeæ, ſed etiam actiones, Jura, redditus longi temporis, ſeu Jus diuturnum ad illos, ſcilicet decennale; itémque debita rerum immobilium, quæ eorum naturam participant. Oportet autem, ut Jus in re acquiſitum ſit, conſequenter per acceptationem donati, Legati &c. Abb. Anchar. Lapus, Roman. Fed. de Senis. Paul. Caſtren. Felin. Sic mulier citra ſolemnitatem in alienando poſtulatam, repudiare poteſt donationem nondum acceptatam. Tamen, ſi deſit ſpecialis regula, Prælatus ſtare debet generali, ut in arduis nihil agat ſine conſenſu vel conſilio Capituli.

Sextò. Etiam Mobilia pretioſa alienari prohibentur. Quæ autem talia ſint, per prudens arbitrium definiri debet, cùm prohibitio ſolùm per exempla declaretur, l. *Lex*. Cod. de Admin. Tutor. X. *Ambitioſa*. de Reb. Eccl. Ejusmodi maximè ſunt vaſa & veſtimenta ſacra, quæ & arte & materiâ præſtant. Idem eſt de tota Bibliotheca, toto grege ovium &c. lignis cæduis; nam quodammodo ſunt immobiles. Idem eſt de peculio ruſtico, c. *Nulli*. eod. jugis boum &c. nam & eſt pretioſum quid in eo genere, & adhæret rei immobili. Secùs eſt de his, quæ ſervando ſervari non poſſunt, ut tritico, pecuniâ &c. ſed in his ſtatu Jure antiquo, ut non alienentur, niſi ut opportunitas poſcit, reſpiciendo ſemper ad neceſſitatem, aut commoditatem Monaſterii &c. 8

Septimò. Sub Alienatione prohibita comprehenditur locatio ultra triennium. Ita c. *Ambitioſæ*. Unde non refert, ſtare juſtam cauſam locationis longioris; quia nec Lex pœnalis eſt, nec fundatur in præſumptione, ſed formam, ſine qua non valeat actus, denuo conſtituit: ergo qui ultra d. tempus tenet rem, in foro interno reſtituere tenetur fructus, niſi bona fides excuſet, aut Monaſterium renovet contractum. Nam hic valebit à tempore, à quo ratificatus eſt, non quo 9

quo primitus factus ; nec Monaſterium , aut alius renuntiare poteſt formæ eſſentiali per Jus conſtitutæ , l. *Contra Jura.* ff. de Pactis. l. *Nemo poteſt.* ff. de Legat 1.

CAPUT XXVIII.

De Poteſtate d. Adminiſtrationis juxta ſtatuta & indulta Religionis.

1 Primò. Conſtitutiones Religionis Approbatæ faciunt Jus in præſenti , & Prælatum obligant. Nam Pontifex & potuit derogare Juri communi , & voluit , ubi id exprimunt Conſtitutiones. Unde in Societate d. poteſtas eſt ſimpliciter Monarchica , demptâ diſſolutione Collegii ſemel acceptati , & alienatione Immobilium , ut conſtat de amplitudine d. poteſtatis ex part. 9. Conſt. c. 3. n. 5. ubi, uti etiam p. 4. c. 2. n. 3. diſſolutio Collegii &c. reſervatur Generali ſimul cum Societate , ergo vel in Congregatione , & Sede non vacante , vel per ſuffragia Provincialium Europæ, juxta p. 9. c. 5. n. 3. & c. 4. n. 6.

2 Deeſt etiam Generali poteſtas alienandi immobilia , quia nullibi datur : imò p. 9. c. 4. n. 7. alienatio talis inter graves lapſus numeratur. Quia ergo alienatio poteſt eſſe conveniens , & poteſtas ad eam neceſſaria eſt , conſequens eſt , ut hæc in ipſa Societate ſit , cùm in his, cui datur plus , ſcilicet alienatio Collegii , etiam minus conceſſum ſit ; cum hac tamen differentia , quòd in diſſolutione Domûs , non hujus ratio , ſed Societatis ; in alienandis verò Bonis primùm omnium Domûs , cujus ſunt , ratio haberi debeat.

3 Dices : ergo bona unius ſuperflua conſignari poſſunt Collegio alteri , quia qui plus , etiam minus poteſt ; & bona ſingulorum ſunt magis totius. Dein talis poteſtas nec eſt prohibita alicubi , nec ſpecialiter reſervata Pontifici , & ſub poteſtate ſolvendi totum Collegium intelligitur poteſtas partis. R. Caſum vix poſſe contingere. Aut enim obſtat unitio Beneficii , quæ ſine Pontifice tolli nequit , aut pactum poſitum à Fundatore. Dein ſi Collegium habet plures redditus , ergo & perſonas , quas alat, vel onera aut fines , in quos illi neceſſarii ſunt. Secùs eſt de elememoſyna ex mobilibus , quam Generalis facere poteſt.

4 Secundò. Limitatur d. poteſtas , ne quid convertatur in uſum Domûs Profeſſæ. Obſtat enim hujus incapacitas : tamen quantum Monaſterio S. Franciſci , tantundem Collegium etiam d. Domui dare poteſt , intercedente verâ neceſſitate.

Dein licèt d. poteſtas Monarchica ſit, juxta Conſt. Pii V. Julii III. & Greg. XIII. ita ut citra Capitulum, & prævium tractatum contrahi poſſit; tamen quia ad alienandum intervenire debet conſenſus Societatis, plus petitur, quàm de Jure communi neceſſarium ſit.

5 Tertiò. In d. Alienatione non requiritur ſolemnitas aliqua Juris poſitivi. Nam citra tractatum prævium poteſt & debet conſtare de utilitate majore Domûs, quam Societas Jure naturali curare & intendere tenetur. Contrahenti autem vi Conſt. Greg. *Ex debito* ſufficit exhibere Patentes Societatis de contractu, & pretio ſoluto, quin probet utilitatem contractûs, & pretium verſum eſſe in rem Domûs. Semper tamen Pontifex cavet, ut omnia fiant in evidentem utilitatem Collegiorum; ut etiam intelligitur de compoſitione, & renuntiatione actionis ibidem conceſſâ. Nec enim utilitas ſemper eſſe debet temporalis, ſed ſufficit, eſſe ſpiritualem, ut tollendi ſcandala & perturbationes, ne fructus Animarum impediatur: de quo judicium relinquitur Generali.

6 Vel ergo contractus fit bonâ fide, vel malâ? Si 1um, contractus tenet, per ſe loquendo, ut eſt manifeſta intentio d. Conſt. *Ex debito*; nec enim valor pendere debet ex futuro eventu. Tamen actus ex aliis principiis reſcindi poterit, ut propter enormem læſionem &c. Si 2dum, actus eſt nullus, quia proceditur ultra limites poteſtatis, cujus forma & modus eâdem neceſſitate tenetur, quâ forma per Jus præſcripta in aliis contractibus. In foro tamen externo difficile erit defectum probare, ſicque ad reſtituendum obligare. Denique quomodo alii in hactenus dictâ formâ communicent, ipſi ſcient: tamen Pontificis intentio non fuit derogare aliorum Conſtitutionibus, aut privare ſuo Jure, ut Voti deciſivi in Capitulo &c.

CAPUT XXIX.

Quàm poteſtatem habeant Prælati ad Ordines conferendos?

1 Primò. Competit d. poteſtas Abbati ſeu Prælato Benedicto. Ita c. *Quoniam.* d. 69. & c. *Cum contingat.* de æt. & qual. Unde neceſſe eſt, ut Prælatus habeat Jus deferendi Mitram & Baculum, cùm Pontificalia ſine his Inſignibus exerceri nequeant. Benedictio tamen non conſtituit in munere Prælati, ſed electio, & confirmatio, quibus ſuperadditur d. ornamentum, & ideo ſi unus plus poteſt, quàm alius, non habet, niſi ex ſpeciali Indulto, non autem vi Juriſdictionis. Imò alii non communicant in d. Indulto, ut probat perpetuus non uſus

ſus, ſicque vox *Abbas* ſignificat ſpecialem dignitatem, quæ ex Benedictione promanat, ſolúmque extenſio fit ad non Benedictos, quibus Benedictio debetur. c. 1. de Suppl. negli.

2 Secundò, Non competit d. poteſtas niſi circa ſubditos Religioſos tantùm, & in proprio Monaſterio. Conſtat ex uſu, & d.c. *Cùm contingat.* Solùm enim intenditur favor Religionis, ne Religioſi diſtrahantur. Nec ſimilia Privilegia intelliguntur, niſi quoad ſubditos tantùm, uti etiam quoad locum eſt expreſſum cùm nec ipſe Epiſcopus extra Diœceſim ordinare poſſit, arg. c. *Epiſcopum*, cum ſeqq. 11. q. 2. & c. *Placet.* 7. q. 1. Clem. un. de For. compet.

3 Extenſio autem fit etiam ad Novitios. Nam hos poſſe ordinari, niſi quid obſtet, verius eſt: Beneficium autem eſt latæ interpretationis, præſertim cùm iidem in d. c. *Cùm contingat* intelligantur per *Laicos ad Monaſteria convolantes*: nam ab his in c. *Abbates.* de Privil. in 6. contradiſtinguuntur *Converſi*, non utique deſtinati ad temporalia, ſed Profeſſi *Converſionem* morum. Idémque ſic declarat Julius II. in Privil. Ciſter. Quod verò in d. c. *Abbates* conceditur quoad Laicos ſubditos, nunc revocatum eſt per Trid. ſ. 23. c. 10. ſolùm tamen quoad licentiam, non quoad valorem, ut uſus probat, de licentia Epiſcopi conferri cuique Tonſuram & omnes Ordines Minores: ſicque ſine d. licentia ordinatus, juxta reſponſum S. Congr. ſolùm eget diſpenſatione proprii Epiſcopi.

Tertiò. Non valet d. Ordinatio quoad non ſubditos. Nam poteſtas ſolùm per Pontificem ſuperaddita eſt: ergo ſiſtit intra terminos delegationis, ſicut cùm delegatur confirmatio, & reſtringitur ad perſonas hujus civitatis, vel ad certum tempus, vel ſi revocetur. Nec enim invitatio alterius *Prælati* dat poteſtatem, ſed ſupponit; ſicque idem in rigore fieri poſſet etiam quoad reſtrictionem loci, cùm alius eò invitat. Tamen non præſumitur, niſi exprimatur, quia eſt nimis extraneum quid, ſecùs ac eſt de Monachis ſubditis; ſicque probabile eſt, quod Gl. ſentit d. c. *Quoniam*, circumſtantiam loci ſolùm exprimi, ut Jure communi petitur propter debitum ordinem. 4

Quartò. Extenditur d. Privilegium ad omnes Ordines infra Lectoratum, non autem ultrà, ſtando in Jure communi. Nam qui dat majus, ſupponit, vel dat minus: & qui formam, etiam præviam diſpoſitionem dat. Plus autem non dat Privilegium, quàm ſonet; & ultra Lectoratum nihil expreſſum eſt; nam d. c. 1. ſicut non excludit Privilegia alia, ita nec affirmat, vi d. Juris ea dari. Porro Privilegium conferendi Majores Ordines, 5

quod

quod Innoc. VIII. conceſſiſſe dicitur quatuor principalibus Abbatibus Ciſter. Ordinis, cùm ſit nimis exorbitans, non eguit majore revocatione, quàm quæ fit à Trid. ſuprà c. 12. tribuente Epiſcopis ſolis examen; quia noluit Concilium factum controverſum probare per revocationem claram.

CAPUT XXX.

De Poteſtate eorundem Prælatorum ad res benedicendas, vel conſecrandas.

1 Primò, Sacerdos ex commiſſione regulari Pontificis poteſt facere actus Ordinis, qui merè circa Sacramentalia verſantur. Nam in re, quæ inſtitutionis merè humanæ eſt, Pontificis eſt determinare Miniſtrum, materiam, formam; & ſicut ordinario Jure determinat Epiſcopum, demptis pauculis, quæ Sacerdotis ſunt, ita ſi vult, delegare eos actus poteſt regulariter Sacerdoti, ſive ſine conſecratione fiant, ſive cum Chriſmate, ut in Benedictione Calicis, Altaris &c. Igitur de poteſtate dubium non eſt: an autem Pontifex ita delegârit Abbatibus, res eſt facti.

2 Secundò. Abbas Regularis poteſt benedicere veſtes ſacras, & Pallas Altaris, & Corporalia. Ita communis in c. *Abbates.* de Privil. in 6. & Clem. *Attendentes*, de ſtat. Monach. Sed quia à diverſis non fit illatio, eſto ſit à fortiori, confugitur ad conſuetudinem: at obſtare videtur tum generatim, quòd quæ ſunt Ordinis, non acquirantur conſuetudine, c. *Quanto* de Conſuet. tum ſpecialiter, propter c. *Aqua* de Conſecr. Eccl. & c. *Quod ſedem.* de Off. Ord. Dein conſuetudo juvari debet adminiculo Juris; quod non exſtat in præſenti, ſeu de rebus Ordinis. Quòd verò Angelus vult, vi Ordinationis competere d. actus etiam cum unctione Sacerdoti, niſi prohibeatur: conſtat, non competere omni, quin tamẽ conſtet de prohibitione: ergo ſolùm, quia conceſſum non eſt. Dein Eccleſia potuit, & debuit determinare Miniſtrum: at unde conſtat determinatio, qualem Angelus vult? Veriſimilius enim eſt, ut vult communis, vi primævæ inſtitutionis ſoli Epiſcopo commiſſos eſſe d. actus, ut ſumitur ex c. *Conſulto* de Conſec. d. 1. & Pontificali Romano.

Igitur, quæ Epiſcopo conveniunt, alia Juris Divini ſunt, alia inſtitutionis Eccleſiaſticæ; quoad illa nihil dare vel mutare poteſt conſuetudo: hæc verò, ut per extrinſecam determinationem dari poſſunt, 3

ſunt, ita etiam per conſuetudinem, quia quoad hoc poteſtas Ordinis æquiparatur Juriſdictioni, ſiquidem conſuetudo ſit univerſalis: nam eo ipſo ſubeſt tacita voluntas ejus, qui actum delegare poteſt, éſtque veriſimile, rem annexam eſſe Benedictioni Abbatis, per quam participatur Poteſtas quaſi Epiſcopalis quoad præſens; & ideo non Benedictus nihil poteſt de Jure communi. Secùs eſt, ſi conſuetudo eſt privata, ſicut nec Epiſcopus delegare poteſt Inferiori actus ſui Ordinis; nam Pontificis eſt ita inſtituere, & ideo inferior inſtitutionem talem mutare nequit. His adde Privilegia varia &c.

Tertiò. Benedictio, quæ fit cum
4 Chriſmate, non competit Abbati. Nam neque Jure, neque conſuetudine, ut fatentur omnes: an verò Privilegium Innoc, VIII. de Conſecratione Calicis & Altarium, utendo Chriſmate per Epiſcopum Benedicto, ſit receptum uſu, incertum eſt. Prius autem Privilegium extenditur ad omnia, & ſola ornamenta Altaris, comprehendendo Corporale: ad ſola inquam, cùm plus non habeat conſuetudo, ut docent omnes.

Quartò. Mendicantes communi- 5
cant in conceſſione priore. Ita directè Leo X. conceſſit Minoribus, ut notatur in Compend. Societ. Rurſus Innoc. VIII. generatim conceſſit Ciſtercienſibus Benedictionem Ornamentorum *tam ſui Monaſterii, quàm undecunque ſint*: ergo cùm ſolùm ad uſum Sacrificii hæc ſint, communicatio cum Monachis eatenus juxta Inſtitutum eſt; dummodo, ut Compend. noſtrum monet, offenſio vitetur, nec pro externis uſus ſit, niſi neceſſitate urgente. Denique juxta Reſponſum S. Congreg. *Abbas, qui eſt Benedictus, vel qui ex Privilegio Sedis Apoſtolicæ habet, ut Pontificalia exercere poſſit, ac ſi eſſet benedictus, poteſt omnia ſacra benedicere, illis exceptis, in quibus Unctio requiritur.*

LIBER III.

De Religioſis deſerentibus, vel mutantibus aliquo modo ſtatum ſuum, & de obligationibus eorum.

CAPUT I.

Quando Religioſus cenſendus ſit Fugitivus, vel Apoſtata: & quæ pœna ejus?

1 Primò. Si egreſſio ſit ſine licentia, cætera omnia ſervando, quæ ſolent in egreſſu ordinario; de culpa, ſecluſo præcepto vel ſtatuto, judicandum eſt ex circumſtantiis. Ceſſat enim culpa, ſi urget neceſſitas, vel magna utilitas; præſumitúrque licentia Superioris abſentis, vel ſi difficilis pro ea recurſus eſt. Rurſus quia materia multùm ſpectat ad cuſtodiam Diſciplinæ, capax eſt obligationis gravis per præceptum. Quòd ſi via eſt extraordinaria, ſaltem eſt periculum morale ſcandali & infamiæ non tantùm Religioſi, ſed & Religionis. In nocturno autem egreſſu intentio non poteſt non eſſe prava; ſítque ſacrilegium, quia Monaſterium & Clauſura (conſequentur res ſacra) graviter per illum violatur; præter injuriam Religioni factam.

2 Secundò. Si egreſſio ſit ſine licentia, fugiendo ab Obedientia, non animo relinquendi ſtatum, ſed aliá occaſione, cum mora notabili & ſcandaloſa, ſemper tamen quaſi in via ad redeundum; non ſit Apoſtaſia, ſed fuga eáque mortalis, per ſe loquendo. Nam ratione ſtatûs tenetur quis ſubeſſe obedientiæ, & unitus corpori ſuo ſub tali Capite: ergo agitur contra Juſtitiam, & Religionem; ipſúmque opus ex natura ſua ſcandaloſum eſt Religioſis & Externis, & de ſe creans infamiam. Unde Trid. ſ. 25. c. 4. de Reg. ſpecialiter rem prohibet, volens, Reum puniri, *tanquam deſertorem*; quod non cadit in egreſſum furtivum &c.

Tertiò. Ex titulo juſtæ defenſionis accedere Superiorem non prohibetur. Nec enim Trident. denegat, quod Juris naturalis eſt, nec Sixtus V. in Declaratione Motûs contra Illegitimos, arcet gravatos ab aditu S. Sedis, ſi quidem conſtet de licentia petita, & denegata: ergo idem eſt de aditu Provincialis. Nam & adeſt Juriſdictio ſufficiens, & neceſſitas poteſt 3

teſt eſſe eadem ; & rationes extrinſecæ, ut ſcandalum &c. minùs urgent, quàm in eunte Romam. Rurſus Sixtus non præcipit ſimpliciter petitionem licentiæ, ſed ſi deſit, ex præſumptione reijcit excuſationem : nec pœna Forenſis eſt argumentum culpæ in conſcientia, ſed præſumptæ, & ideo etiam in Foro ceſſat, ſi de veritate conſtet, ut ſi timendæ erant falſæ informationes, negotiationes &c.

4 Quòd ſi ſpes ſit obtinendi licentiam, vel non ſit ratio deſperandi; ſine illa ire, per ſe loquendo, non licet, imò etiam ſecluſâ ſpe, peti illa debet, ne Superior contemni videatur, & ut quis cauſam ſuam, quantùm in ſe eſt, juſtiorem faciat; nam Superior erit cauſa ſcandalorum, non iſte. Oportet autem tantam eſſe neceſſitatem, ut nec licentia Superioris Prælati exſpectari poſſit, nec dari informatio niſi præſenti. Quæ quidem omnia difficilè concurrent, & ideo alieno conſilio aditus raro ſuadebitur.

5 Quartò. Egredi retento habitu, cum animo manendi in ſeculo, vera Apoſtaſiia eſt. Ita communis Canoniſtarum, & Summiſtarum. De gravitatė culpæ conſtat, nam eſt animus negandi Prælato Obedientiam, & Religionem fraudandi obſequiis pro ſemper, utique cum injuſtitia, & ſacrilegio. Dein ad Apoſtaſiam ſufficit excutere, quantum in ſe eſt, ſtatum Obedientiæ, & Paupertatis ; vinculum enim ipſum tolli nequit. Nec refert geſtatio Habitûs, magis quàm obſervantia Caſtitatis, Jejuniorum, Rituûm Religionis. Differtque hic modus à ſimplici, ut completum ab incompleto, occiſio à mutilatione, furtum cum animo non reſtituendi à furto cum animo oppoſito. Denique pœnæ omnes Apoſtaſiæ locum hîc habent.

Quintò. Egredi cum dimiſſione Habitûs, & animo manendi ad tempus, Apoſtaſia eſt. Ita communis Antiquorum, ut Innoc. Abb. Nam requiri perpetuitatem, eſt ſine fundamento Juris, rationis, & ſenſûs communis : quia aliàs ſic abiens ad Indos uſque negotiationis cauſâ, vel ad Militiam &c. non foret Apoſtata. Dein id non requiritur in Apoſtaſia à Fide, ab Ordine &c. cur ergo in definitione, quæ ſenſui communi accommodanda eſt, poſcitur intentio perpetua ? Rurſus retento Habitu, fit ſaltem externa Profeſſio ſtatûs ; nec tamen vitatur Apoſtaſia, ſi mora ſit notabilis extra Obedientiam, ſicque conſummatur propter tempus ſimpliciter longum, aut determinatum ad triennium : ergo differentia non eſt inter hunc & priorem caſum, niſi quoad Excommunicationem, c. 2. Ne Cler. vel Mon. in 6. 6

Sextò. Idem à fortiori eſt de egreſſu cum dimiſſione Habitûs, & animo relinquendi Religionem in perpetuum. Igitur incurritur pœna d. c. 2. utique per egreſſum *extra* 7

tra ſepta (juxta Decretum Clem. VIII.) cùm intentio ſit inhibendi evagationem extrà. Dein durante eo ſtatu, Irregularitas eſt ad ſacros Ordines, c. ult. de Apoſt. *durante*, inquam; nam poſtea ſine diſpenſatione ceſſat, ut Irregularitas ex Infamia, ætate. Alia verò pœna ipſo facto non incurritur; nec enim probat c. *Alieni.* 2. q. 7. c. *Beatus.* 3. q. 4. nec exempla petita ab Apoſtata Ordinis &c.

CAPUT II.

Expediuntur dubia circa doctrinam cap. ſuperioris.

1 Primò. Omnes & ſoli veri Religioſi capaces ſunt Apoſtaſiæ à Religione. Nam ſermo eſt de peccato, ut more Eccleſiaſtico accipitur; intérque unum, & alterum lapſum à Voto intereſt: quia præſens eſt violatio Juſtitiæ, & contra Traditionem ab Eccleſia acceptatam; ſicque Antiqui loquentes de Profeſſione, intelligendi ſunt de hac formaliter, ut eſt incorporatio cum vera & approbata Religione. Ex quo fit, non referre, quòd Vota ſint ſimplicia; nam adhuc eſt iniqua retroceſſio à ſtatu Religioſo; declarátque Paulus III. Pius IV. & V. Greg. XIII. in Bullis Societatis.

2 Hinc Fugitivus capi poteſt à Religione, ubicunque invenerit, arg. à ſervo ad Religioſum l. 1. §. *Per ſervum.* ff. de acq. poſ. l. 1. Cod. Ubi quis de Curial. notántque Bald. & Bart. Eſtque ſpeciale, & præter Jus commune, juxta Pium V. & Greg. XIII. Noſtros excommunicari ipſo facto, licèt non dimittant Habitum, aut tranſeant ad aliam Religionem. Cenſura autem reſervata eſt; nec ſufficit Cruciata, quia hæc non eſt niſi pro Confeſſione, vel in ordine ad illam, & ſatisfactâ Parte. Si ergo alter reſipiſcit, ſiſtendus eſt ſuo Superiori, quia intervenit præjudicium tertii, nec hujus injuria aut occaſio intenditur à Lege; vel ſi amplius hæc vult propter bonum commune, declarat. R. I. In *Generali* in 6. c. *Quamvis.* de Reſcript. in 6. c. *Suggeſtum* de Decim. l. *Quoties.* de Precib. Imp. l. 2. §. 2. & l. *Officii.* ff. Si quis à Principe. Denique ſicut Apoſtaſia non eſt cum licentia abire &c. ita ſecùs eſt in conſcientia, ſi illa obtinetur vi, dolo, & ex inſtituto malè vivendo.

Secundò. Fugitivus nullam ſpecialem pœnam incurrit ipſo Jure communi, per ſe loquendo. Nam nec Apoſtata eſt, ut tenet Io. Andr. communiùs receptus, nec excommunicationem c. 2. Ne Cler. vel Mon. in 6. incurrit, niſi dimittat Habitum, aut accedat Studia &c. 3

Sola

Sola autem occultatio Habitûs non facit Apoſtatam, niſi ſit ad deſerendam Religionem. Tamen Paulus IV. Conſt. 3. & Pius IV. Conſt. 1. univerſim loquuntur de vagantibus extrà *quovis prætextu, vel causâ.* Sed intelligi debet de prætextu iniquo, causâ fictâ &c. quia intentio non eſt, punire licita, aut irritare licentias, ſed *contra Apoſtaſiam ipſam pleniùs providere &c.* ſicque ſæpius repetitur nomen *Apoſtatæ* & *Apoſtaſiæ*: ergo licèt addantur termini de *Fugitivis*, diſpoſitio pœnalis reſtringitur juxta intentionem, l. ult. ff. de Hered. inſtit. ne vitium minùs grave puniatur æqualiter.

4 Imò hinc maximè confirmantur dicta cap. ſuper. quòd etiam retinens Habitum ſit verus Apoſtata, nec requiratur animus perpetuò emanendi. Nec dicas, agi ex Præſumptione: nam hæc eſſe deberet de animo redeundi, ſi retinetur Habitus. Dein ſolùm punitur, quod exteriùs committitur, & convinci poteſt, nempe temeraria evagatio ſine juſto prætextu: at intentio redeundi & eſt valde extrinſeca, & agens de futuro contingente; difficiléque erit explicare, qui ſint veri Apoſtatæ, ſi ad hos reſtringantur pœnæ latæ in cit. Conſtit. Porro Privatio Beneficii, Dignitatis &c. poſcit ſententiam declaratoriam criminis, ut docet contextus Pii, applicando Leges generales de pœnis. Denique Fugitivus, ſeu recedens ſine licentia, incurrit Excommunicationem reſervatam Pontifici, niſi redeat intra octo dies.

Tertiò. Fugitivus requirendus 5 eſt. Ita c. ult. de Regul. idque vi Officii, ut provideatur & bono communi & membri; quamvis annalis requiſitio nec neceſſaria eſſe, nec exſpectari moraliter poſſit. Nam ſi conſtat, nullum fugiſſe, cur quæritur? Secùs autem, cur differtur? Sin ſtatim reduci Reus nequit, ſatis eſt, vigilare, & juxta occurrentem occaſionem adhibere diligentiam. Nec excuſat, quòd abſciſſio membri mali juvet; nam Prælatus adhuc, quod comodè poteſt & in ſe eſt, facere debet, & alter donec abſolvatur, ſemper eſt in ſtatu malo: ergo cùm ſanari poſſit, & debeat, ſub cura eſt Paſtoris.

Licèt ergo abſciſſio bona ſit, non 6 tamen modus ejus; ſicque remedio eget, ùt ſi expedire putetur, mittendo abſolutionem etiam abſenti. Regulariter autem præſtat revocari hominem, & puniri, tum propter exemplum aliorum; tum ut vexatio det intellectum, ſaltem poſt ejectionem vivendi cautiùs; tum denique ut audiatur, an in ea Religione habeat ſpeciales cauſas ſuæ perditionis, ſicque, quoad poteſt, aptum ejus fragilitati remedium adhibeatur. Religioſa enim Charitas & Paſtoralis Cura totum hoc poſcit.

Quartò. Bona acquiſita tempore 7 Apoſtaſiæ, cedunt Monaſterio, per ſe loquendo. Vel enim contra Ju-

Juſtitiam commutativam acquiſita ſunt, vel non? Si 1um, clarum eſt, reddi debere Domino, aut ſi incerta ſunt, ex ejus interpretativa voluntate pauperibus, niſi *Prælatus* vi Voti obedientiæ modum alium præſcribat. Si 2dum, Apoſtata non ſibi, ſed Religioni tantùm acquirit vi ſtatûs, nec Jus Religionis impeditum eſt, ſeclusâ ſucceſſione Cameræ Apoſtolicæ ad Hæreditatem. Nec obſtat defectus licentiæ, cùm hæc peti non poſſit pro tunc, nec neceſſitas ejus ſit; quia licèt quis bona ut propria habere intendat, adhuc reputantur ex ſe, & ex modo acquiſitionis, ut juſtè acquiſita, quin obſtet intentio prava &c.

CAPUT III.

De Culpa, obligatione, & pœna cooperantium aliquo modo ad Apoſtaſiam?

1 Primò, Conſtat, cooperationem poſitivam eſſe intrinſecè malam. Ut ſi ſit inducendo & excitando ad fugam, potiùs eſt principaliùs operari, & eſſe primum Authorem mali, quàm merè cooperari. Dare verò Conſilium petenti, & approbare, eſt perniciosè decipere in re gravi. Aliter cooperatio ſit juvando, ùt aperiendo januam, tollendo impedimenta alia, præbendo auxilia. Denique cooperatio ad Apoſtaſiam in conſervari eſt, ſi poſt Exitum ſit receptio, occultatio, defenſio.

2 Sed aliud eſt, naturam ſuſtentare, ut dando cibum &c. aliud, dare neceſſaria ad fugam, ut equum, pecuniam. Univerſim enim dare inſtrumentum neceſſarium ad opus, eſt magnus concurſus ad illud, ut dare equum volenti pergere ad occidendum: quia non refert rem de ſe eſſe indifferentem, cùm moraliter conſideranda ſit, ùt hîc & nunc conſtat eſſe moraliter determinatam ad pravum uſum. Idem ergo eſt de defenſione injuſta contra Prælatum, & Miniſtros, ne deſertor capiatur. Secùs eſt de occultatione, ſeclusâ vi, quia magìs negativum quid eſt, ut non prodere; & ſpectanda eſt intentio. Si enim intenditur evaſio, cooperatio ſit: ſin tuitio tantùm honoris, ut cum minori dedecore ſiat reductio; cooperatio non eſt in Foro interno, quamvis præſumatur in externo.

Secundò. Idem eſt de cooperatione negativa contra obligationem Officii. Nam ſi omiſſio ſolùm eſt contra Charitatem & Miſericordiam; non impediens fugam &c. non contrahit malitiam Apoſtaſiæ. At ſi ex officio obligatio eſt impediendi, perinde ſit injuria Religioni, 3

ac per cooperationem poſitivam, quatenus infertur nocumentum rei ſacræ, & contra *Perſonam* ſacram, imò contra Votum ſubditi, quod Prælatus ex juſtitia tenebatur illæſum cuſtodire: cooperatio enim fit ad rem intrinſecè ſacrilegam, & injuſtam.

4 Tertiò. In nullo caſu tenetur cooperator loco alterius ingredi Religionem, ut reddat æquivalens; aut alium quærere, quem ſubſtituat. Ita Mai. Soto. Nav. Ledesm. Nam Religioſum fieri tam arduum eſt, támque ſupererogationis, ut obligatio non ſit reſtituendi cum tanto onere, ut patet de occidente Religioſum; ſicut nec pro ſervo fugitivo tenetur quis ſe ſubſtituere. Dein ingreſſus Religionis non fit, nec fieri debet per ſe propter bonum Religionis, ſed ingredientis: ergo prudens conſilium non eſt, alterum ex eo fine principaliter inducere. Licèt autem, ſervatis circumſtantiis, inductio bona ſit, non tamen eſt ſub obligatione reſtitutionis: ſicut non teneor petere, ut alius pro me ſolvat mille, vel ſerviat.

5 Quartò. Cooperator non tenetur ad quidquam pro ſola carentia perſonæ, ſi ipſámmet reddere nequit. Nam damnum eſt ex his, quæ in eodem genere nequeunt reddi, nec in diverſo ac inferiori ex Juſtitia debent, ſicut in Foro conſcientiæ nil redditur præciſè pro vita & carentia occiſi patris, mariti &c. quia damnum reparabile non eſt, ſed pro damnis, quæ conſequuntur. Idémque eſt in occiſione vel mutilatione Religioſi; ſecùs ac eſt in ſervo, ut qui ſicut equus, principaliter eſt propter utilitatem Domini. Nec enim abſentia Religioſi eſt damnum in bonis propriis Religionis, ſed habet ſe, ut id, quod alicui provenit ex abſentia amici: ſpiritualia verò damna per ſe irreparabilia ſunt.

Quintò. Si interceſſit vis vel fraus, auferri debet; ceſſante autem effectu, ceſſat titulus reſtitutionis ratione perſonæ, quamvis teneat quoad lucrum temporale, quod Monaſterium amiſit. Conſtat enim de obligatione ceſſandi à vi & fraude; vim verò novâ vi emendare, nefas eſt, quia prior non dat poteſtatem contra perſonam liberam, ut denuò ad ſuos intrudatur: & miniſterialiter id exercere, eſt odioſum, & munus vile, & remedium valde violentum ac remotum, pertinétque potiùs ad punitionem vel remedium Apoſtatæ, quàm ad reſtitutionem, talíſque reductio potiùs oneroſa eſt Monaſterio. Denique qui per vim impedit alteri eleemoſynam, Legatum, Hereditatem, lucrum certum &c. tenetur reſtituere. 6

Similiter quoad fraudem, prima reſtitutio eſt auferre ipſam, utique planè confitendo, conſilium fuiſſe erroneum, quia injuria facta eſt ut Religioſo, tanquam decepto, ita Re- 7

Religioni damnificatæ. Similiter reſtitui debet fama, ſaltem minuendo notam, ut dicendo, fuiſſe deceptum, eductũ vi &c. Idémque eſt de damno honoris & gradûs in Religione, & de inhabilitate conſequente; nam quoad poteſt, debent minui. Maximúmque damnum eſt, ſi alter non recipiatur; ſícque Scholaſticum noſtrum deceptor alere debet, donec habeat ſaltem unde vivat: id quod in Noſtris valde notandum eſt.

8 Sextò. Quoad ſpiritualia verius eſt, ex Juſtitia non deberi orationes, exhortationes &c. Ita Sylv. Soto, Ledeſm. Nav. Con. Sicut enim injuria ſolùm eſt in damno, quod fit invito; ita reſtitutio ſolùm obligat ad damnum, quod alter patitur invitus. Nam quia cætera per ipsúmnet præſtari poſſunt, priorem injuriam virtute remittit, ſibíque fit author nocumenti ſui. Nec enim quæ dicta ſunt de reſtitutione, procedunt, niſi de damnis ortis durante vi & fraude.

9 Septimò. Si inductio eſt ſine vi & fraude; nec Religioſo nec Religioni poſtea debetur quid ex Juſtitia. Non Religioſo, quia volenti & ſcienti non fit injuria. Non Religioni, quia licèt d. inductio fuerit huic injurioſa, tamen Apoſtata ſémet reſtituere debet, ſícque alterum excuſat impotentia. Solùm ergo per ſe loquendo, opus eſt d. inductionem omninò tollere, & omne ſemen ejus, ne alter putet, ſuaſorem manere in priore mente; ſícque non audeat mutare conſilium. Per ſe tamen alter manet liber ad reditum, & ſuámet obligatione ſatis ad eum movetur: & ideo juxta priùs dicta non eſt obligatio Juſtitiæ ad aliam inductionem.

10 Quoad lucra alia Religio non habet jus, niſi ſuppoſitâ voluntate & opere Religioſi, ùt qui ex Juſtitia non tenetur eſſe utilis, ut ſervus domino, l. 1. ff. de ſervo corr. l. *Qui Servo*. ff. de Furt. c. *Si ſervus*. d. 54. At qui impedit lucrum indebitum, ut Legatum &c. &c. non tenetur reſtituere: aliàs ad idem reſarciendum teneretur ipſe Apoſtata, & Religioſus, qui non voluit legere in Cathedra lucroſa, reſarcire deberet factus Epiſcopus. Secùs autem eſt, cùm ſit vis vel fraus, quia pauper v. g. habet jus ad actum petendi; & hic eſt tanti, quanti commodum futurum moraliter certum; idémque eſt, ſi Religioſus per vim vel fraudem ſubtrahitur Religioni. At ſicut mutatâ voluntate divitis, ceſſat injuria pauperis; ita in præſenti Religio non poteſt prætendere lucra nolentis in ea perſiſtere, magis quàm ſi fiat impotens ad lucrandum; & ideo vis ſoli Religioni facta non ſufficit.

11 Dices, Obligatio oritur principaliter ex damno re ipsâ illato, vel lucro cum effectu impedito per actum injurioſum; nec ſufficit mutatio voluntatis Religioſi per injuriam cauſata; quod perinde eſt, ac Reum vel debitorem nolentes ſolvere, de

mani-

manibus Judicis, vel Creditoris eripere. R. reſtitutionem non ſemper fieri debere, ſecundùm effectum in futuro præſumptum, niſi in præſenti quis habeat jus ad illum effectum, & cauſas, à quibus pendet, quatenus cadit ſub poteſtatem humanam; aliàs effectus eſt merè contingens, & extra dominium alterius. Ut ſi Titius per vim cogitur abeſſe à Civitate, eáque occaſione non conſequitur officium vel commodum, omnino pendens ex voluntate alterius; caſus eſt valde extrinſecus: & ideo qui vim intulit, d. commodum non tenetur reſarcire.

12 At in exemplo objecto Judex habet jus ad pœnam, mediâ condemnatione, quæ eſt in ejus poteſtate, & voluntate; & ſimiliter creditor jus habet ad debitum. Quòd ſi hoc ſolùm eſt ex Voto, ſuaſor fractionis non tenetur reſtituere, nec etiam ſi per vim creditori factam faceret alteri viam evadendi. Ratione tamen hujus violentiæ obligatio eſt ſatisfaciendi arbitrio boni viri; non tamen pro ceſſatione lucri, niſi damnum in propriis bonis interceſſit: quod ſemper reſtituendum eſt.

Octavò. Impediens primum vel
13 ſecundum ingreſſum Religionis, citra vim & fraudem, non obligatur ad reſtituendum. Vel enim perſonæ, vel Religioni? Non 2dum, quia hæc nullum habet jus, nec eſt in gravi neceſſitate; & ideo ſic retrahere non eſt grave contra Charitatem, ſicut nec impedire ſic Hæreditatem: & licèt ex odio fiat, grave eſt contra Charitatem, non tamen injurioſum. Non 1mum, quia volenti non fit injuria. Nec vi materiæ (ſecùs vi odii, vel invidiæ profectûs ſpiritualis) contra Charitatem grave eſt, quia non teneor magis alterum in ſpiritualibus diligere, quàm me: at recedere à tali propoſito, per ſe peccatum non eſt. Igitur ratio & gravitas peccati ſumi debet ex motivo retrahendi; & retrahere filium, amicum, famulum &c. leve eſt, ſecluſâ intentione pravâ, vi morali &c. &c.

Nonò. Per vim vel fraudem impediens d. ingreſſum, ex Juſtitia te- 14
netur tollere vim & errorem, non tamen ad ampliorem reſtitutionem ſive Religioni, ſive perſonæ. Injuria enim fit utrique; perſonæ, quia non recipitur; Religioni, quia indirectè privatur ſuâ libertate; quod in omni contractu injuſtum eſt; & qui vim facit diviti, ne det, etiam pauperi injurius eſt. Reſtitutio autem ſpiritualium, quantùm ad præteritum, fieri nequit; in futurum verò ſatis fit, auferendo impedimentum; nam preces, exhortationes &c. ſolùm ad melius eſſe ſunt, & ad ſummum pertinent ad Charitatem. Rurſus ad temporalia Religio non habet jus; & quantùm ad perſonam, ſubſidium, quo privatur, eſt valde remotum & accidentarium, & ideo regulariter non attendi-

tenditur. Quòd ſi circumſtantiæ cogant (quod rarum eſt) non obſtat regulæ, ſed tunc locus eſt prudenti arbitrio. Atque hæc de Jure naturæ, quæ à fortiori procedunt de merè juvante Apoſtatam; nam minùs peccat, quàm inducens. Quoad Jus verò Eccleſiaſticum conſtat, per cooperationem incurri Excommunicationem reſervatam Papæ.

CAPUT IV.

An Profeſſus juſtè poſſit expelli à Religione?

1 Primò. De Jure communi certum eſt poſſe expelli. Ita c. *Cùm ad Monaſterium*, & c. ult. de Stat. Mon. c. *Relatum* Ne Cler. vel Vov. c. *Cùm in Eccleſiis*. de Maj. & Obed. Conſtátque ex Regulis Baſil. Bened. Aug. S. Franc. S. Domin. Ratio enim boni communis poſcit, ut membrum putridum abiici poſſit, ut patet, in omni Republica eſſe jus abjiciendi eos, qui illam conturbant: ergo ut per ſe eſt hæc poteſtas in Corpore Reipublicæ, ita etiam in Religioſo. Profeſſio enim fit ſecundùm Regulam, Jus, & rationem naturalem: ergo in eadem includitur conditio, quam Jus, Regula, & ratio poſcit, ut fidem non ſervanti non debeatur fides retinendi perturbatorem.

2 Secundò. Non requiritur Rei conſenſus in ejectionem. Nam cit. Jura, & Regulæ loquuntur abſolutè, ſervátque uſus, isque antiquiſſimus graviorum Religionum, ut refert Surius in vita Pachomii, & Climacus gradu 4. Obed. Requiritur quidem incorrigibilitas, d. c. ult. tum ex ratione pœnæ, quæ eſt ſpoliatio graviſſima ſpiritualium & temporalium, & ideo ultima eſſe debet: tum ex ratione Status, cujus cùm ſit Scholæ virtutis, eſt, vitia corrigere, & ſpecialiter infirmos curare, nec ſtatim abſque multa curatione præviâ, quæ inefficax deprehendatur, illos deplorare.

Tamen aliud eſt, eſſe incorrigibilem; aliud actu contumacem per actualem reſiſtentiam voluntatis. 3 Nam illud ſolùm dicit iterationem lapsûs poſt correctionem, & ideo Clericus incorrigibilis degradatur, licèt doleat; idémque eſt de relapſu Hæreſis. Eſtque differentia inter Excommunicationem, & d. ejectionem; nam illa per ſe primò bonum Rei, hæc bonum Communitatis reſpicit ratione exempli, timoris Fratrum, & avertendæ contagionis. Unde Excommunicato in bonum ſuum credendum eſt, quia Abſolutio ſolùm pendet à bona diſpoſitione præſenti: at incorrigibili, licèt promittat emendationem, non debetur fides propter ea, quæ præceſſerunt, quia facilè mutat ſuum propoſitum.

Tertiò. Ad juſtam cauſam eje-
4 ctionis requiritur, ut delictum ſit grave & ſcandaloſum, additâ incorrigibilitate. Addunt alii, delictum eſſe debere publicum. Sed ſi de Juridicè tali intelligitur, conſtat; ſin propalatio petitur, maximè quoad externos, non tantùm non convenit, ſed eſt maximè nocivum Religioni. Præſumere, autem alii debent pro Judice, qui cùm ita expedit, ſine Rei injuria rem publicare poteſt. Rurſus incorrigibilitas vel eſt præterita, vel actualis, ſeu facto vel Jure præſumpta: ad priorem ſufficiunt juxta Regulam communem Clari, Menoch. Diaz, ternæ admonitiones ſine fructu factæ. Poſterior locum habet in unico delicto, ut Leo V. conceſſit Minoribus, & Pius V. Ordini S. Hieron. ipſæque Regulæ vel exprimunt, vel arbitrio relinquunt, ita ut vel ex facto & circumſtantiis ſpes correctionis ceſſet, vel Jus Regulæ præſumat incorrigibilitatem.

Quartò. Suppoſitâ juſtâ causâ,
5 etiam in Foro interno juſta & licita eſt d. pœna. Vel enim eſſet contra Juſtitiam Commutativam, vel contra Vindicativam, vel contra Charitatem. Non 3tium, quia, ut ait Bonav. *Crudelis eſt miſeratio, unde plures & meliores graviter offenduntur.* Dein obligatio Charitatis ſupponit duo: unum, ut alter ſit in proximo periculo ſalutis: alterum, ut ſubveniri ei poſſit ſine detrimento proprio, & ſuorum. At & vexatio dare poteſt intellectum, & modus ſalvandi ſe non deeſt ejecto, cùm tamen retentio non ſit ſine onere Religionis, & periculo fratrum, famæ, quietis; An verò in caſu particulari moderatio eſſe poſſit, facti eſt, non Juris, junctâ conſideratione poteſtatis diſpenſandi in Regula. 6

Non 1mum, quia Reus punitur juxta Regulam, & formam Contractûs. Non 2dum, quia non oportet ſemper exſpectare effectum, ſed ſatis eſt, delictum eſſe de ſe ſcandaloſum & infamans; quale utique eſt, ſi ſit graviſſimum, & in perſona ſociata aliis: ut verò externis notum ſit, noceret. Licèt autem ſpes ſit correctionis, non tamen ſanandi infamiam & ſcandalum, niſi modo inconvenienti, & cum magno diſpendio Religionis. Sic juxta Clarum, Marant. &c. ſine alia contumacia propter unum delictum poteſt quis puniri exilio, morte &c. & aliquando ad arbitrium Judicis propter circumſtantias graviſſimas. Imò objici poſſet defectus contra Legalem Juſtitiam, quòd Reus gaudeat ejectione: ſed prohibitum non eſt addere plus pœnæ, ubi Juſtitia poſcit, ut incarcerando vel mittendo ad triremes. Quòd ſi id fieri nequit, tota pœna non eſt tam intrinſecè neceſſaria, ut ex juſta cauſa omitti non poſſit: magíſque intenditur præſervatio Religionis, quàm punitio delicti. 7

Quintò. Poteſtas ſic expellendi eſt in toto Corpore, uti & in Ge-

 nerali

nerali, non tamen in Prælato inferiore. Supponitur eſſe in Pontifice, & propter Juriſdictionem, & propter Dominativam. Imò idem ſibi reſervare poteſt poteſtatem, ſed ſimul cum obligatione etiam exercendi, ubi neceſſitas poſtulat. Porro eadem poteſtas competit toti Corpori vi primævi contractûs, & ex Jure per ſe intrinſeco cuique Communitati. Idem eſt de Generali, cùm habeat omnimodam & ordinariam poteſtatem, quam Capitulum, cùm celebratur, habet; an verò cum dependentia à voto deciſivo vel conſultivo, Regula docebit.

CAPUT V.

An & quomodo teneatur Ejectus redire ad Religionem?

1 Primò. Tenetur ad emendationem, & ad petendam receptionem. Ita c. ult. de Regul. Nam perſeverat eſſe Religioſus: ergo tenetur ad vivendum ſecundùm votum: ergo ad hoc non impediendum; ſicut habens votum ſimplex Religionis tenetur non ponere impedimentum voluntarium: ergo Profeſſo multò minùs patrocinatur propria iniquitas. Idem eſt de petitione receptionis, ut conſtat exemplo d. voti, nec aliter pro vera haberi poteſt emendatio.

2 Secundò. Quoties revocatur, tenetur parere, licèt repulſam paſſus ſit, cùm petiit recipi. Nam vi d. c. ult. debent revocari ejecti: ergo Jus eſt revocandi: ergo in ejecto obligatio parendi, ut patet ex Cenſura, quæ ferri præcipitur in contumacem. Sine fundamento autem dicitur, agi de injuſtè ejectis, quia textus & abſolutè loquitur, & ſupponit, ſententiam non poſſe eſſe definitivam ad excludendum d. Jus. Votum enim obedientiæ non ceſſat, magis quàm alia ſubſtantialia: ergo obligat ad obediendum; alias culpa afferret commodum excutiendi omne onus d. Voti: at quo Jure, & quâ ex cauſa excuſſio jugi ſequitur ejectionem? Nec agitur de nova pœna, ſed ut hac ſolutâ, redeatur ad ſtatum, ut ordo debitus per ſe poſcit, & obligatio inhærens.

Vel ergo juſta fuit refutatio precum, vel non? Si 1um, ergo ſolùm intenditur condigna ſatispaſſio. 3
Si 2um, erravit Conventus, non Religio. Nec hæc cedere poteſt Juri, ſicut nec dimittere poteſt volentem, quia principaliter agitur Jus Dei. Nec etiam alter cedere poteſt obligationi Religionis, propter Jus acquiſitum per vinculum Profeſſionis perpetuæ. Exemplum divortii Matrimonialis retorquetur: quia innocens non excidit Jure propter culpam alterius, nec favor ver-

vertitur in ejus detrimentum, c. *Quod favere.* Cod. de Legib. Dein in illo vindicatur injuria hominis; hîc offenſa Dei attenditur, & impedimentum Perfectionis, quod Religioni ponitur: ergo ceſſante hoc fine, ceſſat ratio Divortii ſpiritualis. Denique pœna prior Jure declarata eſt, hæc nullo Jure, ſed onus requirendi annuatim.

Dices 1. Sententia definitiva ex-
4 tinguit obligationem ſimpliciter, l. *Qui res.* §. ult. ff. de Solut. 2. Standum eſt re judicatâ, l. *Res judicata.* ff. de. R. J. c. *Bene.* 6. q. 4. Clem. 1. de Except. 3. Rediens cogitur ferre improperia 4. Degradatus realiter non cogitur redire ad uſum Ordinis. 5. Religio non tenetur alterum recipere. Ad 1um. ℞. Falſum ſumi. Ad 2dum. ℞. Sententiam non mutari, ſed ejus effectum finiri, ut in Divortio propter conditionem incluſam, niſi repetat. Ad 3um. ℞. Incommodum eſſe accidentarium, & juxta meritum, nec ita grave, ut exilium perpetuum; nec etiam timendum integrè emendato, aut facilè avertendum per Prælatum.

5 Ad 4um. ℞. In Degradato non eſſe Votum ſerviendi Eccleſiæ, ſed onus Caſtitatis, & Breviarii, quod non tollitur; cur ergo Religioſus liber ſit ab oneribus ſuis, & in perpetuum, & in favorem culpæ tantùm? Dein Pontifex Degradatum revocare poteſt ad priſtinum gradum, ſicque & obligare ad hujus functiones, cùm nec Jus, nec ratio ſit, quæ oppoſitum doceat. Ad 5um. ℞. Non eſſe parem conditionem nocentis & innocentis: at Religio eſt innocens, & bonum ejus commune eſt. Solùm ergo, ubi Regula vult, receptio emendati debita eſt ad communem vitam, vel ſi nequit, ad cuſtodiam, quia major tunc habetur ratio animæ, quàm oneris Religionis. Unde juxta d. c. ult. nunquam eijci quis poteſt cum libertate vagandi, quia ſi vagus reduci debet, ergo nec permitti, ut vagetur. Quod tamen vel ob Indulta, vel ob difficultatem cuſtodiæ, regulariter non ſervatur.

Tertiò. Poſt receptionem non eſt 6
opus novâ Profeſſione in eâdem domo. Nec enim, ſi illa valuit, reſpectu ejusdem perſonæ multiplicari poteſt, nec tolli; & receptio ſolùm poſcit mutuum conſenſum ad uſum, ut in adultera. Porro locus prior ſuffragii &c. ut juſtè negatur, ita pro ratione perſonæ, pœnitentiæ &c. prudenter reddi poteſt; præſertim ut ejecti alii ad pœnitentiam alliciantur.

Quartò. Ejectus poteſt, ſi vult, 7
Religionem æquè ſtrictam ingredi, non tamen laxiorem, niſi emendatus repellatur à ſua: quamvis liber ſit ad manendum in ſeculo, quamdiu non revocatur. Nam per ingreſſum æquè ſtrictæ nec injuria fit Religioni expellenti, nec Voto, ſecùs ac eſt de ingreſſu laxioris; quia ut

ut culpa non liberat à Religione ut ſic, ita nec à ſtrictiore, ut ſupponit Indultum Minorum, dans Ejectis liberum tranſitum ad quamlibet, demptâ Militari. Denique ſicut qui Votum ſimplex determinatæ Religionis non poteſt implere, non tenetur ad aliam; ita etiam in præſenti: ſolúmque optio imponi poteſt aut alterius Religionis, aut triremium, ſeu exilii &c. Quòd ſi Votum Religionis ut ſic præceſſit, per Profeſſionem & impletum eſt, & etiam extinctum, c. *Qui poſt Votum*, de Regul. in 6.

CAPUT VI.

Ad quid obligetur ejectus, licitè & liberè manens in ſeculo?

1 Primò. Ejectus ſubijcitur Epiſcopo. Ita Nav. Abb. Innoc. Archid. Specul. Feder. de Senis, Sylv. Nam ſaltem in ſubſtantialibus ſtatûs obligatur; ergo ut ad Caſtitatem, ita ad obedientiam alicujus: ergo Epiſcopi poſt ablatam exemptionem, ut olim omnes Religioſi; éſtque exemplum in promoto ad Beneficium ſæculare. Oportet autem, ut Obedientia ſit non communis, ſed juxta ſtatum, ſicut & huic proportionatur Jurisdictio Epiſcopi; quia ſubjectio ordinatur ad diverſum finem, & per alia media, & res alias, quàm ſubjectio merè Laicalis: ergo Ejectus manifeſtare debet ſtatum; aliàs impleri nequit Obedientia præcepta, arg. c. 1. & c. *Præterea* de Off. Deleg.

2 Secundò. Ejectus non tenetur ad obſervationem Regulæ. Nam nec Civis Relegatus tenetur ad Leges ſuæ Civitatis; nec Religioſus ad Regulam niſi vi Pacti, ut in communitate vivere permittatur; quia ſicut in illa ſervare Ordinationes, proportionatum & facile eſt propter auxilia, ita extrà ſtare iiſdem moleſtiſſimum: ergo intentio non fuit obligandi ſe, niſi ex d. ſuppoſitione. Denique ut in Ejecto ceſſant Privilegia, cura, & bona ſtatûs, ita & onus Obſervantiarum, cùm ſucceſſerit onus alendi ſe.

Tertiò. Idem eſt de Horis in non 3 Clerico in Sacris. Nam Conſuetudo, ut obligat, non habet locum in non deputato ad Chorum, juxta omnes, aut mutato ad gradum Converſi: ergo multò minùs in ejecto. Nec dicas, ſic patrocinari culpam, quia priùs quæri debet fundamentum obligationis, quàm ratio excuſandi: at illud non eſt niſi Profeſſio cum actuali deputatione ad Chorum, & conſuetudine fundatâ in illa. Quòd verò per culpam ceſſet d. fundamentum, &

nimis

nimis remotum eſt, & accidit in Degradato ad ſtatum Converſi, & plus habet pœnæ ac oneris, quàm commodi; ut fatendum eſt de aliis obſervantiis. De Fugitivo autem alia ratio eſt, quia non mutat ſtatum.

4 Quartò. Ejectus nec debet, nec poteſt deferre Habitum proprium Religionis. Nam eſt juſtè Degradatus, & aliud cederet in injuriam & infamiam Religionis, ſalſóque ſignificaretur unio actualis cum Religione. Rurſus ad Habitum Clericalem obligatio non eſt, ut patet in Converſo: idem autem eſt de deputato ad Chorum, ſi nondum eſt in Sacris, quia nec id vovit directè, nec id quidlibet indifferenter obedientiam, ſed in his, quæ ad ſtatum pertinent: ſicque Monialis ejecta rectè jubetur ſectari Habitum virgini congruum; at citra figuram certam &c.

5 Quintò. Non tenetur Ejectus ad ſtabilitatem loci ſub eodem Epiſcopo. Nam ſolùm vovit Clauſuram Cœnobiticam, quæ ſupponit d. ſtabilitatem; cur ergo ad diverſam tenetur, & in loco per Epiſcopum deſignato? Jugum id foret duriſſimum, facerétque ejectum conditionis deterioris, ut obligando ad vitam ſolitariam. Nec eſt ratio, cur, ut vult Navar. debeat ſubeſſe Epiſcopo originis, eo quòd ſolus ſit immutabilis: num enim abeundum erit etiam ad remotiſſimum, & cum periculo animæ in evagando, & fortè cum verecundia grávi? Deinde præter d. immobilitatem ſunt tituli alii ſubjectionis, ut domicilii, Beneficii &c.

6 Sextò. Obedientia Ejecti in tribus duntaxat capitibus exigi poteſt. Non enim poteſtas Epiſcopi major in ejectum eſt, quàm fuerit Prælati proprii: ergo nec ſupra, nec præter Regulam præcipere ei poteſt. Rurſus Obedientia debet eſſe cum menſura, ut in omni ſtatu Religioſo: menſura autem non poteſt eſſe ſive prior Regula, quæ ſupponit vitam Cœnobiticam, ſive alia, quam quis non vovit: ergo ſolùm, quæ ex ipſa ſtatûs decentia, & Votis exſurgit: ergo in triplici tantùm materia præcipi poterit, ut in his, quæ ſpectant ad Paupertatem, & Caſtitatem, & decentiam ſtatûs, ut eſt honeſtas Habitûs, occupationis, converſationis &c.

7 Septimò. Bona ejecti ſunt Religionis, per ſe loquendo. Non enim ſunt ipſius Ejecti, utpote incapacis: non Dei duntaxat; aliàs eſſent pro derelicto: non Epiſcopi; quo enim titulo? Ergo Religionis, ut conſtat in Fugitivo, ejecto ad tempus, aut etiam in perpetuum, ſi quidem non emendatur, aut non curat redire. Idémque eſt ſecundùm omnes, ſi ſententia Prælati fuit injuſta, quia particularis injuſtitia non potuit nocere Monaſterio R. J. *Delictum.* in 6. Tenentur ergo præter uſum congruæ ſuſtentationis, reliqua conſervare, ut ſecum deferant Monaſterio.

8 Sin translatio fit perſonæ ad Eccleſiam Regularem, vel ad ſæcularem per Beneficium, conſtat bona acquiri Eccleſiæ. c. 1. 18. q. 1. c. *Si quis trahatur.* 21. q 2. Idémque eſt, ſi perſona transferatur, præſtando ſpecialē Obedientiam Epiſcopo loci, & vivendo vel ex elemoſynis, vel ex operum fructibus & ſtipendiis. Nam penes Eccleſiã, eſt onus alendi ipſam, & penes Epiſcopum jus diſtribuendi bona in uſum rationabilem perſonæ, & alios uſus Eccleſiæ, quamvis ex rationabili & pia cauſa applicari etiam alteri Eccleſiæ poſſint. Nec Monaſterium de his quid repetere poteſt, nec perſona loco abiens ſecūm ferre, niſi de licentia Epiſcopi, præter ea, quæ moraliter neceſſaria ſunt actuali uſui. Secùs ergo eſt, ſeclusâ translatione, quia ejectus non ſe habet ut membrum certæ Eccleſiæ, ſed ut alius Laicus vel Clericus: ſícque nec Eccleſiæ certæ, nec determinato Epiſcopo acquiritur, ſed manet ſaltem Religioni, ſi quidem Monaſterium vi expulſionis perpetuæ amiſit jus, ita ut applicatio ſit penes ſuperiorem Prælatum.

CAPUT VII.

An liceat Profeſſo extra Monaſterium vivere de licentia Prælati?

1 Primò. Poteſt talis vita licere de licentia Prælati. Nam nec eſt intrinſecè mala, nec contra Vota, nec contra Jura ſimpliciter, ut patet ex c. *Nullam.* 18. q. 2. c. *Inſinuante.* Qui Cler. vel vov. c. 2. Ne Clerici &c. in 6. Conſtátque ex uſu, eóque antiquiſſimo. Nec obſtant c. *Placuit.* 2. c. *Monachi.* 2. c. *Juxta* 16. q. 1. cum aliis, quia loquuntur, ſeclusâ d. licentiâ, juxta particulas. *Statu nefandiſſimo. Niſi cum Abbatis imperio.* Dein adhuc ſtat obligatio ad onera communia quælibet, quæ ſine determinatione loci vult Regula; cur enim non? aut unde oppoſitum ſequitur vi d. licentiæ? Solùm enim ceſſant, quorum facultas deeſt pro tali loco, tempore &c. ſemper ergo formaliter ſervatur omnis Regula, ſive in præparatione animi, ſive quia ſemper quid fit ex obedientia, vel conſonum voluntati Superioris: per Obedientiam autem ſtat unio cum Religione.

Nec propterea læditur Paupertas, aut derogatur Trident. ſ. 25. c. 2. de Regul. Nam quod extrà degens habet, Monaſterii eſt, vel eorum, apud quos eſt dominium, ſi ſermo eſt de Minoribus. Nec ille ex adminiſtratione Immobilium, vel certis reditibus neceſſariò vivit, ſed vel ex portione certa Monaſterii, aut eleemoſynâ, vel ex acquiſitis labore vel miniſterio, ut Lectionis; 2

ſíc-

ſicque quoad uſum pendet à placito alieno, ſive expreſſo, ſive interpretativo; utique generaliore, cùm proxima regula ſit proprium arbitrium, conforme quidem d. Regulæ principali. Et juxta hanc etiam peculium congregari poteſt, cujus uti & reliquorum diſpoſitio penes Monaſterium ſit, non penes perſonam, ſeclusâ aliâ licentiâ. Nec enim plus connectitur cum licentia manendi extrà, nec eſt rationabile, ſeclusâ ſpeciali causâ, quia ſolùm competit, quod in d. commoratione poſcit neceſſitas humana, vel honeſta, præſertim miſericordiæ, quæ eo ipſo, quòd non negetur, conceſſa intelligitur.

3 Secundò. Conceſſio d. vitæ, ſi ſi ſine cauſa ſit, eſt nulla. Non enim mera licentia datur, ut in aliis Regulis, ſed diſpenſatio in Jure Superioris; quod definitè cauſam poſcit; & meritò, quia vita Clauſtralis multùm ſervit cavendis periculis, ſervandæ Regulæ, conformitati cum Corpore, & exemplo Externorum. Cauſa autem per prudens arbitrium definiri debet, ſcilicet vel ex utilitate Monaſterii directâ vel indirectâ, arg. d. c. *Monachi*, ut eſt utilitas Patroni, amici, Principis &c. vel ex utilitate Eccleſiæ, populi &c. c. *Non magnopere*, Ne Cler. vel Mon. Unde faciliùs dari poteſt d. licentia ad tempus breve, quàm longum, limitatum, quàm negativè perpetuum &c. non tamen irrevocabiliter, quia eo ipſo eſſet exemptio ab Obedientia. Quamquam licentia, quæ data eſt ab inferiore, non ſemper revocabilis eſſe debeat, nec id tollat Obedientiam, ſed ſit juxta ejus ordinem, & ſubordinationem intrinſecam.

CAPUT VIII.

An ex natura rei liceat propriâ authoritate tranſire ad ſtrictiorem Regulam?

1 Primò, Licitus eſt d. Tranſitus. Nam nec eſt contra finem Profeſſionis, nec materiam. Non 1mum, quia finis eſt tendentia ad Perfectionem: & hîc ſit quaſi apprehenſio hujus. Non 2dum, quia licet commutare materiam in meliorem. Nec Jus hominis obſtat, magis quàm in Matrimonio Rato, exceptioni melioris frugis, nec traditio ſit principaliter propter Religionem ſed Religioſũ, ſicque evidens eſt diſparitas inter hunc & ſervum, ut exemplis Sanctorum ſatis confirmatur.

Secundò. Similiter qui licentiam 2
habet ad laxiorem, tranſire poteſt ad ſtrictiorem. Vel enim hæc talis eſt reſpectu termini ex quo, vel reſpectu conceſſæ? Si 1mum, ex natura rei licitè fit. Si 2dum, con-

ceſſio regulariter fit in favorem petentis: ergo rectè fit mutatio. Nam ſi Votum, à fortiori facultas ſic impletur; nec fingi poteſt, cur Pontifex velit impedire melius: imò Delegatio hîc potiùs reſtringitur quoad uſum. Licèt autem illam ultra conceſſa extendere non liceat, c. *P. G.* de off. Del. tamen ſub formali intentione multa intelligi poſſunt virtute conceſſa.

3 Tertiò. Non impeditur d. Tranſitus per Votum non tranſeundi. Nam vel hoc præceſſit Profeſſionem, vel ſubſequitur? Si 1mum, extinctum eſt. c. pen. de Reg. in 6. Si 2dum, poteſt diſpenſari vel irritari à Prælato, quia ſpecie, formâ, & materiâ diſtinctum eſt à Profeſſione. Nec enim per id vovetur Caſtitas, nec Paupertas, nec etiam directè Obedientia, ſed permanentia in ſtatu, ſicut votum non ingrediendi talem domum, non eſt votum Caſtitatis, licèt ad hanc ordinetur. Imò intentio d. Voti eſt, habere firmam Traditionem: at hæc ſolùm obligat ex Juſtitia. Denique ſi directè fit de non ingrediendo ſtrictiorem, Votum eſſet nullum; ſin generaliter tantùm fit, impedire nequit d. Tranſitum; ſicque intelligitur cum addito, non tranſeundi ſine debito modo.

CAPUT IX.

An liceat Tranſitus ad laxiorem vel æqualem?

1 *Primò.* Non licet, ſeclusâ diſpenſatione. Nam eſſet mutare votum in minus aut æquale, citra conditionem melioris frugis: ergo citra rationem relinquendi Religionē propriam, & cum inæqualitate pacti, cùm illa in perpetuum obligetur, nec præſumatur contrahere contra ſe. In electione autem ſtrictioris compenſatur inæqualitas, quia ut Religio alterum eijcere poteſt propter defectum, ita viciſſim etiam deſeri propter defectum perfectionis: at quòd illa cogatur retinere alterum, quamdiu vita moraliter tolerabilis eſt; & tamen deſeri poſſit, cùm non tantùm tolerabilis, ſed æquè perfecta eſt, iniquum foret.

Secundò. Ad Tranſitum ex natura rei licitum non requiritur ſive conſilium, ſive conſenſus proprii Prælati. Nam Votum Obedientiæ non obligat ſupra Regulam, ergo nec de conſulendo Prælato ſuper d. Tranſitu, præſertim quia poteſt eſſe ſuſpectus ob affectum ad locum ſuum: & licèt, cæteris paribus, ejus authoritas præferenda ſit, vinci poteſt numero & authoritate aliorum. Unde à fortiori ceſſat neceſſitas conſensûs Prælati, quia ceſſat in præſenti materia Obedientiæ. Excipiunt alii, niſi Monaſterium graviter lædatur vel infametur. Sed oportet nocumentum tam grave eſſe, 2

ut

ut Charitas obliget ad relinquendum proprium commodum, c. *Si quis verò* q. 1. q. 3.

3 Tertiò. Fuga occulta nec conſulenda eſt nec permittenda, niſi neceſſitas cogat. Nam quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt: & ordinis inverſio ſignum eſt, agi inſtinctu pravi ſpiritûs. Dein d. fuga de ſe eſt contra jus Superioris, & ſcandaloſa propter ſpeciem mali, ſícque moraliter vix vitatur peccatum mortale. Moraliter, inquam, quia poteſt quis ſuo uti, jure Superioris non ſervato, ſi vel nequit aliter ſine gravi incommodo, vel Superior malè utitur jure ſuo. Imò ſecluſo ſcandalo gravi activo (quod ex circumſtantia perſonæ ceſſare poteſt) ex natura rei in d. actu non eſt mortalis inordinatio, quia jus Superioris magis ſpectat ad quandam decentiam & debitum ordinem, quàm ad rigorem Juſtitiæ.

4 Quartò. Religio, quæ præſtat auſteritate externâ, non eo ipſo perfectior eſt, ut Tranſitus ad eam liceat. Ita communis cum S. Tho. 2. 2. q. 186. a. 8. Nam tranſire à perfectiore ad auſteriorem, eſſet retrocedere, nec votum ſervare ex integro. Nec c. *Licet* de Regul. ſiſtit in voce *arctior*, imò ſupponit, perfectiorem etiam eſſe arctiorem, non quidem quoad auſteritatem corporis, ſed quoad totam Regulam. Nam generalis ratiò virtutis eſt, verſari circa difficile, ſícque ſtatus, qui plus virtutis requirit, etiam ex genere perfectior eſt; talis autem non non eſt, niſi ſtrictior ſit circa ſubſtantialia, præſertim ſi in auſteritate externa inferior eſt; nam eo ipſo ſuperior ſit neceſſe eſt in ſubſtantialibus, ut in rigore perfectæ Obedientiæ.

Confirmatur, quia non attendi debet factum, ut fructus, effectus &c. 5 ſed Jus ſeu Regula, judicando de fine, & ejus mediis ex principiis Scripturæ, ſacrorum Canonum &c. ſícque comparando unam cum altera Religione. Excellentia autem finis in moralibus eſt præcipua circumſtantia, ſi quidem etiam media proportionata ſint, ut in omni re rectè inſtituta. Rurſus ſi Religiones in fine conveniunt, præfertur, quæ plura vel meliora habet media, magíſque proportionata fini vi Regulæ. Et univerſim ubi pares non ſunt, penſari debent, in quibus altera alteram excedat, præferendo excedentem in re Deo gratiore. Sic cæteris paribus, utique præfertur, quæ præſtat aſperitate, ſicut cùm in hac æqualitas eſt, præfertur excedens in alia perfectione. Denique in dubio ſtatur judicio Prælati, tum ob generalem Regulam; tum ob meliorem conditionem poſſidentis, quia tunc Religiones æquales reputantur.

Quintò. Vi Legis poteſt licere 6 Tranſitus, qui privatâ authoritate non liceret: & è converſo ſic licitus, fit illicitus vi Legis. Nam juxta S. Thom. Carthuſianus poſſet

tranſire ad Mendicantes, non obſtante minore ſecuritate; quia major perfectio eſt per ſe primò intenta per Profeſſionem, & ſecuritati in Religione ſat cautum eſt, ſi voluntas non deſit. At in X. *Viam.* de Regul. conceditur Mendicanti Tranſitus ad Carthuſienſes, utique propter majorem ſecuritatem, quia hæc magis cenſetur neceſſaria (licèt major perfectio ſit melior) loquendo in plurimum; quod Leges ſpectant.

7 Sextò. Statur in d. comparatione obſervantiâ præſente legitimâ; quidquid ſit de perfectione majore, vi primævi Inſtituti. Nil enim refert Regula jam extincta, ſive de licentia Pontificis, ſive per conſuetudinem præſcriptam; ſed Tranſitus fit intentione & occaſione maioris perfectionis, quæ eſt, non quæ fuit. Sin alicubi ſtat primus rigor, ad eum non tenetur Profeſſus mitiorem Regulam, & poteſt quærere majorem perfectionem, & non tantam, quæ in prima Regula eſt, aut non cum tanta auſteritate. Quòd ſi per merum abuſum mutatio facta eſt, citra ſpem ei reſiſtendi; debeo vivere, ubi moraliter poſſum juxta obligationem Profeſſionis, ſicque & licitus & neceſſarius eſt Tranſitus.

8 Septimò. Comparatio Religionis ſtrictioris intelligi debet abſolutè, & non ut accommodatur tali perſonæ. Nec enim ſenſus Profeſſionis eſt, niſi experiar, ſtatum repugnare meæ naturæ &c. aliàs nulla Traditio eſſet ſtabilis; & liceret Tranſitus ad ſeculum quia *melius eſt nubere &c.* quod inducit in errores contra Cœlibatum; & ideo in nullo Voto ſimplici, propter tales difficultates licet mutatio in minus, eſto cauſa ſit diſpenſationis petendæ, quamvis citra obligationem abſolutam. Nam tota occaſio mali eſt ex ipſo homine, qui ſe ſemper ſecum fert: & aliàs Clerico eſſet debita diſpenſatio, ſtatu ejus cognito; quod apertè falſum eſt. Nec caſus moralis eſt, occaſionem & proximam & inevitabilem eſſe manenti in ſtatu, quia licet lapſus ſit ex miniſterio de ſe ſancto, & ideo hoc exerceri tutò nequeat à ſciente periculum; tamen obligatio eſt disjunctiva vel quærendi remedium aliud apud Superiorem, vel tranſeundi ad aliam Religionem, ſi natura non vincitur.

CAPUT X.

Quouſque de Jure communi liceat Tranſitus ad Religionem perfectiorem?

1 Primò. De Jure communi licet Tranſitus ad perfectiorem. Ita c. *Sanè* & c. *Licèt* de Regul. Nec differentia eſt quoad Fratres Laicos. c. *Non*

Non eſt, eod. nec quoad Oblatos, cùm nec Jus, nec ratio eam faciat: imò non eſſet obligatio rationabilis, utpote principaliter propter Deum facta, ſi excluderet conditionem melioris frugis; quanquam Oblato ſufficiat quamlibet Religionem ingredi, quia eo ipſo tranſit à non ſtatu Perfectionis ad ſtatum Perfectionis. Nec obſtat Urban. II. in c. *Mandamus*. 19. q. 3. quamvis enim rigidiùs prohibeat Tranſitum, à Greg. VII. c. 1. ibidem vetitum; tamen ſubſequente c. *Statuimus* moderatur rigorem, & ut ſupremus Prælatus potuit ſibi reſervare licentiam: idque fortè propter varios abuſus & prætextus.

2 Nec enim inde concluditur, quaſi ſtatus Canonicorum ſit perfectior Monachali, contra c. *Quod Dei*. de ſtat. Mon. quia ſolus Clericatus non facit, ſed poſcit perfectum; & ideo Clericus poteſt fieri Monachus, d. c. *Licèt*. Nec frater Laicus poteſt tranſire ad Canonicos pro Sacerdotio, quia indifferenter omnibus prohibetur tranſitus ad laxiorem d. c. *Licet*, ergo nec nos diſtinguere poſſumus, juxta Regulam Bart. Denique ſi Prædicatoribus prohibetur tranſitus ad Carthuſianos, his nihil conceditur è converſo.

3 Secundò. Neceſſaria eſt, & ſufficit licentia petita. Nam verbum *Debet* in d. c. *Licèt* ex ſubjecta materia & ratione in rigorem trahendum eſt, ſicut ex parte Prælati indicat gravem obligationem indulgendi; aliàs per injuriam negatur ſubdito jus ſuum, niſi conſtet, eum temere procedere. Sufficere verò petitionem licentiæ, conſtat ex d. c. *Sanè*, & d. c. *Licèt*. ubi dicitur quis abſolutus, non vi Canonis, ſed *ex Lege privata*, de qua etiam in c. *Niſi* de Renunt. Nec præſumptio meri prætextûs in d. c. *Mandamus*. potuit eſſe univerſalis, quia eſſet temeraria, ut patet in S. Antonio Paduano.

Tertiò. Valet Tranſitus ſine d. petitione. Nam ſubſequens *Profeſſio* neque ex natura rei eſt irrita, neque vi Canonis. Non ex natura rei, quia ſervatur conditio prioris Profeſſionis; & peccatum ſolùm eſt in modo, non in juſtitia vel contractu. Non vi Canonis, quia nec Privilegium d. c. *Mandamus* eſt irritans, neque d. c. *Licèt* ſit irritatio per rationem, *Ne bonum Obedientiæ contemni videatur*. Licèt enim præſumatur contemptus; etiam in Voto ſimplici, quod Deus inſpirat, ſæpe homo quid miſcet, quod tamen valori non obſtat. Solùm ergo ordo debitus petitur, citra præſcriptionem certæ formæ tranſitûs, ut patet ex d. c. *Sanè*, quia aliàs neceſſe fuiſſet repetere Profeſſionem, ineptúmque eſſet fundamentum *majoris Religionis*: ergo verbum *Permittas* non eſt idem, ac *Diſpenſes*, ſed habens vim Legis pro omni ſimili caſu. 4

5 Vnde Tranſitu jam facto, neceſſe non eſt denuo regredi ante Profeſſionem, quia eſſet otioſum iter, cùm ſufficiat, ut abſens, quod poteſt faciat, præſertim quia aliquando eſſe poteſt urgens neceſſitas non petendi: ergo à fortiori ſufficit ſupplere, ut poteſt, quod defuit. Quæ quidem procedunt, ſi certus eſt exceſſus perfectionis in nova Religione; nam in dubio melior erit conditio poſſidentis, & ideo tranſiens revocandus eſt d. c. *Licèt.* Judicium autem erit, ſi lis ſit, vel penes Epiſcopum, vel Superiorem utriusque Religionis, cùm cauſa non ſit inter Superiorem & Subditum, ſed inter ipſas Religiones; nec Prælatus Judex eſſe poſſit in propria cauſa.

6 Quartò. Sufficit licentia Prælati Conventualis, niſi Superior reſervet. Nam licèt poteſtas de ſe ſit penes Conventualem, d. c. *Statuimus*; tamen intelligitur juxta ſubjectam materiam, ſeu Jurisdictionem pro ratione cujusque Inſtituti, *ne obedientia contemni videatur*, d. c. *Licet.* Sicut enim, ſi Superior tempus ſumit deliberandi in re tam gravi, ſubditus ferre debet, ita etiam, ſi exſpectandum eſt judicium maturius altioris Superioris: quia petitio licentiæ non eſt ob cæremoniam, ſed ut conſtet de ſubditi intentione &c.

Petitio autem eſſe debet & humilis & pura d. c. *Licet.* Humilis quidem, ſi ſit ante Tranſitum, & apud quem debet, & à præſente quidem. Abſens enim, ne Jus violet Superioris, ad hujus poteſtatem redire debet, ne Prælatus contemni videatur. Rurſus Puritas violatur, fingendo intentionem majoris perfectionis: éſtque fictio gravis, ſicut ubi deeſt vera narratio, petitio cujúsque gratiæ ſit ſubreptitia. Et ſi conſtat de humano affectu, Prælatus juſtè negat licentiam; ſícque alter manere tenetur, d. c. *Licèt*: ergo fictio facit licentiam nullam in ratione petitæ, adeóque inſufficientem ad excuſandam culpam; quamvis actus ſubſequens valeat. 7

CAPUT IX.

An vi Juris Communi, liceat Tranſitus ad æquè vel minùs ſtrictam?

1 Primò. Ad æquè ſtrictam dare licentiam poteſt Epiſcopus, vel Provincialis reſpectivè. Ita omnes ſupponendo, ut rem claram. Nec enim d. licentia extat reſervata Papæ, & commutatio Voti competit ex poteſtate ordinaria; ſicut etiam alienatio membri ſpectat ad ord

ordinarium Regimen. Unde licèt poſitivè id non conceſſum ſit Abbati, ſufficit, nullibi negari, quia de Jure communi tota poteſtas penes eum eſt; ſufficítque adminiſtrativa ſeu quaſi dominativa in perſonas, quatenus commutatio vel nullam requirit Jurisdictionem, vel minimam, ſeu Confeſſoris tantùm. Rurſúmque ad abſciſſionem ſufficit ceſſio Juris, quæ fit nomine Religionis, uti & quoad obedientiam ſibi debitam.

2 Secundò. Valet d. licentia, ſi à Papa datur, etiam ſine cauſa legitima. Nam ſolùm fit commutatio in Voto, non diſpenſatio: obligatio autem ad talem Religionem, ſolùm eſt ex inſtitutione humana, nec illius Jus læditur, ſi Pontifex utitur Jure ſuo, & alterum eximit à poteſtate omnium Inferiorum, regendo illum per alium. Nec enim dominium utile, quod Religio habet in perſonam, eſt ut in ſervum, aut alia bona temporalia, ſed principaliter ordinatur ad bonum ſpirituale, & conſequenter traditio fit principaliter Paſtori Supremo. Tamen tales mutationes ſunt odioſæ & inordinatæ, & Pontificis eſt curare, ut omnia ordinatè fiant.

3 Tertiò. *Pro* Tranſitu ad omnino diſtinctam Religionem non valet licentia Prælati. Nec enim Religio dat talem poteſtatem mutuationis otioſæ, ſicut nec ad alienandam rem pretioſam ſine cauſa, nec ad eximendum ab obedientia reſpectû ſui; & ita ſecùs eſſe conſtat de Pontifice. Similiter nec Epiſcopus quid poteſt, quia aliàs ſubjectio ad illum faceret Monaſterium pejoris conditionis: & nec ex ratione, nec conſuetudine, nec ex Jure oſtenditur talis poteſtas; imò d. Tranſitus eſt contra Jus commune, & ideo reſervatus Pontifici. Nec denique poteſtas Epiſcopi eſt propter ipſum, ſed in bonum Monaſterii, ergo huic pernicioſa eſſe non debet: ſícque non refert, poteſtatem extendi in plures Religiones.

Porro ſecùs erit, ſi Tranſitus fit 4
ad locum alium ejusdem Religionis, & æqualis obſervantiæ cum priore. Nam ubi non eſt filiatio, utique debetur obedientia Prælato, cùm non mutetur Profeſſio. Amotio autem inviti à loco filiationis, eſt contra Jus ſubditi: ſin verò fit volenti, licèt ſine legitima cauſa, factum tenet, quia mutatio eſt localis tantùm; nec eſt gravis læſio Monaſterii, ut conſenſum irritet, quia tota Religio eſt unum Corpus.

Quartò. Licentia Tranſitûs ad 5
laxiorem ſine cauſa legitima non valet. Nam poſterius Votum eſt contra prius melius: ergo de re iniqua; ſicut ſi Monialis poſt Votum Clauſuræ voveret peregrinationem. Idem eſt de vovente paupertatem laxiorem; idem ratione Obedientiæ, quâ quis obligari poteſt ad totam aſperitatem Regulæ; præterquam quòd ſic promiſſio fiat diverſis, quaſi

quaſi ſervire poſſit duobus Dominis. Idem denique eſt de Traditione, nam fit ut annexa Votis: & ſi unum non tenet, ruit tota Profeſſio.

6 Quintò. De Jure diſpenſare nequit Epiſcopus vel Provincialis circa d. tranſitum. Oppoſitam tenet Innoc. Abb. Jo. Andr. Hoſt. citando c. *Qui verè.* c. *Significatum* de Regul. c. *Non cogantur.* d. 41. c. *Non mediocriter* d. 5. Sed ad ſummum favet d. c. *Significatum*, quamvis loquatur de obligatione Profeſſionis in genere, juxta c. *Conſtitutionem*, eod. in 6. alia autem nihil probant, quamvis opinio propter tantam authoritatem practicè probabilis ſit, ſi quidem uſus aſſiſtat; quod ſatis incertum eſt.

7 Ratio concluſionis eſt, quia Epiſcopus in diſpenſando ſolùm poteſt, quod conceſſum eſt, ut fatetur Innoc. in c. *Dilectus.* de Temp. Ord. ex c. *Propoſuit*, de Conc Præb. & Clem. *Ne Romani.* de Elect. aliàs diſpenſare poſſet in Tranſitu ad ſtatum ſecularis Clerici, retento ſolo Voto Caſtitatis. Rurſus caſus non eſt ordinarius, ſed gravis, ut diſpenſando quoad Habitum, Clauſuram Monialis. Nec ex uſu antiquo quid infertur, cùm olim etiam confirmare Religionem potuerit Epiſcopus, hæc verò nunc regatur per diſpoſitionem Canonum. Denique Provincialis nihil poteſt circa Vota, utpote fundamentum totius poteſtatis; & ideo etiam nil poteſt circa Votum tranſeundi ad ſtrictiorem; quia poteſtas non extenditur ultra ſtatum.

Sextò. In cauſa diſpenſandi ad d. 8
Tranſitum maximè attenditur bonum ſpirituale majus tranſeuntis. Nam hoc per ſe primò attenditur in vita Religioſa, éſtque per ſe juſta cauſa diſpenſandi; ut ſi notatur difficultas nimia, vel ineptitudo perſonæ ad onera, quæ aliis modis tolli non poſſint, ut diſpenſando in domeſticis, quod & perſonæ & Monaſterio moleſtum eſt. In Religione autem ad quam, requiritur conſenſus juxta omnia Jura & Indulta, nec coactio oppoſita expedit ſine graviſſima cauſa; éſtque penes ſolum Pontificem ex plenitudine poteſtatis. Denique incommodum Religionis à qua, non attenditur, quia & commodum non eſt, haberi ineptum ad vivendum juxta ſtatum, & per ſe præferri debet bonum ſpirituale perſonæ.

Seclusâ autem d. utilitate perſo- 9
næ, vix juſtificat utilitas Religionis à qua. Et imprimis abeſſe debet periculum morale damni ſpiritualis in Tranſeunte; ſecùs enim & contra obligationem Profeſſionis, & Charitatis agitur. Sufficit tamen non timeri defectum gravem, ut ſi perſona ſolet operari ultra obligationem Regulæ. Dein d. Religio cedere debet Juri, quod maximum habet, ſi Tranſitus non eſt neceſſarius perſonæ: ergo oportet, ut & ſciat & velit utilitatem ſuam, quia beneficium non fit invitæ, præ-

ſertim cum diminutione bonorum ſuorum. Eadémque ceſſio à fortiori neceſſaria eſt Religioni ad quam, quia hæc non poteſt ditari ex bonis alienis inviti, ſicut nec in Tranſitu ad æqualem. Imò tunc cùm utilitas Religionis ad quam ſit cauſa valde extrinſeca, ſolus Pontifex diſpenſare poteſt, tanquam habens ſuperiorem Providentiam pro utraque Religione.

CAPUT XII.

An ſpectato Jure particulari Religionis, liceat Tranſitus ad alteram?

1 Primò. Potuit dari Indultum, quo prohibitus ſit Tranſitus ad ſtrictiorem ſine conſenſu Prælati. Conſtat ex Indulto Societatis dato à Paulo II., Pio V. Greg. XIII. Nam expreſsè derogatur c. *Licèt*, de Regul. cum addito *ſine expreſſa*, & *ad id ſpecialiter obtentâ* &c. Firmátque Regulam exceptio Carthuſiæ; contendénsque de injuſtitia remittitur ad Pontificem. At in facto defuiſſe poteſtatem, impium dictu eſt in re tam gravi, & toties, ac ſine formidine, & à tot Pontificibus, & tot Religionibus conceſſâ. Et Pontifex ut approbare Religionem, & judicare poteſt, quæ alteri præſtet, ita etiam ſupponere, quòd noſtra non cedat, vel an cedat, dubium ſit, ut revera eſt: ergo ut in alia re gravi, judicium ſibi reſervare potuit; & dato exceſſu, ſaltem petere, ut mutatio, quæ in caſu individuo poteſt non expedire, fiat cum maturo judicio ſub Regula Prælati, recurſu ad ſe non negato.

2 Confirmatur, quia ſine dubio ad conveniens Regimen Religioſorum, ſingulariorúmque Religioſorum neceſſarium eſt, poſſe præſcribi modum circa perſeverantiam, vel mutationem ſtatûs. Nec per hoc tollitur ſive conditio incluſa in Profeſſione, ſive obligatio Prælati judicantis verè appeti Religionem & ſtrictiorem & utiliorem petenti, quin ſola mutatio motivum eſſe poſſit negandi aſſenſum, ut nec Pontifici eſt, quia impediri nequit via majoris perfectionis, ſecluſâ ratione boni communis. Unde d. modus apponi poſſet, ut tacitè incluſus in Profeſſione, loquendo ex natura rei, quamvis nec de facto à Religione appoſitus ſit, nec apponi poſſit, utpote exorbitans à Jure communi, & ideo ſolùm per extrinſecum Indultum addatur.

3 Dices: ergo etiam in Matrimonio rato ſimilis conditio apponi poſſet. 2. In d. c. *Licet* refertur Indultum ſimile,& tamen explicatur juxta terminos Juris communis. Ad 1um. ℞. Matrimonium & abſolutè excludere ſtatum *P*erfectionis, & facere Jus merè privatum, non communitatis: ergo ſimile gravamen apponere, nec Lex foret juſta, nec conditio juſta contractûs. Ad 2um. ℞. Declarationem d. c. *Licet* eſſe conſonam Juri Divino, non tamen neceſſariam, quia probatio ſpiritûs non impedit libertatem hujus. c. *Niſi*. de *R*enunt. Igitur de Jure communi ſufficit Judicium de exceſſu *R*eligionis, & licentia petita: ſecùs in præſenti eſt, quia licentia rectè negatur, ſi judicatur non convenire majori bono, peti ex perturbatione &c. Et licèt malè negetur, necdum janua aperta eſt, ſed recurſus ad *P*ontificem; nec propterea amittitur *P*rivilegium ipſo facto.

4 Secundò. Tranſiens ſine d. facultate verè Apoſtata eſt. Nam fit retroceſſio à ſtatu promiſſo, ſi quidem ſtrictior eſt; vel à fide data, ſi æqualis; & Profeſſio eſt nulla, ac Tranſitus fictus. Nec enim refert intentio bona ſine proportionato medio, ut ſi *R*egularis tranſeat ad ſtatum Eremitæ: injuria autem, quæ *R*eligioni fit, ejuſdem rationis eſt in præſenti. Nec particula *tanquam*, eſt diminuens in Indulto, quia abiens parificatur cum manente in ſæculo: nec quòd vox *Apoſtata* notet animum deferendi omnem *R*eligionem, conſonat ſive cum uſu primævo (ut conſtat in deſertore Fidei, vel tranſeunte à Synagoga ad ſtatum naturæ) ſive cum uſu Juris, quia ad Cenſuram ſufficit dimiſſio habitûs &c.

5 Tertiò. Violans alias conditiones Indulti, Apoſtata eſt, quatenus verba ſonant irritationem Profeſſionis. Nam eo ipſo ſtat animus manendi extra ſuum ſtatum. Secùs ergo eſt, ſi non ſubſtantialiter receditur à pacto, quia licentia ſufficit ad valorem actûs. Unde cùm trimeſtre præſcribitur pro ingreſſu Carthuſiæ, eo termino ſtandum eſt ſub mortali, ſicut termino communicandi, Horas recitandi &c. niſi excuſet impotentia, vel probabilis præſumptio ampliati termini, quâ parum pro nihilo reputetur. Sic etiam cùm reditus injungitur *abſque mora*, parva negligentia non damnatur peccati mortalis, ut Cenſura incurratur; ſecùs eſt, ſi gravem moram trahat, nolens perſeverare: quia non permittitur extra Societatem eſſe, niſi ut probet alium ſtatum. Similiter mora irrationabilis ingreſſûs, eſt contra debitum Clauſuræ; quia tamen non eſt ultra terminum, & non præcipitur ſumma celeritas, facultatis uſus eſt, vel levis abuſus quoad permiſſionem, non quoad prohibitionem.

6 Quartò. Fuga fit, ſi deſit animus tranſeundi. Nam licentia eſt ſubrepti-

reptitia, & contra tenorem Indulti, & cum gravi deceptione Superioris, & cum periculo Religionis: ergo cùm Tranſitus ſit ſine facultate Juris, quoad rem fuga eſt. Hinc etiam eo ipſo, quòd mutetur animus tranſeundi, tenetur quis ſtatim redire, ſicut etiam cùm deſperat receptionem: nam ceſſat ex tunc tota cauſa emanendi, eſto ſecluſo dolo, in principio non facilè quælibet mora, ut gravis damnetur, ſi non exceditur terminus præfixus, cùm nec ſcandalum ſit, nec extrinſeca intentio mortalis, ut ſupponitur. Redux autem debet recipi, quia expelli nequit ſine juſta cauſa: at tranſitus fuit legitimus: ergo.

7 Quintò. Societas indulgere poteſt Profeſſo tranſitum ad quamcunque Religionem, cauſis ita exigentibus. Ita Greg. XIII. Conſt. *Cùm aliàs.* Cauſa autem eſſe debent culpæ graves, quia ſicut petitio, ita & conceſſio limitatur, nec aliter teneret ratio, *Volentes conſulere puritati Societatis, & incremento*: nec enim niſi peccata repugnant puritati, nec Societas creſceret per emiſſionem proborum. Igitur ſecluſâ d. cauſâ, petenti Tranſitus non poteſt concedi ad Monachalem, demptâ Carthuſiâ. c. *Viam.* de Reg. nec ad aliam Mendicantem laxiorem, ut conſtat de Jure communi; nec aliam Prælatus credere tenetur perfectiorem. Sin credat; & poteſt & debet indulgere, quia Indulta non auferunt, quod Jure naturæ, & communi datum eſt. Denique ex poteſtate dimittendi ſequitur, quòd quoties Societati, vel perſonæ expedit, dimitti qui vult, poſſit ad laxiorem. Qui vult, inquam, nam invitus cogi nequit ad Religionem, quam non vovit. Solutio tamen Votorum fieri debet per Profeſſionem; aliàs puniri alter non poterit ut Apoſtata, cùm nondum deſiêrit eſſe Religioſus.

CAPUT XIII.

An legitimè tranſiens ſecum poſſit deferre peculium?

1 Primò. Per ſe loquendo, tranſiens nihil poteſt ſecum deferre. Conſtat, ſi illegitimè tranſit: nam qui ſe transferre nequit, minùs alia. Si autem poſtea obtinet conſenſum, nova Religio ſibi imputet, quòd eum ſine bonis receperit. Dein Religioſus abſolutè acquirit ſuo Monaſterio, nec hujus præjudicium includitur in licentia tranſitûs, nec præſumitur, ſed exprimenda eſſet donatio. Nec enim dominium fuit dependens à futura mutatione perſonæ; & hujus ſtatûs poſcit abnegationem, non comitatum bonorum; ſecùs ac in Matrimonio, quod

& per ſe poſcit dominium bonorum, & cuique conjugi, quod ſuum eſt, relinqui. Sic ſervo manumiſſo nihil debetur ex Juſtitia de his, quæ tempore ſervitutis lucratus eſt domino.

2 Confirmatur, quia vel alimenta deberentur abeunti, vel ſtipendium recipienti illum, ut cum onere ſentiat & commodum? Non 1mum, quia obligatio alendi vel eſt ex naturali debito, quo totum tenetur parti; vel ex contractu mutuo, ſi Religioſus ſerviat. Non 2dum, quia ſolùm procedit, quando onus Religioni invitæ imponitur per Pontificem. At ſi volens recipit, per ſe convenit, ut recipiat ſine ſpeciali ſubſidio: ipſáque Religio jam alit membrum ſuum, cum jure ad omnes ejus actiones futuras; ſicut ſi ſervus in ſervitutem alterius domini tranſit, per hunc ali debet, non per priorem.

3 Secundò. Veſtes neceſſariæ debentur tranſeunti. Nec enim emitti poteſt nudus, nec habitus mutari, niſi aſſumpto alieno: ergo quamdiu alter eſt in tranſitu, maneret Religioſus prioris Monaſterii: ergo & veſtiendus & alendus eſt per iter, cùm ſecluſâ conſuetudine, compelli nequeat ad mendicandum. Secùs autem eſt de veſte duplicata, & de quolibet non neceſſario; imò etiam hoc de Jure repeti poſſet, ſicut veſtis extrà demortui. Tamen conſuetudo omnium Religionum oppoſitum ſervat ex urbanitate, ut vitetur nota amaritudinis, vel affectionis nimiæ ad temporalia. 4

Tertiò. Secùs eſt de libris; quamvis quoad ſcripta ſit res dubia. Nam de libris nec ratio, nec conſuetudo eſt par, ut de veſtibus, nec etiam præſumptio juſta, quia ſunt mobilia pretioſa, vel multæ æſtimationis. Nec refert, concedi ſolere quaſi in peculium ſtabile, quia Lex non loquitur, niſi ad eos, qui ſub ea ſunt: ergo ut quid auferri poſſit, oportet eſſe ejuſmodi, ut quaſi pro nihilo ducatur. At quantùm ad ſcripta, ſunt quaſi pars doctrinæ hauſtæ propter adminiculum memoriæ, à qua maximè pendet ſcientia: ergo ſicut acceſſoria principale, ita illa comitantur ſcientiam, ídque ex præſumpta voluntate, quia vel juſtè negari non poſſunt, vel non niſi in pœnam auferri. Juvátque maximè, ſi ſcripta ſint unica & ſingularia, ſítque animus vel dandi tranſumptum, vel ipſámet in fine vitæ: nam quia res pretio æſtimabilis eſt, cedit dominio 5 Religionis.

Quartò. Inſtrumenta artis neceſſaria relinqui debent abeunti. Nam aliàs hic privaretur arte ſuâ, ſi difficilè ſubſtitui poſſint paria. Tamen quia per ſe ſubſtitui poſſunt ſimilia aut comparari, per ſe obligatio non eſt ea cedendi, ſed ſolùm Prælatus oſtendere ſe facilem debet ad mutuandum pro toto vitæ tempore, vel ad vendendum, ſi alter redimere poſſit.

CAPUT

CAPUT XIV.

An tranſeant Immobilia vel Mobilia pretioſa, quæ ratione perſonæ ad Religionem ſpectant?

1 Primò. Si bona obveniunt vi Profeſſionis, abſolutè fiunt Monaſterii. Sermo eſt de Profeſſione valida, vel validè ratificatâ; aliàs bona ſequuntur perſonam, quæ ut ſe non tradidit, ita nec ſua, Auth. *Si qua mulier.* Auth. *Ingreſſi* Auth. *Generali* Cod. de SS. Eccl. Suppoſito autem d. valore, dependentia vel conditio nec per Religioſum appoſita eſt, nec per Jus. Non 1mum, quia obventio bonorum ſequitur neceſſariò Profeſſionem, non ex arbitrio Profeſſi. Non 2dum, quia Jus abſolutè vult ſuccedere Religionem, ſupponendo, perſonam eſſe mortuam; nec propter caſum rarum adhibetur conditio, quæ magis obeſſet ſtabilitati.

2 Nec refert, condi potuiſſe Teſtamentum; quia vel conditur, vel non? Si 2dum, ſucceſſio Monaſterii eſt abſoluta, citra conditionem, niſi redeam ad vitam. Si 1um, conditio non eſt moralis, nec facilè admittenda. Unde idem eſt de bonis, in quibus poſtea ſuccedit Monaſterium, ut repræſentat perſonam Profeſſi, quia vi & neceſſitate Juris ea acquirit, non ex nova voluntate Profeſſi. Idémque eſt de Uſufructu & Uſu, quia ex natura rei ſequuntur proprietatem, niſi pacto vel Jure ſeparentur: at nec Jure fit ſeparatio, nec ex natura rei ſubintelligitur conditio tacita, nec pactum aliquod fit præter Profeſſionem.

Secundò. Si bona obveniunt ex mero arbitrio donantis ante Profeſſionem, vel in ipſa (pòſt enim incapax eſt ad donandum) abſolutè fiunt Religionis, ſi quidem donationi conditio appoſita non eſt. Nam neque eſt Jus naturale, nec poſitivum, quod obliget ad reſtitutionem; nec etiam ratio eſt ſubintelligendi conditionem: quia licèt donatio occaſione Profeſſionis fiat, tamen ſolùm ab ea ut præſente pendet, quin fiat ſub conditione pendente in futurum, imò Profeſſio eſt intrinſecè perpetua, ut non ſic pendeat. 3

Quod maximè urget, ſi per Religionem non ſtat, ut perſonam retineat: quia quantùm in ſe eſt, jam implevit d. conditionem, ſi incluſa eſſet: ergo injuſtè cogitur ad bona tradenda. Idémque eſt, ſi juſtè emittit perſonam, quia donatio non debet alteri licentiam dare peccandi, nec Religioni neceſſitatem retinendi indignum. Quòd ſi hunc in pœnam detrudit aliò, alere quidem debet illum, ſicut ſi nil receptiſſet 4

piſſet bonorum, ne gravet locum alium invitum, ut in ſimili diſponit Greg. de Clericis ad Monaſterium detruſis. Sin Prælatus injuſtè expulit, ipſe ſatisfaciat pro injuria, quin Monaſterium luere debeat illius imprudentiam vel injuſtitiam: aut ſi luit; ergo ob pœnam à Superiore poſitam, non ex obligatione orta ex d. donatione.

5 Dices, Sicut Profeſſioni ineſt conditio de Tranſitu, ita & donationi, ne ille difficilior reddatur. ℞. Donanti non plus juris acquiri, quàm nihil danti, ut paſſim docent Baſil. Aug. Benedict. & alii, qui de Inſtituto Monaſtico ſcribunt. Eſtque evidens; quia uterque perinde eijcitur: nec obligatio alendi per ſe & propriè eſt propter bona recepta, ſed Profeſſionê, & donatio cenſetur liberaliter facta, ſicut diſtributa inter pauperes. Nec alimenta debentur niſi manenti, nec Religio debet viam ſternere ad Tranſitum, nec hunc impedit, mittendo optimè diſpoſitum, quia pauperem. Nec altera Religio aliud ſpectare debet; vel ſi ſpectat, prior accidentarium obicem non tenetur tollere; aliàs dotare deberet Monialem tranſeuntem (contra S. Cong. in Trid. ſ. 25. c. 5. de Reg.) aut Hoſpitale reddere Uſumfructum abeunti &c. &c.

6 Tertiò, Secùs erit, ſi in d. donatione apponatur conditio juſta. Nam ex natura rei apponi poteſt, non quidem, ut jus ſit Religioſo, ſed ut Religio in conſcientia obligetur, vel altera jus habeat. Imò caſus eſſe poteſt, ut conditio non ſit malè ſonans, ſi Monialis timens probabilem neceſſitatem Tranſitûs, addat onus dotis, quæ ſecundo Monaſterio pro alimentis debeatur, ſiquidem illa copioſa eſt.

Quartò, Societas ex juſtitia nihil tenetur reddere Scholaſtico dimiſ- 7
ſo. Nec enim admittit donationem niſi abſolutam, aliàs non eſſet perfecta renuntiatio, ſed cum ſpe recuperandi; quod ſaltem derogat Paupertati, eſtque occaſio & licentia vivendi, & timiditatis in dimittendo. Si autem juſta dimiſſio eſt (aliàs injuria ſarcienda erit) nec ratione rei acceptæ tenetur Societas, nec ratione injuriæ, ſed dimiſſus ſibi imputet, quia nec à principio coactus eſt ſive ad ingrediendum, ſive ad donandum, nec exponitur periculo, quia ſi vult vivere juxta Regulam, dimitti non poteſt. Tenet ergo donatio abſoluta, ſicut ſi facta eſſet Hoſpitali, quia Religio non debet eſſe deterioris conditionis.

Dices, tolli fundamentum do- 8
nationis, ſcilicet incapacitatem dominii; & ideo ſimiliter, cùm in Matrimonio rato diſpenſatur, bona redeunt ad ſponſos. ℞. Profeſſionem non eſſe fundamentum, à quo donatio in conſervari pendeat, ſed occaſionem vel motivum, ſicut ſi facta eſt Hoſpitali vel Conſanguineo,

Matri-

Matrimonium autem vel ſolvitur Jure ordinario, vel extraordinario & per diſpenſationem? Si 1mum, etiam de bonis Jus diſponit. Si 2dum, Jus ſilet pro tali caſu; & ideo ſtandum eſt tenore donationis, ſi in conſenſu in diſpenſationem nil diſpoſitum eſt ſpecialiter; nam ſi donatio abſoluta eſt, citra expreſſionem ſupplementi dotis &c. non revocabitur. Denique quantùm ad Societatem, bona non recipiuntur, niſi cum libertate reddendi, quatenus congruit ædificationi, & libertati dimittendi; ſícque non fit alienatio, ſed diſpenſatio congrua fini Religionis. Quamquam caveri oporteat & gravamen Religionis, quæ hominem tot annis aluit, & facilitatem generandi ſpem certam recuperandi donata, itémque frequentiam & modum, ne conſuetudo obligationem inducere poſſit.

CAPUT XV.

An cum tranſlato deferantur prærogativæ habitæ in priore Religione?

1 Primò. Ceſſat prærogativa, præciſè fundata in Profeſſione & Regula priore. Patet exemplis quoad antiquitatem, ſeſſionem, exemptionem &c. Et hinc obligatio eſt ad annum Probationis, & novam Profeſſionem, ſine qua capacitas non eſt Prælationis, juxta dicta ſuprà, & Trid. ſ. 25. c. 21. de Reg. & ſ. 14. c. 10. de Ref.

2 Secundò. Tranſlato, poſtquam Profeſſus eſt, competunt omnia, quæ cæteris vi Profeſſionis, loquendo per ſe. Nam nec incapax eſt, nec demeritus per Tranſitum licitum: & quia amittit jura priora, arg. c. *Si quis jam.* 21. q. 2. c. *Ne pro* 16. q. 1. ergo acquirit nova, & ſicut onera, ita & commoda fert.

3 Tertiò. Secùs eſt de Mendicante tranſlato ad non Mendicantes. Ita Clem. 1. de Reg. ubi incapax fit cujuſcunque Officii, etiam Caſtaldi, Oeconomi, Syndici; ſícque etiam Noſtri comprehenduntur, ſicut per alia Decreta de Regularibus. Non tamen prohibetur Officium, ut actum ſignificat, ſed poteſtatem: aliàs nec liceret miniſtrare Eucharistiam, Confeſſionem &c. vel concionari, legere &c. intelligitur ergo miniſterium temporale, vel Beneficium. Et S. Congr. excipit Carthuſiam, quatenus ſub generali non veniat caſus ſpecialis.

Quartò. Tranſlatus ab uno ad alium Ordinem, in Clauſtro manere 4
perpetuò debet, éſtque omnino incapax ad Beneficia ſecularia, etiam Curata. Ita Trid. ſ. 14. c. 1[illegible] de Ref. ubi vetatur alia receptio [illegible]lati per verbum *non poſſit*; [illegible] diſpenſatio alio prætextu [illegible],

[illegible]

erit ſubreptitia, conſequenter etiam Profeſſio nulla. Nec refert ceſſare in caſu omnem malitiam intrinſecam; nam cùm Lex ſit generalis, non ceſſat, ſine ceſſante in particulari; & licèt pia dicatur exceptio juxta Navar. tamen magis pium eſt, ſervare Legem.

5 Solùm tamen prohibetur translatio de uno ad alium Ordinem, non de Monaſterio aut Provincia ad aliam &c. Dein non refert, Ordinem habere plures Generales, ut ob diverſitatem Nationum, vel ob Reformationem: nam adhuc tota Religio S. Franciſci cenſetur unus Ordo, ſicut Carmelitarum. Nec Prælato demitur Jus dandi licentiam manendi extrà, quia nec translatus eſt deterioris conditionis, nec Prælatus minus Jus habet in perſonam, ſolúmque vetatur, ne ille titulo Beneficii extrà maneat, & ut occurratur pacto non alendi illum quærentem extrà, unde vivat: quod eſt magna perverſio, & infamia Religionum.

CAPUT XVI.

Ad quid teneatur Religioſus factus Epiſcopus, quoad Votum Caſtitatis & Paupertatis?

1 Primò. Sic aſſumptus (utique cum licentia Prælati c. *Si Religioſus*. c. *Quorundam*. de Elect. in 6.) manet Religioſus. Ita communis omnium cùm S. Th. ex c. 3. 16. q. 1. quia novus ſtatus non pugnat cum priore quoad ſubſtantiam, ut conſtat de vinculo & Caſtitatis & Paupertatis, ut patet in Apoſtolis. Utrumque enim ſimpliciter perpetuum eſt ex intentione inſtituentis, & Eccleſiæ approbantis; nec aliàs ſi ſervari non poſſent, Epiſcopatus acceptari poſſet: ergo tenet prior ſtatus in omnibus, in quibus poſteriori nec ex natura rei, nec vi Canonis repugnat.

2 Confirmatur, quia licèt ceſſet ſtatus, ut ſumitur pro actuali modo vivendi in communitate, ſub tali Obedientia &c. non tamen ut ſumitur pro ſtatûs Religioſi ſubſtantia, quæ formaliter conſtituitur per d. Vota. Dein Epiſcopus nec eſt omnino extra Regulam, nec per hanc obligatur, ut imponit obligationem, ſed ut deſignat materiam Voti, quia aliter Minor, aliter Noſter obligatur. Licèt autem, ut alii, non pendeat ab perſonali licentia, ſed hanc à Jure habeat, non tamen niſi ut decet, vel convenit ſtatui juxta modum ſuæ Religionis, ut ſi Minor vilibus veſtibus indui debet, idem ſervabit Epiſcopus, quantùm ſtatus permittit.

3 Secundò. Sic aſſumptus & incapax eſt dominii, & non poteſt habere uſum rerum ut proprium, quamvis quoad uſum major ei licentia detur. Nam d. incapacitas eſt effectus formalis & inſeparabilis à Voto, & quoad uſum proprietarium nullibi diſpenſatur cum Epiſcopo; & oppoſitum Soti eſt improbabile, quia frivolè allegat, æquè Regulari, ac Sæculari Epiſcopo adjudicari portionem ſuam. Licèt autem modus ex parte dantis ſit idem, non ſequitur etiam eſſe ex parte accipientis, cùm non ſit æqua capacitas utriusque. Tamen locum non habet ordinaria reſtrictio licentiæ, ſed aſſumpto licet uſus omnium redituûm Epiſcopatûs, bonorum etiam Secularium; quamvis opus ſit diſpenſatione pro novo Beneficio c. *Cùm ſingula.* de Præb. in *6.* ſtatúsque exprimi debeat, ne ſubreptitia ſit gratia, quia Pontifex non meminit omnium, quæ fecit c. *Ex parte.* de Off. Del.

4 Tertiò. Aſſumptus acquirere poteſt omnibus modis juſtis, non tamen ſibi vel Monaſterio, ſed Altari, ad quod titulatur. Facit c. *Cùm olim.* 2. de Privil. & c. *Statutum* 18. q. 1. quod agit etiam de ſucceſſione ab inteſtato, nec fundatur in capacitate Ordinis S. Benedicti, ſed in eo, quòd Monachus abſolvitur ab ejus Lege. Quia ergo juxta Bart. Rebuff. Feder. de Senis, Roman. Tiraquel. Jus ſuccedendi ſpectatur ſecundùm ſtatum temporis, quo pater decedit, etiam Minorita per mutationem ſtatûs reſtituitur in integrum, non quidem ut ſibi incapaci acquirat, nec Ordini incapaci, ſed Eccleſiæ. Nam potuit Eccleſia ita diſponere de ſucceſſione Religioſi; & iſte poteſt renuntiare, cui vult, modo per Eccleſiam inſtituto; ergo citra injuriam alterius.

Confirmatur, quia ſi Minor tranſit ad Carthuſiam, hæc ſuccedit; ſecùs in tranſitu Carthuſiani ad Minores nec prior, nec poſterior Religio ſuccedet; quia ceſſat fundamentum ſuccedendi in Carthuſia, & in altera eſt incapacitas. Quòd ſi in pœnam quis detruditur in Monaſterium aliud, prioris Jus non tollitur; & tandem qui per diſpenſationem fit non Religioſus, recuperat Jus ſuccedendi. Quæ non pugnant cum dictis cap. 14. ubi ſermo eſt de bonis, non in ſpe ſed in re acquiſitis Monaſterio. 5

Quartò. Aſſumptus reſtituere debet omnia, quæ Monaſterio acquiſita fuerant. Patet ex dictis de translato ad alium Ordinem, & ex d. c. *Statutum*, quod indiſtinctè dicit. *Quidquid acquiſierat, vel habere viſus fuerat, Monaſterio relinquat*; additúrque, ſi ſecùs fiat, ſuſpenſio ab executione Pontificalium. Sic etiam acquiſita ex Beneficialibus, ſi ad alium Epiſcopatum tranſit, priori relinquere debet, quia deeſt titulus retinendi Uſumfructum, vel Uſum, invito Domino; & illa ex intrinſeco 6

co titulo pertinent ad Eccleſiam; aliàs cum magno hujus præjudicio auferri poſſet ingens pecuniæ vis, cùm & dominium & adminiſtratio ceſſet, ceſſante munere. Licèt autem Patrimonialia tranſeant cum perſona arg. c. *Ex transmiſſa* de Renunt. & c. *Quod à te*, de Cler. Conjug. & ideo de ſimilibus Clericus teſtari poſſit, juxta Abb. & omnes in c. 1. de Teſtam. tamen vi d. c. *Statutum*, Regularis reſtituere debet Altari, ad *Quod* titulatur; nec hoc jure ſemel acquiſito privatur, nec beneficium Principis claudit præjudicium tertii,

7 Quintò. Quoad diſpenſationem bonorum, licèt æquales ſint Epiſcopus Regularis, & Secularis in independentia ab aliena voluntate, non tamen quoad omnia non prohibita. Nam quantùm ad Regularem, d. independentia ſolùm eſt à facultate per hominem, & includit facultatem ipſo Jure Epiſcopali datam per Prælatum; ſempérque Pontifex illam pro arbitrio reſtringere poteſt, ut eſt intrinſecum & ſubſtantiale Voto Paupertatis. Dein Secularis juxta probabiliorem S. Thom. 2. 2. q. 15. a. 7. eſt Dominus redituûm: at plus poteſt Dominus, quàm merus adminiſtrator ex genere ſuo, ubi Jus ſpeciale non reſiſtit.

8 Hinc ſecularis, ſi pauperum neceſſitatibus, & aliis piis operibus ſufficienter providit; profectò nil peccat donando ob ſolam cognationem, quidquid dicat Navar. quia fieri poteſt citra diſſipationem bonorum Eccleſiaſticorum. Rurſus exceſſus in donando ſolùm eſt contra Religionem, abutendo bonis aliquo modo ſacris, vel contra Miſericordiam, vel Obedientiam Canonum. Similiter vel nihil, vel non graviter peccat per ſplendidiorem familiam, ſupellectilem &c. idémque eſt de quantitate expenſa per ludum, ſi aliàs habetur ſufficiens cura pauperum. Denique factio Teſtamenti poteſt in tali fortè per conſuetudinem introduci.

Secùs autem hæc habent in Epiſcopo Regulari; nam donare non 9
poteſt conſanguineis, niſi cum magna moderatione; nec exceſſus eſt contra Religionem, ſed contra Juſtitiam, lædendo Jus Eccleſiæ, penes quam eſt proprietas, licèt hæc Epiſcopum alere teneatur ex Juſtitia, & ei relinquere adminiſtrationem. Rurſus in tali ſplendor ſuppellectilis &c. facilè eſt grave peccatum contra Votum; & à fortiori expenſæ in ludum &c. Denique diſpenſatio ad factionem Teſtamenti de acquiſitis intuitu Eccleſiæ, valde difficilis eſt in Epiſcopo Regulari.

CAPUT

CAPUT XVII.

Ad quid teneatur Epiſcopus vi Obedientiæ erga Prælatum, & Regulas Religionis?

1 Primò. Eximitur Epiſcopus vi ſtatûs ab Obedientia prioris *Prælati.* Ita c. *Statutum 18*, q. 1. conſtátque ex uſu Eccleſiæ. Nam tenetur Epiſcopus curam gerere Eccleſiæ, omnésque actiones conſecrare in ejus utilitatem: hinc autem ex natura rei ſequitur d. exemptio. Imò extenditur etiam ad Titulatum, quia per ſe & vi dignitatis eſt caput Eccleſiæ; eſto per accidens impediatur à *Regimine*: ergo ſimiliter exemptus eſt, ut ſatis docet Traditio hujus inſtitutionis Eccleſiaſticæ.

2 Secundò. Vi Voti d. Epiſcopus ſubditur ſoli Pontifici. Non enim Archiepiſcopo vel Primati; non Concilio Provinciali & Legibus ejus, quia non vovit: ergo ſoli Pontifici, ut ſequitur ex enumeratione facta, & quia alicui debet obedire, & Votum perſtat, ut in Generali. Dein Pontifex eſt verus *Prælatus Religionis*, cui quilibet *Regularis*, ut talis, ſubditur: ergo etiam Epiſcopus. Quanquam vi Voti ſolùm obligetur in his, quæ directè vel indirectè ad *Regulam* pertinent, conſequenter ea, quæ moraliter neceſſaria ſunt vel ad ſalutem ſpiritualem *Religioſi*, vel ad perfectionem ejus ſecundùm *Regulam*, Idémque eſt de Titulato, qui quidem vi Juris acquirit Eccleſiæ, ſed quia cum effectu applicare nequit, tenetur diſpenſare in opera pia, ut ipſi commiſſum eſt; quamvis cum dependentia à Pontifice, juxta dicta ſuprà.

Tertiò. Talis ſolutus eſt ab obligatione Conſtitutionum Ordinis, 3
itémque *Regulæ*, demptis his, quæ ſunt materia Voti, vel per Legem Eccleſiaſticam præſcripta ſunt. Conſtat de Votis, nam obligatio eſt perſonalis, & ſequitur perſonam; & ideo Minimus tenetur abſtinere à carnibus, & Noſter tenetur aliis Votis ſimplicibus, cùm eorum materia occurrit: imò aperire debet Votum de Miſſionibus, ut Pontifex, ſi vult, tollat impedimentum. Similiter tenet obligatio deferendi Habitum, c. *Clerici 2*, de Vit. & hon. Cler. & probat uſus.

Alia autem ratio eſt de Conſtitutionibus noviter additis *Regulæ*. d. 4
c. *Statutum*, quia non obligant, niſi ut præcepta Prælatorum vel Capitulorum: ſicque hæc Juriſdictio una & eadem eſt à Jure & ab homine. Idémque eſt de obligatione *Regulæ*, nam *Canonica Electio à ju-*

go *Regulæ Monaſticæ abſolvit* Epiſcopum d. c. *Statutum*, & c. 2. 16. q. 1. Nec enim obligat niſi ut Lex poſita Communitati, cui per ſe primò fertur: at Epiſcopus nec eſt ſubditus, nec Prælatus: ergo non membrum; ſicque non tenetur ad conſuetudines, cùm ſolùm ſervanda ſint, quamdiu vivitur in Communitate.

5 Nec propterea talis *à priore propoſito diſcedit*, c. 3. 16. q. 1. quantùm ad ſubſtantialia, & ut cadunt ſub Votum: in aliis autem contingit mutatio maxima per ſeparationem à Communitate, cui per ſe primò Leges feruntur. Licèt ergo exiſtat in ſtatu perfectionis, non tenetur omnes ejus actus exercere, ſed determinatio, ſeclusâ Lege, eſt voluntaria. Aliunde habet proprios actus, quos ſi ſufficienter implet, & ea, quæ vel ex neceſſitate, vel decentia ad impletionem Voti pertinent, non erit de ratione ſtatûs, ut aliis obſervantiis eum oneremus, aut culpæ arguamus earum omiſſionem, citra aliud opus indecens, aut inutile otium. Denique principium, *Turpis eſt pars &c.* non poſcit uniformitatem in membris adeò diſparibus; imò Epiſcopus propriè membrum non eſt Communitatis, licèt Religioſus ejusdem ſpeciei, quoad ſubſtantialia, etiam obedientiæ; & ideo quomodocunque liberetur, Religioni ſuæ redditur.

CAPUT XVIII.

An Epiſcopus Regularis gaudeat Gratiis ſuæ Religionis? & quid de facto Cardinali?

1 Primò. Gaudet Gratiis, quæ reſpiciunt ſingulas perſonas, nec quoad uſum ſunt oneri Religionis; ſecùs verò, ſi reſpiciunt corpus Religionis, ut ſic, & favorem quoad Jurisdictionem, adminiſtrationem temporalium &c. Nam ceſſante causâ fundamentali, ceſſat Privilegium: & è converſo ſi hoc fundatur in ſtatu Religioſo talis ſpeciei; ergo ſicut Epiſcopus fert onera ſubſtantialia Religionis, ita & commoda eorum; & quæ ratio fingi poſſet, cur in eo ceſſent Indulgentiæ &c. Dein abeſſe in uſu onus debet Religionis: & ideo Minori translato conceditur vox activa & paſſiva &c. ſed ita ne ſit cum onere Religionis, & ne competat ſine conſenſu Prælati.

Secundò. Quoad Cardinalem applicanda ſunt dicta. Nam tenetur 2 oneribus ſubſtantialibus à fortiori, cùm non ſit in ſtatu perfectionis, ut Epiſcopus. Acquirit autem Eccleſiæ, cujus titulum habet, vel

ſi

ſi eâ caret, Eccleſiæ Romanæ. Denique ab Obedientia Prælati, & obſervantiis *R*egulæ ſolutus eſt perinde ac Epiſcopus.

CAPUT XIX.

An Regularis tranſire poſſit ad Beneficium, vel Dignitatem inferiorem Epiſcopali?

1 Primo. Profeſſio vi ſuâ non reddit incapacem Beneficii, etiam Curati. Nam Decreta 16. q. 1. agunt de antiquo Monachatu; nec ſimpliciter negant Beneficium, ſed ne arbitrio Monachi capiatur. Dein Paupertas non repugnat Juri ſpirituali, quod eſt in Beneficio: nec de hujus ratione eſt, ut proprietas commodi temporalis cedat Beneficario, ut conſtat in ſententia Navarri negantis Clerico dominium redituûm. Denique quoad præſens eadem ratio eſt, quæ de Epiſcopatu.

2 Secundò. Beneficium Regulare ſui Ordinis vel Monaſterii habere poteſt Religioſus, non tamen alterius ſine ſpeciali diſpenſatione. Eſt communis, & certa, & ſupponitur potiùs in c. *Cùm ſingula.* §. *Prohibemus* de Præbend. quàm afferatur poſſe, imò debere d. Beneficium conferri Regulari. Unde ſi pleno jure ſubjectum eſt Monaſterio, ad ſolum *P*rælatum (juncto Capitulo, ſi Jus habet) ſpectat proviſio; hoc enim eſt *pleno Jure* ſubjici: ergo cùm etiam perſona plenè ſubjecta ſit, à Prælato, non ab Epiſcopo pendet receptio Beneficii.

3 Tertiò. Acquiſita intuitu Eccleſiæ, huic cedunt, non Monaſterio. Ita Bart. l. *Si ſervus.* 37. ff. de ſtipul. ſerv. & Navarrus. Nam Jura generaliter loquuntur, & ratio etiam univerſalis eſt, quòd ſcilicet Beneficiarius ſit Sponſus Eccleſiæ. Idémque ſupponitur in Clem. un. de negli. *Præl.* vetante applicationem ad menſam Prælati: hic autem non habet jus proprium, ſed indiviſum cum Corpore. Et ibidem excipiuntur, *quæ ſunt de menſa* &c. id quod poſtulat ſpecialem conceſſionem, quia ex ſola ſubjectione perſonæ nil ſequitur, niſi ſolùm Obedientia ſecundùm Regulam & Jura Monaſterii; non autem ut hoc ditetur ex bonis Eccleſiæ, aut hæc fraudetur miniſterio.

Quia verò Beneficiarius habet liberam adminiſtrationem, ſeu in- 4
dependentem à voluntate *P*rælati, ſervato ordine debito, poteſt quid tribuere Monaſterio. Nam primò debet providere Eccleſiæ; dein hujus pauperibus ſibi ſubjectis; reliqua autem ſuperflua ſubſunt liberæ diſpoſitioni piæ: ſuperflua, inquam, ſeu uſui proprio non neceſſaria. Rurſus quia teſtari nequit, peculium (quod uſque ad obitum

retinere poteſt, niſi Regula prohibeat) cedet Eccleſiæ ab inteſtato. Quòd ſi removetur, ſecum ferre poteſt totum peculium, quia jam erat applicatum ejus uſibus, & adminiſtratio ad id extenditur. Tamen res tunc incorporatur Monaſterio cum perſona actu ſubjecta; quia quod ſecum fert, quantùm eſt ex ſe, applicat Monaſterio, à quo conſequenter acceptatur.

5 Quartò. Secùs eſt de aliunde acquiſitis quàm intuitu Eccleſiæ. Nihil enim probat c. *Statutum* 18. q. 1. quia ſi paritas foret cum Epiſcopo, etiam eſſet in totali exemptione à jugo Regulæ: at perſona eſt diviſa, & partim Eccleſiæ, partim Monaſterii: ergo in d. bonis non poteſt attendi, ut ſponſus, magis quàm ſi eſſet ſui juris, & capax proprietatis: ergo translatio ad Eccleſiam, cùm ſolùm ſit ſecundùm quid, non obſtat Monaſterio, niſi ſecundùm quid. Nec d. Clem. diſponit de perſona, ſed de Beneficio tantùm: at ab hoc ad Hæreditatem, donationem &c. conſequentia nulla eſt.

6 Confirmatur, quia fructus Beneficii nec immediatè ſunt Monaſterii, nec mediatè ratione perſonæ, quæ illos acquirit Eccleſiæ, ſolâ adminiſtratione retentâ. Idem ſentit Bartol. de operibus pertinentibus ad miniſterium Eccleſiæ, quibus reſpondet ſtipendium, quod lato modo computatur in fructibus Beneficii. Alia verò exercet quis, ut homo, vel Monachus, non ut Beneficarius; nec Hæreditas v. g. acquiritur ex alieno, ſed maximè proprio, ſcilicet conditione perſonali, ut nativitatis &c. perſona autem ſecundùm ſe ſemper eſt Monaſterii: ergo ejuſdem ſunt, quæ intuitu perſonæ acquiruntur. Nec illud, cùm in poſſeſſione ſit quoad bona Religioſi, privari poteſt, niſi certo Jure conſtet de contrario.

Quinto. Obedientia d. Religioſi 7 extenditur ad omnia & ſola, quæ non pugnant cum Beneficio. Non enim deſinit eſſe membrum Religionis, nec eſt minor ratio de quibuſdam quàm aliis obſervantiis. Imò injungitur in c. *Quod Dei* de Stat. Mon. ut ſocium habeat ſui Ordinis. Nemo autem poteſt ſervire duobus: & ideo præceptum Prælati iniquum foret, ſi eſſet contra utilitatem vel obligationem Beneficii, quæ ex Juſtitia impleri debet. Dein vel Eccleſia eſt exempta, vel non? Si 1mum, ergo obedit Prælato ratione Jurisdictionis, non Voti, quia procuratio Eccleſiæ non eſt materia Regulæ. Si 2dum, ergo ſoli Epiſcopo obedit, quia in eadem materia non poteſt habere duos Superiores non ſubordinatos inter ſe; nec eſt materia Voti.

Sextò. Si Beneficium eſt Manuale, ſeu pleno jure ſubjectum, Regularis tenetur parere revocanti. 8 Nam hic utitur jure ſuo, & licitè quidem, ſi vertitur utilitas Monaſterii vel Eccleſiæ, quia revocatio eſt actus prudentis gubernationis,

non

non pœnæ, aut Juſtitiæ Vindicativæ. Sin deficit cauſa, adhuc valet actus; nec Superior ex Juſtitia tenetur mederi (quamvis pro hoc ſupplicari poſſit) per ſe loquendo; ſecùs enim eſt, ſi ſequitur ſcandalum, periculum infamiæ, aut notæ ex præpropera revocatione. Per ſe tamen revocatio eſt utilis, & moraliter neceſſaria, ne alter dediſcat mores, conſuetudinem obediendi &c. &c.

9 Septimò. Beneficium Regulare non pleno Jure ſubjectum, non eſt Manuale. Nam eo ipſo non pendet à ſolo Prælato, ſed etiam ab Epiſcopo quoad inſtitutionem: ergo licèt ſine conſenſu Prælati obtineri nequeat, juxta decreta 16. q. 1. & 18. q. 2. tamen non pendet ab eo, ut causâ per ſe, ſed ſolùm ut conditione: ergo privatio fieri nequit, niſi Juridicè & ex cauſa legitima. Beneficium enim de ſe perpetuum eſt, nec eam conditionem amittit, niſi propter plenariam ſubjectionem ad Prælatum; qui in præſenti ceſſit juri ſuo, quia conceſſio rei intelligitur facta juxta qualitatem rei. Unde ſic translatus, perinde ac Epiſcopus, ſimpliciter eximitur à jugo Monaſtico, quia perpetuò unitur Eccleſiæ; idémque eſt, ſi Pontifex concedat ſimilem perpetuitatem ex diſpenſatione, ut tenet communis Abb. Felin. Jo. Andr. Domin.

Octavò. Beneficium ſæculare non poteſt conferri niſi per diſpenſationem Pontificis. Patet ex Regula, quòd *ſecularia ſecularibus* &c. conferenda ſint d. c. *Cùm ſingula*, c. *Cùm de Beneficio.* de Præb. in 6. c. *Super eo.* de Regul. c. *Nullus.* de Elect. in 6. docétque natura ipſa & inſtitutio Beneficii; aliàs poſſent Monachi ſoli eſſe in villis, quia ſolùm in Manuali Beneficio prohibetur. Nec excipi poteſt Beneficium Curatum; quia præſumitur ſeculare, niſi oppoſitum conſtet: facítque Clem. 1. de Elect. arg. à ſpeciali. 10

TRA-

TRACTATUS IX.

De Varietate Religionum in genere & ſpecie.

LIBER I.

De Varietate Religionum in genere.

CAPUT I.

An potuerit vel debuerit in Eccleſia eſſe varietas Religionum?

1 PRimò. Licèt omnes Religiones conveniant in ſubſtantia Statûs, tamen differre poſſunt in fine proximo, vel mediis. Nam omnium eſt tendere ad perfectionem Charitatis erga Deum & proximum, & renuntiare Seculo per Vota Traditione firmata: ſtat tamen habere fines proprios particulares; eſto per comparationem cum generali perfectione Charitatis ſint media. Sunt enim bona per ſe honeſta, quæ propter ſe appetantur, & alia propter ipſa: itémque ſunt quaſi formales actiones Charitatis, quæ ut tales, intenduntur, ut fines; súntque plura officia Charitatis, ut Contemplatio, cura ægrorum &c. Et licèt idem ſcopus ſit, ut Militia, tamen media diverſa ſunt; ſicque motus & per terminos reales differunt, & per formales tantùm, ut ratione figuræ &c. &c.

2 Porro fines vel ſubſtantialiter diverſi ſunt, vel ſolùm ſecundùm magis & minus, ut Hoſpitalitas, Prædicatio Verbi Divini; & hæc vel inter Fideles tantùm, vel univerſalior. Eadem duplex diverſitas eſſe poteſt, ut ſit vel ſubſtantialis, vel accidentalis tantùm. Unde modica diverſitas erit, quò major unitas eſt in fine, & mediis, ut in Religionibus S. Franciſci: & è converſo maxima diverſitas eſt, ubi in fine eſt, & obſervantiis præſertim ſubſtantialibus, ut in Votis; ſicut Beati diſtinguuntur in Beatitudine eſſentiali.

3 Secundò, Varietas Religionum pertinet ad decorem & utilitatem Eccleſiæ, ac majus Dei obſequium. Patet ex conſenſu Eccleſiæ, & exemplis

emplis ſanctorum Fundatorum. Nec enim ſine magna Divinæ Providentiæ diſpoſitione, & Spiritûs S. directione introducta eſt varietas, quia Religio & eſt via ad Perfectionem, & propter Eccleſiam juvandam inſtituitur: at moraliter fieri nequit, ut unus idémque modus omnibus accommodetur; nec ut una eadémque Religio complectatur omnia, ſed ex omnibus conſurgit plenitudo Miniſtrorum, qui Eccleſiam omni genere actionum juvent.

4 Objectio Hæreticorum, quòd Schiſmata ſequantur, nil probat: quia unitati non repugnat multitudo manſionum in eadem domo, plurium Artium in Republica, ſed facit ad conſummationem totius Corporis. Licèt autem Charitas una ſit, viæ tamen diverſæ ſunt, non quidem quoad ſubſtantiam (nam ferè ómnes ab omnibus exercentur) ſed quoad modum, & mixtionem actionum: quia aliæ Religiones in his, aliæ in aliis excedunt, aliæ hoc, aliæ alio modo eas participant. Denique incommoda, ut diſſenſiones &c. nunquam abſunt in rebus humanis, non quidem nata ex ipſis, ſed infirmitate hominis, cui aliis modis ſuccurrendum eſt, præſertim Charitate; providetúrque c. ult. de Rel. dom. c. un. eod. in 6. Trid. ſ. 25. c. 3. de Regul.

CAPUT II.

An Religioſa Vita in ſolitariam, & Cænobiticam rectè diſtinguatur?

Primò. Solitaria, ut à principio
1 ducitur, & non per tranſitum à Cœnobitica, antiquata eſt quoad Statum, ſive domeſtica ſit, ſive ſilveſtris; imò nec gaudet Privilegio Clericali. Quoad antiquos Eremitas, quòd obedientiam voverint Epiſcopo, merè divinatur: negare autem, quòd fuerint Religioſi, durum eſt, ut de Paulo, Antonio &c. ergo fatendum eſt, eminenter fuiſſe Religioſos, ut qui pro homine Deum ipſum habebant ducem, ejúsque inſtinctu regebantur.

Secundò. Tranſitus ad Solitariam
2 à Cœnobitica, poſcit conſenſum Prælati. Nam proprio inſtinctu duci, deviat ab Obedientia: quæ autem à DEO ſunt, ordinata ſunt. Et licèt concedatur Tranſitus ad arctiorem, non tamen certus vitæ modus contra Obedientiam aſſumptus, retento priore Statu. Adde modum omnino ſolitarium, loquendo humano modo, non cadere ſub conſilium, nec dici poſſe ſimpliciter meliorem, ſed cum addito, ſi Spiritus S. interiùs certificet de auxiliis, Dein etiam perfectis, quod in Statu optimum eſt, deeſt, ſtare nempe ſub Obedientia.

Tertiò. Cœnobitica mixta, ut anti- 3

tiquitate; ità perfectione præcedit Solitariam. De antiquitate conſtat in Apoſtolis, Marci diſcipulis, uti etiam olim Eliſæi. Dein præter bonum Obedientiæ, altius quid eſt, perficere quàm perfici tantùm; traduntúrque contemplata ex abundantia Perfectionis, & per opus inſigne Charitatis. Facítque c. *Niſi* de Renunc. ibi: *Scire debes te non eſſe ſanctiorem ſanctificato in utero, & ideo non oportet te Prædicationis jam ſuſceptæ reſpuere miniſterium &c.*

CAPUT III.

An Religio rectè dividi poſſit in Militarem, & non Militarem?

1 Primò. Eſt poſſibilis perfectus Status Religionis Militaris. Ita S. Tho. 2.2. q. 188. a. 3. receptus ab omnibus. Nam inprimis bellum nec eſt intrinſecè malum, ut poſitivè conſtat ex Scriptura Veteri, nec etiam prohibitum, ſive Jure expreſſo ſive tradito: imò oppoſitum conſtat uſu Eccleſiæ, & Chriſtianorum Principum, Pontificibus approbantibus, & Deo confirmante miraculis. Sæpe enim ejus neceſſitas eſt ad pacem & defenſionem, nec in ſupremo Principe deeſt jus & poteſtas tuendi, imò vindicandi ſuam Rempublicam. Rurſus bellum aliud eſt temporale, ſeu pro cauſa temporali; aliud per ſe pium ex fine, ut in Machabæis, Cruce ſignatis tempore Urbani II. c. *Ex multa.* c, *Poſtulaſtis*, de Vot.

2 Cœpit ergo tunc Religio Militaris, cujus & finis de ſe optimus eſt, & media etiam optima: finis quidem, quia major Charitas non eſt, quàm ponere animam pro Fratribus. Stant autem etiam Vota ſubſtantialia, nam Caſtitas facit ad ſanitatem & robur corporis; cura verò uxoris multùm impedit libertatem bellandi, & periculis ſe exponendi. Rurſus Paupertas confert, ut intentio debita ſit bellandi, citra affectum lucri, prædationes, injurias. Obedientia per ſe maximè neceſſaria eſt, ſine qua nec ordo in bello, nec executio, nec ſollicitudo & diſtributio agendorum ſervari poteſt; ergo ſi propter Deum fit, & per conſecrationem Voti, Superior cum majore fiducia præcipit, & alter obedit cum majore reverentia, Idémque reddit promptum ad omnem miſſionem bellicam, etiam cum periculo vitæ. Accedit denique Traditio optima non tantùm actionum omnium, ſed etiam vitæ.

Secundò. Ad d. Statum præter præcepta & conſilia Evangelica, provideri debent idonea media. Nam ſubſtantia creata non ſubſiſtit ſine debitis accidentibus, ut non ſolùm in Phyſicis, ſed etiam in morali- 3

ralibus tenet, præſertim in Statu vitæ: at militare piè, eſt actus perfectionis acquiſitæ: ergo Religio, quæ eſt Status acquirendæ Perfectionis, providere debet prius de mediis, quàm milites ſuos bello committat; aliter niſi radicati in virtute, non reſiſtunt periculis peccandi. Moraliter etiam neceſſarium eſt, ut habeant Conventus Religioſos, in quibus & inſtruantur, & reſtaurentur; ſicque in unum corpus cum Clericis coëant, quorum curâ juventur.

CAPUT IV.

An Religiones Militares, quæ nunc ſunt, comprehendantur propriè ſub genere Religionis &c.

1 Primò. Milites S. Joannis ſunt verè Religioſi. Ita omnes, etiam Soto, quamvis inconſequenter neget, contrahere impedimentum dirimens, & per Profeſſionem diſſolvi Matrimonium Ratum. Nam poſſibilis eſt Status Militiæ verè Religioſæ juxta dicta ſuprà: at d. Militiæ nihil deeſt ſubſtantialium. Rurſus commune eſt omni Religioni impedimentum dirimens, quin in præſenti diſtingui poſſit, ſive ex ratione Militiæ ſacræ, ut ſic, ſive talis Militiæ. Conſtat denique etiam in præſenti fieri Traditionem, aliàs non eſſent veri Religioſi.

2 Secundò. Etiam Milites S. Jacobi ſunt veri Religioſi. Ita Navar. Nam Bullæ, præſertim Alexandri III. tribuunt illis, quæ Religionis ſunt, ut Obedientiam ſub uno Magiſtro, Paupertatem, & Profeſſionem, Privilegium Fori & Canonis, & quòd nequeant tranſire ad ſeculum, aut ad alium Ordinem ſine licentia Magiſtri; denique Charitatem excellentem, quâ ſe pro Deo & Eccleſia objiciunt diverſis periculis & Martyriis: ergo ipſe Status eſt Perfectionis; ergo Religionis; ergo membra veri Religioſi ſunt, ut ſine dubitatione tenendum eſt de Religioſis Sacerdotibus d. Militiæ; quidquid alii diſceptent de Militibus.

3 Tertiò. Caſtitas Conjugalis ſufficienter accommodatur fini, & actionibus d. Religionis. Nam ad ſerviendum Deo præcisè in Militia, etiam uxoratus ſufficit, cùm Paulus loquatur de vacantibus ſpirituali exercitationi, à qua utique diſtrahit res uxoria. Dein Conſilia ita menſuranda ſunt, ut non implicent gravioribus periculis, ſatíſque conſilii additur per Votum ſuperadditum, & quia ſaltem Regula plus poſcit, quàm ratio ſolius præcepti. Et ſicut ab exceſſu in jejuniis, & aliis afflictionibus cavere debent &c. ita etiam in Venereis, ne vires deſint ad militandũ; quamquam

 non

non conſtet, nec etiam neceſſarium ſit, hæc eſſe materiam Voti.

4 Quartò. Similiter Paupertas accommodatur Inſtituto d. Religionis. Nam habent dominium ſimile Majoratui; & uſum dependentem quidem à licentia Magiſtri, ſed ita firmum, ut Religio auferre nequeat, niſi in certis caſibus, nec etiam filiis: modus autem Paupertatis ex fine Inſtituti definiri debet, congruitque theſaurizare liberis, nec derogat operibus vitæ activæ; ſecùs ac in vacatione ſpirituali abjici neceſſe eſt ſollicitudinem temporalium. Licèt ergo quoad Statum Religionis ſimpliciter, nihil deſit neceſſariæ perfectionis; tamen niſi adulatores videri velimus, negari non poteſt, quòd quoad uſum & obſervantiam, non vivant ſimpliciter Religiosè, ſed valde ſecundùm quid. Denique conſtat, d. Statum non comprehendi ſub c. un. de Vot. in 6. ſed repugnare tum impedimento dirimenti, tum diſſolutioni prioris Matrimonii, quia Jus loquitur de Statu integræ Caſtitatis.

CAPUT V.

An Religio convenienter & ſufficienter dividatur in Contemplativam, & Activam?

1 Primò. Vita Chriſtiani partim eſt Contemplativa, partim Activa. Nam per illam intelligitur, non utique ſpeculatio ſterilis, ſed quæ totum affectum DEO uniat; & per hanc actio externa, non ſecularis, ſed virtutis, præſertim Miſericordiæ: utrumque autem genus actuûm laudatur in Scriptura, & proponitur omnibus, ut *Beati mundo corde*, *Miſericordes &c. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te &c.* Imò in nullo recto Inſtituto hæc ſeparari poſſunt, quia ſine oratione nil pium facere poſſumus; & ſine interna conſideratione homo innumeris periculis exponitur, etiamſi in bonis operibus exerceatur. Rurſus non poteſt quis continuè intendere Contemplationi ſine exercitio aliarum virtutum; & quiſque indiget propriâ mortificatione; nec Societas humana ſtat ſine obſequiis Mundi.

Secundò. Denominatio vitæ Activæ, vel Contemplativæ ſumitur ab eo, quod principaliter intenditur, & præeminet. Nam per *vitam* intelligitur actus vitæ, ſeu ratio vivendi, quæ ad talem actum tendat, cùm operatio, ad quam maximè quis tendit, dicatur vita ejus. Rurſus ſicut medium, quod ex contrariis miſcetur, denominatur 2

tur

tur à prædenominante, ita multò magis, quod ex diverſis tantùm, non contrariis muneribus coaleſcit. Prædominatur autem, non quod diutiùs per diem exercetur, ſed quod eſt finis reliquorum omnium; nam qui furatur propter mœchiam, mœchus potiùs dicitur, licèt plus temporis ponat furando: ergo Activum Inſtitutum eſt, quod per ſe primò reſpicit opera Miſericordiæ, ut proprium ſcopum; Contemplativum verò, quod mortificationem, & omnia alia ordinat ad Contemplationem.

3 Tertiò. Convenienter dividitur Religio per d. membra. Nam Status Religionis ſupra communem nihil addit, niſi conditionem tendendi ad perfectionem: at conſtat ad hanc tendi & Contemplatione & Actione. Conſtat etiam, quaſdam Religiones per ſe verſari circa proximum; ſecùs alios per ſe & ex inſtituto, ſed actionem referre, vel ad propriam perfectionem, vel non niſi per accidens ad proximum. Ut autem in proximo ſcopo, ita & in mediis differunt ultra ea, quæ omni Statui Religioſo communia ſunt, ut præter Vota, oratio, mortificatio corporis &c. Particulari enim ſcopo ſingularia media accommodanda ſunt, ut ſtudia, converſatio cum proximo &c. vel è converſo ſeparatio, cuſtodia Clauſtri.

4 Quartò. Rectè additur Vita mixta ex Contemplativa & Activa, quamvis ſit de modo loquendi. Nam poteſt & Actio & Contemplatio ſimul principaliter intendi, ut patet exemplo Chriſti pernoctantis in oratione, & de die operantis; itémque Apoſtolorum inſtantium Orationi & Prædicationi Verbi. Dein vita activa in ſpiritualibus intimè includit Contemplationem, quia Concio v. g. ſupponit diuturnam meditationem, utpote expreſſio hujus; & Status Contemplativus complectitur lectionem, meditationem, orationem, tanquam initium, medium, & finem; & ſub doctrina non tantùm Concio, ſed omnis alia doctrina comprehenditur, ad proximum erudiendum ordinata.

Quantùm ad rem autem, conſtat, ſtare Inſtitutum, in quo utrumque munus, & Contemplativum & Activum exactè tractetur, & per ſe intendatur, ut finis: nam ſicut Contemplatio ſemper ordinari poteſt ad Actionem, ita etiam per ſe appetibilis eſt, non minùs quàm propria perfectio, quâ frui poſſumus, quoties vacatio eſt à ſervitio proximi. 5

Quintò. Vita mixta potiùs dicitur Activa, quàm Contemplativa. Hæc enim vox videtur ſignificare excluſionem ordinis ulterioris, niſi in quantum poſcit vel charitas proximi, vel ratio medii ad contemplandum. Dein licèt Contemplatio ut cauſa ordinetur ad actionem, non tamen hæc è converſo 6

ad illam per modum medii humani, quia licèt per modum meriti & imputationis ad contemplationem conferat, non tamen ut diſpoſitio per ſe; nec id habet ex intrinſecis, ut pœnitentia, mortificatio propria &c.

CAPUT VI.

Quæ Religio perfectior ſit, Contemplativa, Activa, an Mixta ex utraque?

1 *Primò*. Certum eſt, merè Activam cedere Contemplativæ &c. Conſtat de Fide ex Luc. 10. *Maria optimam partem elegit*. Unde cùm Hoſt. in princ. Summæ, & Penna, comparando vitam Juriſtarum cum reliquis, volunt eſſe magis frugiferam, ac meritoriam, ſi rectè ducatur; vel exaggerant ſuos labores, vel ſolùm attendunt perſonales labores & merita, non ipſum ſtatum vivendi, quia hunc in ſe conſiderando, certiſſimum eſt, tenere infimum gradum, ut de qualibet vita merè activa fatendum eſt.

2 Secundò. Mixta præſtat Contemplativæ quoad perfectionem, loquendo ex genere. Ita S. Thom. Dur. Cajet. Palud. S. Anton. Sylv. Tabien. & Canoniſtæ. Sumitúrque ex c. *Niſi* de Renunt. & c. *Licet* §. *Si verò*. De Regul. Sicut enim vita mixta in Epiſcopatu, & in Apoſtolis eſt Deo gratior & perfectior (aliàs altiſſimum munus obligaret ad actiones minoris meriti, majúſque impediret) ita in quolibet ſtatu ſecundùm ſe: & ſicut in Epiſcopatu, ita in quolibet ſtatu rectè inſtituto ad ſalutem proximi, ſupponit propriam perfectionem: ergo ſicut perfectus Monachus eſt idoneus ad aſcenſum, ita etiam ad docendum proximum; quia ſicut Religio eſt ſtatus acquirendæ, ita eſſe poteſt etiam exercendæ Perfectionis.

Idem conſtat exemplo Chriſti, 3 Apoſtolorum, Joannis Baptiſtæ, Eliæ: éſtque doctrina Bern. Baſil. Aug. Nazianz. Greg. Chryſoſt. qui l. 2. de Sacerd. ponderans illa. *Amas me* &c. Jo. 21. *non dixit* (ait) *ergo ſuper nudam humum dormi, jejuna &c.* Magis enim meritorium eſt, quod Divinius & Deo gratius eſt: at teſte Gregorio, *nullum Sacrificium eſt Deo magis acceptum, quàm Zelus animarum*, quia quò amor Dei efficacior, eò melior eſt: at formale opus amicitiæ, eſt quærere Gloriam Dei; & hæc non fit niſi in honorantibus ipſum: ergo nec quæri poteſt, niſi convertendo homines ad ipſum: ergo tales actus ſunt per ſe

ſe & directè actus externi dilectionis Dei, eſto ſimul ſint etiam proximi, ut hujus bonum intrinſecum conſideratur.

4 Confirmatur, quia ſermo eſt de vita mixta, in qua per ſe intenditur, docetur, exercetur, & procuratur perfectio Contemplativæ: ergo hanc totam illa includit quoad ſubſtantiam; ſícque in nullo diminuit, ſed potiùs auget. Nec enim actio obeſt, quia & poſcit intentionem Divinæ Gloriæ, útque ex puro Dei amore fiat, & maximè pendet à Dei auxilio, ad quod per ſe neceſſarius eſt frequens ad Deum aſcenſus. Rurſus ut Sancti, & omnes docent, in omni ſtatu moraliter neceſſaria eſt interruptio: at quæ melior, quàm cura proximi? Si autem longior eſt, compenſatur excellentiâ operis, quia ipſa privatio voluntaria & ſancta alterius dulcedinis, eſt res magni meriti, ut conſtat exemplo Pauli, Martini.

5 Dices, Actus externus nihil addit. 2. Deſiderium & oratio pro proximo ſtat etiam in Contemplativa. 3. Actio ſuſcipitur in remedium fragilitatis, & vel ex tædio, vel ad hoc vitandum, non autem ex plenitudine Charitatis. Ad 1um. ℞. Multum addi per novum actum internum, quem non habet, qui in contemplatione ſiſtit. Ad 2um. ℞. Aliam eſſe voluntatem objecti, ut à me efficiendi; aliam ſimplicis complacentiæ, vel deſiderii inefficacis. Prior æquè ac iſta eſſe intenſa poteſt, & adhuc difficilior amicitia eſt, juxta illud: *quis nos ſeparabit* &c. Simul autem jungitur dilectio proximi, & ſecundùm integram rationem amicitiæ ponitur & actus internus & externum Beneficium ſeu obſequium.

6 Ad 3um. ℞. Otium & negotium neceſſarium eſſe. Status ergo optimus eſt, qui optimum utriusque eligit, primò quidem & per ſe propter ipſam excellentiam Charitatis, & ſecundariò ad conſulendum infirmitati. Sin in hac moderatione exceditur, imperfectio erit agentis, non Religionis ſic activæ. Sicut enim mens Contemplantis non cadit à perfectiſſima Charitate, cùm orat pro proximo, ita nec cùm pro hujus ſalute agit, quia licèt auxilium orationis optimum ſit, non tamen ſufficit, cùm non tantùm Oratores, ſed etiam Cooperatores Dei ſint per ſe neceſſarii ad ſalutem proximi, ſícque per utrumque magis Deo aſſimilamur.

7 Tertiò. Contemplativa ſecurior eſt ex genere ſuo. Nam Perfectio ferè in duobus conſiſtit, diminutione peccatorum, & frequentiore Dei memoriâ ac dilectione: at ſimplex vita caret occaſionibus peccati, quæ ferè circa proximum, & agendo cum illo contingunt: nílque habet, quod animum diſtrahat. Unde dolet Bern. ep. ad Roger. *Clauſtrum frequenter ſtipari militibus, urgeri negotiis, jurgiis perſonare, patere interdum & feminis: quid inter*

inter hæc cæleſte, quid Divinum, quid ſpirituale poterit cogitari?

Nec propterea deeſt in Mixta, quod ſufficiat ad vitanda pericula, non quidem remota, ſed moralia, præveniendo illa, imò media ſuppeditando etiam contra leviores culpas. Aliunde autem excedit, non quidem in cauſalitate per accidens, removendo prohibens, ut purè Contemplativa, ſed cauſalitate, per ſe præbendo materiam majoris meriti cum occaſione exercendi plures & excellentiores virtutes cum Charitate, háncque altiùs exercendi, & plura ſuſtinendi pro Deo.

9 Quartò. Stat, ut in particulari Contemplativa ſuperet Mixtam. Contingit enim ex parte finis, quatenus animus nimis diſtrahitur, multúmque habet in actione, & parum in Contemplatione. Dein ex parte mediorum fit, ut ſit quidem ſufficientia ad finem conſequendum, non tamen ad conſequendum perfectè & exactè. Aliud enim eſt intrinſeca bonitas ex objecto, quam medium habet, ut eſt actus talis virtutis; aliud, utilitas ejus ad finem ſuum proprium. Si autem hic per ſe perfectior eſt, etiam medium, quà tale, perfectius erit; eſto ut eſt actus virtutis, non ita excellat. Sic minor auſteritas, ſi magis confert ad finem Religionis, ſimpliciter melior eſt: ſin major auſteritas æquè utilis ſit, etiam Religio perfectior erit, quia tunc in aliquo ſuperat, & in nullo ſuperatur.

CAPUT VII.

An Religio convenienter dividatur in Clericalem & Monachalem?

1 Primò, Conſtat de utroque membro diviſionis. Nam & ſunt & fuerunt propriiſſimè Monachi, ſeu dediti ſolitudini, ut latè 16. q. 1. per tot. Nec vi Inſtituti olim ordinabantur, quamvis id poſtea inductum ſit per Gregor. M. & in Clem. 1. §. *Ad ampliationem* de ſtat. Mon. Rurſus conſtat de Ordine Clericali, qui à principio Eccleſiæ cœpit in Apoſtolis; eſto non niſi in nocte Cœnæ ordinatis, ſicut etiam nunc ſuſceptio Ordinum ſequitur Profeſſionem Ordinis Clericalis.

Conſtat autem de differentia utriusque Ordinis, & primùm quidem ex fine: nam Monachatus per ſe non ordinatur ad miniſteria Clericalia. Dein quoad media, Clericatus, ut in Secularibus, ita in Regularibus poſcit ſtudia. Rurſus alii Habitum Clericalem habent, alii Cucullum. c. 19. *Mandamus*. q. 3. Denique Monachatus ex genere ſuo 2

plus

plus habet auſteritatis in victu, veſtitu, lecto, cùm alii magis aſſimilentur Clericis, quibus cum etiam nomine conveniunt, cum addito Regularium vel Canonicorum:

3 Secundò. Sufficiens eſt d. diviſio. Nam Religio vel per ſe ordinatur ad miniſteria Clericorum, vel contenta eſt operibus, ac modo vitæ ſpiritualis accomodato *Laicis*. Clericali autem per ſe præfertur Monasticæ, quia vi ſuâ ad Diviniorem finem ordinatur, ut patet in Apoſtolis, qui primitias ſpiritûs habuerunt etiam in Perfectione: in Moralibus autem perfectius eſt, quod in ſupremo gradu ſui generis ſumptum, excedit ſupremum alterius gradûs.

CAPUT VIII.

An Religio Monachorum rectè dividatur in Mendicantem, & purè Monachalem?

1 Primò. Differunt d. membra in fine, & mendicitate. Nam Monachatus ſtrictè ſumptus, eſt contemplativus, ut patet in Ordine S. Benedicti, Carthuſ. Ciſterc. Camaldul. at alii profitentur vitam mixtam ex contemplatione, & ſpirituali actione circa proximum. Rurſus Monachis ſtrictè talibus non convenit mendicatio, tum propter ſeparationem, tum quia fructuoſa eſſe nequit, cùm non laboratur proximo. Tamen d. proprietates, ut conſtituant Monachatum, ſupponunt genus ſuum, quia Religio Clericorum, ut Carmelitæ de ſuo Inſtituto dicunt, poteſt ſiſtere in contemplatione, & mendicare.

2 Similiter Fratres Miſericordiæ ſtrictè Monachi non ſunt, ſed profitentur actionem, & mendicant. Poſſunt enim in Moralibus genera non ſubalternata dividi per easdem differentias, tamen ſemper accommodatas generi ſuo diverſo; ſícque diviſio intelligitur eſſe adæquata, attendendo Inſtitutum primævum, quidquid ſit de diſpenſatione in habendo proprio, ut variis Communitatibus Religioſis conceſſum eſt. Nec enim eſſe vel non eſſe Mendicantem, ſunt differentiæ ſubſtantiales; ſufficítque unio ſubſtantialis quoad Vota primaria Inſtituti. Denique etiam Conſuetudo per S. Sedem approbata poteſt habere vim Inſtituti; & ita Mendicantibus, de quibus c. un §. *Sanè.* de Rel. Dom. in 6. Pius V. Conſt. 35. 48. & 49. adnumerat Servitas, Minimos, Jeſuatos.

CAPUT IX.

Quot ſint Ordines Clericorum Regularium?

1 Primò. Alii ſimpliciter Regulares, alii ſecundùm quid tales dicuntur. Vel enim Vota non faciunt, ut in Congreg. de Propaganda, vel pro ſolo tempore commorationis. Id quod ex ſe malum non eſt, ſed de ſe utile ad Perfectionem, cum peculiari commodo liberiùs ſerviendi Deo, & majori voluntate ſuperandi difficultates in perſeverando. Facit etiam ad ſplendorem Eccleſiæ, hanc juvari tot modis vivendi Religiosè, quia æquè magna, imò major varietas eſt in hominum ingeniis; pertinétque ad ſuavitatem Providentiæ, congruè omnes vocare, quos aliquo modo ad Perfectionem ducit.

2 Secundò. Vera Religio Clericorum dividitur in Canonicos, & ſimplices Clericos. Quoad vocem *Canonicus*, ineptè calumniatur Vives, quia non unde impoſita ſit, ſed ad quid ſignificandum, attenditur: neceſſitas autem fuit determinandi æquivocum. Olim enim Canonici ſub Epiſcopo erant verè Religioſi, poſtea non; ſervatâ tamen Canoniâ, quæ eſt ſpirituale Jus, ratione cujus habet quis ſtallum in Choro Eccleſiæ, & locum in Capitulo, c. *Dilecto*. de Præb. & c. *Cùm M.* de Conſt.

Canonia autem propriè dicitur, 3 quæ habet Canonicos, & aliquo modo dignitatem Eccleſiæ Cathedralis participat, habendo verum Prælatum cum Jurisdictione quaſi Epiſcopali; ſicque Canonia Eccleſiæ Collegiatæ non competit omni Ordini Clericali; minùs verò Societati, in qua nec ſtallum quis habet, nec vocem in Capitulo. Denique origo vocis in Religione Canonicorum videtur cœpiſſe in Cathedralibus Eccleſiis; unde tanquam nomen ſpecialis dignitatis in ſtirpes reliquas derivatum eſt. Denique diviſio Clericorum in Mendicantes, & non Mendicantes conſtat ex dictis ſuprà.

CAPUT X.

An Religiones Monialium à Religionibus virorum, & inter ſe diſtinctæ ſint?

1 Primò. Inſtitutum Monialium antiquiſſimum eſt, tum ſolitarium ſeu domeſticum, tum atiam Cœnobiticum. De priore c[illegible]

conſuetudine conſecrandi Deo virgines per Votum continentiæ. De poſteriore exempla ſunt Maſſiliæ ſub S. Martha, & Alexandriæ, ut ſumitur ex Philone, & in Ægypto ſub ſorore Pachomii, locíſque aliis, de quibus Chryſoſt. Hieron. Auguſt. Conc. Elibert. ſub Sylveſtro, & Carthag. III. Licèt autem ſub tyrannis non ſemper aut facilè locus fuerit Congregationi clauſæ, tamen hæc, ubi & quando potuit, inducta eſt, juxta citatos, & c. *Perniciosam* cum aliis. 18. q. 2. & tit. de Relig. dom. & de Stat. Mon. & Trid.

2 Secundò. Regulariter d. Religiones cœptæ ſunt à Viris Religioſis, ut Pachomio, Aug. Franciſ. Domin. & ab iiſdem etiam gubernatæ, non tamen excluſo Epiſcopo. Nam tenet Regula, quòd ſicut loca ſacra, ita & Perſonæ ſacræ ſint Epiſcopo ſubjectæ, niſi conſtet de exemptione, c. *Contra morem* d. 100. c. *Omnes Baſilicæ*. 16. q. 7. Imò licèt viri exempti ſint, adhuc quædam Moniales ſubduntur Epiſcopo, vel ex Privilegio vel alio juſto titulo. Tenentur autem omnes vivere ſub Regula approbata Monachorum ſibi optatâ, quia pro feminis non eſt aliqua ſpecialiter & principaliter approbata. Poteſt tamen citra Approbationen eſſe honeſta quædam Congregatio, non tamen Religio.

CAPUT XI.

De Receptione ac Novitiatu Monialium, & Profeſſione cum Velo.

1 Primò. Receptio poſcit ſufficientiam Monaſterii ad alendam receptam. Ita c. un. §. *Sanè*, de ſtat. Mon in 6. Trid. ſ. 25. c. 3. de Regul. Pius V. Conſt. *Circa paſtoralis*. Computatur autem Dos receptæ inter reditus vel eleemoſynas loci. An Simonia circa hæc ſit, dictum eſt alibi. Conſtat etiam requiri omnia, quæ per ſe communia ſunt ſtatui Religioſo, ut conſenſus Abbatiſſæ, & Conventûs; itémque ut receptio eſt actus Juriſdictionis, conſenſus Prælati, cui locus ſubditur.

Secundò. Poſſunt & debent recipi Viduæ. Nam ſoror Auguſtini vidua, & S. Birgitta præfuére virginibus; probátque c. *Viduæ* 20. q. 1. c. *Viduas* 1. & 3. & c. *Viduæ* cum ſequentibus 27. q. 1. Imò Jure communi non prohibetur, recipi corruptas, niſi ſtatutum obſtet. Quanquam per ſe non deceat, & ideo extet Religio Pœnitentiæ, S. Magdalenæ &c. Aliquando autem 2

circumſtantia perſonæ, generis, emendationis compenſare poteſt defectum; ſicque res pendet ex prudenti arbitrio, uti quoad alias conditiones.

3 Tertiò Profeſſio poſcit conſenſum profitentis plenè voluntarium, uti etiam conſenſum Abbatis & Conventûs, & tandem Prælati. De primo conſtat ex c. *Puella*, 20. q. 1. Trid. ſ. 25. c. 16. 17. & 18. De ſecundo conſtat à fortiori ex dictis de prima receptione. Quantùm ad tertium, ſolus Prælatus eſt, in cujus manibus fieri poſſit Profeſſio, quia ſolus habet Jurisdictionem propriam. c. *Statuimus* 20. q. 2.

4 Quartò. Velum aliud eſt virginum, aliud viduarum. Sicut enim olim recèns nuptis dabatur, ita nunc ſignificantur nuptiæ cum Agno per velum; & ideo non negatur viduis, c. ult. 20. q. 1. & per multa capita 27. q. 1. Negatur autem illis, quod virginum proprium eſt, imò & vi corruptis, c. *Illæ*, 32. q. 5. quia difficulter abfuit complacentia interior; & ideo Eccleſia nòn judicat de occultis.

5 Quintò. In occultè corrupta ſuſceptio Veli virginei non continet mendacium. Nam ſolùm fit diſſimulatio, eáque juſta, cùm vera ſignificatio ſit cultus Dei per oblationem perſonæ; nec falſitas ab aliis concepta intenditur, ſed permittitur. Quiſque enim cenſetur loqui in eo foro, in quo operatur, ut conſtat de Reo negante, quod non probatur, & Judice abſolvente contra ſcientiam privatam; & Luc. 2. Joſeph dicitur *pater*, quia communiter putabatur: ergo communiter habita pro tali, rectè dicitur virgo, quia humanus ſermo non ſemper eſt ex reipsa, ſed ex humana ſcientia & exiſtimatione.

Sextò. Epiſcopus non tenetur 6 abſtinere à conſecratione d. corruptæ. Vel enim lapſum ſcit ex confeſſione, vel ex revelatione lapſæ, vel viâ aliâ? Si 1mum, obſtat Sigillum. Si 2dum, nec Jus obligat ad judicandum de re occulta, vel operandum ex privata ſcientia; nec etiam obligat veracitas; nec reverentia ſacramentalium, cùm & lapſa ſit capax benedictionis pro futura Caſtitate; & cæteris cùm caſus occultus ſit, non noceat. Si 3tium, vitare oportet infamationem feminæ, arcendo illam ſine cauſa à tanto bono.

Septimò. Occultè corrupta non 7 tenetur ponere velum virgineum. Nam ad hoc cogi, onus foret intolerabile; & nec Cenſura, nec Irregularitas ſic obligant in ſimili. Imò licèt abſit infamia, adhuc obligatio non eſt privandi ſe tanto bono ob crimen merè occultum, quia impedimentum non fertur ipſo Jure, ſed ſolùm Prælatus vetatur conſecrare corruptam. Eadémque doctrina ſupponitur à S. Tho. cùm in d. caſu vult, à conferente benedictionem loco *Virginitatis* poſſe dici *Caſtitatem*.

CA-

CAPUT XII.

De Obſervantia Monialium quoad Vota, & ſubjectionem erga Prælatos, & Regulam.

1 Primò. Conſtat de obligatione Paupertatis. Nam ut viri, ita feminæ obligantur, ſervatâ proportione. Paupertas tamen in communi non multùm convenit feminis; & ideo Innoc. III. eam remiſit S. Claræ, & Urban. V. oppoſitum præcepit cum Pio V. Conſt. 8. Greg. XIII. Conſt. 13. Unde nec renuntiare poſſunt Privilegio Trid. ſ. 25. c. 2. de Regul. nec ibi cum fundamento excipi poſſunt Capuccinæ, cùm textus agat de domibus Fratrum. Quomodo particulares uti poſſint reditibus annuis, dictum eſt ſuprà.

2 Secundò. Similiter conſtat de rigore Caſtitatis & Clauſuræ ex dictis to. ſup. Quoad ornatum, præter ea quæ vel ex natura rei, vel Jure omnibns Regularibus communi prohibita ſunt, nihil notandum venit, ut notat Gl. allegans Clem. *Quoniam.* de Vit. & hon. & c. 1. & ult. 21. q. 4. Crines autem tonderi, vel non tonderi pendet ex uſu & Statuto, quia c. *Uxoratus.* de Conv. Conjug. agit de renitentia mariti &c. Solùm ergo vetatur, ne capillis abutantur, contorquendo aut non velando ob oſtentationem.

Tertiò. Obedientia obligat reſpectu Prælati, & Abbatiſſæ. Nam immediata ſubjectio reſpectu Ponficis non convenit, quin ſaltem à Delegato regi debeat Monaſterium, maximè in Foro externo; ſícque more ordinario ſubjectio eſt ſive ad Epiſcopum, ſive ad Prælatum Religioſum. Altera ſubjectio eſt reſpectu Abbatiſſæ, non quidem quoad Jurisdictionem ſed quoad Dominativam, ſeu vi Voti. Oportet ergo, ut materia ſit honeſta, & juxta Regulam. 2, ut Abbatiſſa ſit validè electa, & confirmata. 3. Ut juxta uſum Religionis adhibeat Dominativam ad obligandum. 4. Ut gradus obligandi ſit juxta Statutum. Prælati autem erit compellere ad obſervantiam. 3

TRA-

TRACTATUS X.
De Societate JEſu

LIBER I.
De Inſtituto Societatis in generali.

CAPUT I.
Sitne Societas JEſu vera Religio; & cur hoc nomine inſignita?

1 PRimò. Conſtat, eſſe veram Religionem. Nemo enim Catholicus id negat de toto Corpore, nec negare poteſt, cùm ſit de Fide; aliàs ſine Hæreſi dici poſſet, nullam eſſe in Eccleſia Religionem, præſertim cùm etiam Tridentinum Inſtituti meminerit non ſine laude, præter tot Conſtitutiones Pontificum. Unde rurſum conſtat, d. Religionem ſpecie morali diſtingui à cæteris, tum ob finem, tum ob media appropriata, tum ob membra heterogenea, quæ requirit munerum diverſitas.

2 Secundò. Nomen Societatis JEſu rectè imqoſitum eſt d. Religioni. Quidquid enim poſt art. 1. Cenſuræ Paris. Cano l. 4. Locor. c. 2. in illud, *Fidelis Deus* &c. ſubdens; *Quæ ſine dubio Societas JEſu cùm Chriſti Eccleſia ſit, qui titulum illum ſibi arrogant, hi videant, an Hæreticorum more penes ſe Eccleſiam exiſtere mentiantur*: quidquid, inquam, hic calumnietur; conſtat, d. Inſtitutum eguiſſe nomine proprio, ut quamlibet rem particularem; aliàs humano modo ſermo de illo eſſe non poſſet. At unicum & proprium nomen eſt, quod ſufficienti authoritate datum eſt: petiit autem Fundator cum Sociis d. nomen, & impetravit à Paulo III. confirmante Gregorio XIV. ac ſtatuente, *nomen Societatis JEſu, quo laudabilis hic Ordo naſcens, à ſede Apoſtolica nominatus eſt, & hactenus inſignitur, perpetuis futuris temporibus in ea retinendum eſſe*. Igitur Cano ultra Concilium & Pontifices ſapuit, qui nihil in Formula Inſtituti, *quod ſanctum piúmque non ſit*, reperiri conſiderârunt.

3 Confirmatur, quia prior vox *Societas* rectè poſita eſt, ne ante Approba-

probationem præverteretur vox *Religio.* Significatur autem nexus Charitatis inter Socios ex tot Nationibus, Militia pro Chriſto, & Societas in negotiando pro lucris propriis & Animarum; ſicque Inſtitutum multa propria habet, in quibus fundetur appropriatio d. vocis, ut unionem ad inſtar Diſcipulorum Chriſti, imitando eorum finem, Obedientiam &c. & profitendo ſpecialem Obedientiam, & reverentiam erga Vicarium Chriſti in deteſtationem Hæreſis. Rurſus communi nomini addi debuit determinatio; ut etiam proprio nomine additur cognomen, nedum communi; aliàs nimis vagum eſſet, vel ſi antonomaſticè dicitur Religio, nimis arrogans.

4 Tertiò. Nulla eſt arrogantia in d. nomenclatione. Nam quòd Fundator noluerit ſuum nomen addi, utique arrogantiæ non eſt. Rurſus arrogantia propriè eſt, ſibi tribuere bonum, quod quis non habet; aut à ſe habere, quod à Deo habet. At d. Religio verè eſt Societas JEſu & ob unionem membrorum intër ſe & cum Capite, & ob Militiam ſub eodem Duce, pro quo Legatione fungimür, & ei cooperamur ad ſalutem proximi, *Phil.* 2. Rurſum quia totum lucrum negotiationis pertinet ad JEſum, quærendo, non quæ ſua ſed JEſu Chriſti ſunt, profeſſio vi d. vocis ſit, totum, quod habetur, haberi à JEſu. 5

Nec refert, d. nomen competere Eccleſiæ. Nam generica vox tribuitur infimæ ſpeciei, ſcilicet minimæ Societati, nec ſignificat ſpecialem excellentiam, niſi communem omni Fideli Jò. 1. Nec etiam excellentia obſtat, ſi cogit penuria vocum (an enim dici debuit *Societas Ignatii, Xaverii, Fabri, Salmeronis* &c.) & ſufficiens ratio eſt appropriandi, ut patet in vocibus *Religio, Religioſus, S. Trinitas, S. Spiritus* &c. ſimiliter appropriatis. Denique nec filia reprehenditur, cupiens inſigniri nomine matris, nec devotio aliorum cùm vocari volunt *Tereſia à JEſu, à Conceptione, à SS. Trinitate &c.* Imò etiam nomen Apoſtolorum (quod noſtris tribui cœpit in Indiis) citra falſitatem, aut magnam invidiam eſt, quia ſolùm ſignificat participationem & imitationem, quæ vi Inſtituti intendi debet.

CAPUT II.

Quid ſit finis d. Religionis.

Primò. Finis d. Religionis eſt non
1 ſolùm propria, ſed etiam proximi ſalus & perfectio. Ita formula Inſtituti laudata à Paulo III. & Iulio III. & confirmata à Greg. XIII. in Conſt. *Quanto fructuoſius*, & Conſt. *Aſcendente.* conſtátque ex Conſtitutionibus Societatis. Ut au-

autem bonitas actionis, ità & Perfectio Statûs pendet à fine, quia *ſicut principium in ſpeculabilibus, ita finis in Moralibus.* 2. Phys. 8. Idémqûe finis, ut eſt principium omnium obligationum Statûs, ita etiam forma ac differentia ejus ſpecifica. Neque ratio quærenda eſt præter voluntatem Inſtituentis, cui ſicut operanti vel artifici, libera eſt deſignatio ſcopi, quem Inſtituto præfigat.

2 Idem à poſteriori ſumitur; nam finis Statûs eſt, ad quem præcipuæ ejus operationes, mediáque ad has deſtinata diriguntur, cùm operatio ſit finis *qui*, ſeu cujus gratiâ res inſtituitur; at omnia tendunt tum ad perfectionem propriam, tum ad auxilium Animarum, ut in decurſu tractatûs conſtabit.

3 Secundò. Finis ſuccurrendi proximo, non eſt accidentarius, nec ſecundarius in d. Inſtituto, ſed principaliter intentus. Conſtat ex Bullis Pontificum, ipóque Inſtituto. Nam ut perfectio Charitatis eſt communis omni Religioni, ita cuique ſcopus ſuus proprius, ſeu opus ac miniſterium certum, ut Contemplatio, defenſio Eccleſiæ, Redemptio Captivorum &c. ergo etiam pro fine proprio haberi poteſt opus maximum Charitatis, procuratio ſcilicet ſalutis alienæ æternæ, nullum pro ea laborem detrectando. Et prima Religio à Chriſto inſtituta, eundem ſcopum habuit, Mar. 10. *Nemo eſt, qui reliquerit* &c. *propter me, & propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum* &c. *propter Evangelium*, utique annuntiandum, juxta illud: *Faciam vos fieri piſcatores* &c.

Eſtque quoad hoc clara differentia à Statu Epiſcopali; nam hic ex officio ſuſcipit curam Ovium, at Societas miniſterialiter tantùm. Dein ille dat poteſtatem, ſupponendo probitatem, ſcientiam &c. Societas autem probitatē &c. exſpectando poteſtatem delegatam; ſícque finis ejus eſt non tam prædicare, &c. quàm aptum reddere ad prædicandum &c. & expeditum ac promptum ad Miſſionem quamlibet, ſub fideli Obedientia Pontificis militando, penes quem, & vices ejus tenentem Generalem ſtat tota cura. Denique Status Epiſcopi ex ſe ſiſtit in ſalute aliena, nec per propria quidquam dat adjumenti. 4

Tertiò. Perfectio propria, ut à Societate intenditur, eſt finis ejus proprius. Sicut enim juxta Philoſophos locus materialiter idem, induit varias rationes termini formalis propter diverſitatem viæ rectæ, circularis &c. ita finis cuique Religioni communis, fit Societati proprius, quatenus eum accommodat parti alteri finis ſui, ut in victu, pœnitentiis, &c. ſícque non minuit, ſed auget Perfectionem, quia Charitas Charitati, quæ d. moderationem ſuadet, non opponitur, ſed ex omnibus operibus oritur mirabilis concentus. Similiter Obedientiam 5

ſibi

ſibi appropriat Societas, & meritò; *quomodo enim prædicabunt, niſi mittantur?* Et *neque qui plantat, eſt aliquid &c.* Neque miniſterium tam arduum exerceri pro dignitate poteſt niſi à promptiſſimo, & valde exercitato in virtute Obedientiæ.

6 Quartò. Etiam ſalus ac Perfectio proximi, ut à Societate intenditur, eſt finis ejus proprius. Patet, finem primævum Monachorum eſſe diverſum; itémque Clericorum aliorum Regularium, quia licèt ſpecialiter ordinentur ad ea, quæ Divini cultûs ſunt, non tamen ad actiones Curæ animarum. Et licèt Mendicantes alii huc extendantur, tamen differentia eſt, quia nec finis hic in eorum Inſtituto primævo ita & toties exprimitur & inculcatur, nec de eo Votum ſpeciale additur, nec totum Inſtituti pondus huc tendit, ſed valde ſecundariò, & quaſi ex abundanti. Non enim Prælati, aliíve tenentur omnia ſua diſponere, ut deſerviant proximo, ſed muniis domeſticis expletis, ſi commodè poſſunt, ex charitatis perfectione erogare quid proximo poſſunt, & vi Inſtituti debent: at Noſtri, niſi omnia ſua huc dirigant, utut ſtrenui in Perfectione propriâ, non ſatisfaciunt.

CAPUT III.

Quibus mediis Societas utatur ad d. finem?

1 Primò. Provideri debuit Societati de competentibus mediis. Ut enim ſine his non ſufficit finis perfectiſſimus, ita nec excellentia objectiva mediorum ſine aptitudine conſequendi finem re ipſâ. Igitur alia immediatè ordinantur ad proprium profectum, alia immediatè ad proximum juvandum. Prioris generis ſunt obſervantia præceptorum communium Chriſtiano cuique, communia & eſſentialia Religioſis, & quæ faciunt & ad internum Dei Cultum, & ad propriam abnegationem.

Secundò. Media ad obſervantiam Votorum 2
eſſentialium proviſa abunde ſunt in Societate. Sic pro Caſtitate facit vigilantia Superiorum, manifeſtatio Conſcientiæ etiam quoad cogitationes, cuſtodia ſenſuûm, vitatio otii, colloquii cum feminis, niſi valde circumſpecti, & neceſſarii, vel utilis; frequens uſus Sacramentorum, moderatio in victu & veſtitu. Nec dici poteſt nimium, quod fini perfectè conſequendo moraliter neceſſarium eſt, & aliunde exceſſum non habet virtuti repugnantem; ſufficítque

citque authoritas Pontificum, & Inſtituentis, præter experientiam tot irreprehenſibilium.

3 Quoad Paupertatem ſpeciale eſt Votum reflexum de ejus rigore; dein carentia redituûm (etiam pro fabrica Eccleſiæ) Anniverſariorum ſeu Capellaniarum. Rurſus quoad uſum, non admittere ſtipendium; nil recipere ad proprium uſum in victu, veſtitu &c. ita ut licentia vel nunquam, vel rariſſima fiat aliter quid habendi, quàm juxta illud: *Habentes alimenta* &c. & cum dependentia perpetua in uſu à voluntate Superioris. Quoad obedientiam, materia eſt omne præceptibile, utut arduum, & ſenſualitati repugnans &c. addito modo exequendi abſolutè perfecto, per abnegationem etiam judicii. Adde influxum Generalis immediatiorem, quàm apud alios; ſummámque ſubordinationem reſpectu propinquorum Superiorum, citra reſpectum dignitatis, antiquitatis &c.

4 Tertiò. Similiter proviſum eſt quoad propria & intrinſeca media profectûs proprii. Duplicis enim ſunt generis, cùm alia pertineant ad internam devotionem, & puritatem: alia ad ſui abnegationem continuam. Ad prius ſpectat Meditatio, Lectio, Examina conſcientiæ, Confeſſio, accurata inſtructio in ſpiritualibus, conſultatio de eiſdem, manifeſtatio Conſcientiæ, Exhortationes, colloquia ſpiritualia. Ad poſterius pertinet cuſtodia ſenſuûm, devotio in exercitiis humilitatis & Charitatis, excluſio ambitûs, vitatio electionum, diſtributione munerum pendente à ſolis Superioribus; unde ſequitur mira pax & unio Fratrum.

Quartò. Similiter proviſum eſt quoad curam proximi. Huc enim (quantùm ad actiones) directè tendunt aſſumptio ſtatûs Clericalis, miniſteria ſacra, præſertim Confeſſionis, Euchariſtiæ, Sacrificii pro Infidelibus &c. miniſterium verbi Divini in Concionibus, Lectionibus ſacris, Catecheſi, converſatione privata nunc corrigendo vitia, nunc hortando & inſtruendo ad perfectum, traditio Exercitiorum, adminiſtratio Congregationum, auxilium morientium, Miſſiones &c. 5

Alia huc referuntur per extrinſecam intentionem, ut ſtudium litterarum, ſimpliciter neceſſarium d. fini, propter doctrinam ſacram, quæ comprehendit univerſam Theologiam, Pontificum, Conciliorum, & Patrum Decreta ac Sententias. Eodem ſpectant Diſciplinæ omnes, deſcendendo uſque ad infima elementa, ſicque omnibus modis juvando proximum, quia parva non reputantur, ſine quibus magna non ſubſiſtunt. Hinc ſequitur varietas Graduûm, ut Scholaſticorum, Profeſſorum, Coadjutorum Spirituali- 6

um

um, & Temporalium, & diverſitas miniſteriorum. Denique accedunt media privativa, ut non habere Chorum, non adſtringi ad Proceſſiones, non profiteri nimiam vitæ auſteritatem &c.

CAPUT IV.

An Societas convenienter inſtituta, & approbata fuerit?

1 Primò. Societatem Spiritu S. inſpirante inſtitutam eſſe, conſtat ex fructibus. De his teſtantur *Paulus* III. Julius III. Pius IV & V. Gregor. XIII. cum aliis Pontificibus: ergo ſicut c. un. c. *Sanè* de Rel. Dom. Ordines Prædicatorum, & Minorum dicuntur approbati ob evidentem utilitatem, quam Eccleſiæ afferunt, ita pariformiter tenet conſecutio de Societate, propter utilitatem in defenſione Fidei contra Hæreticos, ejus propagatione inter Gentes, & profectu Animarum inter Fideles.

2 Fructúsque præter dictos in particulari ſunt, ſanctitas tum primorum, de quibus teſtantur *Paulus* & Julius, tum aliorum, mediante Inſtituto effecta, ut ſine arrogantia dici poteſt, quia non de particulari perſona, ſed de tota Religione agitur. Omnésque mirantur vinculum Charitatis, quod ſufficit, ut *in hoc cognoſcant omnes, quia Diſcipuli mei eſtis.* 2. Firmitas Religionis, non obſtantibus perſecutionibus innumeris, ex quibus Societas ſemper exiit purior; facítque ſententia Gamalielis Act. 5. 3. *Pro*pagatio ejusdem citra moram per Europam & ad Indos uſque, S. Patre domos centũ relinquente ſícque centuplum recipiente. 4. Sanguis multorum Martyrum. At Euſeb. Auguſt. Juſtinus, Leo, Iren. Cyprian. probant, ex ſimilibus ſignis evidenter fieri credibile, quòd Deus ſit Author Catholicæ Religionis, ut ex Sanctitate inſigni Chriſtianorum, Sanguine Martyrum, incremento ex perſecutione, unione perfectâ membrorum inter ſe & cum Capite, ex amplitudine, & quòd Duodecim non armis, ſed vi doctrinæ ſubjugârint Mundum.

Secundò. Societatem, Spiritu ſancto inſpirante, inſtitutam eſſe, probat Confirmatio Pontificum. 3
Nam hæc habet, *nihil quod pium, ſanctúmque non ſit, in d. Societate, ejúsque laudabilibus Inſtitutis reperiri*: hæc autem vim habent authenticæ definitionis & declarationis, cui falſum ſubeſſe non poſſit, quamvis propriè ſolùm cadat in ea, quæ diſtinctè fuerunt propoſita, cùm aliter fieri nequ êrit prudenter confirmatio infallibilis; ſícque reliqua, quæ virtute continentur, ſolùm intel-

telliguntur approbata, vel ut omnino neceſſaria ſunt ad veritatem diſtinctè approbatorum, vel tantùm ſecundùm moralem credulitatem, ſi connexio ſolùm eſt cum morali probabilitate. Vnde in facultate condendi ſtatuta (utique honeſta, congrua Inſtituto &c.) quæ eo ipſo *confirmata ſint*, ſignificatur clavis Juriſdictionis, non ſcientia, & ideo non dicuntur *approbata.*

4 Adde, Inſtitutum non probari merè, ut ſanctum, ſed ut utile & opportunum Eccleſiæ, ut patet ex Paulo III. & Julio III. & variis conſtitutionibus Greg. XIII. allegantis functiones Societatis *tam utiles, támque neceſſarias.* Patétque impudentia obloquentium tot Pontificibus, dum volunt, Pontificem erràſſe, dicendo Inſtitutum valde opportunum & neceſſarium (utique ad melius eſſe) Eccleſiæ. Dupliciter autem intelligitur approbatio Inſtituti, ut utilis &c. uno modo in ordine ad finem, quem intendit; altero, in ordine ad Eccleſiam, ut præter Pontifices probat tum fructus operis, tum res ipſa, conſiderato fine, & mediis, & circumſtantiis omnibus erectionis Inſtituti. Nam ad Dei Providentiam ſpectat, contra novos hoſtes Eccleſiæ excitare & præparare novos milites, ut excitavit Athanaſium, Cyrillum, Auguſtinum, Dominicum &c. contra Arium, Neſtorium, Pelagium, Albigenſes.

Tertiò. Originem d. Inſtitutum duxit à Spiritu ſancto, non modo generali & communi omnibus piis operibus. Nam inde non ſequeretur, quòd opus habeat ſpecialem excellentiam, aut quòd fuerit utiliter & convenienter inſtitutum; quia poterat eſſe ex Zelo, non ſecundùm ſcientiam; & voluntas tantùm eſſet inſpirata, non fabrica ipſa, conſequenter ut merè humana, mille periculis & erroribus expoſita. Igitur quoad ſubſtantiam Inſtituti, quæ conſiſtit in intentione talis finis, per talia media principalia, adfuit S. Patri ſpecialiſſima directio, ut ab eo, quod Eccleſiæ utile eſſet, non aberraret; imò etiam ut tam prudens & immenſum opus poſſet concipere & architectare. Licèt ergo verba dictata non ſint, ut Scriptori Canonico; res tamen ipſæ, in quibus ſubſtantia conſiſtit, ſuggeſta ſunt ſpeciali Providentiâ, quâ regitur univerſalis Eccleſia. 5

CAPUT

CAPUT V.

An Societas ſit per ſe Religio Clericorum, & quas proprietates inde conſequatur?

1 Primò. Societas per ſe eſt Religio Clericorum. Ita Bullæ, Trident. Conſtitutiones; nam Societas ex fine primario poſcit actiones maximè proprias Clerici. Hinc eidem convenit Habitus Clericalis, non Monachalis; ut in Canonicis Regularibus reprehenditur c. *Si quis* d. 30. Nec refert novitas, quia non omne novum reprehenſibile eſt, ſi novâ occaſione & convenienti ratione fit, cùm omnium Religionum Habitus fuerit novus. Et Religio Clericorum antiquiſſima eſt, quin conſtet de Habitu diverſo à Clericali: & ſicut Monachi mutant Habitum inter Hæreticos, ita ob horum contra eos odium, rectè quod offendit, omiſſum eſt in re indifferenti; ſicut & Pagani, cùm regi debeant à Clericis, magis afficiuntur ad his ſimiliores. Hæcque eſt ratio, cur etiam in cæteris Societas teneat modum vivendi communem, exemplo Chriſti manducantis cum peccatoribus. Facit c. 1. d. 41. jun. §. ult. Gratiani.

2 Secundò. Societas, licèt quoad inſtitutionem ſit Religio nova, quoad ſubſtantiam & rationem ſpecificam potiùs renovata eſt. Nam ſicut Clerici S. Auguſtini dicuntur cœpiſſe in Apoſtolis, quatenus in his per ſe incepit Religio Clericorum, retinens ex parte finem Apoſtolicæ Religionis, ita in Societate fit hujus imitatio, ut notavit Pius IV. in 1. Bulla. Sic enim Apoſtoli reliquerunt omnia propter Evangelium prædicandum, conſecrando ſe peculiariter Chriſto, ut quò vellet, eos mitteret ad ſalutem Animarum. Eadémque Obedientia poſtea Petro præſtita eſt.

Dices, plures in Societate eſſe non Sacerdotes. ℞. attendi, quod per ſe eſt, non quod per accidens; & quod ratione ſui eſt, non quod ratione alterius. Nam alii recipiuntur, ut Sacerdotes fiant, utique non antè ordinandi, quàm digni ſint. Alii perſeverant eſſe Laici; quia nec expedit, nec decet, præpediri ſpiritualia per miniſterium menſæ &c. Unde oppoſitâ ratione in Religione Monachali, quæ per ſe vi primæ inſtitutionis eſt Laicorum, ſolùm ordinantur, quantùm neceſſe eſt ad ſpirituale Regimen cæterorum. 3

CAPUT VI.

An Societas profiteatur vitam Contemplativam, vel Activam?

1 Primò, Profitetur vitam Activam. Conſtat de actionibus ſpiritualibus erga proximum; his autem adduntur etiam opera Miſericordiæ corporalis p. 7. Conſt. c. 4. §. 9. *quantum ſpiritualia, quæ majoris ſunt momenti, permittent, quantúmque vires patientur.* Cùm enim id per ſe honeſtum ac neceſſarium ſit, multúmque juvet ad ſpirituale lucrum proximi, ſecundariò & quaſi ob aliud intenditur.

2 Secundò. Profitetur Societas etiam vitam Contemplativam. Patet ex actionibus per ſe Contemplativis, ut Meditatione, Lectione &c. & ex ipſa experientiâ, quâ conſtat, evaſiſſe & evadere per viam inſtituti plures valde ſpirituales, aptóſque ad docendùm alios in via ſpiritûs. At *ſapientis eſt, poſſe docere*, ut dicitur 1. Met. 1. & nemo modos vitæ Myſticæ ſcit, *niſi qui accipit*: nec Spiritus ſanctus de Lege ordinaria utitur inſtrumento, niſi diſpoſito ad miniſterium, nec per hoc Prædicator vim habet ſanctificandi alios, niſi ipſe ſanctus ſit. Sic Exercitia vi Inſtituti tradi debent, ut fructus Contemplationis, & ut formata ſpiritu interiore; aliter efficacia non ſunt, ſed quaſi mortua, & tantùm materialiter tradita, quantùm eſt ex parte Miniſtri. Signum ergo eſt, Inſtitutum per ſe huc tendere, & per media efficaciſſima; nam quæ ſolùm aſſumuntur per occaſionem, vel ratione alterius, non ſolent tantâ diligentiâ fieri, nec cum tanto fructu.

Confirmatur, quia Perfectio conſiſtit in unione cum Deo; & illa vi Inſtituti intenditur etiam in proximo: ordo autem per ſe eſt, ut quiſque ſe priùs perficiat, quàm alios, ſícque ſibi ſimiles gignat. Unde actiones ſpirituales ad proximum, ut Concionis, colloquii ſpiritualis, traditionis Exercitiorum &c. intimè & eminenter includunt Contemplativam, ac ſupponunt; ſicut docere, ſi de Deo eſt &c. licèt in ordine ad Diſcipulum ſit actio, tamen in ordine ad objectum potiùs eſt Contemplatio. Denique Religio Clericorum per ſe tendit ad perficiendum ſe circa actiones, quæ ſunt circa Corpus Chriſti verum; aliàs ſi tantùm perficit ſuos circa actiones, quæ ſunt circa Corpus Chriſti Myſticum, ineptiſſimè eſſet inſtituta; ſícque uſu conſtat, Divina nuſquam decentiùs tractari, quàm in Societate, ut quæ, 3

cùm

cùm optimè inſtituta ſit, actiones Clericales circa proximum ab iis, quæ ad Contemplationem ſpectant, non ſeparat; quaſi effectus ſtet ſine ſuo fonte & causâ propriâ, ſed eâdem curâ & diligentiâ utriſque attendit.

Tertiò. Cum tanto negotio a-
4 ctivo ſtat perfectum otium ſanctum. Nam virtus circa difficile verſatur; & difficultas per Providentiam Inſtituti, & Gratiam Vocationis vinci poteſt, ut quæ & per ſe neceſſaria eſt etiam piè, nedum perfectè vivere volenti, & parata eſt non impedienti: principium enim moraliter certum eſt, juxta dicta p. 3 to. 2. D. 1. ſ. 2. & D. 3. ſ. 5. per ſuavem diſpoſitionem Divinæ Providentiæ dari cuique Gratiam (utique excitantem, adjuvantem &c.) accommodatam muneri per Deum inſtituto, ut conſtat de Gratia evangelizandi Eph. 3. & de Moyſe, cui trepidanti dictum eſt, *Ego ero tecum.* Eandémque Gratiam Vocationis notat Greg. XVI Conſt *Quanto*, & Conſt. *Accedente* in opere peregrinandi in Miſſionibus, quod de ſe periculoſius eſt.

Confirmatur, quia licèt difficile ſit, plura ut plura intendere, Eccli. 5
11. Luc. 10 tamen per modum unius, ut ex corpore & animo unum ſit, illa intendere, difficile non eſt: atqui principales actiones ad proximum poſcunt Contemplativam, ut animam: ergo ſicut docere & ſpeculari, ſcribere & meditari, licèt de ſe diverſa ſint, nec ſe impediunt, nec alterum ab altero redditur difficilius, ita in præſenti. Duo enim in actionibus erga proximum neceſſaria ſunt: alterum, ut fiant intuitu Divinæ Gloriæ, eóque ſemper aut frequenter referantur, juxta p. 10. Conſt. §. 2. *Quæ cum Deo inſtrumentum conjungunt, efficaciora ſunt, quàm quæ illud diſponant erga homines.* Alterum eſt, ut fiant cum actuali oratione, ſícque à Deo exſpectetur efficacia inſtrumenti. Prius horum poſcit continuam Dei memoriam: alterum licèt aliquando impediat actualem dulcedinem, ſubſtantiale detrimentum non affert, ſed auget perfectionem Charitatis.

CAPUT

CAPUT. VII.

In quo gradu Perfectionis hæc Religio conſtituta ſit?

1 Soto objicit defectum Chori l. 10. de Juſt. q. 5. a. 3. contra uſum totius antiquitatis: ergo ſi alius modus circa hujuſmodi obligationem admittitur, *certè vix nomen Religionis meretur, quippe quæ maximo ſplendore Religionis caret.* Alii defectum auſteritatis objiciunt, & conſequenter deviationem ab exemplis Monachatûs contra c. *Cùm ad Monaſterium.* de Stat. Mon. c. *Denique* d. 4. & *Carnem.* de Conſ. d. 5. ergo ut colligit Avend. in pſ. *Beati Immaculati* ver. 3. Societas valde imperfecta eſt.

Primò. Religio vi ſui Inſtituti perfectiſſima eſt, & in ſupremo or-
2 dine Religionum poſita. Nam juxta S. Thom. 22. q. 188. a 6. *ſummum gradum tenent, qui ordinantur ad docendum & prædicandum*; & ſicut Contemplativa Activam, ita Mixta utramque ex genere ſuo excedit. Dein Religio Clericorum perfectior eſt Monachali. c. 1. & 2. 19. q. 2. & S. Thom. ſuprà q. 189. a. 8. ad 2. quia Ordo Sacerdotis per ſe digniſſimus eſt, & Statum Perfectionis aliquo modo attingens, juxta Dion. & Chryſ. hom. 38. in Mat. Sacerdotes vocantem cor & ſtomachum Eccleſiæ, cùm hæc ab iis recipiat totum influxum & alimentum. Atqui Societas non in partem, ſed in totum munus Sacerdotis, non quidem ex officio, ſed miniſterialiter tantùm, ut omnes Religiones, incumbit. Denique ſupremum in unoquoque genere eſt menſura cæterorum: ſupremus autem eſt Status Epiſcopi, obligans ad vitam dandam pro ovibus: id quod vi Voti præſtat Societas, inſtituta in miniſterium S. Sedis, cujus *brachium dextrum* illam vocare dignatus eſt Clemens VIII. anno 1600.

Secundò. Societas in ordine Re- 3
ligionum non tenet gradum infimum. Nam ex confeſſione omnium finis ejus altiſſimus eſt, utpote idem cum fine Inſtituti Apoſtolici: idémque intenditur per actiones in ſuo ordine perfectiſſimas, & plures, quàm ab ulla Religione. Dein patet aſſertio ex Votorum, præſertim tertii obſervantiâ, aliiſque mediis fini valde accommodatis; nam ut dixit Moyſes Abb. apud Caſſianum, optima ratio inquirendæ Perfectionis, non in his, vel illis actionibus, ſed in diſcretione poſita eſt: major autem diſcretio prudentiæque perfectio non eſt, quàm propoſito fine perfectiſſimo, eligere media proportionata. Conſtátque de ſingulari providentia Inſtitu-

ſtituti tam in promovendo ad bonum, quàm cavendo à malis ſeu obſtaculis profectûs ſpiritualis.

4 Confirmatur ex Charitate erga proximum, tum domeſticum, tum externum: & teſtificatio illius exhibitio eſt operis, citra ullum ſtipendium præſtitæ operæ, inſtructionis &c. quærendo ſalutem omnium indifferenter, etiam Hæreticorum, Infidelium &c. Unde etiam ſtat Charitas erga Deum, quia *qui diligit proximum, legem implevit.* Rom. 17. nec Societati, cùm nullum exſpectet temporale commodum, dignitatem &c. ſupereſt, quod quærat præter Divinam Gloriam propter ſeipſam, ut eſt proprium d. Charitatis. Rurſus quia Inſtitutum ſummè arduum eſt, ſine dubio credendum eſt, propriam Gratiam Vocationis, quæ juxta menſuram muneris datur, ſingulari modo eſſe perfectam & paratam, quantùm eſt ex parte Dei, ſi diſpoſitio hominis non deſit. Hæc autem poſcit abnegationem magnam, ut nec locus, nec munus, nec quidquam aliud ſit certum & ſecurum; ſed expoſitum eſſe conveniat ad omnem mutationem & difficultatem.

CAPUT VIII.

Uſum Cantûs & Chori convenienter non eſſe in Societate.

1 Primò. Chorus ordinarius non congruit Societati. Ita S. Pater p. 6. c. 3. §. 4. quòd ejus obſervantia nec neceſſaria nunc ſit Eccleſiæ, cùm eâ abundet, nec rectè ſtet cura cum actionibus aliis Inſtituti propriis. Idem ex certa ſcientia confirmat Greg. XIII. allegans, hoc modo Inſtitutum fuiſſe approbatum à Paulo & Julio. Ratio eſt, quia d. Miniſterium vel eſſe deberet in Domo Probationis, vel Profeſsâ, vel Collegio? Non primum, quia res non fit cum decore ſine antiquioribus, nec Tirones inſtitui & exerceri debent, niſi in his, quæ perpetuò retinentur: & ideo toti occupantur in inſtructione ſpirituali, exercitiis humilitatis, abjectionis, & Charitatis; ſicque experimenta peregrinationis, xenodochii &c. per ſe obſtant Choro.

Non ſecundum, quia obſtant occupationes graviſſimæ ad proximum; 2
quæ etiam poſcunt ſtudium, & lectionem de rebus Divinis, & Conſcientiæ. Adde claram neceſſitatem ſæpe & diu, quoad poteſt, vacandi privatæ Meditationi &c. quæ utique plus, quàm Chorus, confert ad munera rectè agenda, & vitanda pericula: omnia verò ſimul conjungi, frangeret hominem; & ſingula imperfectè fierent. Non 3tium, quia etiam alii Magiſtros & Scholaſticos abſtinere jubent Choro; nec

ſtudia tam gravia & multiplicia cum fructu, quem Societas poſcit, tractari poſſunt, niſi occupando totum hominem & tempus; cùm tamen Chori labor nec levis, nec brevis ſit.

3 Secundò, Carentia Chori juxta d. Inſtitutum, non eſt res nova. Conſtat ex c. *In ſancta.* d. 92. ubi præcipit Gregorius, Diaconos &c. addici *Prædicationi*, non Choro; quia ut notat S. Thom. 2. 2. q. 91. ad 2. & 3. *nobilior modus eſt provocandi homines ad devotionem per doctrinam & prædicationem, quàm per cantum &c. &c.* Materiale autem eſt, d munus committi Diaconis &c. & formale, quòd quibus id competit, non debeant diſtrahi; & ita ſecùs eſt de Monachis, itémque de Clericis Contemplativis.

4 Tertiò, Ob Chori carentiam non poteſt Societas argui imperfectionis. Peſſimè enim dixit Soto, *vix nomen Religionis mereri*; quod contra approbationem Pontificum dictum eſt, & ſine fundamento. Nam Chorus nec eſt de ſubſtantia Religionis ut ſic, ut notat S. Thom. in Religione ordinata ad opera Miſericordiæ corporalis, Militiam &c. nec per ſe neceſſarius ſive ad ſubſtantiam conſervandam, ſive ad conſequendam *Perfectionem*; cùm Charitas multis modis perfici poſſit, nec ex Choro metienda ſit: quaſi verò Perfectio Religionis non poſſit ex aliis operibus habere ſplendorem ſufficientem, ne dicam majorem.

Confirmatur, quia nulla Religio complecti poteſt omnia Conſilia collectivè, Apoſtolis fugientibus munus miniſtrandi menſis. Nec ut ſuprà notat S. Thom. Religio, quæ majorem Paupertatem habet, eo ipſo perfectior eſt, cùm poſſit excedi in Caſtitate, & Obedientia. Duo ergo attendi oportet, an quod deeſt, congruat fini; itémque an aliunde ſuppleatur? Si enim fini non congruit, carentia non poteſt dici imperfectio privativa, ut per ſe conſtat. Rurſus nec negativa imperfectio eſt, ſi ſuppletur per occupationes nobiliores, ut Zeli animarum; qui nobilius & Deo gratius ſacrificium eſt. Denique conſtat, Contemplationi per ſe neceſſarium non eſſe, ut patet in Eremitis; ſufficítque, laudari Deum in Hymnis & Canticis ſpiritualibus, etiam privatis, cùm Chorus potiùs ſit propter publicam utilitatem Fidelium. 5

CAPUT IX.

An Societas profiteatur Religionem arctam ſimpliciter; an laxam?

1 Primò. Societas non profitetur definitum modum auſteritatis & pœnitentiæ. Ita Formula Inſtituti: *In his, quæ ad victum, veſtitum, & cætera exteriora pertinent, honeſtorum Sacerdotum communem & approbatum uſum ſequentur.* Subditque Julius III. *Nihil, quod pium ſanctúmque non ſit, in d. Societate, ejúſque laudabilibus Inſtitutis reperiri, eáque omnia ad ſuorum, & aliorum Fidelium animarum ſalutem, & fidei exaltationem tendere*: ergo etiam d. moderatio pia & ſancta eſt, & fini Inſtituti accommodata.

2 Perperámque Bannez arguit Societatem, ut Religionem imperfectiſſimam, eo quòd ejus Profeſſores delicatè vivant, nihílque à ſecularibus diſcerni videantur. Confundit autem Pœnitentiam, Auſteritatem, & Arctam Regulam, allegando c. *Quod Dei*, de Stat. Mon. Nam Pœnitentia non tantùm exercetur per Auſteritatem, ut ſignificat aſperitatem externam in tractando corpore, ſed modis aliis ſecretis, ut cilicio &c. Dein arcta Regula nec in Pœnitentiis, nec in d. aſperitate principaliter conſiſtit, ſed maximè in obſervatione Votorum, & mediis ad eam per ſe neceſſariis, ac fructibus dignis, ut in Caſtitate ſervando ſummam cuſtodiam ſenſuûm, & vitando verba, etiam quæ remotè offendere poſſunt puritatem.

Secundò. Societas vi Inſtituti uti debet pœnitentiis & afflictionibus corporis. Patet ex p. 3. c. 1. §. 12. & c. 2. §. 5. & p. 6. c. 3. §. 1. nec verba Regulæ. *Poterit* vel *poterunt* excludunt debitum Regulæ, ſed obligationem in Conſcientia. Supponítque S. Pater pro certo, id ſtudium non defore, potiorem curam habendo, ne excedant. Idem debitum univerſa Societas ſemper intellexit, docétque conſuetudo, quæ eſt optima interpres Legis. Ratióque ipſa Perfectionis d. ſenſum Regulæ poſcit, quia mortificatio corporis neceſſaria eſt ad cordis puritatem, purgando priora delicta, & vitando ſequentia, itémque ad imitationem Chriſti, humilitatem, & alios fructus. 3

Tertiò. Modus utendi vitâ communi quoad externa, ſapientiſſimè inſtitutus eſt. Conſtat exemplo & doctrinâ ſanctorum Baſilii, Auguſtini, Benedicti, Pachomii &c. nam unusquiſquis, ut ait Regula S. Benedicti c. 20. *proprium donum habet ex Deo, unus ſic, alius verò ſic.* Et Chryſ. l. 3. contra vituper 4

tuper. Mon. de quodam Juvene agens, ait, *Et quod mirabilius eſt, cæteris differre videbatur: non enim agreſtibus vel incomptis erat moribus, non comæ negligentiâ, non amictûs vilitate nobilis, ſed erat communis habitus voce, aſpectu, & cæteris omnibus. Quibus ex rebus factum eſt, ut faciliùs plurimos contubernalium intra retia ſua includeret, cùm haberet intrinſecùs incredibilem latentem ſapientiam. Denique ſi quis illum domi vidiſſet, unum ex eis putaviſſet, qui montes & deſerta incolunt: domus enim ita illi diſpoſita & parata erat, ut in nullo Monaſterii diligentiam deſideraret, nihilque neceſſarii ampliùs habebat.* Talē nempe S. Pater totam Societatem formari volebat.

5 Ratio inprimis eſt, quia medium Temperantiæ non eſt medium rei, ſed rationis; nec idem reſpectu omnium, ſed cuique proportionatum ad finem intentum, attentâ perſonæ qualitate, aliiſque circumſtantiis. Unde juxta Cajet. Regula Temperantiæ eſt neceſſitas vitæ præſentis quoad duo, ſuſtentationem naturæ quoad eſſe, & quantùm ad poteſtatem exercendi debita virtutis opera; quæ ſi impedit abſtinentia, non eſt actus virtutis. Idem docet Gregor. Baſil. Caſſian.

6 Ratio ſpecialis fuit S. Patris, quia totum pondus Inſtituti fertur in ſalutem proximi; ſicque etiam modus vivendi communis, & ratio quærendi Perfectionem propriam, eidem fini accommodatur, ut doceamur exemplo Chriſti, quod notat S. Thom. p. 3. q. 40. a. 1. & latè confirmatum eſt to. 2. in 3. p. D. 28. ſ. 1. & 3. quod alii impugnant per abuſum in magno æquivoco, quo à communitate vitæ quoad converſationem, uſum cibi &c. fit tranſitus ad vitam Chriſti pauperrimam, ſubjectam Paſſioni, morti. Nam agere eſt in poteſtate hominis, non verò pati actu (loquendo de puro homine) ſed ad Dei Providentiam & permiſſionem ſpectat; ſolúmque hominis eſt, propter nullū metum &c. omittere miniſterium pro Chriſto & Ovibus. Ut igitur finis Societatis aſſimulatur fini Incarnationis, ita etiam medium medio: conſequenter Societas argui nequit imperfectionis, ſive privativæ, ſive negativæ.

Confirmatur, quia in converſando cum aliis, neceſſe eſt illis accommodari, ut ſic conciliatis animis, converſatio effectum habeat, ſervatâ, ut ſupponitur, totâ decentiâ & temperantiâ vitæ communis. 7
Dein neceſſe eſt peregrinari quaquaverſum, ergo non addici certo generi victûs, contra illud: *Manducate, quæ apponuntur* &c. aliàs onus erit exteris. Hinc autem non deerit imitatio Chriſti quoad Paupertatem, labores, paſſiones, ut moraliter neceſſarium eſt evenire Evangelium cum dignitate prædicantibus. Id quod, ut ſæpe inculcat Regula, poſcit magnam ſui abnegationem, contemptum tempora-

pora-

poralium, deſiderium patiendi pro Chriſto; quo nihil magis neceſſarium eſt ad liberam & efficacem prædicationem &c. &c.

8 Dices, Chriſtus vitæ communi adjecit Jejunium 40. dierum, nec fuit *mollibus veſtitus*, nec ullo lecto uſus. ℞. propter magnos labores mentis & corporis, non potuiſſe regulam uniformem poni, niſi valde moderatam; quia, ut monet Trid. vitari debet frequens diſpenſatio, præſertim pro tota vita, ob ſtatum Magiſterii, Jubilationis &c. Regulâ autem ſemel ſtatutâ, qui plus poſſent, contenti eſſent: & alii aut impares erunt labori, aut ob diſpenſationem triſtes; ſicque curandis ægris, non juvandis proximis inſtituta eſſe Societas videretur.

9 Quartò. In *P*œnitentiis & Auſteritatibus rectè poſita eſt Regula viva potiùs, quàm ſcripta & uniformis. Sic in Inſtituto Apoſtolico non fuit Regula communis, ſed quiſque à Spiritu Sancto regebatur: & ita Jacobus veſte laneâ uſus eſt, secùs alii. Noſtri autem pendent ab homine, & ni petant Pœnitentias, utut ſtrenui in aliis omnibus, imperfecti ſunt; ſicque ut ſtant poſſeſſiones in communi cum paupertate ſingulorum, ita vitæ communitas cum auſteritate privata cujuſque: conſequenter differentia à cæteris Ordinibus quoad negationem Regulæ uniformis eſt; quoad uſum & exercitium *P*œnitentiarum fortè non magna; id quod bene affectis vel notum, vel per ſe credibile eſt; at malè affectis, cùm res ſecreta ſit, difficulter ſuadetur.

Ratio d. Ordinationis eſt, quia 10 ſic *P*œnitentia non *P*œnitentia tantùm eſt, ſed humilitas & obedientia, ut etiam laudant Baſil. Caſſian. Bened. Léxque viva ex genere ſuo melior eſt, Auth. de Conſulibus, § *Omnibus.* & 3. Pol. 11. & 5. Eth. c. 4. præſertim ubi facilè conveniri poteſt, & aliàs periculum eſt in Regula communi omnibus, majúſque, re cujuſque arbitrio relictâ. Unde in effectu, loquendo regulariter, omnes, quod poſſunt, faciunt; & plus volunt, quàm poſſunt; & præter ſecreta, in uſu ſunt *P*œnitentiæ publicæ, flagellationes, jejunia &c. Cautúmque eſt, non eſſe ſingularitatem, jejunare, aliis non jejunantibus. Denique multum *P*œnitentiæ eſt, aſſueſcere moderationi, præſertim rigidæ, in quantitate, & qualitate, nil privatim habere in cellis, vitare diſpenſationes pro Magiſtris &c. &c.

Notátque Baſilius, Chriſtum, 11 Moyſen, & Eliam ſemel tantùm diu jejunâſſe, in reliquo vitam communem ſecutos; quos imitandi in jejuniis &c. occaſio non deeſt tempore Exercitiorum. Solùm ergo Chriſtus vetat delicias quæri, non commoditatem decentem, & per ſe convenientem Clerico, ut notat Conſilium Mediolan. ſub S. Carolo

& Hieron. Epiſt. 2. dicens: *Ornatus & ſordes pari modo fugienda ſunt*, quia munditiès eſt valde neceſſaria pro non ſolitario; quidquid ſit de dicto Hilarionis, qui fortè locutus eſt de curioſa munditie, & Mundum redolente.

LIBER I.

De Ingreſſu in Societatem, & Probatione antecedente & ſequente,

CAPUT. I.

An rectè inſtituta ſint Impedimenta ſubſtantialia Ingreſſûs in Societatem?

1 Impedimentum, ut numerantur c. 2. Exam. & p. 1. c. 3. Conſt. ſunt 1. Apoſtaſia à Fide, error in eadem, ſuſpicio Hæreſis, & Schiſma. 2. Homicidium, vel publicè infamem fuiſſe propter enormia crimina. 3. Habitum ſumpſiſſe Religionis Fratrum, vel Clericorum. 4. Vinculo Matrimonii conſummati, vel Servitutis ligatum eſſe 5. Infirmitas unde obſcurari judicium, vel parùm ſanum reddi ſolet, aut diſpoſitio notabilis ad talem infirmitatem.

2 Quoad primum, non ſufficit Hæreſis merè interna, ut patet ex verbis: *Fidem abnegando inter Infideles*, ſufficítque, ſi ſit probabilis, licèt non publica, dummodo crimen ſit perſonæ, non Gentis, ut expreſsè notatur d. c. 3. de natis inter Schiſmaticos, vel Hæreticos: nam propriè non *recedunt à gremio Eccleſiæ*, in quo nunquam fuerunt. 2. Error in Fide poſcit ſententiam Judicis, d. c. 2. quâ ſeclusâ, ſi publicus eſt, & timetur, poſſe ad judicium trahi, Impedimentum erit impediens tantùm, quia d. c. 3. non dicitur, *non poſſe*, ſed *non debere* recipi. Idémque eſſe dicitur de *ſuſpicione*, quia verba, *Conſtat non eſſe admittendum* videntur eſſe declarativa tantùm obligationis naturalis, non conſtitutiva: ergo ſi illa ceſſat, etiam Impedimentum ceſſat; quamvis quoad hoc magnâ prudentiâ opus ſit. 3. Ad Schiſma requiritur infamia juxta textum; ſufficítque, ſi ſit facti, non Juris.

Quoad 2dum Impedimentum, requiritur culpa in Homicidio; aliàs 3
non eſſet rationabile, vóxque abſolutè ſumpta, præſertim in odioſis, idem notat, patétque ex ratione additâ *propter conſuetam multis, & communem infirmitatem*; sícque exclu-

cluditur defectus lenitatis, ſuper quo, ut in Natalibus, diſpenſari poteſt. 2. Sufficit Homicidium caſuale, quia Lex abſolutè loquens non reſtringitur ad delicta directè volita, niſi addatur *Voluntarium*, *ſcienter* &c. &c. & argumentum à licita occiſione, eſt à diverſis; ſæpéque etiam in caſuali locum habet nota, ſcandalum ac perturbatio pacis. 3. Sufficit delictum occultum; quia non additur particula *Publicè*, ut in altero membro; & verba *Qui hanc notam habuerint*, non probant, quia licèt intelligantur de infamia, Lex attendit, quod eſt ut in plurimum, ut de Irregularitate certum eſt. 4. Enormia in Jure cenſentur, quæ per ſe inducant infamiam Juris c. *In aliquo*. d. 51. ſícque conſtat ratio impedimenti (qùia munus convertendi animas quoad præſens æquiparatur dignitati) R. J. 86, in 6. c. *Inter dilectos*. de Exceſs. Prælat. Tamen ceſſat impedimentum pro locis remotiſſimis. d. c. 3.

4 Quoad 3tium non comprehenduntur Milites Religioſi, quia quoad uſum parùm differunt à ſecula ibus: éſtque declaratum in Congreg. I. can. 5. & ipsâ praxi. Secùs eſt de Sacerdotibus Ordinis Militaris. Ratio Impedimenti quoad Profeſſos clara eſt, quia Tranſitus laudabilis non eſt, niſi ob magnam neceſſitatem, vel utilitatem; & judicium de diſpenſatione rectè remittitur Pontifici. Maximè verò, quia ſemper timentur reliquiæ apprehenſionum & judiciorum diſcrepantium à noſtro modo vivendi, adeò diverſo à cæteris; ſícque refert ad pacem & charitatem, omnes eſſe ejusdem coloris. Et in Novitio ſemper eſt nota aliqua inconſtantiæ, quin neceſſe ſit, Societatem onerari in ſpecialiter probando talē.

Quoad 4tum conſtat, eſſe Impedimentum dirimens, non merè impediens, ut de Jure communi. 5
Quando autem vinculum ratum tantùm eſt, per ſe illicita eſt receptio (niſi fingas Profeſſionem ſequi poſt Novitiatum) quia conjux exſpectare deberet vel perpetuò, vel per decennium; & ideò talis, ſi repetitur, reddi debet uxori, ut in X. un. Joannis XXII. de Vot.

Quoad 5tum, ratio per ſe conſtat; nam reddit Irregularem, ut- 6
pote ineptum ad miniſteria Clericatûs. Commune autem eſt d. Impedimentis, irritare Ingreſſum, Vota ultima, & Profeſſionem, ut declarat Congr. VII. can. 16. ex p. I. c. 3. ibi: *omnino excludunt*: & c. 2. Exam. §. 6. *Cum quorum aliquo nemo in Societatem admitti poteſt.* Nec aliàs ſufficeret exſtimulatio Conſcientiæ, quæ ibidem litt. A. præcipitur: *ſi quis vera non reſpondiſſet*; quia poſſet abſolvi, niſi receptio fiat ſub implicita conditione, *ſi non ſubſit Impedimentum.* A fortiori autem Profeſſio eſt nulla, quia receptio ſolùm in ordine ad hanc irritatur; ſícque quod dicitur p. 2. c. 2. lit. B. non

B. *non eſſe æquum, ut talis in Societate maneat*, intelligitur, procurando diſpenſationem Pontificis: nam hac ſecluſâ, nec æquum, nec poſſibile eſt, eum manere verè incorporatum.

7 Colligitur, talem non ligari, etiamſi Societas illum vellet retinere. Non enim abſolutè ligatur, etiam dimiſſus, quia tantùm ſe ligavit ad hunc ſtatum: non ex d. hypotheſi, quia in contractu mutuo conditio utrinque eſſe debet æqua. Nec refert, Religionem bonâ fide egiſſe, quia nec mala fides Prælati poterat nocere Religioni per actionem obligatoriam; ergo nec reciproca correſpondet. Denique actio non fuit, niſi Traditio non acceptata; quæ nec in Donatione, nec in Matrimonio obligat ad iterandam Traditionem; ſed ſolùm ſi aliunde fraus nocuit, reſtitutio fieri debet damni &c.

CAPUT II.

De Impedimento ex defectu originis, quouſque vigeat in Societate?

1 Primò. Poſſunt condi Statuta irritantia. Eſt certa, quidquid in contrarium ſentiat Navar. Conſ. 26. de Regul. *Orta ſunt gravia dubia* de novo Impedimento poſito in Capitulo Generali Minorum. Patet facultas, loquendo in genere, ex uſu in Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, & Religionibus; quia id non fit in odium Nationis aut ſolo reſpectu nobilitatis vel ignobilitatis humanæ, ſed ex ratione pertinente ad commune bonum Eccleſiæ, & Fidei conſervationem.

2 Aliud enim eſt Jus concedens, aliud prohibens, ut neceſſariò diſtinguendum eſt in Jure naturali, juxta dicta latè lib. 2 de Legib. c. 14. quia diviſio rerum ſolùm eſt contraria negativè Juri naturæ, cùm Lex non ſit prohibens, ſicut cùm quis propriâ authoritate, alterum redigit in ſervitutem. In præſenti ergo nullum eſt Jus prohibens rejici, quos Canon non rejicit: at ſi ſtatui quid poteſt contra Jus naturæ concedens, à fortiori contra humanum, quia tale ſtatutum nec Legi, nec voluntati Pontificis opponitur, cùm ſit additio tantùm: uti fateri cogit ut cum communi Navarr. Conſ. 24. de Regul. *Quinque quæſtiones* de ætate 18. vel 22. annorum. Licèt enim de Jure communi per ſe non conveniat talis conditio Religioni in comuni, tamen convenire huic vel illi poteſt; nec ſtatuere pertinet ad Jus commune, ut vi vocis conſtat: ergo ad particulare Religionis.

Secundò. Excluſio deſcendentium per lineam aliquam ex genere 3 Ju-

Judæorum vel Saracenorum validè & licitè ſtatuta eſt. Ita ſtatuit Congreg. V. Can. 3. Eſt autem incredibile, tot & doctiſſimos & Religioſiſſimos viros caruiſſe ſcientiâ debitâ circa rem propriam, ita ut nec interrogandum cenſerent, tanquam in dubio; nec error eſt in ſtatuto, quod ſciente & tacente Pontifice, conditum eſt, & inviolabiliter executioni mandatur. Dein Paulus III. Julius III. Greg. XIII. latè poteſtatem dant addendi, alterandi, denuo condendi ſtatuta, quæ eo ipſo authoritate S. Sedis confirmata ſint. Quod verò reſpondet Nav. intelligi de ſtatutis licitis, & non contrariis canoni, petitio principii eſt, quòd deſit poteſtas.

4 Confirmatur, quia ſicut penes Religionem eſt poteſtas recipiendi, ita & reſtringendi illam in Generali in ordine ad tales perſonas, quia ſtat libertas conſentiendi vel diſſentiendi ſub certis conditionibus contractui, ad quem alter ſe offert; ſícque non fit irritatio conſenſûs perſonæ (quod forté plus poteſtatis poſcit) ſed conſenſûs Religionis. Nec refert, quòd Religio non poſſit ponere Impedimenta Canonica; quia tales ſolùm negativè, non poſitivè habiles ſunt vi Canonis, ſícque ad inhabilitandum ſufficit generalis conceſſio condendi ſtatuta. Denique non tenet argumentum à Beneficio, tum propter d. conceſſionem, quæ fortè aliis deeſt; tum quia Beneficia, ut ſunt bona communia, Jure etiam communi diſtribui debent, quin ſine authoritate Supremi Diſpenſatoris excludi quis poſſit: Religio autem ſuum proprium bonum diſtribuit, cùm recipit contrahendo. 5

CAPUT III.

Quæ Probatio antecedere debeat: & quæ conditiones ſervandæ ſint ad convenienter recipiendum?

1 Primò. Conſtat, ſciri deberé, an perſona habeat dotes naturæ & Gratiæ conſonas Inſtituto, vel defectus oppoſitos. Nil enim magis neceſſarium eſt ac debitum conſervationi Religionis, quàm recipi idoneos ad finem ejus, ut tenet S. Pater p. 1. c. 1. §. 3. & c. 2. 3. 4. & p. 10. §. 7. & omnes antiqui, Baſil. Bonav. dicens, inter cauſas Religionis à primo Spiritu deficientis eſſe, receptionem multitudinis ſine delectu. Idem traditur c. *Exiit.* §. *Verum quia* de V. S. in 6. c. *Cùm ſit.* de æt. & qual. c. *Tales.* d. 23. c. *Legimus*, d. 93.

Vel ergo perſona ſatis cognita eſt, vel non? Si non, opus eſt recti- 2

rectitudine procedendi ex intuitu majoris boni Religionis primùm, dein perſonæ; aliàs poteſt graviter peccari, vel contra Juſtitiam reſpectu Religionis, vel contra Charitatem reſpectu perſonæ, ſi pravo affectu, vel notabili negligentiâ repellatur idoneus, aut indignus recipiatur. Si eum, per ſe imprudentiſſimum eſt, ſine ulteriori inquiſitione procedere, quia vel recipitur, ut qualiscunque ſit, retineatur, etiam inutilis, & ineptus ad actiones Clericales, vel ut poſtea repellendus: quod & injurioſum eſt perſonæ, turpiùs ejectæ, quàm non receptæ, & onerosum, Religioni propter ſumptus &c. Adde ſcandala ex temeraria receptione, & frequenti dimiſſione.

3 Secundò. Receptioni convenientiſſimè præmittitur & Examen & prima Probatio. Nam quantùm ad prius, totum eò tendit, ut de tribus conſtet, capacitate naturæ, diſpoſitione habituali, actuali vocatione; ex quibus maximè pendet idoneitas perſonæ. Quia autem Superior juſtè interrogat, bellum non poteſt utrinque eſſe juſtum, ſed obligatio eſt reſpondendi verè; ſicut cùm quis in emptione equi inquirit conditiones, quæ ad rem faciunt, & in utilitatem inquirentis. Imò deceptio in re gravi, quæ perſonam prorſus inutilem reddat, irritat receptionem, ſecluſo etiam Impedimento ſubſtantiali, c. ult. de Regul. in 6. Oportet tamen, ut dolus ſit in ſubſtantialibus, juxta Nav. qui negat, ſecluſo ſtatuto irritante, nocere ſilentium morbi Gallici; eſt tamen juſta cauſa expellendi. Denique ipſum examen occaſionem dat noſcendi judicium perſonæ &c. & ulteriùs inquirendi, ſi oportet.

Quantùm ad Probationem primam hoſpitis in loco ſeparato per 12. vel 15. dies, ut traditur c. 1. Exam. §. 13. conſonat Juri c. *Si quis incognitus.* 17. q. 2. c. *Monaſterii.* 19. q. 3. c. 2. & 7. d. 38. itémque antiquis, ut Caſſiano, Benedicto, Baſilio, Pachom. Climaco, Bonav. & mori Eccleſiæ in probandis Epiſcopis, quibus ante promotionem dantur legendi Canones, juxta Syn. VI. c. 2 Auth. *Quomodo oportet Epiſcopos &c.* §. *Si detur.* Nec enim allegari poterit ignorantia, poſt lectas Bullas, Regulas &c. & ex Meditationibus, Pœnitentiis &c. conſtat de aptitudine ad contemplationem, propenſione ad aſperitatem: additúrque in Scholaſticis probatio doctrinæ & ingenii, ut laborum in aliis. Denique Confeſſio Generalis eſt optima diſpoſitio ad rem totam cum majori Gratia inchoandam, præter Indulgentias plenarias, quæ per communicationem habentur. 4

Tertiò. Convenienter deſignantur dotes requiſitæ in recipiendo. Nam inprimis attenditur idoneitas ad Religionem in genere; dein ad vitam Contemplativam, ac demum ad actiones perfectiſſimas, quæ ultra Gratiam multa dona naturæ 5

turæ requirunt. Quia verò difficilè hæc conjunguntur, & periculum eſſe poteſt in externis actionibus, præſertim Miſſionibus, moderatio requiritur paſſionum, ut hæ ſine nimia difficultate ſuperari poſſint.

6 Quartò. Rectè deſignantur defectus judicii, memoriæ, ingenii, ſi nec mediocritatem attingunt. Item obduratio judicii, quæ in omni Congregatione faceſſit negotium; devotiones indiſcretæ, ſi in conſuetudinem inveteratam abiêrunt; paſſiones aliæ difficulter domabiles; defectus diſpoſitionis actualis. Nec enim ſufficit, affectum eſſe ad Religionem in communi, niſi ad hanc ſit; alioqui nec firmitas erit, nec utilitas magna ſperari poteſt.

Quintò. Defectus aliquis non facit ſtatim receptionem illegitimam. 7 Nam aliàs hæc eſſet difficillima, cùm rarum ſit, reperiri Dotes omnes ſimul junctas: ergo ſupponitur locum eſſe judicio prudentiali, p. 1. c. 2. & 3. ubi pro Regula ponitur, an defectus aliunde compenſetur, necne? Incompenſabilis autem videtur defectus Vocationis quoad intentionem, & firmitatem; itémque aptitudinis, & docilitatis ad virtutem &c.

CAPUT IV.

An rectè, & quâ neceſſitate aſſignatum ſit biennium Novitiatûs?

1 Primò. Uſus biennii non eſt res nova, ſed renovata. Nam nec Baſilius, nec Caſſian. definiunt certum tempus Probationis; & Eſſeni biennio, Monachi Ægyptii triennio probabantur, juxta Regulam Pachomii & Auth. De Monachis, tit. 10. & c. *Monaſterii.* 19. q. 3. jun. c. 1. 17. q. 2. Gregorius enim nunc biennium, nunc unum annum poſcit pro diverſis locis, & temporibus &c. Quæ variatio eſt materialis tantùm.

2 Secundò. Congruit fini Societatis uſus d. biennii. Nam cùm duplex vita ſit, Activa & Contemplativa, mirum non eſt, duplicari annum, ut maximè probant Experimenta, quæ minori tempore vix fiunt. Et quia ſtudia ſtatim ſequuntur, poſcunt altas radices in ſpiritualibus, quæ uno anno vix guſtantur, & ideo juxta Congreg. VII. Can. 5. Juniores ſaltem alio biennio ſub majore cuſtodia continentur. Eſtque d. auſteritas, præterquam quòd à Trident. Conc. & Greg XIII. probata ſit, neceſſaria ut Religioni, ita proximo; quia miniſteria non fiunt ſine periculo, niſi

ſi ſubactis paſſionibus, & ab aſſueto ſolidis virtutibus; rurſúmque ſuppletur ſic auſteritas externa, quæ admirationem excitat, per modeſtiam & compoſitionem omnium ſenſuûm, quæ & ex virtute magis pendet, & corpus afficit intimiùs.

3 Tertiò. Annus Probationis, ut in aliis Religionibus, ita in Societate requiritur ad Profeſſionem rigorosè ſumptam. Nam Conc. Trid. ſ. 25. c. 15. de Regul. univerſaliter loquitur; nec exceptio, quæ fit cap. 16. refertur ad omnia præcedentia, nec eſt ratio excipiendi in præſenti. Unde etiam annus debet eſſe continuus & in ſe & cum Profeſſione ſequenti, ut ſit durante Probatione Scholaſtici uſque ad illum, niſi dimittatur. Dixi *Annus*: nam biennium nullibi exprimitur, ut abſolutè neceſſarium: imò tempus prorogari & contrahi poteſt à Generali (juxta p. 5. c. c. 1. lit. C.) non verò à Provinciali, qui tantum poteſt conceſſa poſitivè vel generaliter, vel in ſpeci. De Habitu ceſſat quæſtio, uti & ratio, cùm ille communis ſit: & licèt ceſſet auſteritas, non tamen probatio minuitur, ſed mundus ſic conculcari poteſt, ſtátque libertas redeundi.

CAPUT V.

De Obſervatione, experimentis, & loco Novitiatûs.

Primò. Experimentum ſeu cognitio utrinque ſumi debet, ut ex parte Novitii, ita Religionis. Ita c. 1. Exam. §. 13. nam quovis ſemeſtri denuo legenda ſunt Diplomata, Regulæ &c. non tam ad deliberandum de perſeverantia quàm ad ſingula diſtinctè prævidenda, ut efficaciùs petatur Gratia, & majore virtute ſuperetur difficultas, & ne quid ſpondeatur *ſupra virtutem.* Eccli. 8. Luc. 14. Licèt enim Deus paratus ſit dare Gratiam, tamen hominis eſt conſiderare, an ex parte ſua ſit diſpoſitus ad obtinendam vel impediendam; ſicque in omni Religione eſt neceſſaria hæc Probatio: & S. Pater c. 3. Exam. c. 4. & 5. optat, ut qui in Probatione ſunt, præſentiant Inſtitutum ſibi convenire, & virtutem ſuppetere.

2 Eâdem ratione Magiſter Novitiorum quovis ſemeſtri examinat, an facta ſit mutatio, nécne. Similiter fit Confeſſio Generalis, & datur ratio Conſcientiæ. Nec propterea hæc ſunt de ſubſtantia ſeu valore Probationis; quia nimis moleſtum & grave foret, valorem à tot circumſtantiis pendere; nec etiam verbo id indicant Conſtitutiones. Sicut autem ſimul juncta, non ſunt neceſſaria, ita nec aliquid in particulari, quia non eſt major ratio de uno

uno ; quàm alio ; ſubſtantiáque Novitiatûs eſt, ſub Obedientia Societatis vivere in ordine ad *P*robationem.

3 Secundò. In Probatione fundamenta debent poni neceſſaria virtutis pro Inſtituto. Huc enim tendunt Exercitia per menſem, tum ad veterem vitam purgandam, tum ad novam inchoandam. Facítque ea ſolitudo, ut mens magis colligatur, & aliqualis Habitus comparetur in ſpiritualibus, pateátque patientia laboris, & aptitudo ad illa. Alius menſis deputatur pro Xenodochio propter humilitatem, abjectionem, & receſſum à vanitatibus Seculi. Alius ponitur in *P*eregrinatione ſine viatico, ut aſſuetudo fiat ad incommoda victûs, lecti &c. totáque ſpes in Deo conſtituatur. Conſtat autem, opus per ſe eſſe Religioſum, Trid ſ. 25. convenítque Clerico Regulari : Superioris autem eſt, providere contra pericula per ſocium &c.

4 Simile experimentum fit in variis officiis abjectis, ut Culinæ, *R*efectorii &c. éſtque peculiari ſtudio ſervandum, quia Inſtitutum poſcit viros *verè humiles*, itémque auxilium proximi etiam in corporalibus, exemplum dando humilitatis, & Charitatis. Experimentum denique fit in doctrina Chriſtiana & miniſteriis Sacerdotalibus, ſi Novitius Sacerdos eſt. Sic enim & talentum oſtenditur, & uſu ipſo ſcitur, in quibus vita ducenda ſit, & ad eadem quaſi à puero hauritur affectio; quomodo & Dux militiæ tirones pertentat, & Chriſtus ipſe per Miſſiones intra Judæam ſuos exercuit, donec in omnem terram ablegaret.

Tertiò. Novitii rectè ſeparantur loco à cæteris. Idem laudant antiqui, ut Caſſian. Baſil. Benedictus, tum ut major reverentia ſit erga antiquos propter rariorem congreſſum; tum ne communis vita efferat tironem; tum ut puſilli nec ſcandalizentur, nec cùm rectè à ſe agi putant, ſeſe efferant; tum ne ante tempus appetant, quod aliis religioſè datur. Specialis verò ratio Societatis eſt, quia nec Domus Profeſſa, nec Collegium convenit quieti ſpirituali Novitiorum; ſícque rectiùs totum Regimen & cura tendit in unum idémque bonum eorundem, conſequenter magis proſpicitur educationi. 5

Quartò. Simpliciter neceſſarium eſt propoſitum ſaltem conditionatum moriendi in Societate Exigitur quidem omnino abſolutum p. 5. c. 1. lit. A. at ſine conditionato in ordine ad Probationem, fit fictio in re gravi, cum obligatione reſtituendi expenſas, & damna Religionis, cùm verè dici quis nequeat Novitius. Et licèt probabile ſit, id tempus non computari, tamen quia & in praxi difficile eſt & in Jure non ſatis fundatum eſt : dici poteſt, 6

ſubſequenti intentione retrotrahi Probationem; quia quod principaliter in ea intenditur, manet, ſcilicet experimentum Religionis captum eſſe. Tamen Gratiæ & indulgentiæ &c. locum in tali non habent.

LIBER III

De Admiſſione Scholarium ad Vota ſimplicia, & Dimiſſione.

CAPUT I.

Rationes dubitandi de d. Admiſſione.

1 Rationes in oppoſitum ſunt. 1. Quia Contractus non reciprocus, eſt injuſtus. 2. Non expedit, quia ſtabilis non eſt. 3. Scandalum eſt, rem ſemel Deo dicatam profanari. 4. Poſſunt eſſe fraudes ex parte ingredientis. 5. Uti ex parte dimittentis. 6. Sequitur averſio ab Inſtituto, & paucitas appetentium. Quæ quidem cum proportione applicanda ſunt ad receptos pro domeſtico labore, quia licèt Dimiſſio maxime ſit propter Scholaſticos, acceſſorium tamen ſequitur principale.

2 Primò. Neceſſarium eſt, recipi juvenes. Ita S. Pater p. 4. litt. A. quia Inſtitutum poſcit viros vitæ probitate, & litterarum eruditione idoneos ad officia ejus: at boni ſimul & eruditi pauci ſunt, ſi cum aliis comparentur, & ex paucis major pars à loboribus conquieſcere vult, cùm tamen Inſtitutum poſcat & magnos labores & magnam ſui abnegationem: ergo à juventute neceſſe eſt educari & formari idoneos, ut per ſe competit ſtatui Clericali, réſque eſt antiquiſſima, ut conſtat ex c. 5. d. 28. c. 1. 12. q. 1. ex Conciliis Lateran. ſub Alex. III. Innoc. III. Leone X. & Trid. ſ. 23 c. 18. de Reform

Secundò. Moraliter neceſſaria eſt incorporatio Scholaſtici cum Societate. Nam monſtroſum foret, ſuppoſitâ intimâ communicatione in victu, veſtitu &c. nullam eſſe unionem. Et conſtat de neceſſitate Voti Caſtitatis, uti & Obedientiæ (qualis enim eſſet gubernatio?) itémque Paupertatis, aliàs infinita eſſent incommoda. Dein dilatio privaret magnis bonis & Gratiis, cum periculo facillimæ mutationis; quis enim tanto tempore exſpectaret 3

ret ſtatum ? Et iniqua foret conditio Societatis, ſi poſſet fruſtrari expenſis & labore, ut notatur d. c. 5. ſicque omnes, qui in Seminariis Pontificis vel Epiſcoporum educantur, obligantur Voto vel Juramento ſuſcipiendi Ordines &c. Denique diſpenſationis, de qua p. 3. Conſt. c. 3. Lit. B. uſus aut rarus, aut nullus eſt; nec educatio Convictorum fit cum affectu reciproco, qui nunc eſt in Scholaſticis.

4 Tertiò. Scholaſticus obligatur abſolutè perpetuò, non item Religio; ſed quamdiu Generalis eum retinendum ſtatuerit. Differunt enim ejus Vota à Devotionalibus, & uniunt aliquo modo Societati. p. 5 c. 1. *In Corpus Societatis cooptantur*, utique ut ſumitur cum excluſione Novitiorum: ergo etiam fit receptio d. Votorum; ad quid enim aliàs poteſtas admittendi? Unde in Conſt. Greg. XIII. *Aſcendente* dicitur, quòd ſe *Societati dedicant, atque actu tradunt.*

CAPUT II.

Concluditur, licitum & ſanctum eſſe d. modum receptionis.

1 Primò. Conſtat, ex parte Scholaſtici licere d. contractum. Sufficere enim deberet approbatio diſtincta, quæ facta eſt à Julio III. & Greg. XIII. Ratio etiam clara eſt, quia ſic contrahens nec peccat contra Juſtitiam, nec contra Charitatem, nec aliam virtutem; eſt enim ſui Juris, totáque diſpoſitio ſic libera fit in obſequium Dei; éſtque ex parte excellentior, quàm Profeſſio (in reliquis enim paritas non eſt) quia fit cum majore libertate citra recompenſationem obligationis ſimiliter reciprocæ.

2 Secundò. Ex parte etiam Societatis licitus eſt d. contractus. Vel enim eſſet contra Juſtitiam commutativam reſpectu Religioſi, vel contra commune bonum, quod reſpicit Charitas vel Juſtitia Legalis? Non 1um, quia ſcienti & volenti poſt toties lectas Bullas &c. injuria non fit, ſicut ſi quis in ſervum ſe tradat, citra obligationem Domini perpetuam: nam eatenus donatio fit; eſto, dominus ex pacto implicito, vel Jure naturæ alere illum teneatur, quamdiu in ejus commodum ſervit. Et adhuc in commutatione ſtat æqualitas rei ad rem, ſi agitur majus commodum ſervientis: ſicut obligatio eſt retrovendendi, ſi ob hanc minuitur pretium; multíque contractus ſic claudicant, ut c. *De illis* de Deſpon. Impub. c. 1. de eo, q. dux. l. *Julianus* §. *ſi quis à pupillo* ff. de Act. empt. §. 1. Inſt. de Auth Tutor.

Non

3 Non 2dum, quia Charitas proprio bono, præſertim ſpirituali magis conſulit, quàm alieno: at d. modus receptionis eſt neceſſarius conſervationi Ordinis, ejúsque perfectioni, puritati, & aptitudini ac efficaciæ ad miniſteria Animarum, ut conſtat tum allegato teſtimonio, tum ipsámet experentiâ, quæ in re morali ſufficiens argumentum eſt: conſtátque per ſe, omni Corpori conferre, quòd liberari poſſit à membro inutili, vel parùm apto; & ideo poteſtas in omni Religione eſt ejiciendi *modicum fermentum* &c.

4 Confirmatur, quia ad ejectio-ctionem poſcitur incorrigibilitas; & adhuc retinetur obligatio principalis, citra commoda Religionis &c. at dimiſſio liberat à votis, & ad eam ſufficit natura difficilis vel non fida ſatis, cui committantur miniſteria: potéſtque eſſe impedimentum perpetuum, quod à volente nequeat tolli: ergo cùm obligatio non ſit ad Ordinem non promiſſum, recta Charitas ſolutionem petit. Nec refert ſequi incommoda, ut ob paupertatem Clerici: nam etiam ſequuntur in Congr. S. Joannis Evang. ubi eſt mutua ſolutio, & in omni inſtitutione humana. Quærendum autem eſt bonum Religionis & Eccleſiæ certum & gravius, permiſſo incommodo privato quod rarum eſt & incertum.

5 Tertiò Nihil cum vera probabilitate objici poteſt contra d. modum receptionis, quaſi illicitus ſit, vel minùs honeſtus. Nam ultra dicta, & refutata, falſum eſt, deeſſe ſtabilitatem, ut quæ ceſſare nequit ſine publica poteſtate; velle autem, ut ſimpliciter perpetua ſit, petitio eſt principii, de quo quæritur. Rurſus ſcandalum non eſt, ex Religioſo fieri non talem ex cauſa gravi, & raro reſpectu multitudinis; at gravius eſt, retinere operarios pravi exempli, quod vix fit ſine gravibus ſacrilegiis; minúsque malum eſt, ſecularem malè vivere; & ideo bene affecti nobis gratulantur.

Deìn propter abuſum ſuſcipientium nec Religiones Militares ceſſant, nec Monachales, nec Epiſcopatus. De internis autem nemo judicat, & timor Dei ſatis coërcet à fictione, niſi extremè perverſum: & adhuc moralia remedia non deſunt; præterquam quòd uſus nunquam videatur eveniſſe. Rurſus propter injuſtitias, quæ eſſe poſſunt in judicando, non tollitur Magiſtratus, nec Papatus &c. &c. nec fortè conſtat certò de injuſtè dimiſſo; quidquid ſit de exceſſu Zeli inclinantis in bonum Religionis: error enim ſpeculativus eſt, non practicus, & providentia humana non poteſt non falli aliquando, præſertim cùm in dubio favendum ſit Religioni. Conſtat etiam, rem geri cum gravi conſultatione, & affectum Religionis tendere ad retentionem membri, quamdiu ejus abſciſ-

abſciſſio non videtur neceſſaria ſaluti Corporis.

7 Denique timor vanus eſt de paucitate Candidatorum, nam conſtat, quantum incrementū fuerit tantillo tempore. Plus nempe trahit exemplū vitæ præſertim mutua Charitas, & totum ſpecimen vitæ Religioſæ, quàm timor dimiſſionis terreat. Et ſicut concipitur deſiderium moriendi in Societate, ita & ſpes non dandi cauſam dimiſſionum; idémque timor facit vigilare. Rurſus Vocatio ſuperat, ad ſubeundum periculum infamiæ &c. ſicut alii ſubeunt periculum vitæ; imò quilibet Novitius exponitur periculo notæ ex reditu. Paupertati denique ſubveniri ſolet, nec admittitur diſpoſitio, niſi conſtet de ſtabilitate: ſemina autem virtutis & doctrinæ ſunt majora bona, quàm ſint incommoda, quæ timentur.

CAPUT III.

An d. admiſſio conſtituat verum Religioſum?

1 Primò. Affirmativa eſt ita certa, ut ſine magna temeritate & errore negari non poſſit. Nam ex profeſſo definitur à Greg. XIII. in Conſt. *Quanto fructuoſius;* & Conſt. *Aſcendente*, dicente, *eſſe verè & propriè Religioſos*: ergo habent, quidquid ad eſſentiam Religioſi Statûs pertinet; ſicut quâ fide Chriſtum verùm hominem, eâdem credimus habere totum, quod eſt de eſſentia hominis. Sin dicas, ex Privilegio eſſe Religioſos; non ſtat additum, *non minus quàm Societatis, & aliorum ordinum quorumvis Profeſſos.* Dein vel Privilegium dat totum, quod eſt de d. eſſentia, vel non? Si 2dum, ergo non ſtat, *verè & propriè*, ſed eſt titulus ſine re. Si 1mum, cur dicuntur eſſe *ſecundùm quid* tales magis quàm alii, qui etiam beneficio Papæ habent, quod ſunt. Adde, impropriè dici Privilegium vel diſpenſationem, ubi per ſe nil conceditur contra Jus commune.

2 Alia evaſio eſt, eſſe Religioſos ex Privilegio Inſtitutivo, cùm alia Profeſſio ſit ex Jure Divino. Sed contrà eſt 1. quia de veritate Statûs, non de origine agitur; ſicut ſi Sacramenta ab Eccleſia inſtitui poſſent, tam vera eſſent, quàm alia. 2. Ab Eccleſia eſt Status Religioſus cum ſolemnitate Votorum; ergo etiam ſine iſta ab eadem eſſe poteſt, ut rectè arguit Gregor. 3. Vel ágitur de d. ſtatu, præcisè ut à Chriſto traditus eſt, vel ut determinato ad hunc, vel illum modum? Si 1mum, totum etiam in præſenti reperiri, apertè ſupponit Gregor. Si 2dum, uterque modus eſt ex determinatione Eccleſiæ, juxta

juxta Gregor. & convincitur ex c. un. de Vot. in 6.

3 Alia evaſio eſt, Societatem propter Profeſſos eſſe veram Religionem; & Scholaſticos denominari Religioſos in ordine ad conſummandum per Profeſſionem; & quia aliquo modo uniuntur Corpori. Sed contra eſt 1. quia non ſtat particula *verè & propriè*, ſi Scholaſticus non habet formam ſubſtantialem d. Statûs, ſed tantùm per denominationem extrinſecam, & analogiam. 2. Non ſtat comparatio ejus cum Profeſſis aliis, *non ſecùs, atque ipſos* &c. quia non dicitur Religioſus propter tendentiam ad Profeſſionem, ſed per ſe, propter incorporationem cum Ordine per vota ſic recepta. 3 Coadjutores non tendunt ultrà. 4. Eſſe cum aliis in Congregatione non ſufficit ad conſtituendum Religioſum, niſi unio utroſque conſtituat in vero Statu Perfectionis quærendæ; quomodo enim aliàs in Statu ſunt Religionis, aut ſine hoc Religioſi? 5. Poteſt vera eſſe Religio, licèt omnium Vota ſint ſimplicia; nec enim Scholaſtici propter concomitantiam cum aliis ſunt Religioſi, ſed vi Votorum, *quippe qui per ea ſe Societati dedicant*. ut confirmat Gregor.

4 Ratio omnium eſt, quia à Scholaſtico fit vera traditio in perpetuum Dei obſequium in Religione approbatâ, tribus Votis firmata. Senſus enim formulæ ſumendus eſt ex intentione & uſu (ut aliis Religionibus fatendum eſt) licèt abſit verbum *tradendi*; conſtátque Societas ſecundùm proprietatem ex Profeſſis, Coadjutoribus, & Scholaſticis, ſícque hi verè cooptantur in membrum ejus, & viciſſim hujus in illos jus eſt, conſequenter ſupponitur Traditio: ergo ſtat, quidquid eſt de eſſentia Statûs Religioſi, in Scholaſtico, non minùs propriè, quàm in aliis.

Vel enim obſtaret defectus immu- 5
tabilitatis, vel Solemnitatis, vel capacitas dominii? Non 1mum, quia ad rationem Statûs, ut ſic, ſufficit immutabilitas moralis, ut patet exemplo ſervitutis humanæ. Non 2dum, ut conſtat ex dictis. Non 3tium, quia ſufficit abdicari dominium quoad uſum, ſicut non obſtat vinculum Matrimonii: & quilibet modus Paupertatis ab Eccleſia approbatus ſufficit, juxta Trid. ſ. 25. c. 1. de Regular. ubi ſupponit, dari quaſi ſpecificam ejus diverſitatem; & c. *Cùm ad Monaſterium.* de Stat. Mon. agit de Paupertate Monachali, non de Regulari, ut ſic.

CAPUT IV.

Deducuntur Corollaria ex præcedente doctrina.

1 Primò. Scholaſtici ante Greg. XIII. Conſtit. *Aſcendente* fuerunt veri Religioſi. Nam d. Conſtitutio ſolùm eſt declarativa, cùm nihil addat pertinens ad ſubſtantiam Religionis, nec Pontifex de non Religioſo facere poſſit Religioſum ſine ejus voluntate. Dein in priore Conſtit. *Quanto* dicitur, *verè & propriè Religioſos fuiſſe, & eſſe.* Et in d. Conſt. *Aſcendente* additur de d. votis, *ex hujus S. Sedis inſtitutione, ac noſtra etiam declaratione, & confirmatione, eſſe verè ſubſtantialia.*

2 Similiter Paulus III. Conſt. 2. concedit, d. perſonas per Vota *aggregari Societati*; & Conſt. 4. prohibet eis tranſitum ad alios, quàm Carthuſianos. Idem vetant Pius IV. & V. addendo pœnas Apoſtatarum, & dicendo: *ſingulos eſſe & fore verè, & non fictè mendicantes*: quod intrinſecè ſupponit Religioſos, uti & Trid. ſ. 25. c. 16. de Regul. Idem convincit ratio Gregorii, quòd antè fuerit vera Traditio, firmata votis &c. ut communi omnium ſenſu habita eſt pro conſtituente verum Religioſum. Denique Votum Religionis impleri antè potuit in Gradu Coadjutoris, & in idem commutari, Privil. §. 2. & 3.

3 Secundò. Omnino infallibilis eſt d. definitio Gregorii, ita ut ſine errore in Fide negari non poſſit. Nam ſententia Pontificis eſt infallibilis certitudinis in his, quæ ad doctrinam pertinent juxta inſtitutionem & promiſſionem Chriſti; *Ego rogavi pro te Petre &c. Paſce Oves meas.* Sic enim Concilia, Pontifices, & perpetua Eccleſiæ traditio ſemper intellexerunt; de qua re latè diſt. 12. & 24. q. 1. Et pro certo habet doctrina Theologorum, & Catholicorum omnium, Pontificem in his, quæ ſpectant ad doctrinam morum, errare non poſſe.

Confirmatur, quia cauſæ majores referri debent ad S. Sedem, c. 4 *Majores.* de Bapt. c. *Damnamus* de S Trin. c. *Fideli.* eod. in 6. c. *Ad abolendam.* de Hæret. c. *Præceptis.* c. *Non decet.* d. 12. c. *Nulli fas.* d. 19. Flor. in Decr. Union. Trid. ſ. 7. can. 3. de Bapt. & ſ. 25. Decr. de delectu cibor. At valde diminuta eſſet Providentia erga Eccleſiam, ſi Pontifex in his labi poſſet; imò non poſſet juſtè cogere ſub Cenſura ad ſtandum Declaratione.

Dices, Definitionem pertinere ad particularem Religionem, imò 5 partem hujus. R. ſufficere quòd res quoquo modo pertineat ad univerſalem Eccleſiam: at Societas per totam diffuſa eſt, & ex tota fit receptio; & ſicut Inſtitutum tendit

in bonum illius, ita etiam firmitas veritatis ad id pertinentis, ut notat Gregor. proſpiciens univerſalis Eccleſiæ utilitati, *quam ex inviolato d. Inſtituto, & Religioſæ ſobolis educatione ſentimus &c.* Dein error eſſe nequit in approbanda Religione, quia toti Eccleſiæ proponitur; & aliàs ut in una, ita in omnibus errari poſſet; omniáque erunt incerta. Hinc Dicreta omnia pro aliis addita, habentur certa, ut c. *Cùm ad Monaſterium*, & c. ult. de Stat. Mon. c. *Exiit.* de V, S. in 6. Clem. *Exivit.* eod. Denique Definitio infallibilis eſt, cùm ſit an quid ſit de Jure Divino, vel humano, ut de inſtitutione Sacramentorum, præcepto Confeſſionis ante Communionem &c.

6 Replicat Adverſarius, Papam locutum eſſe, ut privatum Doctorem. Sed contrà; ergo jam concedit, definitioni Pontificiæ non poſſe ſubeſſe falſum. Dein vel prava affectio illi obſtitit, vel ignorantia verborum Pontificis, *Motu proprio, ex certa ſcientia, & ex plenitudine poteſtatis.* Primum enim excludit ſubreptionem per inſtantiam Partis, c. *Si motu.* de præb. in 6. per alterum affirmatur plena informatio; & per ultimum actio Pontificis, ut talis; nam aliter non competit d. plenitudo. Hîc autem non agitur tantùm de Jurisdictione, ſed de Clavi Scientiæ, ut per ſe neceſſariâ ad d. declarationem; quæ aliud non eſt, quàm poteſtas docendi cum aſſiſtentia ſpiritus S.

Tertiò. Totum, quod aſſerit Impugnator, temere & falsò aſſerit in præſenti. Negat Scholaſticum eſſe Religioſum, ob Jura & Doctores poſcentes Profeſſionem abſolutam. Quaſi verò ſermo illis ſit de poſſibili, & non de Statu ſui temporis; & quæ hinc excuſatio poſt d. Conſt. *Quanto*, ubique notam, & ob quam Academiæ damnârunt errorem? Interpretationes autem ſunt meræ eluſiones, imò contradictiones contra intentionem Papæ vetantis, ſcrupulum ſuper his fieri. 7

Idem falsò infert, Scholaſticum eſſe ſecularem, ſubjacere Ordinario, nullum jus Societati in eum eſſe. Nam ſequitur, etiam ſubeſſe Laicis, contra ſenſum totius Eccleſiæ. 8
2. An Novitii non gaudent privilegio Fori? 3. Si ſit traditio, quomodo nullum jus eſt Ordini, ſaltem ex Dominativa? 4. An nullum jus Pontifici in cruce ſignatos, Oblatos, Congregationes non verè Religioſas, ſed probatas, ut utiles & honeſtos modos vivendi? At conſtat, quemlibet titulum ſpiritualem ſufficere, ut perſonam Pontifex habeat pro Eccleſiaſtica, eámque eximat. 5. Nec Vota ſolemnia fiunt propriè homini, ſed materialiter; cur ergo non Simplicia?

Rurſus falsò infert, Scholaſticum poſſe tranſire ad quamlibet Religio- 9

ligionem; & ſi tranſeat ad ſeculum, abſolvi poſſe vi Cruciatæ, ab Epiſcopo diſpenſari ad Matrimonium, nec injuriam Societati facere per Apoſtaſiam. At Paulus III. expreſsè prohibet tranſitum: vel ergo ſcivit Adverſarius, vel non? Si 1mum, error fuit ante Gregor. contra poteſtatem Pontificis. Si 2dum, temeritas fuit, judicium ferre in re tam gravi ſine notitia Inſtituti. 2. Profeſſio ſequens eſt nulla, non propter Solemnitatem prioris, ſed ob Traditionem incluſam, niſi tranſitus ſit ad ſtrictiorem: nam quoad laxiorem clarè opponitur Votum ingrediendi Societatem. 3. Num vi Cruciatæ abſolvitur ſervus fugitivus; eripiens, quod donavit? præterquam quòd d. Apoſtaſiam reſervent Bullæ. 4. Num Epiſcopus facere poteſt de Religioſo non Religioſum, de Mendicante non Mendicantem; & diſpenſare non tantùm in promiſſione, ſed Oblatione & Donatione? & hæc in notoriè Exemptis?

10 Denique falsò infert, Votum in ſeculo factum commutari non poſſe in Vota Societatis. Nam meritò id damnat Greg. cùm evidens ſit, prius, ſi repugnat, juſtè ſuſpendi, etiam in Novitio; & moraliter contingit, opera in Societate etiam per unum annum, Deo gratiora eſſe, quàm opera omnia aliorum Votorum in ſeculo etiam pro tota vita. 2. Idem eſt de commutatione ablativa, ſive à vovente fiat directè, ſive ab alio homine. 3. Ipſo facto fit ſuſpenſio omnium juxta Congregat. I. can. 22.

CAPUT V.

An Profeſſio dicenda ſit d. Admiſſio?

1 Primò. Quamvis d. Admiſſio dici nequeat Profeſſio, ut ſumitur pro Traditione omnino abſoluta, & Votis ſolemnibus firmatâ; Profeſſio tamen eſt, ut per vocem ſignificatur unio ſtabilis cum Religione approbatâ. Sic enim dicitur quis profiteri militiam, magiſterium, aliúdve munus publicum &c. Et juxta S. Thom. Innoc. Abb. &c. Epiſcopus dicitur facere ſolennem Profeſſionem. Hæc de voce.

2 Secundò. Diſpoſitio favorabilis Jurium de Profeſſis, ſemper comprehendit Scholaſticos. Ita Innoc. Abb. & alii in Rubr. de Regularibus vocem *Religioſus* extendunt ad non Profeſſos: ergo à fortiori comprehendit verum Religioſum, ut expreſsè ſtatuit Pius V. & Gregor. XIII. Neque extenſio fit à ſimili, pari &c. ſed propter proprietatem Statûs Religioſi, de quo, & ſub qua ratione intendunt Jura loqui.

3 Tertiò. Idem eſt de Jure odioſo,

ſo, niſi fundetur in Solemnitate Voti, ut c. un. de Vot. in 6. Licèt enim Societas ſub expreſſam intentionem cadere non potuerit; ſatis eſt, intentionem eſſe de ſtatu verè Religioſo, quidquid ſit de materiali ſignificato. Sic in omnes cadit, quòd *Habitus non facit Monachum*, & deciſio formalis c. *Religioſo*. §. *Quamvis*, de S. E. in 6. Nec refert, quòd quibuſdam locis Conſtitutionū S. Pater neget Scholaſticum vovere in manibus cujusquam; ſolùm enim ſignificatur libertas dimittendi, & conſequenter probandi adhuc; & ideo Coadjutoris vota dicuntur recipi. Denique quòd odium Juris non comprehendat Oblatos, ideo eſt, quia propriè Religioſi non ſunt.

CAPUT VI.

Quæ Conditiones requirantur ex parte Scholaſtici, ut Vota ejus valeant?

Primò. Conſtat de anno Proba-
1 tionis, imò idem eſt de cæteris conditionibus, ſive Jure naturæ, ſive Eccleſiaſtico requiſitis ex parte Religioſi. Facítque Trid. ſ. 25. c. 15. de Regul. de anno decimo ſexto completo. Nam Decretum non pertinet ad Solennitatem Votorum, ſed ad ſtatum Religioſum conſtituendum, propter particulam, *In quacunque Religione &c.* Societas autem jam tunc extitit; nec eſt ratio excipiendi, vel certè, ſi voluiſſet, Concilium expreſſiſſet, ut cap. ſeq. Dein ſicut quoad annum Probationis fit favor Religionis, ita ætas petitur propter eundem, imò favor fit utriuſque, c. *Ad Apoſtolicam* de Regul.

Secundò. Similiter annullat d. Vo-
2 ta metus gravis, & à fortiori dolus, ignorantia vel deceptio, ſi in re gravi ſit. Fundatur enim c. 1. de his, q. vi &c. in difficultate ſtatûs. Unde etiam quinquennium ſufficit ad ratificandum actum, juxta Trid. ſuprà c. 19. Patétque ratio ex dictis. Denique Servitus, & Matrimonium Jure ſpeciali Societatis ſunt impedimentum dirimens, quin ſufficiat conſenſus Conjugis, niſi *ſervatis aliis circumſtantiis, quæ juxta ſanam doctrinam, & uſum S. Eccleſiæ ſolent obſervari*. p. 1. Conſtat. p. 1 Conſt. c. 3. lit. T.

Tertiò. Obligatio ad parentes 3
non irritat, magis quàm apud alios. Quamvis enim, ſi anteceſſit, juſta ſit cauſa dimiſſionis, adhuc quæri poteſt, an ſit obligatio ad hanc? Vel ergo jus patris cogit ad ſubveniendum, vel non? Si 2dum, ergo minùs ad dimittendum. Si 1mum, d. jus non cogit, ſi retentâ Religione ſubveniri poteſt. Et multò minor obligatio eſt tum Religionis, tum Religioſi, ſi neceſſitas ſequitur Vota, quàm ſi anteceſſit, juxta dicta in ſuperioribus. Denique an Jus Religionis, cui fortè parùm ſervitur,

vitur, exigat Dimiſſionem, judicii prudentialis eſt : unde ſi rectâ intentione, & cum mediocri diligentiâ proceditur, coram Deo non erratur.

4 De Tranſitu ab Epiſcopatu caſus non eſt moralis; & conſtat, requiri licentiam Pontificis : de Tranſitu autem ab alia Religione, conſtat ex dictis de Impedimentis. Denique quoad obligatos Ratiociniis, ſpeciale eſt Jus propter capacitatem dominii; ſícque prior impotentia non extincta, ſed ſuſpenſa tantùm eſt, donec accedat Hereditas; nec ad hanc eſt jus Societati; & ſolutio debiti præferri debet etiam Donationi piæ.

CAPUT VII.

Quæ conditiones requirantur ex parte Religionis, ut valeant d. Vota?

1 Primò. Emitti debent in Religione approbata. Ita c. ult. de Rel. dom. & c. un. eod. in 6. Unde quia *Paulus* III. vetuit in prima Bulla recipi ultra certum numerum, plures non poterant validè recipi, donec ampliata fuit conceſſio.

2 Secundò. Recipi d. *Vota* debent ab habente poteſtatem incorporandi. Nam actus eſt poteſtatis ſuperioris, quæ juxta p. 5. c. 1. eſt penes Generalem, à quo communicari poteſt, non tantùm *Rectori*, ſed etiam extraneo, ut Epiſcopo. Aliud enim eſt judicium definitivum de admittendo; aliud executio admiſſionis : illud ordinariè penes Provincialem, hoc penes Locales eſt.

3 Tertiò. Citra Judicium Capituli rectè fit d. admiſſio. Nam conſtat, Regimen Societatis eſſe Monarchicum per approbationem Pontificum; ídque ex ſuo genere melius eſt, juxta omnes *Philoſophos* & Theologos, & exemplo Inſtitutionis Eccleſiæ; éſtque minoribus incommodis expoſitum. Quâ ergo ratione in aliis *Regimen* committitur Provinciali, eâdem præſumitur, etiam hîc fidelem fore; præſertim juncto Conſilio aliorum. Sic autem ceſſant pericula affectuûm, quæ in multitudine non deſunt; nec per hoc improbatur, quod ab aliis fit. 4

Quartò. Neceſſarius eſt conſenſus liber incorporantis. Nam Traditio requirit acceptationem, nec hæc fit ipſo facto à S. Sede aut Deo; aliàs ſufficeret præſentia Prælati per vim adacti, quæ tamen materialis tantùm eſt, non uſus poteſtatis moralis, cùm hæc non applicetur ad opus, niſi ex intentione operantis: atqui poſcitur actio hominis, ut

in

in omni contractu, & actione morali.

5 Quantùm ad formam vovendi, optimum eſt, ſervari omnia, quæ præſcribunturr. De ſubſtantia autem eſſe videtur, ut non quidem tota forma verbalis, ſed quæ ad Vota & promiſſionem pertinent, exprimantur, addendo fieri illa in Societate. Quamvis autem autem neceſſarii ſint teſtes, non tamen de ſubſtantia, quia nec ex Jure naturæ, neque communi, nec ſpeciali Societatis id ſumitur.

CAPUT VIII.

An in ſcholaſtico locum habeat tacita Profeſſio ſeu Incorporatio?

1 Primò. Regulariter & per ſe, locum non habet tacita Incorporatio. Nam Probatio non habet definitum tempus, p. 5. c. 1. nec Communitatis, ſed Provincialis eſt, admittere: abſens autem & neſciens non cenſetur conſentire. Rurſus poſt biennium ſuccedere poteſt Gradus alius, quin neceſſariò præcedat Gradus Scholaſtici. Denique in renovatione Votorum coram Superiore, non admittuntur niſi jam incorporati, p. 4. c. 4. §. 5. ergo ſi Novitius, qui jam expreſsè vovit, admittitur, ex tunc habetur incorporatus, non tacitè, ſed expreſsè.

2 Secundò. Per accidens locus eſt d. Incorporationi. Patet in defectu ætatis &c. quia in Renovatione ordinaria fit admiſſio ſufficiens, & ſequitur conſenſus Religioſi per perſeverantiam&c. & internus quidem, ut ſupponitur. Rurſus quæ de quinquennio habet Trid. ſine dubio locum habent, cùm nec Concilium, nec Jus commune, nec ſpeciale Societatis excludat revalidationem, & dicta num. ſup. ſolùm procedant de prima emiſſione Votorum, & receptione.

CAPUT IX.

Quibus modis diſſolvi poſſint Vota Scholaſticorum?

1 Primò. Commutatio fieri nequit, niſi in Vota Carthuſiæ, ſecluſâ diſpenſatione. Conſtat ex Bullis, quæ plus non concedunt. Nec etiam ſequitur poteſtas diſpenſandi, ex poteſtate irritandi d. Vota, cùm nec convertantur, ut patet in in patre, marito &c. nec irritatio competat per poteſtatem extrinſecam, ſed ob conditionem in d. Votis incluſam. Imò hæc non reſpicit aliquem extra Societatem (uti-

(utique includendo Pontificem) juxta Bullas, & Conſtitutiones; vota autem fiunt juxta harum intellectum: ergo Epiſcopus circa hæc nihil poteſt, quia nec vi d. intentionis incluſæ, nec per poteſtatem ab extrinſeco datam, quæ nec ſpecialiter expreſſa eſt, nec ſub generali Clauſula continetur.

2 Quòd ſi in Profeſſione non poteſt diſpenſari, ergo nec in d. Votis; quia ut in illa, ita nec in his fit mera promiſſio, ſed traditio. Nec refert, eſſe conditionalem, quia ſtante conditione, adhuc intelligitur abſoluta, ſicut donatio alia firma eſt, ut invito res tolli nequeat; ergo licèt Epiſcopus diſpenſare poſſit in Votis, non tamen in ſtatu ipſo, conſequenter nec in Votis pluribus, & traditione. Secùs autem eſt de Pontifice, ut in Profeſſione, ita in præſenti, propter univerſalitatem poteſtatis ſolvendi, ut Greg. XIII. de facto conceſſit in Conſt. *Cùm aliàs*, tranſitum ad laxiorem: quod certè non eſt mera Commutatio Votorum; ſed quia ſimul ſtat poteſtas irritandi, minor cauſa ſufficit ad d. diſpenſationem.

3 Secundò. In Societate libertas ad dimittendum non eſt merè dominativa, quaſi pro libitu. Ita Author, cujus oppoſitum negat ſibi unquam ſatis probari potuiſſe. Nam c. 7. Exam. §. 1. dicitur: *Libera manebit Societas, nec tenebitur &c. ſi ſtudiorum tempore malè ſe gererent &c. & tunc ipſi etiam ſuis Votis ſoluti erunt.* Indicatur autem obligatiò gravis, nec ex ſola Regula vel Conſtitutionibus, quæ poſteriùs ſcriptæ ſunt, nec ad culpam obligant: at hanc indicant particulæ. *Si ſtudiorum tempore*, & *tunc*, ſeu *non aliàs*. Et c. 6. *Nec eſt injuſtum &c. quando non faciunt, quod debent &c.* Et infrà: *Neque id ſine cauſis juſtiſſimis fieri debebit.* Et p. 2. c. 2. lit. B. ſola debilitas corporis non ſufficit, niſi alter conſentiat, ſicque declarantur cit. loca Examinis.

Confirmatur, quia Paulus III. & Julius III. utuntur verbo *judicandi*: 4
at Regula eſt, cùm quid arbitrio, præſertim Prælati, committitur, intelligi de arbitrio ex prudenti judicio, conſequenter ex rationabili cauſa, juxta Barth Abb. &c. quia non committitur voluntati tantùm, ſed & poteſtati Judicis: quæ non eſt ad agendum pro ſola voluntate, ſed ſecundùm Jus & rationem; ſicque quia res in particulari eſt dubia, prudens ejus arbitrium poſcitur. Unde Greg. XIII. Conſt. *Quantò*, ait: *Quamvis ex rationabili cauſa juxta Conſtitutiones &c. dimitti poſſint.* Et in Conſt. *Aſcendente*, ait: *Nec ea ullo alio modo, quàm per legitimam dimiſſionem &c. ceſſare poſſunt*. at *legitima* non eſt, niſi ſit ſecundùm Legem.

Tertiò. Unica cauſa eſt (loquen- 5
do de ſubſequente Ingreſſum) dimittendi invitum, ſi malè ſe gerat. Nam aliud eſt loqui de antecedenti, aliud de cauſa ſubſequente Ingreſ-

greſſum : priorque ſufficit juxta c. 7. Exam. §. 2. & p. 2. c. 2. §. 3. & 5. ſi defectus fuit perperam occultatus, vel ſi innotuit quidem, ſed cum ſpe emendandi vel compenſandi; ſícque cauſa non tam præceſſit, quàm durat, magísque ejus gravitas innoteſcit : receptio autem includit tacitum pactum ſub conditione, ſi ceſſet debilitas. Quòd ſi magis abſoluta eſt, quamvis ſub d. ſpe, adhuc curatur retentio potiùs, quàm dimiſſio, ſi perſona utilis eſſe poſſit; & licèt dimiſſio fieri poſſit, ſi putatur expedire; adhuc ut juſtior ſit, agitur, ut alter renunciet Juri ſuo.

6 At pro cauſa ſubſequente requiritur defectus animæ, juxta dicta. Et ratio eſt, quia ſtatus Scholaſtici ordinatur, ut habeat omnem firmitatem, quam poteſt citra incommodum Societatis : at major libertas dimittendi repugnat d. firmitati, nec facit ad bonum ſive Religioſi, ſive Religionis; omnéſque perſuaſum habent, ſe non poſſe dimitti, ſi bene ſe gerant, nec conditio aliter intellecta rationabilis eſt. Traditio enim principaliter Deo fit : ergo ſine cauſa reſcindi non poteſt, nec ſufficit conſenſus perſonæ, quia non hujus tantùm, ſed Religionis & Dei bonum attenditur : ergo ſi pro abſoluto dominio fit dimiſſio, alter patitur vim uſurpatam contra intentionem Traditionis.

7 Alia ratio eſt, ſi perſona ſit inutilis propter morbum. Nam tunc ex parte Religionis ſufficiens cauſa eſt, at non ex parte perſonæ, utpote Jus habentis ad manſionem perpetuam. Per conſenſum tamen ejus juxta Conſtitutiones completur cauſa, quamvis nudè attendendo Vota, non ſufficeret, nec per ſe laudabile ſit, licèt ſuppoſitis Conſtitutionibus, malum non ſit.

Dices. Votum, quod fit ſub conditione, ſi pater &c. voluerit, ceſſat, ipſo nolente etiam irrationabiliter. 2. Si abſolutè vovi Religionem, & Prælatus me nolit, factum tenet : at Vota Scholaſticorum fiunt, ſi *Societas eos tenere volet.* 3. Ad irritandum non requiritur cauſa. 4. Ex parte Societatis obligatio nulla eſt, ſed tota ex parte Subditi, ut patet in manumiſſione Servi. 5. Res erit expoſita ſcrupulis, dubitationibus, ac litibus. 8

Ad 1um. ℟. Intentionem ſpectandam eſſe; illa autem in d. exemplo ordinariè refertur ad nudam voluntatem alterius. Ad 2um. ℟. Aliud eſſe, non admittere; aliud, ejicere & Vota ſolvere, nam in poſteriore non poſſunt tranſcendi limites poteſtatis, quia verbum *volendi* explicandum eſt juxta ſubjectam materiam, & Conſtitutionem. Ad 3um. ℟. Irritationem aliam eſſe omnino propriam, aliam minùs propriam. Prior non requirit cauſam, quia oritur ex inefficacia inferioris voluntatis ad ſe obligandum, niſi dependenter à Superiore. Altera ex parte materiæ ſup- 9

ponit

ponit conditionem dependentem à Voluntate alterius: conditio autem referri poteſt vel ad nudam voluntatem, vel ad regulatam juſtâ ratione, ut in præſenti tenendum eſt, niſi Scholaſticus planè æquiparetur Novitio poſt Vota Devotionalia.

10 Ad 4um. ℞. Obligationem valde rationabilem eſſe, ut ex neutra parte pro mero libitu ſolvi poſſit Traditio, cùm nec deroget libertati neceſſariæ, nec perfectioni Inſtituti; & in Bullis ac Conſtitutionibus magnum habeat fundamentum. Ad 5um. ℞. Scrupulos ſæpe oriri ex ignorantia, & dubitationes poſt factum, quando non ſatis bonâ fide actum eſt; ſin Superior bonâ fide agat, & cum mediocri diligentiâ, ac debitâ conſultatione, & judicet expedire Dimiſſionem, ceſſat dubium omne de valore. Idem eſt, ſi proceditur ſecundùm allegata, & probata cum d. diligentia, & citra temeritatem; jam enim eſt Dimiſſio *legitima*, & ex prudenti judicio, quod ſolum poſcunt Bullæ & Conſtitutiones; magnúmque incommodum foret, ſi valor penderet à ſuperveniente cognitione. Si denique temere proceſſum eſt ſine inquiſitione ſufficiente, inconveniens non eſt, oriri ſcrupulos & dubitationes.

LIBER IV.

De Votis ſimplicibus Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ.

CAPUT I.

Quale ſit Votum Caſtitatis in Scholaſticis: & an dirimat Matrimonium ſubſequens?

1 Primò. Ante Conſt. *Aſcendente.* Votum non fuit dirimens. Nec enim in priore Conſtit. *Quantò.* fit mentio de hoc, eſto definiatur, Scholaſticum eſſe verè & propriè Religioſum Dein evidentiâ facti Author, cùm Romæ Profeſſor eſſet Theologiæ, compertum habet, quantâ diligentiâ & à Pontifice & à Theologis ac Juriſtis inquiſitum ſit, an poſſit, & expediat poni d. Impedimentum; eidémque in facti contingentia evidens fuit, ſacrilegum Matrimonium Scholaſtici pro Rato habitum eſſe. Ex quibus evidens eſt, falsò aſſeri, d. Impedimentum naſci vi intrinſecâ Traditionis, cùm non referat, hanc eſſe dif-

diſſolubilem, ut patet in ſervo. Denique intellectus c. un. de Vot. in 6. ſumitur ex communi ſenſu & uſu Sapientum, qui ut legitimi Interpretes, id intelligunt de Impedimento ſimpliciter perpetuo.

2 Secundò. Impedimentum nunc dirimens eſt d. Votum. Vel enim poteſtas deeſſet, vel cauſa? Non 1um, quia ſuppoſito facto & uſu in d. Conſt. *Aſcendente*, negare poteſtatem, eſſet tribuere intolerabilem errorem in Eccleſia: cujus tamen eſt augere vel minuere Impedimenta, ut patet in Trid. & Voto Subdiaconi. Nec omne Impedimentum perpetuum eſt, ut patet in ætate minore, abſentiâ Parochi à contractu Matrimonii &c. Non 2um, quia ut priùs per Cenſuras, ita nunc per inhabilitatem occurſum eſt fraudibus; & aliàs, finitis ſtudiis in Societate, poſſet quis recedere ad Conjugem. Sic c. *Cùm ex eo*, de Elect. in 6. contra abſumptionem Patrimonii Chriſti proviſum eſt: & Pius IV. & V. providerunt contra Tranſitum ad alium Ordinem; nec in principio omnia ſtatim, quæ pro tuendo Inſtituto faciunt, comprehendi poterant.

Tertiò. Comprehendit d. Conſt. *Aſcendente* omnes, etiam tunc exiſtentes Scholaſticos. Nam inhabilitatio fit ad actum futurum, ſed tamen pro perſonis præſentibus; ſicut declaratio, quòd ſint Religioſi, ut futuros, ita præſentes reſpicit: idémque eſt in Decreto de clandeſtinitate, Impedimento conſanguinitatis, ſi nunc adderetur gradus &c. Nec ſuppoſito jam Voto, alius conſenſus requiritur, magis quàm in Voto Ordinis, per ſe loquendo; eſto, quia non voverunt, olim nec inhabiles erant ſubdiaconi. 3

CAPUT II.

An d. Vota dirimant etiam præcedens Matrimonium?

1 Primò. Ante Greg. XIII. non habuerunt d. vim dirimendi. Nam in Eccleſia nunquam viſa eſt vis dirimendi antecedens ſine vi dirimendi Matrimonium ſubſequens. Dein vel ex Jure Divino, vel Eccleſiaſtico communi, vel ſpeciali eſſet d. vis? Non 1um, ut per ſe conſtat. Non 2um, quia Trident. ſoli Profeſſioni & Votis ſolemnibus d. vim tribuit, tacitè ſic explicans Jura antiqua, cùm utuntur voce *Ingreſſûs Religionis*; ſufficítque conſuetudo (optima Legum interpres) non tribuendi vim unam ſine altera. Non 3um, quia nec Bullæ, nec Conſtitutiones mentionem faciunt, disertè declarando, Vota non eſſe ſolemnia: quo ſatis putabatur declaratum, abeſſe utramque vim.

Sec

2 Secundò, Idem eſt poſt Gregorium XIII. Nam ſolùm ait, *eos omnes ad contrahendum inhabiles facimus* &c. ergo relinquit rem, ut antè erat, arg. Joan. XXII. c. un. de Voto, Cura enim ſolùm eſt de cuſtodia Votorum, ut ſemel facta non labefactentur. Nec diſcedimus à Jure antiquo, niſi quatenus expreſſum eſt, l. *Præcipimus*, Cod. de Appell. præſertim in materia odioſa, & tangente Jus tertii, quia favor Religionis ſatis obtinetur per impedimentum contrahendi. Denique etiam alia Impedimenta non convertuntur, ut Uxoricidium, Affinitas &c. nec rectè fit illatio in his, quæ diſſimilia, imò ſeparabilia ſunt, ut patet in impedimento Ordinis.

3 Dices. 1. Matrimonium includit conditionem tranſeundi ad ſtatum Perfectionis, eámque univerſalem, juxta c. *Ex publico* c. *Ex parte.* 2. de Conv. Conjug. quæ non utuntur voce *Profeſſionis.* 2. Utrique Matrimonio repugnat d. ſtatus, ut patet in Militia S. Joannis. 3. Conſtitutiones tantùm reſiſtunt Matrimonio conſummato, c. 2. Exam. §. 4. juxta quem intelligitur p. 1. c. 3. §. 6. loquens ſimpliciter de Matrimonio, juxta Declar. niſi accedat conſenſus conjugis: quod non poteſt intelligi de Rato; eſſet enim onus uxoris. 4. Pius V. concedit Scholaſticis omnia Privilegia aliarum Religionum.

Ad 1um. ℟. Statum Perfectionis de ſe non ſufficere, ut patet de Epiſcopatu, & ante Gregor. Jura autem ipſo uſu explicata ſunt. Ad 2um. ℟. Diſparitatem claram eſſe d. Militiæ; nam Vota ejus ſolemnia ſunt, & ſimpliciter perpetua, cujus oppoſitum ſemper declaratur in Votis Scholaſticorum. Contra morem autem Eccleſiæ eſt, ſolvi ab uno Matrimonio, & ex cauſis ordinariis poſſe inire aliud. Ad 3um. R. Retorquendo, ut priora pro tempore ante Gregor. Conſtitutiones autem ſilent de hoc effectu, & tacitè negant, aſſerendo Vota eſſe ſimplicia, & non perpetua. Ad 4um. R. Denuo retorquendo. Loquitur autem Pius, non de conditionibus Voto annexis, ſed de Privilegiis, quæ conceduntur perſonis; nec etiam agit de diſpoſitionibus Juris communis, alienis vel repugnantibus peculiari Inſtituto Societatis. 4

Tertiò. Matrimonium Ratum eſt impedimentum impediens, non tamen abſolutè, ingreſſum Societatis. Poteſt enim Societas diſpenſare, & ſtatim poſt annum Probationis, addito bimeſtri, admittere ad Profeſſionem. Nemo autem poteſt ſtatum cœlibem profiteri, niſi ſervando, quæ de Jure ſunt circa uxorem, ut patet in ſuſceptione Ordinis Sacri; & illa non poteſt cogi ad exſpectandum ultra tempus Jure definitum. Confirmátque uſus, 5

quia nemo ſic ligatus recipitur, ſupponendo, non poſſe ſolvi vinculum ſine Profeſſione: cauſæ autem ad feſtinandum in Profeſſione, & abrumpendo biennio Probationis, debent eſſe graviſſimæ.

CAPUT III.

Quibus mediis Societas juvet ad obſervantiam Voti Caſtitatis?

1 Primò. Media interna plura ſunt. Ut 1. oratio frequens, ac per ſe neceſſaria pro d. dono impetrando Sap. 8. & meditatio rerum ſpiritualium, quæ timorem & amorem Dei generat. 2. Quia Deus hominem homini ſubijcit, non daturus fortè Gratiam ſpernenti id medium; poſt Divinum non eſt medium utilius, quàm recurſus ad Superiorem, Confeſſarium, vel *Præfectum* Spiritûs, qui juvet ad ſuperandum difficultates, ſuppoſitâ manifeſtatione occultorum, de qua c. 4. Exam. § 34 & p. 3. c. 1. §. 12. & Reg. 13. de Diſcret. Spir. Compenſat enim Deus humilitatem, & obedientiam. 3. Confert maximè uſus Sacramentorum, cui utique tanta puritas & caſtimonia, quanta per Dei Gratiam in Scholaſticis & Operariis Societatis cognoſci poteſt manifeſtiſſimis indiciis, tribui debet.

2 Secundò. Media externa ad d. obſervantiam plura ſunt, ut 1. maceratio corporis, maximè quoad abſtinentiam cibi & potûs, ut notat S. Thom. in diminutione quantitatis potiùs, quàm qualitatis, ut materialis radix pravorum motuûm tollatur. 2. Labor, juxta Aug. ſerm. 17. ad Frat. in Eremo: *Quid otioſe facere potes, niſi opera carnis?* Facit. c. *Nunquam* de Conſ. d. 5. 3. Modeſtia ſenſuûm. Job. 31. & Gratian. 32. q. 5. 4. Vitare conſortia feminarum tam per colloquium, quàm per litteras. c. *Volumus.* cum aliis d. 81. 5. Cavere omnem nimiam familiaritatem, & ſingularem ac humanam amicitiam, præſertim inter juvenes, Baſil. in Aſcet. ſerm. 1. *Juvenis ſive ætate, ſive animo fueris, æqualium tuorum conſuetudinem defugito, ab illiſque te non ſecùs, atque ab ardentiſſima flamma contine.* 6. Juvat Superior, cùm quiſque de his, quæ ad correctionem pertinent, illi ut patri denuntiat.

CAPUT IV.

An Votum Paupertatis reddat Scholaſticum incapacem dominii?

1 Primò. Non reddit inhabilem. Nam Impedimentum non contrahitur ſine adminiculo Juris, juxta dicta tom. ſup. & in præſenti decla-

claratur in d. Conſt. *Aſcendente*: unde nec Coadjutores eſſent inhabiles, niſi Conſtitutiones per S. Sedem approbatæ, id adderent Voto. Nec hoc obſtat ſive retentioni, ſive etiam acquiſitioni dominii, ſi ſit cum conſenſu Superioris; quia non obligat ultra intentionem, nec etiam acceptatur aliter, ut expreſſit Gregorius.

2 Secundò. Obligat d. Votum & ad abdicationem pro tempore per Superiorem deſignato, & ad non utendum re aliquâ, ut propriâ. Sicut enim in Voto ingrediendi Religionẽ tempore per alium deſignando, non eſt opus præcepto, ſed deſignatione, ita in præſenti. Unde licèt Declarationes circa Votum non obligent vi Regulæ, declarant tamen intentionem, & conſequenter obligationem Voti; ſícque graviter obligant; & ideo acquiſitio ſine voluntate Superioris, eſt uſus rei ut propriæ: at retentio non poſcit actum novum, ſed licita eſt, quamdiu non prohibetur.

3 Dices. Capacitas dominii non ſtat cum ſtatu Religioſi, ut qui Mundo mortuus eſt: mortui autem nulla eſt actio, ut dixit Arſen. 2. Magìs obſtat retentio, & acquiſitio dominii; *Niſi quis renunciet omnibus*, & c. *Cùm ad Monaſterium.* c. *Monachi.* de ſtat. Mon. Ad 1um. R. Incapacitatem non eſſe de eſſentia d. ſtatûs, ut nec Voti ſolemnitatem. Et perfectio pendet ex his, quæ voluntati ſubſunt, ut non habendo rem, ut propriam &c. quia dominium non refert, ſi non redundat in actum. Unde Arſenius rectè intelligitur de morte interna potiùs, quàm effectu Civili (qui tunc fortè non fuit) & de agente ſe ſine movente extrinſeco, ut Noſtri jubentur eſſe inſtar cadaveris; aliàs diſtributio in pauperes utique licuiſſet, nec Senator inſtituens eum hæredem, ignoravit Legem, ſi qua fuiſſet.

Ad 2um. R. Non obſtare juxta definitionem Greg. XIII. & Pii V. ſæpius repetentis, Scholaſticum eſſe Mendicantem. Paupertas autem metienda eſt ex fine, & juxta hunc, quantùm eſt ſtatus acquirendæ Perfectionis, nil deeſt; quia Votum tollit ſolicitudinem, occaſiones, & pericula ejus, transferendo affectum à temporalibus ad ſpiritualia: ergo ſicut non obſtat dominium in communi, ita & hîc ſtat. *Ut qui habent, tanquam non habentes ſint &c.* Et juxta Carthuſ. magis nocet Religioſo uſus peculii ſine proprietate, quàm proprietas ſine uſu. 4

Adde exemplum tum S. Malchi, ad patriam redeuntis pro Hæreditate diſtribuenda inter pauperes, & Hier. Ep. 26. mittentis fratrem ad vendendum patrimonium pro ædificando Monaſterio. Jura autem agunt de Monachatu, de cuius eſſentia eſt ſolemnitas Voti, vel certè de proprietatis uſu, cujus conceſſio, utpote irrationabilis, ſtante Voto, ſemper irrita eſt; ad quid enim ceſſet de- 5

de-

dependentia etiã à Pontifice? Similiter Scholaſticus ligatur Voto abdicandi dominium, nec in id cadit diſpenſatio. Imò à Novitio exigitur promiſſio abdicationis irrevocabilis c. 4. Exam. §. 1. propter majorem ſtabilitatem, & ob doctrinam Chriſti: *Vade & vende &c.* Qui actus eſt magnæ liberalitatis anticipatæ, & fiduciæ, quamvis propter incommoda, quæ ſequi poſſunt, non concedatur executio, niſi cognitâ ſtabilitate.

CAPUT V.

Quomodo vi Regulæ bona diſtribuenda ſint.

Primò. Injungitur Scholaſtico diſtributio Religioſa. Patet ex c. 4. Exam. §. 2. Penes ipſum enim eſt Jus diſtribuendi, quia aliud non expediebat ad majorem puritatem & paupertatem Religionis. Porro Conſilium Chriſti eſt, ut detur pauperibus; nec aliud eſt materia Conſilii, aut Voti: ceſſat autem ſic vel minuitur affectus carnis (*ſi quis non odit patrem &c.*) & fiducia in carne, & periculum inordinatæ diſtributionis; idémque inculcat Baſil. & Regula S. Benedicti c. 58. & ita tunc Religio non ſucceſſit ipſo Jure. Quòd ſi conſanguineis propter indigentiam diſtributio fit, vel ob vitandum ſcandalum, rixas, inimicitias &c. injungitur, ut audiatur conſilium prudentûm, accedente confirmatione Superioris, ut vitetur periculum errandi; idémque optimè ſuaſit *Baſilius.*

Secundò. Si diſtributio non fit Conſanguineis &c, relinquitur devotioni propriæ, utique ſi debitis Juſtitiæ ſatisfactum eſt, ut quàm citiſſimè fieri jubetur. Donari ergo etiam Societati poteſt, ut in ſimili notant S. Benedictus, & S. Franciſcus, & refertur in Clem. *Exivit §. Cæterùm* de V. S. cum addito, ne ad id inductio fiat; & S. Pater ait: *Motus ſuâ devotione.* Quod non obſtat, quin Societas, ſi verè eget, neceſſitatem proponat, rectéque aliis præferatur, qui magis ſpiritualiter conjunctus eſt, cæteris paribus, juxta S. Thom. Tamen moderatio injungitur, ut à Congreg. II. can. 3. & Congreg. III. can. 3. & 4. & in Reg. Provincialis c. 10. ubi vetatur, ne donata cum rigore exigantur, ſed cum ædificatione & Charitate, & potiùs per externos Procuratores, quàm noſtros, & ut ex his eleemoſynæ fiant in pauperes loci &c. Sicque, quidquid Mundus dicat, diſtributio & à pauciſſimis & parciſſimè fit.

CAPUT

CAPUT VI.

Quomodo vi Voti bona diſtribuenda ſint?

1 Primò. Scholaſticus vi Voti tenetur in his non uſurpare uſum proprietarium, ſeu omnino propriâ voluntate, & non ſecundùm Regulam vel voluntatem Superioris. Ita Conſt. Greg. *Aſcendente*, ibi: *Neque ullâ re tanquam propriâ ſine Superioris facultate uti poſſunt.* Additur, debere in communi vivere, & ſolùm ex communibus bonis, aut tanquam communibus. Id enim ad minimum poſcit Paupertas ſufficiens ad ſtatum Religionis; conſequenter vi Voti obligatio eſt; aliàs ut Novitius, poſſent vivere de ſuo.

2 Secundò. Contra d. Votum eſt, ſua diſtribuere, vel iis ſe abdicare ſine Superioris facultate. Ita Congr. V. can. 7. ſicque vi Voti voluntas ſeu facultas Superioris eſt conditio neceſſaria, ut patet in diſtributione non piâ; nam eo ipſo eſt uſurpata, quia Votum non fit cum addito tantùm affirmativo dandi, ſi Superior cenſuerit, ſed negativo, niſi annuerit quoad Conſanguineos. Idem eſt de diſtributione pia, quia Congregatio non diſtinguit, quamvis Superior nil præſcribere poſſit quoad ſpecificationem, nec etiam obligare ad dandum Societati, quia non eſt apta materia Regulæ, & præter finem Societatis. Imò Congr. II, & III. negant acceptari poſſe niſi pro Provincia, in qua bona continentur, addendo, ſi alter nolit, *teneatur ipſe ea in veros Chriſti pauperes extra Societatem diſpenſare.*

3 Tertiò. Alienatio aliter facta tenet, quamvis infirma ſit. Nam neque Jure communi irrita eſt, neque ſpeciali Societatis, neque ratione Voti aut promiſſionis. Quòd ſi diſtributio occultè fit inter pauperes, impotentia facti eſt, quæ non mutat Jus; & licèt cooperatio vel inductio ad actum inordinatum, ſit contra obedientiam vel Religionem, tamen quia abeſt injuſtitia, & defectus ſubſtantialis impediens translationem dominii, non obligat ad reſtitutionem.

4 Quartò. Etiam conditio teſtamenti valida eſt, & per ſe loquendo, licita. Non enim efficacior voluntas requiritur, quàm ad alias diſpoſitiones; nec hæ propter malitiam contra Obedientiam vel Religionem ſunt ipſo facto irritæ, niſi ex parte materiæ contineant injuſtitiam vel nullitatem. Dein ſtat intentio, ut res ſubijciantur voluntati Superioris, aut teſtamentum rumpatur, ſi priùs injungitur abdicatio: ergo non fit uſurpatio Juris proprii, ſed manifeſtatio tantùm voluntatis.

5 Quòd ſi urget periculum mortis, abſente Superiore rectè conditur Teſtamentum pium (utique cum ſubordinatione ad ejus voluntatem, & committendo, ut mutet mutanda juxta Regulam) ad impediendam ſucceſſionem ab inteſtato. Jam enim habetur voluntas præſumpta Superioris, ſicque diſpoſitio proprietaria non eſt. Idem eſt, ſi cum ſimili ſubordinatione inſtituatur Conſanguineus, ſecùs autem, ſi abſolutè, quia Teſtamentum rumpi poteſt propter ſubjectionem & Obedientiam, non tamen alius inſtitui, quia Superior non habet Jus in bona, ſed ſolùm Jus deſignandi materiam, modum, tempus, & Jus dandi facultatem: quæ ſi deſit, poteſt actus rumpi, ſicque ſequi ſucceſſio ab inteſtato. Quod maximè procedit de diſpoſitione non piâ & abſolutâ; nam in pia facilè præſumitur ratihabitio Superioris: in alia verò vix abeſt ſcandalum, & ſpecies uſûs proprietarij in re gravi.

CAPUT VII.

Ad quem uſum Paupertatis obligentur Noſtri vi Voti?

1 Primò. Quantùm ad uſum negativum, varia prohibentur, ut 1. privatim poſſidere (etiam poſſeſſione facti) quod ad cibum & potum ſpectat. 2. Privata cuſtodia & uſus donatorum alicui. 3. Retentio veſtium, demptis neceſſariis ad actualem uſum. 4. Peculium librorum, dempto ſummario Regularum, Thom. Kemp. &c. Bibliis & Summulâ Caſuûm &c. quomodo enim Doctores ad Miſſiones expediti erunt ſine Viatico? 5. Nil habere obſeratum clavi. 6. non admittere ſtipendium miniſterii ſpiritualis, aut ad id licentiam dare, c. 1. Exam & p. 4. c. 7 & 15. p. 6. c. 2. p. 10. §. 5. Conſonátque c. *Paſtor.* c. *Si quis Sacerdos*, c. *Clericos*, cum aliis 1. q. 2.

2 Conſtat enim rem ex genere meliorem eſſe, & materiam Voti, & valde conſonam fini noſtro, quia quo liberalius, eo gratius proximo miniſterium eſt, majoriſque ædificationis. 2. Non poſſunt Noſtri niſi quæſtum pietatis ſpectare. 3. Exemplo fuit Paulus, ne offendiculum præberet inter Gentes, & ut amputaret aliis occaſionem lucri. 4. Si perfectionis eſt, ex patrimonio, non ex ſtipendio, vivere; ergo multò magis nil habere, & vel mendicare vel ſolùm in eleemoſynam oblata admittere. Quod etiam notat Cord. q. 15. ad c. 4. Reg. Recollectorum, dicens: Maxima Ordinis & puritatis Regulæ jactura ſub prætextu Miſſarum & eleemoſynarum, Diabolo procu-

rante, & hominum fragilitate, cupiditate, & ignorantiâ introducta eſt.

3 Secundò. Quantùm ad uſum poſitivum, ordinantur varia. Ut 1. Ut ratio veſtitûs &c. ſit pauperibus accommodata. 2. Ut aliquando etiam effectus Paupertatis ſentiatur, ſícque probetur virtus, & ſui ipſius abnegatio, & quisque ſciat & abundare & penuriam pati. Nec obſtat Trid. ſ. 25. c. 2. de Reg. volens, nihil neceſſariorum deeſſe, utique regulariter tantùm. 3. Ut Profeſſus paratus ſit ad mendicandum; ita enim poſcit Votum Miſſionis ſine Viatico. 4. Ut idem præludium fiat ante Vota; ſícque conſtet ratio Profeſſionis, atque experimentum Novitii. Quæ in præparatione animi conſiſtit magna perfectio Paupertatis, juxta S. Thom. 2.2. q 184. a. 7. ad 1. & ideo Pius V. Noſtros omnes declarat verè & propriè Mendicantes. Denique ad uſum negativum pertinet non mutuare ſine facultate Superioris, quia ſolùm datur uſus facti, uſuarius autem non poteſt propriâ authoritate mutuare.

CAPUT VIII.

Ad quem uſum Paupertatis obligentur Noſtri vi Voti?

1 Primò. Non permittitur ulla proprietas (demptis Scholaſticis) nec ullus uſus rei ut propriæ, ſeu ſine licentia tacita vel expreſſa. Conſtat ex dictis to. ſup. uti etiam, quæ ſit materia gravis, cùm nihil in hoc peculiare ſit, Societati. Regulariter, ſi res accipitur tantùm ad brevem uſum, grave non eſt; ut mutuò accipere libros, manuſcripta &c. niſi ex tali uſu graviter lædatur Religio; ſícque major regulariter culpa eſt mutuò dare Seculari, quàm ab eo recipere, quia is periculo ſe exponit, & dominus eſt. Sed in his & aliis arbitrium prudens neceſſarium eſt conſiderando, quid communi æſtimatione Societatis habeatur grave. Cavendum autem eſt Noſtris, ne ſe his arbitriis exponant, vitando etiam in minimis uſum proprietarium, vel ſaltem non ultra materiam minimam & vulgarem.

Secundò. Suppoſitâ licentiâ, in 2
quatuor primis obſervantiis (de quibus c. ſup.) defectus ſolùm eſt imperfectio, imò nulla, ſi cauſa ſit rationabilis, ut muneris vel valetudinis neceſſitas. Excuſatur autem proprietas, ſi licentia detur ob benevolentiam privatam, vel importunas preces &c. quamvis Superior facilè peccet graviter, vel ratione ſcandali vel quia non ſatisfacit muneri. Rurſus licentia ſubreptitia, aut per vim moralem, ut minando odium, turbas &c. non red-

dit tutum in conſcientia, quia tantùm eſt permiſſio minoris mali.

3 Tertiò. Cuſtodia ſub clave ex ſe non eſt mortalis, niſi ex circumſtantiis ſpecialiter aggravetur. Vel enim ob ſignum proprietatis, vel ob realem proprietatem? Non 1um, quia communiter ſilent Scribentes de ſignis, ut Abb. Navarr. Lopez, & ſignum falſum ratione ſcandali tantùm poteſt eſſe grave. Non 2um, quia ſupponitur, nil claudi, niſi acceptum ex licentia, & cum præparatione animi ad aperiendum *S*uperiori; & aliàs occultare rem magni valoris, vel artificio uti, ne aperiatur &c. eſſet mortale; quod valde durum eſt, & præter uſum multorum alioqui timoratorum. Denique nec poſſeſſio clavis eſt magni valoris, nec uſus gravem deordinationem habet, nec difficultas reperiendi obſtat, cùm facilè per ſubditum tolli poſſit. *S*ecùs eſt ſi diu ab abſente retineatur, quia difficultas tunc fit impoſſibilitas.

4 Quartò. Violatur paupertas, accipiendo quid pro miniſteriis, ſeu cum onere eorum, quibus ſervitur. Licèt enim Congreg. II. & V. abſtineant à determinatione, tamen conformius eſt Inſtituto, c. 1. Exam. §. 3. & in ſecunda formula Inſtituti. Et ſaltem aliunde peccatur contra Votum, ut per licentiam ſubreptitiam, ſi tacetur titulus, qui ſine dubio mutaret voluntatem *S*uperioris, utpote valde ſubſtantialis. Dein etiam *S*uperior eget licentiâ præſumptâ: at Congr. V. expreſsè prohibet Generali, ne deinceps diſpenſet: ergo invalidè diſpenſat in Jure *S*uperioris, quia ſine cauſa; quæ vix fingi poteſt adeſſe. Idémque erat ante d. Decretum, quia licèt ſubditus fuerit tutus, novum non eſt, *S*uperiorem peccare graviter, malè diſpenſando in Regula non obligante ad peccatum: quia d. diſpenſatio eſt maximè contra commune bonum *S*ocietatis, & contra fidelitatem & Juſtitiam, ad quam *S*uperior vi officii tenetur.

Quintò. *S*upellex, licèt ſuperflua ſit, 5 conſideratâ ratione Inſtituti & conſuetudine, per ſe loquendo, non inducit mortale, dummodo tota habeatur ex licentia legitima, & cum debita reſignatione animi. Nulla enim certa mediocritas, ſeu quantitas ſupellectilis cadit ſub Votum, ut materia ejus; eſto ratione ſcandali peccari poſſit, & maximè ſi aliis detur occaſio relaxandi perfectionem Paupertatis.

CAPUT

CAPUT IX.

De Paupertate propriâ Domorum Profeſſarum.

1 Primò. Societas Profeſſa habet dominium rerum ſibi donatarum, ſed citra reditus pro Sacriſtia, Fabrica, ex Capellaniis &c. Prior pars conſtat ex Bulla Julii III. poſterior ex p. 4. c. 2. §. 4. ubi licèt Eccleſia Collegii poſſit recipere aliqua onera, non tamen Domûs Profeſſæ Eccleſia, ſicque partim excedit, partim exceditur Paupertas Minorum.

2 Secundò. Incapax eſt Domus Profeſſa rédituûm certorum, non tanùm quoad actionem Civilem, ſed etiam quoad Jus naturale, quod ad illos competat. Nam Jus annui reditûs per ſe computatur inter bona immobilia, Clem. *Exivit*, de V. S. éſtque res pretio æſtimabilis; ſolúmque Bulla vocat *Jus Civile*, ſive quia inter cives verſatur, ſive quia eſt fundamentum Juris Civilis, licèt hoc ex accidenti negetur. Et aliàs jam excluderetur incerta mendicitas, c. 1. §. 1. de Rel. dom. in 6. Unde Congr. VII. decrevit, repugnare Paupertati, ſi Collegium acceptet reditus cum onere dandi partem Domui Profeſſæ, niſi fortè heres declaret, ſe ſponte dare velle. Secùs eſt, ſi is gravetur eo onere; quia adhuc eſſent certi reditus.

3 Excipitur p. 6. c. 2. §. 2. *Si aliquis ex Fundatoribus Domorum vel Eccleſiarum vellet reditus aliquos ad fabricæ uſum relinquere, dummodo nec diſpoſitio eorum ad Societatem pertineat, nec ſit unde competat actio in illos (quamvis id illi curæ eſſet, ut is, cui tale munus commiſſum eſt, ſuum officium faceret) & ſic in rebus ſimilibus*, utique *reditibus*: nam res ſimul donatæ recipi poſſunt cum actione Civili; & ita textus non arctatur ad Fundatorem, aut ad Fabricam, ut diſtinguitur ab ornamentis, quia obſtat particula *ſimilibus*; & obligatio Voti, ubi receditur à Jure communi, clariùs exprimenda eſſet. Idem ſumitur ſuprà §. 6. ubi ordinatur 1. ne quis excitet ad perpetuas eleemoſynas &c. quod ædificationis eſt, non materia paupertatis. 2. Ut ad ſponte relictas non ſit ullum Jus Societati. 3. Ut datæ ex Charitate (quæ non obſtat obligationi Hæredis erga Teſtatorem) citra d. Jus, recipi poſſint.

Tertiò. Etiam Jus ad temporales reditus excluditur. Nam d. Clem. indiſtinctè dicit, repugnare mendicitati, ut revera excluditur per ſexennium v. g. Et eatenus d. Jus computatur inter immobilia, tanquam res quaſi frugifera, juxta communem Doctorum de Cenſu temporali. Imò juxta omnes, Uſuſ- 4

fructus Profeſſi inter Minores extinguitur, cùm non poſſit verti in bonum Religionis. Denique Conſtitutiones cum diſtributione expreſſa loquuntur, ut *Nulli reditus*; *nullis*; *neque ullâ aliâ ratione*.

5 Quartò. Duas, & non plures poſſeſſiones habere licet. Nam Societas renuntiavit favori Trident. c. 25. c. 3. de Reg. ut patet ex Congreg. II. & Bullâ Pii V. & confirmatione expreſsâ Greg. XIII. in Conſt. *Aſcendente*; ergo quidquid non eſt conceſſum, intelligitur prohibitum, juxta d. Clem. Conceditur autem Domus Profeſſa, ſub ea comprehendendo Eccleſiam & hortum pro uſu quotidiano; dein poſſeſſio ſeparata, in qua ſit domus cum horto vel agro ad uſum extraordinarium, ita ut nec aliis locetur, nec fructus, qui redituûm loco eſſe poſſint, habeat, ut vini, olei, tritici &c. quorum utilitas colono cedi poteſt, dummodo inde nec ad Domos, nec particulares perſonas Societatis utilitas perveniat p. 6 c. 2. § 5 & lit F. Aliarum ergo poſſeſſionum dominium, uſusfructus, & uſus non licet, niſi meri facti ſit, pendens ex liberalitate Domini, eſto annuâ; quia diſpoſitio talium fructuûm permittitur ſuprà §. 3. & 6. & lit. B.

Quintò. Legatum alterius poſſeſſionis tenet, ſi ſimpliciter ſit, vel cum conditione, ut cedat Societati eo modo, quo poteſt. Nam d. modi legandi æquiparantur c. *Exiit.* §. *Ad hæc*, de V. S. in 6. éſtque expreſſum d. c. 2. lit. E. poſſe exſpectari tempus opportunum vendendi. Secùs eſt, ſi conditio ſit, ut res ſemper maneat ſub dominio Societatis d. c. *Exiit.* ubi annullatur actus in odium Legantis, & favorem paupertatis. Quamvis autem Bart. velit, ſi actus ex alio capite turpis ſit, valere propter l. *Obtinuit.* ff. de Cond. & demonſt. l. *Legatum.* ff. de Uſufr. leg. l. *Reprehenſa* ff. de Inſt. & Subſt. imò juxta Antonin. aliis quàm Minoribus valeat Legatum, arg. c. *Tua nobis.* de V. S. & R. J. 37. in 6. tamen ad Societatem extendi nequit, quia non acquirit Jus Civile, de quo cit. Jura diſponunt. 6

CAPUT X.

An Paupertas, ut explicata eſt, conveniat Societati?

1 Primò. Optimè conſonat Inſtituto. Sumitur ex Anton. Bonav. Palud. Sylv. & S. Thom. 2.2. q. 188. a. 7. Nam vitæ activæ juxta Sanctum conveniunt poſſeſſiones etiam abundantes (utique ad piè erogandum) & Contemplativæ competentes; Mixtæ autem potiùs carentia exemplo Chriſti, Apoſtolorum, primorum Fidelium. Pro-

fitetur enim maximam ſolicitudinem ſpiritualium, quæ conſequenter in temporalibus minima eſſe debet: at major eſt in adminiſtratione redituûm, quam in ſervando res uſui neceſſarias, opportuno tempore procuratas.

2 Secundò. Convenit d. Paupertas Habitui Clericali, & modo vivendi non auſtero, ſed temperato. Ita Chriſtus docuit Luc 10. *Quæ apponuntur vobis* &c. & Mar. 10. mendicitatem *propter Evangelium*, utique prædicandum. Nec enim ſi illa ſit ſpontanea & Religioſa, dedecet Clericum. Quòd ſi Prædicatores verè pauperes ſunt, ut Chriſtus conſulit, non multùm moventur amore vel timore, ut erubeſcant Evangelium. De ſtipendiis alia ratio eſt propter ſpeciem Commutationis, & quia reputantur, ut fructus certus; nec propterea Noſtris quid deerit, ſi ut par eſt, ſua agent, ut monet Reg. 5. *Præpoſiti.* Denique eleemoſynis corrogandis non occupantur, niſi pauci, & aſſociati, & non impediti ſpiritualibus miniſteriis.

3 Dices Domos *Profeſſas* eſſe pauciſſimas, & multiplicari Collegia, ſicque Profeſſos reipſa horum bona in ſuos uſus convertere. ℞. Rem paulatim progredi, & inchoari à Novitiis, qui pauci, & Scholaſticis, qui multi ſunt; ſicque Collegia multiplicari, quia populi potiùs volunt, erudiri filios ſuos. Mirum potiùs eſt, tantam varietatem Domuûm tam brevi tempore, & tot locis introductam eſſe. Sicut autem numerus Profeſſorum magnus non eſſe debet, ſpectatis conditionibus debitis, ita nec Domus Profeſſæ multæ, quamvis facilius ſit, domos ædificare, quàm dotare reditibus; nec etiam eſſe poſſunt, niſi in gravioribus & ditioribus populis. Et utut ſit, Societas tota non debuit privari d. gradu perfecto Paupertatis, quia perfectio inde reſultans, eſt in toto corpore, & primariis perſonis per ſe & principaliùs intenta.

Tertiò Collegia rectè ſibi vendicant multos Profeſſos. Ita Congregr. VI. can. 6. tollendo omnes ſcrupulos. Nam conſtat evidens neceſſitas propter docendum in Collegiis, & propter gubernandum; ſicque Profeſſi non ob ſuam, ſed Collegii utilitatem ibi aluntur. Rurſum iidem rectè juvantur in caſibus exceptis aliis, ut 1. In minimis juxta Conſt. p. 6. c. 2. §. 3. lit. D. 2. Si ſenio confecti ſunt, vel infirmi. Dein in iisdem attenditur beneficium publicum per litteras, quocum neceſſariò conjungitur miniſterium ſpirituale in Templis &c. 4

Quare in hunc modum omnibus, ut poteſt, conſulitur, quia ubi populus gravior eſt, eſſe poſſunt Domus Profeſſæ, aliis locis ſufficiunt Miſſiones, & aliis Collegia, in quibus, quæ Domorum propria ſunt, 5

ſunt, exerceantur. Nec enim ita illarum propria ſunt, aut eſſe debent, quin Collegiis communia ſint, Charitate & neceſſitate ita exigente, ut plerumque manifeſta eſt ea intentio Fundatorum.

CAPUT. XI.

Ad quam Paupertatem in communi obligentur Collegia, & Domus Probationis?

1 Primò. Et domui Probationis & Collegio rectè competunt Poſſeſſiones, ſeu redtus certi. Ita ex S. Thomæ Doctrina ſumitur, quia d. Domus profitetur vitam Contemplativam; Collegio autem in ſuo genere Contemplationis neceſſaria eſt carentia ſolicitudinis, ut ſuâ experientiâ didicit S. Pater, & notatur c. *Extirpandæ.* de Præb. & 1. Met. 1. dicitur, ob nimiam inopiam paucos eſſe eruditos, & ideo providetur c. 1. c. *Quia*, & c. ult. de Magiſt. & in Trid. ſ. 23. c. 18. de Ref. Et Hugo l. 5. Erud. Didaſc. c. 5. ait: *Tria ſunt, quæ ſtudiis obeſſe ſolent, negligentia, imprudentia, & fortuna ſeu egeſtas.*

2 Dices, poſſe ſubveniri per congregatas eleemoſynas, quarum cura uni commiſſa ſit; nam & Crates ſic vixit. R. In moralibus non eſſe ſpectandam unam congruentiam vel rationem. Sicut ergo Monachi nolunt eſſe oneri Fidelium, ita multò minùs eſſe debent Scholaſtici, & tanto quidem numero, cùm nondum occupentur in ſervitio proximi, ut Domus Profeſſæ, quæ abeſſe debet à Litibus, Locationibus &c. Nec ſtatus ſtudentium poſcit ita paratos ad mendicandum, ut Profeſſos. Rurſus licèt divitiæ particulares otium & vitia nutriant, non tamen quæ per alium adminiſtrantur. Denique licèt earum quantitas abſolutè magna ſit, non tamen reſpectivè, quia ubi ſunt, non propter commodiùs vivendum ſunt, ſed ut plures alantur ad Dei obſequium.

Secundò. Collegia tenentur ad ſpecialem modum Paupertatis. 3 Ut. 1. adminiſtratio fit non à Collegio, ſed à Societate Profeſſa; nec contractus, niſi Generalis ut Tutoris nomine, non Collegii fiunt. Quod nec obeſt, nec magnam illi diſtractionem creat, nil vertenti in bonum ſuum. 2. Collegium non poteſt ſuccedere. Juribus Scholaſtici, ne ratio ſuſceptionis ſint divitiæ, & ut ſtet libertas dimittendi, & ædificatio major. 3. Reditus eſſe nequeunt cum ſpeciali obligatione ad ſpiritualia, uti nec cum Cura animarum, aut obligatione ad Miſſas, Quod

Quamquam ſi parva ſit diſtractio vel obligatio, nec Paupertati, nec fini Collegii (qui eſt quies in ſtudiis) repugnet. p. 4. c. 2. §. 4. lit. B. Et ob eandem quietem vitantur Anniverſaria, Capellaniæ &c. imò Congr. I. can. 10. negat expedire, ut Capellæ etiam pro Clericis Secularibus concedantur, quos Noſtri eligant. 4. Arcæ publicè expoſitæ pro eleemoſynis in Templo eſſe nequeunt, ut uſus extendit ad Collegia, additque Congr. II. nec pro aliis permittendas eſſe.

4 Denique p. 4. c. 2. §. ult. prohibetur Collegium recipere eleemoſynas, ſi reditus habet pro 12. Scholaſticis ultra Præceptores & Coadjutores neceſſarios. Tamen quia oppoſitum expedire poteſt, ut numerus augeatur, res committitur Generali à Congr. III. Nec Conſtitutio obligare videtur, niſi ut Regula, quia non continet propriam materiam Paupertatis, ſi adſit conſenſus Superioris. Qui ſi excedit, imperfectè aget, non contra Votum, ut nec in aliis Conſiliis quoad rem præſentē, ut in modo petendi eleemoſynas &c. p. 6. c. 2. §. 10. & Congr. II. can. 22.

CAPUT XII.

An ex Voto Obedientiæ poſſint Noſtri obligari in quacunque materia honeſta?

1 Primò. Materia d. Voti ampliſſima eſt. Patet ex p. 9. c. 3. §. 9. *Mittere poterit omnes ſibi ſubditos, ſive Profeſſionem emiſerint, ſive non emiſerint, quos mittendos judicaverit, ad quaslibet Mundi partes &c. inter Fideles in Indiis, & Infideles, ubi ſunt aliqui incolæ Chriſtiani, & etiamſi nulli ſint &c. ad quodvis tempus, vel definitum vel indefinitum, ad quasvis actiones &c. Et* §. 20. *Generatim loquendo, in rebus omnibus, quæ ad propoſitum Societati finem Perfectionis, & auxilium proximorum ad Gloriam Dei faciunt, omnibus præcipere in Obedientiæ virtute poſſit.*

2 Hinc evidens eſt, etiam Scholaſticos mitti poſſe ad Indos, & cum efficacia quidem, ut poſcit particula *In virtute Obedientiæ*; idémque eſt de aliis officiis, de revocatione à loco &c. Eſt enim valde neceſſarium ad finem Societatis; & aliàs Profeſſi ſine Sociis non poſſent obire Miſſiones. Rurſus licèt Charitas per ſe non obliget, obligare poteſt Votum, ubi vera neceſſitas eſt proximi, non obſtante periculo mortis, ut tempore peſtis.

3 Secundò. Patitur limitationem d. univerſalitas materiæ, loquendo de rigore præcepti. Nam quantùm

ad proximum, non omnia per ſe conferunt fini noſtro, ſeu auxilio ejus ſpirituali, ut Redemptio Captivorum, aut opus tendens ad externam pacem Reipublicæ, aliáve negotia, aut Miſſio ad Turcas propter viſitandam Terram Sanctam, ut notatur d. §. 9. ibi: *Ad quamvis actionem ex iis, quibus uti ad proximorum ſalutem Societas ſolet, exercendam.* Rurſus quoad perfectionem propriam, ſolùm eam ſequi jubemur *in abſoluta omnium Conſtitutionum obſervatione; noſtríque Inſtituti peculiari ratione adimplendâ.* Et ſubditur: *Exactiſſimè omnes nervos virium noſtrarum ad hanc virtutem Obedientiæ Superioribus præſtandam intendamus*, utique juxta menſuram Regulæ.

4 Confirmatur, quia major poteſtas nec eſt neceſſaria, nec utilis fini; imò nocere poſſet propter periculum & perturbationem. Unde ſicut S. Pater p. 6. c. 5. ait, exoptare Societatem, ut Conſtitutiones, Declarationes, & ordo vivendi, nihil ulla in re declinando, obſervetur: ita ne laqueum injiciat, obligationem ullam ex iis oriri, nolle, *niſi Superior ea* (ſcilicet Conſtitutiones &c.) *in nomine D. N. J. C. vel in virtute Obedientiæ juberet; quod in rebus vel perſonis illis, in quibus judicabitur, quòd ad particulare uniuscujusque, vel ad univerſale bonum multùm conveniat, fieri poterit.*

Ad locutiones igitur univerſales reſpondetur, eas intelligi juxta ſubjectam materiam. Rectè enim voluntas Superioris pro Regula aſſignatur; utique ſi præcipit, ut Superior Societatis, & non extra Regulam. Dein Inſtitutum tam univerſale eſt, ut omnes actiones, quæ moraliter in uſum venire poſſunt, comprehendat; ſicque licèt actio aliqua per ſe non tendat in auxilium proximi, propter relationem, quam hîc & nunc ad id habet, præcipi poteſt, ut in dubio pro Superiore præſumendum eſt: idémque in pœnitentiis & auſteritatibus imponendis Jus habet, ſi non exceditur ratio juſtæ pœnæ, vel medicinæ. Quæ verò præcisè ad probationem, & majus exercitium Obedientiæ injungi poſſunt, ordinariè conſilii tantùm ſunt. 5

CAPUT

CAPUT XIII

De Conſilio Obedientiæ, quantùm ad perfectionem Executionis.

1 Conſilium tria habet 1. ut Executio ſit rei etiam non obligatoriæ, ut Regulæ, nutûs Superioris &c. 2. Ut ſit prompta, etiam litterâ imperfectâ relictâ, juxta exemplum antiquorum, de quo Caſſian. Baſil. Bonav. dicens: *Perfecta Obedientia ſua imperfecta relinquit.* Unde à fortiori excluditur excuſatio inordinata; & eſſe poteſt aliquando mendax, aut retardatio digna reprehenſione, & etiam contra ſubſtantiam Voti, ut nolendo ire ſine Viatico. 3. Ut ſit executio integra, non mutila ex parte &c.

CAPUT XIV.

De Conſilio Obedientiæ ex parte Voluntatis.

1 Primò. Aliqua voluntas eſt neceſſaria ad ſubſtantiam Obedientiæ. Nam executio non fit ſine voluntate efficaci. Sufficit autem, hanc ferri in actum præceptum ſecundùm propriam rationem ejus, quæ dicitur *ratio formalis quæ*, licèt citra reduplicationem rationis formalis *ſub qua* objecti talis actûs; quia Superior non præcipit agere actum, quia præceptus eſt. Tamen juxta 2. Eth. c. 4. ut quis juſtè operetur, debet operari *ſciens, & eligens propter ipſa*; ſciens quidem, quia aliàs voluntas non magis fertur ad obſervantiam, quàm non obſervantiam præcepti, ut ſi quis non cogitans de Feſto, audit Miſſam; Eligens verò, quia actus formalis Obedientiæ non eſt, ſicut nec alterius virtutis, niſi operando propter objectum ejus formale.

Dices. Ut ſit ſpecialis malitia contra Obedientiam, ſufficit, rem non 2
fieri ex quocunque motivo, quia in hoc differt Lex à puro præcepto, quòd illius transgreſſio ſit inobedientia generaliter incluſa: at transgreſſio iſtius contra nullam aliam virtutem eſt, niſi Obedientiæ; & præceptum non impletur, niſi per formalem actum virtutis, in cujus ſpecie ponitur actus. 2. Sequeretur, formalem actum Obedientiæ eſſe non poſſe, ſecluſo præcepto: at Chriſtus fuit obediens Patri, ſuppoſitâ ſimplici duntaxat ejus voluntate, ut Chryſoſt. explicat *Manda-*

tum Patris : idémque patet de obedientia præſtitâ Regulis non obligantibus ad peccatum, itémque nutui Superioris, ut poſcit Obedientia ſimpliciter perfecta.

3 Ad 1um. R. Non peccari contra ſpecialem virtutem Obedientiæ &c. ſi præcipitur ex Dominativa, ſicut nec habendo proprium contra virtutem Paupertatis, quæ nulla eſt, ſed contra Votum, & conſequenter contra Religionem. Superior enim præcipiens, aliud non facit, quàm ut exigat actum Deo debitum ; ergo solùm materialiter fit inobedientia, ut generale eſt in omni peccato, & ſpeciale in præſenti, cùm materia peccati ſit quædam inobedientia. Falſum autem eſt, ad impletionem Legis requiri actum formalem, & elicitum virtutis ; quia non vovi niſi facere juſſum, quocunque ex motivo fiat : ergo ſufficit actus virtutis externus & materialis, pertinens ex genere ſuo ad talem virtutem.

4 Ad 2um. R. Quantùm ad actum Voti ; ubi hujus obligatio ſimpliciter deeſt, nec honeſtatem implendi illam habere locum formaliter, cùm ſint correlativa. At Votum non comprehendit niſi præceptum, ſeu voluntatem Superioris obligantem ; utpote conditionatum, ſi ille præcipiat, ut conſtat ex uſu & inſtitutione omnium Religionum : ergo hoc ſecluſo, Votum non impletur formaliter, ſed tantùm in præparatione animi, quia deeſt materia Voti, juxta S. Thom. 2. 2. q. 104. a. 2.

Secundò. Licèt Votum non obliget, ſecluſo præcepto ; adhuc ſtat modus adjungendi formalem rationem Obedientiæ. Nam actus fieri poteſt intuitu perfectæ diſpoſitionis ad obediendum, ut communiter Religioſi parent propter inchoationem vel umbram præcepti, & conſequenter per præventionem, ſicut cùm anticipo impletionem Voti ingrediendi Religionem poſt annum, quamvis id quoad ſubſtantiam formaliter impleatur. Dein ſufficit, quòd actus reſpiciat motivum virtutis imperativè, & ut finem remotum ; ut cùm quis operatur propter lucrandum, quo ſubveniat pauperi, utique miſericors eſt per actum miſericordiæ formalem. 5

Rurſus Superior nunquam exuit ſe authoritate Capitis, ſicut nec pater, dominus &c. patétque in Divina voluntate conſulente : ergo eo ipſo habet vim ſpecialem, & alterius rationis, quàm habeat voluntas alia, ſive actus dicatur *Obedientia Charitatis*, ut 1. Pet. 1. ſive ſit humilitatis, ut juxta Chryſ. ſic obedimus amico. Inde enim ſequitur naturalis obligatio conformandi ſe Capiti, ut exigit conformationem cum Corpore, quia turpis eſt pars ſine cauſa diſcordans ; ſícque non deeſt præceptum expreſſum vel tacitum, directum vel indirectum. 6

Ter-

7 Tertiò. Omnis affectus, qui confert, ut opus fiat ſtudioſiùs, eſt quædam perfectio Obedientiæ. Sic facit formalis & pura intentio obediendi propter voluntatem Superioris, multóque magis Dei ipſius. Nam actus fit ex influxu altiorum virtutum, & quia univerſalius motivum eſt, diſponit ad omnia exequenda. Similiter facit affectus ad Superiorem, quia amicitia hæc ſancta & ſupernaturalis valde removet prohibens; idémque effectus ſequitur ex amore Salutis, Obedientiæ &c. Idem eſt de affectu ad rem injunctam; nam fit operatio magis voluntaria. Tamen ſi ſit hæc circa ſenſualia, honorifica &c. aliud eſt cum affectu, aliud ex affectu eam operari: poſterius ſine periculo non eſt, cùm tutius ſit, ad oppoſita affici quia ſaltem non deerit merces alterius virtutis &c.

Denique perfecta voluntas eſt, ſi non tantùm ſit abſoluta, ſed integra, ſeu citra voluntatem repugnantem. Tamen repugnantia duplex eſt, una per ſe conſentanea naturæ, ut metus Chriſti in horto, utique honeſtiſſimus; alia ex inordinatione. Prior, ſi non retardet voluntatem exequendi, non obeſt, ſed perficit actum. Idem eſt de poſteriore, ſi ſolùm concomitans ſit, imò quaſi per antiperiſtaſin actus perfectior fit. At regulare eſt, ut retardet voluntatem obediendi; ſicque quò magis voluntaria eſt, eò hanc imperfectiorem reddit. 8

CAPUT XV.

De Perfectione Obedientiæ ex parte intellectûs.

1 Primò. Sicut voluntas ab intellectu, ita illius perfectio pendet à perfectione hujus, conſequenter etiam perfectio Obedientiæ. Nam hæc eſt virtus voluntatis, nec eſt niſi in actibus formaliter liberis: at voluntas pendet à directione intellectûs; & hæc, ut perfecta ſit, duo poſcit, ſcilicet perfectam attentionem ſeu conſiderationem boni proſequendi, & remotionem omnis cogitationis removentis à proſequendo: ſicut etiam efficacia Gratiæ per eadem duo explicatur. Ratio eſt, tum imperfectio intellectûs, qui non poteſt pluribus ſimul intendere; tum imperfectio voluntatis, quæ retardatur per objectum aliud.

Secundò. S. Pater rectè petit, ut Deus in Superiore agnoſcatur. Eandem phraſin loquendi tenent Sancti, ut Baſil. Bern. Aug. Caſſian. Gregor. Benedict. Franciſc. Bonav. Nilus, S. Thom. S. Antonin. Laur. Juſtin. Humbert. Abul. éſtque do- 2

ctrina communiſſima, & antiquiſſima, & certiſſima ex Apoſtolo, & Chriſto ipſo: *Qui vos audit* &c. Nec enim judico, præceptum eſſe Divinum immediatè, ſed rationem obediendi eſſe Divinam, ſeu Dei voluntatem, ſicut cùm obeditur Patri, Domino &c. Licèt autem præcepto Divino debeatur major reverentia propter propinquiorem habitudinem, & majorem immutabilitatem reſpectu hominum, tamen in ratione obediendi æqualitas quædam eſt, ſicut cùm Chriſtus in ſe, vel imagine adoratur.

Rurſus non judico, hominem
3 eſſe Deum, aut infallibilem, ut patet in exceptione, niſi malum præcipiat; quod non cadit in præceptum Divinum: at licèt homo errare poſſit, tamen ex hypotheſi, quòd non præcipiat malum, mihi non errat, nec errare poteſt; non utique certitudine ſpeculativâ, quæ ſemper ſumitur ex conformitate ad rem; ſed practicâ, quæ ſumitur ex conformitate ad affectum operantis, & principia, per quæ moveri debet; & eatenus rectè poſcitur Obedientia cæca, utique *ſanè intelligendo*, ut dicitur c. 4. Exam. §. 29. & eſt juxta phraſin Sanctorum ſuprà, quibus in propria arte loquentibus licuit nomina accommodare.

Tertiò. Obedientia perfecta re-
4 ctè dicitur poſcere cæcitatem quandam ex parte intellectûs. Nam excludit prudentiam carnis, cùm meum non ſit diſcutere, an ſit utile, v. g. lignum aridum rigare, ſtudere &c. imò idem eſt in omni Obedientia, Politicâ, Militari, Oeconomicâ; eſſétque impoſſibilis, ſi cuique militi &c. deberet reddi ratio injuncti: ſicque etiam in Artefactis inferiores à Superiore moventur cæcè; aliàs opus non poſſet procedere humano modo. Prudentia ergo eſt *in præcipiente*, *non in exequente*, ut rectè S. Pater; & ſicut poſt conſilium perfectum nihil manet, niſi operari; ita etiam ſuppoſito præcepto obediendi.

Nec propterea excluditur omnis 5
cognitio, nec petitur Obdientia bruti ſtolidi: ſicut nec Bern. dicens: *Tolle voluntatem propriam*, & *Infernus non erit*, excluſam vult omnem voluntatem; aliàs nec prœmium eſſet cæleſte. Sed ſicut cæcus alienis oculis regitur, ita ſubditus ductu Superioris, ſeu judicio prudentiali; quod magis fundatur in extrinſeco principio, & judicio Superioris, quàm proprio vitioſo & imperfecto, ut eſt neceſſarium in omni Regimine; nec aliter ſtat concordia cum Capite, nec alacritas, perſeverantia &c. Obedientiæ. Igitur tenet, non quidem æqualitas, ſed imitatio Fidei cæcæ; quia ſubjectio obedientis non fundatur in infallibili veritate rei, ſed tantùm in poteſtate præcipiendi, & certi-

certitudine practicâ, ſuppoſitâ materiâ capaci, quia non poſcitur, ut habeam rem pro certa (judicium enim eſſet impoſſibile, vel imprudens) ſed ſufficit fides humana, nixa aliquo modo in ſpe Divinæ Providentiæ erga Superiorem; ſtatque proponi rationes in contrarium cum debita modeſtia.

6 Quartò. In dubio de honeſtate, ſi quidem ſit antecedens, firmiter judicandum eſt, opus mihi licere. Ita doctrina Sanctorum indiſtinctè, & ſine exceptione. Nam tunc melior eſt conditio poſſidentis; & aliàs moraliter impoſſibilis eſſet Obedientia, ſi cuique priùs perſuadenda eſſet honeſtas actûs præcepti; patétque ex c. *Quid culpatur.* 23. q. 1. Nec refert, dubium eſſe poſitivum, ſive in facto, ſive in Jure, quia ſi juxta communem, licet ſequi opinionem probabilem, relictâ probabiliore, à fortiori, ubi exceſſus non poteſt moraliter eſſe tantus, quin propter Obedientiam meritò prætermittatur. Quòd ſi honeſtas probabilis non eſt, res ceſſat eſſe dubia, cùm humano modo certum ſit, actum diſplicere Deo.

7 Dixi, ſi *ſit antecedens* dubium, utique attendendo rem ſecundùm ſe; nam ſi dubitet quis etiam conſequenter; ſeu factâ compoſitione præcepti; ergo jam ſe committit periculo pactico, & peccat. Per ſe verò non tantùm in caſibus certis, ſed licitis quibúsque, non ſolùm licitum, ſed etiam perfectius eſt obedire, loquendo moraliter; quia eadem tunc eſt ratio præferendi nutum Superioris, ſolúmque ob circumſtantias exceptio eſſe poteſt, v. g. ſi nocumentum tanti momenti ſit, ut vitari ſit gratius Deo, quàm obedire. Denique licèt res de ſe illicita ſit, in Jure humano Superior diſpenſare poteſt, & fortè vult: & in Jure naturæ Jus Superioris poteſt mutare materiam, ut jubendo ſervire infirmo egenti.

Quintò. Etiam impoſſibilia rectè 8
injungi poſſunt, utique ut abeſt temeritas, grave nocumentum &c. Regula enim S. Benedicti intelligi debet de inchoatione actionis in eo, in quo poſſibilis eſt, nec ante deſiſtendum, donec conſtet, pergi non poſſe ob temeritatem &c. Quod maximè tenet, ſi tota actio poſſibilis eſt, licèt inutilis ad materialem finem, ut irrigatio ligni aridi &c. quia actio non eſt otioſa, ſed magnum exercitium Obedientiæ & Humilitatis, ut cùm Joannes Damaſcenus juſſus eſt vendere ſportas duplo pretio, utique ob mortificationem. Nam in re tam manifeſta aberat deceptio; & ideo in gratiam tanti viri dabant, quod petebat. Alia, ut adductio leonis &c. imitanda ſunt quoad perfectionem & ſimplicitatem, non quoad om-

omnes circumſtantias, ut in Samſone, & S. Apollonia proponitur exemplum fortitudinis; ſicque finis, quem intendit inſtinctus Spiritûs S. non ipſa actio materialis imitanda eſt.

CAPUT XVI.

An Promiſſio ingrediendi Societatem, ſit Votum conveniens ſtatui?

Primò. In dicta promiſſione fit
1 verum Votum, ac à cæteris diſtinctum. Conſtat ex Congr. V. & ipsâ formâ, *Voveo &c. Divinæ Majeſtati, & promitto*; utiqe eidem, juxta copulativam *Et*; nam aliàs eſſet vaga & incerta promiſſio. Rurſus conſtat diſtinctio à cæteris Votis, tum ex Conſt. 2. Pauli III. tum quia *Societas* primùm amplè, dein ſtrictiùs, conſequenter non ſecundùm idem ſumitur; & ita aliud eſt, nolle perſeverare in Societate; aliud, nolle eſſe in alio ejus Gradu.

Secundò. Per ſe conveniens eſt,
2 & de meliore d. Votum. Nam fit de Voto alio ſtrictiore, & perfectiore, ſive Profeſſi, ſive Coadjutoris: ergo ſicut vovens ſtrictiorem Religionem, non vovet Religionem ſimpliciter, ſed perfectionem majorem &c. ita in præſenti. Licèt autem Scholaſticus vi aliorum Votorum jam ſit in ſtatu ſubſtantiali; nondum tamen eſt extra viam omnino, & Probationem: & licèt vi Obedientiæ poſſet obligari ad Gradum, rectiùs tamen per Votum ſuperadditum; quia aliàs vi Votorum poſſet ſemper velle remanere Scholaſticus. Denique Gregor. XIII. ſolùm meminit trium Votorum, ut etiam in Profeſſis, quia ſola conſtituunt Religioſum; quod fortè S. Pater indicare voluit, utendo voce *Promiſſionis*, non Voti.

CAPUT XVII.

Ad quid obliget dictum Votum?

Primò. Non obligat ad procurandum, ſed tantùm ad acceptandum
1 Gradum. Ita c. 7. Exam. §. 1. & p. 5. c. 4. lit. E. & §. 5. iun. c. 6. §. 5. & 6. & c. 8. in prin. Differt enim d. Votum à Voto Religionis, vel ſtrictioris, quia moraliter neceſſaria eſt petitio; & hæc virtute vovetur: at ſuppoſitâ inſtitutione & providentiâ Societatis, rectiùs huic relin-

relinquitur cura de gradu, facitque ad pacem, perfectionem, & humilitatem, nec aliter intellectum Votum, de meliori bono eſt: quamquam monitio, ſi fortè oblivio intervenit, non prohibeatur, dummodo indefinita ſit, & non de certo Gradu.

2 Secundò. Obligat d. Votum ad acceptandum Gradum, quem Societas, non vovens, definiérit. Nam Conſtitutiones rem Superioribus remittunt; & Votum fit *juxta Conſtitutiones.* Sic vovens Religionem abſolutè, tenetur ingredi eam, quæ ipſam, & non quam ipſe vult; ergo idem eſt de Gradu indefinitè promiſſo. Dein vel oppoſita intentio ſit bonâ vel malâ fide? Si 1um, error corrigitur per intentionem obligandi ſe juxta Regulam. Si 2um, injuria fit Religioni; & ideo intentio mutanda eſt, nec unquam credi debet. Secùs eſſet, ſi Secularis vovet Societatem, adjectâ conditione, ſi ad Profeſſionem admittatur.

3 Dices. Ergo Scholaſticus tenetur fieri Coadjutor temporalis. ℞. teneri vi Regulæ, quæ non petit indifferentiam fictam c. 1. Exam. §. II. c. 5. §. 8. & c. 8 Idem eſt vi Voti, loquendo in rigore, quia obligat juxta Conſtitutiones; & amotio à ſtudiis poteſt eſſe juſta pœna, vel aliàs expedire perſonæ aut Religioni; ſicut è converſo Coadjutor promoveri poteſt ad ſtudia, quin tutâ conſcientiâ recedi à Religione poſſit, cùm non fiat mutatio in vinculo ſubſtantiali, ſed ſolùm quoad miniſteria; & Obedientia perfecta obliget ad relinquendum miniſterium &c.

Tertiò. Probabile eſt, d. Votum obligare etiam ad Tranſitum à Gradu Coadjutoris ad Profeſſionem, vel à Profeſſione trium ad alteram quatuor Votorum; non tamen è converſo. Nam licèt prius Votum fuerit impletum, non tamen extinctum, quia ſicut Gradus non abſtulit Jus Superioris, ita nec obligationem Subditi adæquatè, ſed quamdiu Jus ſuum non exigit; nec alia limitatio rationabilis, aut Religioni favorabilis eſt; eſto, etiam extinctio Voti defendi facilè poſſit. Denique oppoſitæ mutationi ad inferiorem Gradum clarè obſtat Solemnitas Votorum. 4

Quartò. Neceſſarium non eſt proprium præceptum, ſed ſufficit exigi fidem promiſſi. Nam Votum eſt diſtinctum à Voto Obedientiæ reſpiciente præceptum; nec hoc fortè obligaret ſine Voto ſuperaddito. Dein aliud eſt, invitare per modum Gratiæ, ac per voluntatem conditionatam, non abſolutam; aliud injungere acceptationem, utique per definitam voluntatem, & quaſi decretum. Prius non ſufficit, quia Gratia non fit invito. Secùs eſt de poſteriore, ſicut in Voto dandi eleemoſynam petenti; ubi non obligat oſtenſio affectûs ſimplicis, ſed petitio ex voluntate ab- 5

ſoluta & efficaci eſt impletio conditionis, ſecluſo præcepto, ut etiam ſtatuit Congreg. VII.

6 Quintò. Non obligat d. Votum pro definito tempore, ſed cùm res intimata fuerit; moraliter tamen accipiendo. Ita d. Congr. dicens, ***teneri Noſtros Superiori certum Gradum imponenti obedire, ita tamen ut rationes Provinciali ac Patri Noſtro, conſueto Societatis more, proponere poſſint &c. Verùm Superiori, illis examinatis, in ſententia perſiſtenti, & certum Gradum abſolutè ſtatuenti, licèt non addat Obedientiæ præceptum, teneri unumquemque obedire &c. ut ſi non fuerit obſecutus, cenſendus ſit in malo ſtatu eſſe, atque à Sacramentorum uſu & adminiſtratione excludendus.*** Similiter autem tutus non eſt, qui non quidem abſolutè, ſed ita reſiſtit, ut moraliter cogat Superiorem ad mutandam vel ſuſpendendam voluntatem, ne fortè minori periculo hominem exponat.

LIBER V.

De Scholaſticis ac ſtudiis Societatis, tum domeſticis, tum externis.

CAPUT I.

An ſtatus aliquis Religioſus ad litteras perdiſcendas in Societate rectè deſtinetur?

1 Primò. Studia litterarum ſaltem ſacrarum Religioſo ſtatui maximè congruunt. Authori eſt dogma Fidei ex pſ. 118. *Diſciplinam & ſcientiam &c.* Iſ. 5. Oſ. 4. Licèt enim de ſcientia practica præceptorum intelligantur, tamen etiam ad litteram de ſcientia Scripturarum: quia oppoſita ignorantia eſt radix vitiorum, juxta comminationem. Iſ. 3. *Auferam de Jeruſalem & Juda Conſiliarium &c.* Idem traditur c. *Niſi.* de Renunt. c. *Omnes*, d. 38. c. *Sancta.* 2. q. 7. & docent Bern. Hier. S. Thom. Caſſian. faciúntque exempla Monachorum Ægypti, Eſſenorum, & S. Benedicti, de quibus Trithemius. Nam ſi appetere perfectionem naturæ per ſe competentem, bonum eſt, ſecluſo pravo fine, à fortiori appetere ſcientiam rerum Divinarum, quæ eſt pars vitæ Contemplativæ, & beatitudinis hujus vitæ &c. *Hæc eſt vita æterna* &c.

Se-

2 Secundò. In Religione, cujus finis eſt & contemplari & contemplata tradere, neceſſaria eſt non vulgaris ſcientia, ſed omnium, quæ ad Fidem & mores pertinent; & conſequenter neceſſarium eſt, ut Religioſi incumbant d. ſcientiæ addiſcendæ. Nam nemo poteſt docere, ſi ipſe ignorans ſit, nec etiam reſiſtere Hæreticis, aut rationem reddere ejus, quæ in nobis eſt, Fidei, ac morales difficultates ſolvere &c. niſi in utraque Theologia, Poſitivâ & Scholaſticâ, Speculativâ & Practicâ, ſatìs inſtructus ſit.

3 Atqui Societas recipit nondum eruditos; ergo cùm exſpectanda non ſint miracula (Eccleſiæ non neceſſaria) nec ex ſolo ingenio proprio profluat ſcientia, neceſſe eſt hanc acquiri per laborem & induſtriam, junctâ Divinâ Gratiâ. Unde in illud Apoſtoli, *Dum venio, attende lectioni.* Chryſ. ait: *Iſta profectò Timotheo dum loquitur, omnes ſalubriter admonet. Quòd ſi hic, qui mortuos excitabat, hæc monita edidit, quid nos jam miſeri dicturi ſumus? Si Timotheus eguit Doctore, quid alii* &c.

4 Tertiò. Convenientiſſima eſt inſtitutio Gradûs Scholaſticorum. Conſtat ex approbatione totius rationis Inſtituti. Nam Profeſſio, utut in intentione prior, in executione prærequirit neceſſarium exercitium ut virtutum, ita litterarum: pro priore autem & ſpecialiter eſt Novitiatus ac tertia Probatio, & generaliter tota vita; poſterius eſt proximus & proprius finis d. Gradûs, poſt generalem curam propriæ perfectionis adæquatus vel præcipuus: ergo licèt pars Religionis rectè eſſe dicatur propter d. operationem, non tamen tota Religio ad eam ordinatur, ut præcipuam, ſed ut ſecundariam & tanquam medium ad finem; ſícque ineptè reprehendit Kemniz. quòd ſtudia ſint finis ſtatûs Religioſi, quia confundit finem partis cum fine totius ſtatûs, & finem diſtinctivum partis cum fine communi; maléque allegantur exempla Monachorum.

5 Imò eadem retorquentur, cùm Baſil. ſaltem in iis, qui præſunt, convenire dicat, ut ſcientiam habeant: at in inſtructione proximi participatur munus Rectoris; aliúſque ſtatus eſt Monachorum, alius Mendicantium. Nec obſtat c. *Olim* d. 95. cùm agat de diverſis affectionibus partium. Denique ſtudia occupant tempus ſuum, non omne, nam ideo Religio dicitur *Ordo.* Sícque, vocem ſumendo in partem deteriorem, non fit diſtractio, cùm occupatio optima ſit ex fine, & ratione Charitatis ac Obedientiæ, ſempérque cogitetur de re aliqua propter Deum cum magna refrenatione concupiſcentiæ.

Quartò. Studia, ut ſunt inſtrumenta miniſterii pro Ovibus, ſunt magna bona. Nam participant bonitatem finis, & ſi ſint de re ſacra, ſunt perfectio per ſe congrua incli- 6

nationi Gratiæ ; imò maxima, quia deſcendit ex principiis Fidei. Porro actu ſemper de Deo cogitare, humanæ conditionis non eſt ; ſatisque eſt, mentem ſæpius ad eum referri. Motus verò vanæ Gloriæ & accidentarii ſunt, & vinci poſſunt ; bonáque eſt oſtenſio profectûs, non quidem in ea ſiſtendo (quod eſt oſtentationis vanæ) ſed referendo ad ſalutem Animarum. 1. Tim. 4. *Profectus tuus ſit omnibus manifeſtus*, quia juxta Aug. nobis vita noſtra neceſſaria eſt, aliis fama noſtra.

CAPUT II.

An conveniat ſtudium Litterarum Humaniorum, Linguarum &c.

1 Primò. Linguarum, & Liberalium Artium eruditio maximè neceſſaria eſt Operariis Evangelii. Ita c. *Relatum*, & c. *De quibusdam*, d. 37. Hier. huc referens Act. 17. 1. Cor. 15. Tit. 1. & Ritum Deuter. 21. Aug. de Doctrina Chriſt. ex profeſſo ; conſtátque exemplis Orig. Metrod. Quadrat. Ariſtid. imò Moyſis, & Abrahæ, Daniel. & paſſim Patres utuntur doctrinâ Gentilium ad eoſdem convincendos, & irridendos in ſuperſtitionibus, ut Nazianzenus reſpondet Juliano volenti, ut perinde ac ab Idolothytis, abſtineamus ab eorum lectione. Nos autem non fugimus carnes materialiter, ſed ut Diis oblatas, ne Idololatriæ conſentire videamur ; nec lectio Gentilium vana eſt, dempto abuſu.

2 Ratio eſt, quia ad Sacræ Scripturæ intelligentiam tria ſunt neceſſaria, Signorum intelligentia, rerum cognitio, & dubiorum expeditio ; & ad primum utique confert notitia Linguarum ; ad alterum Philoſophia & Mathematica ; ad tertium Dialectica. Rectéque ponderat Hieron. Danielem vitâſſe menſas, non ſapientiam Gentilium. Apoſtolus autem 2. Tim. 3. reprehendit ita diſcentes, ut ad veritatem pervenire nequeant, quia diſcunt ſolùm, quæ in errorem inducunt, *homines corrupti mente* &c. ad quorum diſtinctionem ſubdit, *Tu autem aſſecutus es* &c.

Secundò. Noſtri meritò priùs d. eruditione informantur, quàm Theologiæ Scholaſticæ, vel S. Scripturæ intelligendæ incumbant. Nam finis, ob quem d. eruditio quæritur, & optimus & neceſſarius eſt in perfectiſſimo ſtatu Religionis : medium autem & per ſe bonum eſt, utpote perfectio intellectûs, & quatenus medium quoad multa valde utile, 3

utile, quoad alia etiam neceſſarium, ut conſtat de cognitione linguæ Latinæ, & mediocri eruditione Dialecticæ & Philoſophiæ, ſine quibus temere & imperitè acceditur ad Theologiam. Exacta autem horum peritia utiliſſima eſt, Clem. 1. §. pen. de ſtat Mon. c. *Quia* de Magiſt. imò juxta S. Thom. neceſſaria in Religione mixta: ergo à fortiori in Societate.

4 Nam tria ejus munia ſunt, propagare Fidem inter Gentes, defendere contra Hæreſes, & exhortari Catholicos, cooperando ad omnem eorum perfectionem: at Linguæ, ut inter Gentes, ita contra Hæreticos & eorum petulantiam neceſſariæ ſunt. Similiter Philoſophia non tantùm propter Theologiam neceſſaria eſt, ſed ad Gentes convincendas. Dein aliud eſt loqui confusè de Operariis; alud de ſingulis: ut autem in ſingulis omnia perfectè conjungantur, moraliter impoſſibile eſt; at prius facile, ac pro temporum & locorum uſu utiliſſimum, ſi quidem in unaquaque Diſciplina aliqui peculiari & diuturniore ſtudio in eam incumbant.

Nec obſtat Col. 2. Philoſophiam *inanem & fallacem* dici; nam etiam prudentia Mundi dicitur ſtultitia; & in tota Philoſophia antiqua multi fuerunt errores: & licèt de ſe optima ſit, ac donum Dei (Rom. 1. *Deus enim illis manifeſtavit*) per abuſum ejus homines facti ſunt inſipientes, commutando veritatem Dei in mendacium. Veritas ergo in Philoſophis, præciſo eorum errore, formidanda non eſt, ſed potiùs vindicanda in uſum noſtrum ab iniquis poſſeſſoribus. Tandē Canones, dum vetant Phyſicam &c. c. *Magnopere.* Ne Cler. vel Mon. & c. 2. eod. in 6. c. 1. & c. *Omnem.* d. 37. agunt tum de implicatione in negotiis occaſione Phyſicarum confectionum, tum de abuſu lectionis Gentilium, poſtpoſitis tot occupationibus ſacris. 5

CAPUT III.

An ratio proficiendi in litteris convenienti modo inſtituta ſit in Societate?

1 Primò. Quantùm ad modum; ordo per ſe eſt conveniens, quem S. Pater p. 4. variis locis injungit. Nam cùm prius & principalius ſit, virtutem ſectari, ad ſtudia antè non ſit applicatio, quàm ſolidum fuerit jactum fundamentum abnegationis propriæ. Rurſus priùs Artes diſcendæ ſunt &c. dein Scholaſtica Theologia ante Poſitivam, quæ complectitur Concilia, Decreta, Sanctos Doctores, & Jus Canonicum, præ-

præter Hiſtoriam Eccleſiaſticam (ut ſpectat ad Traditiones) & univerſam eruditionem pro Concionibus neceſſariam. Errant autem valde, qui ante magnum profectum in Theologia Scholaſtica ad d. genus ſtudii diſtrahuntur, cùm omnia confundant, & nihil cum fundamento ſolido, plura verò non ſine periculo errandi addiſcant. Porro ſtudii ſeu applicationis menſura proxima, eſt arduitas & neceſſitas operis; quia quantam id poſcit applicationem, tantam etiam præſtare neceſſe eſt.

2 Secundò. Finis ſeu ſcopus doctrinæ in Societate eſt, ſuis & proximorum animis prodeſſe, præter finem proximum & peculiarem, qui in unaquaque Diſciplina attendi debet, arg. p. 4. c. 6. §. 5. ut in Linguarum ſtudio defenſio Vulgatæ; & in Indica lingua Converſio Gentium &c. Et aliter ſtudetur Philoſophiæ, ut diſpoſitioni ad Theologiam, aliter ad refutationem Gentilium. Similiter lectio librorum congruere debet fini peculiari præfixo; aliàs ad curioſitatem potiùs pertinet, quàm ad Religionem.

3 Imò in Religioſo reprehenſibilis eſt, quia ratione ſtatûs debet præcipuè verſari in his, quæ ad perfectionem conferunt; quod non fit per ſcientiam per ſe ſpectatam: & regulariter hæc tractantur, non quia utiliora, ſed delectabiliora ſunt; & ſic eſt turpis curioſitas. Rurſus ſcire, ut ſciaris ſcire, per ſe & intrinſecè malum eſt, & occaſio gravium peccatorum, juxta S. Thom. 2. 2. q. 131. a. 1. & q. 132. a. 3. & 4. Oritur enim appetitus non novè tantùm, ſed nova dicendi (ut Lirinenſis diſtinguit) repugnando antiquæ doctrinæ: id quod pacem turbat, & eſt occaſio erroris, quia, ut ait Bald. *rarò bene loquitur, qui contra omnes loquitur*; & ideo idem toties inculcatur in Conſtitutionibus; maximáque & peſſima vanitas eſt, cùm quis non tantùm ſciens videri vult, ſed etiam author ſuæ ſcientiæ.

4 Similiter diſcere propter quæſtum, irreligioſum eſt, nec ſi intenditur per modum ſtipendii, excuſari poteſt à gravi: ſin propter emolumentum per ſe conſequens, imperfectio per ſe magna eſt, & vix aberit culpa. Aliud eſt de quæſtu honoris, ut titulis Magiſtri &c. Chriſtus enim hos non prohibet, ut patet ejusdem & Apoſtolorum exemplo; & cur nomen vitetur, re admiſsâ? Solùm ergo indebitus talium appetitus vetatur, *Amant primos recubitus* &c. Imò nolle manifeſtare doctrinam, ubi confert, non humilitatis eſt, ſed reprehenſione dignum &c. *Sic luceat lux veſtra* &c. Et *ſapientia abſcondita, & Theſaurus inviſus* &c.

5 Tertiò. Media proficiendi aptiſſimè inſtituta ſunt. Nam alia corporalia ſunt, alia ſpiritualia, alia propriè litteraria: & primi generis ſunt ſuſtentatio conveniens, inſtrumen-

menta neceſſaria, ut Bibliotheca, libri in cubiculo &c. Adde privativa, ut eſt vacatio à miniſteriis & occupationibus aliis, & ne ſtudeatur tempore noxio valetudini, cum diminutione ſomni competentis &c. Alterius Generis maximè eſt puritas animi (ut inculcant Patres) cum debita tamen moderatione devotionum, mortificationum p. 4. c. 4. §. 2. Quoad tertium; petitur, ut ſeriò & conſtanter animum adijciant, aſſidui in Lectionibus, Diſputationibus, ſtudio privato, Repetitione ſeu lectione Authorum poſt abſoluta ſtudia.

Sicut autem horum mediorum uſus & licet ratione Inſtituti, & ſine dubio gratiſſimus Deo eſt; ita non parva obligatio eſt ad ſtrenuè laborandum in d. ſtudiis. Nam Scholaſtici ob hanc cauſam aluntur de bonis Eccleſiaſticis; idémque eſt ſpeciale eorum munus, & proprium obſequium Divinum, ad quod per Superiorem deputantur. Denique quia parvus error in principio, maximus eſt in fine; qui hîc negligens eſt, erit inutile inſtrumentum Curæ animarum: periculóque errandi forſan ſæpius ſe exponet.

CAPUT IV.

An conveniat, Societatem habere Univerſitates & Publica Studia, & in eis docere?

1 Primò. Hoſtium Fidei eſt, eſſe infeſtos etiam Litteris. Sic Licininius eam vocabat peſtem publicam: & Julianus vetuit Galilæos diſcere Poëticam, Rhetoricam, Philoſophiam, quia *noſtrorum Scriptorum ſubſidiis muniti, contra nos bellum ſuſcipiunt.* Sicut enim 1. Reg. 13. actum eſt, ne faber ferrarius eſſet in Judæa, ita Diabolus agit, ne Doctores ſint in Eccleſia, qui ſpiritualia arma nobis tribuant. Sic Wicleff. in Conſt. Conc. ſeſſ. 8. & 29. cenſuit, Univerſitates, Graduationes &c. eſſe vanâ Gentilitate introductas, nec plus prodeſſe Eccleſiæ, quàm Diabolum; & tandem Lutherus, ut refertur in Bulla Adriani VI. ait, Scholas Chriſtianas eſſe Sodomas & Gomorrhas, & malorum omnium ſentinas.

2 Secundò. Non tantùm contra Fidem eſt d. error, ſed contra omnem rationem naturalem, & evidentem experientiam. Patet prior pars ex dictis de doctrina ſacra, cui Artes deſerviunt. Poſterior conſtat ex uſu omnium Provinciarum rectè inſtitutarum; & tit. Codicis *de Studiis liberalibus*, & ex Ariſtotele 7. Polit. c. ult. & lib. 8. c. 1. ubi ait, quòd negle-

neglectus Diſciplinæ Juventutis affert Reipublicæ detrimentum.

3 Tertiò. Convenit d. munus docendi ſtatui Religioſo, maximè Societatis. Exempla ſunt antiquiſſima, ut Scholæ Alexandrinæ, cui præfuit Pantænus (ab Hieron. laudatus inter Scriptores Eccleſiaſticos) poſtea Clemens Presbyter Alex. Origenes &c. Alii, ſi non ſermone, ſcripto docuêre, ut Athan. Baſil Nazianz. Sic ſtudium Pariſienſe cœpit à quatuor Monachis, Bedæ diſcipulis, Rhabano, Alcuino, Claudio, & Joanne Scoto. Et tempore Carol. M. duo Monachi Scoti ex Hibernia venêre, venalem apud ſe Sapientiam offerentes pro nullo alio pretio, quàm ut locus tantùm daretur opportunus, & animæ ingenioſæ, cum ſufficientia ad vitam. Alter horum Pariſiis, alter Ticini ſcholam aperuit.

4 Ratio concluſionis eſt, quia quidquid eſt in d. miniſterio, ſanctum eſt, per ſe loquendo, & aptum ad perfectionem propriam, & proximi. Ex parte enim Doctoris eſſe debet lectio, & meditatio aſſidua rerum Divinarum, vel ad harum intelligentiam conducentium; ſicque actus docendi non ſupponit tantùm, ſed includit Contemplativam propter d. conſiderationem, quæ etiam facilè ad Deum referri poteſt. Idémque eſt actus miſericordiæ ſpiritualis, conſequenter Charitatis & proximi & Dei, propter quem fieri debet; ſícque etiam eſt actus imperatus Religionis, cùm ſit in obſequium Dei, & Zelum animarum, quo nullum Sacrificium excellentius eſt. Denique ſtatui Religioſo maximè quadrat, utpote vacanti à curis ſeculi, & quia doctrina juncta probitati &c. utique plus prodeſt.

Quartò. Etiam Univerſitates, 5 ſuppoſitâ authoritate competenti, rectè committuntur ſtatui Religioſo. Nam totum officium eſt pietatis publicæ, & meriti omnino inſignis, juxta Dan. 12. notando particulam erudiunt *Multos*, imò omnes, quantùm eſt vi Inſtituti. Et quò conjunctior eſt ſchola Religioni probæ, eò magis eruditur ad Juſtitiam & ſalutem. Sic Militia ſpiritualis inſtituitur pro defenſione ſpirituali Eccleſiæ, Religioſis non tantùm militantibus, ſed ducentibus exercitum, congregantibus, & dirigentibus in eodem genere militiæ. Porrò incommoda & vitari poſſunt, cùm accidentaria ſint, & facilè compenſantur abundantiâ fructûs.

Quintò. Convenienter proviſum 6 eſt in Societate contra incommoda. Nam imprimis limites per ſe juſti poſiti ſunt, ne ſuſcipiatur Medicinæ, & Legum tractatio, & ne attingatur pars Canonum, quæ Foro contentioſo inſervit. p. 4. c. 12. §. 1. & 4. quia ſtatus ab omnibus Forenſibus cauſis, etiam Eccleſiaſticis, alienus eſſe debet c. *Depræſentium* 16. q. 1. Rurſus juxta Congr.

Congr. 1. ſuſcipi nequit Cathedra per oppoſitionem, nec eſſe ordo ſedendi inter Noſtros, quantùm eſt in Societate. Nam in aliena Academia noſtrum non eſt mutare Conſuetudines citra Jurisdictionem, aut illis non conformari, ſed ſequi, ſervatâ humilitate. Denique Gradus non poſſunt ſuſcipi, ut remuneratorii, nec ex eis temporale commodum accipi aut ſperari.

7 Neque hucusque dictis obſtant Jura, ut c. 4. 6. q. 1. c. *Hoc nequaquam.* §. *Præcipit.* 7. q. 1. c. 1. 16. q. 1. Nam aliud eſt de puris Monachis, aliud de Mendicantibus, per ſe inſtitutis ad ſalutem proximi. Dein etiam illis, licèt vi Inſtituti non competat, munus docendi committi poteſt de conſenſu Epiſcopi, ut Clericis Monachis conceſſio fit c. *Si Monachus.* cum aliis 16. q. 1. Et rectè notat S. Thom. quòd Mendicantes ſolùm in his æquiparentur Monachis, quæ ad Religionem ut ſic pertinent, non verò in aliis; c. *Quod Dei*, de ſtat. Mon. c. *Ex parte.* de Poſtul.

CAPUT V.

An Societas convenienter ſuſceperit inſtitutionem puerorum?

1 Primò. Conſiderando miniſterium ſecundùm ſe, nemo, niſi inſanus, dubitare poteſt, quin ſit optimum, & Juventuti utiliſſimum, imò etiam Reipublicæ maximè neceſſarium. Ita Philoſophi, & Legumlatores, ut tractat Ariſt. 7. Pol. c. ult. & l. 8. c. 1. & Cicero orat. 2. in Verrem dicens: Nullum munus Reipublicæ afferre majus meliúsve poſſumus, quàm ſi docemus atque erudimus Juventutem. Et Diog. Laert. ait, hanc educationem eſſe totius Reipublicæ fundamentum.

2 Nec enim hic agimus de inſtitutione Catechetica (utpote propriâ Profeſſorum, non Scholaſticorum) ſed litterariâ. Hæc autem eſt vel ſuprema, vel media, vel infima: quarum prima non pueros, ſed viros bene adultos poſcit, ut in ſimili notatur 1. Eth. c. 3 nec etiam altera propriè puerorum eſt, quia complectitur curriculum Artium, conſequenter poſcit facultatem ingenii valde expeditam, uſúmque rationis valde perfectum. Igitur ultima, quæ incipit à Grammatica, & totam Linguarum peritiam comprehendit, includendo Eloquentiam, eſt propria Puerorum.

Secundò. A Religioſis ſuſcipi d. munus, ſpectando hoc ſecundùm ſe 3
& ex genere ſuo, eſt valde expedi-

ens pueris. Eſt certiſſima, cùm Eccleſia valde ſollicita ſit de probis Magiſtris, ut Later. ſub Alex. III. p. 1. c. 18. & ſub Innoc. III. c. 11. & c. *De quibusdam.* d. 37. Trid. ſ. 5. c. 1. de Ref. & ſ. 23. c. 18. de Ref. Mogunt. ſub Sebaſt. c. 65. Mediol. I. ſub S. Carolo p. 1. l. 2. & l. *Magiſtros.* Cod. de Profeſſ. l. un. Cod. de Prof. q. in urbe Conſtant.

4 Vel enim ſpectatur profectus in litteris, vel in moribus; ſi 1um, non ſufficit ſcientia, niſi debitè applicata ad munus integrè implendum; ſícque aptior eſt Regularis, quia bona vita Magiſtri confert ad curam muneris, & ille eſt magis integer & independens, ſi ſtipendium non accipit à Diſcipulis, vacátque à curis aliis, adjutus ob ſtatum conſiliis rectiùs docendi, Gratiámque Dei ut ſibi, ita aliis obtinet. Si 2um, *Nulla res*, ait Boëthius, *eſt magis perniciosa diſcipulo, quàm vita Magiſtri contumelioſa*, quia ejus actio mala tali ætati nondum diſcernenti inter bonum & malum, eſt tacita licentia, imò excitatio ad imitandum. Denique intentio Religioſi Magiſtri tota in eo eſt, ut totum, quod juvat, conferat, & quod nocet, avertat, ut ſocietatem, libros malos &c.

5 Tertiò. Nec novum eſt d. miniſterium in ſtatu Religioſo, nec ab hoc alienum; fuitque Inſtituto noſtro pro tempore, & opportunitate maximè conſentaneum. Conſtat ex dictis cap. ſup. de Schola Alexandrina, exemplis S. Caſſiani, S. Patroeli, Religioſorum S. Benedicti, Prædicatorum &c. Quod ergo tot ſanctiſſimis & graviſſimis probatum fuit, non poteſt eſſe indecens: & ſi ad alia miniſteria Charitatis, utut laborioſa, rectè ordinatur Religio; ergo etiam ad hoc, vile quidem in ſe, ſed utiliſſimum. Imò altriores Scholæ ſemper habent Magiſtros, at non infimæ, quales oporteret; ſícque quæ videntur *membra corporis infirmiora, neceſſariora ſunt.* 1. Cor. 12.

Pars ultima patet, tum applicando dicta & notata de Providentia Divina in inſtituenda Societate contra hæreſes, tum ex fructu revera incredibili, qui ex d. miniſterio profluxit & profluit in Provincias Catholicas; nam timor Dei in puero plantatus odorem ſuum retinet, Prov. 22. eodémque remedio inſignis reformatio ſecuta eſt, pueris parentes ab Hæreſi revocantibus, vel præſervantibus. Sic Principes Hæretici in pueris ſemina errorum plantari curant, per carmina &c. plena calumniis contra Pontificem & Eccleſiam Romanam &c. Abſurdum ergo foret, & inſolens, Hæreticos occupare animos pueritiæ pro tuendo mendacio, & Eccleſiam negligere curam tuendi ſic veritatem. Hæc igitur mens Divinitus indita eſt S. Patri; & ideo S. Congreg. in d. c. 18. Trid. ait, in quærendis Magiſtris, ſi reperian- 6

rientur, Jeſuitas cæteris anteponendos eſſe.

7 Dices, d. munus afferre impedimenta, & pericula. R. Perſonam, non Corpus impediri à majoribus; nec propter hæc omitti poſſe miniſterium formaliter minimum, ſed ut ſinapi, virtute maximum. Rurſus inferiora juvant ad altiora ut diſcipulos, ita Magiſtros; nam omnia tempus habent, & ab imperfectioribus tranſitur ad perfectiora, & quædam miniſteria talem ætatem & tales conditiones poſcunt, alia alias. Rurſus ſubſtantialis perfectio non impeditur per opus tantæ Charitatis, támque arduum, & ex Obedientia ſuſceptum. Et quia ſtatus ſpeciali Providentiâ ad hoc inſtitutus eſt, rectè ſperatur ſpeciale auxilium Gratiæ Vocationis, quæ junctâ vigilantiâ Superiorum, & mediis vitæ Contemplativæ, defendunt à periculis. Nec hæc per ſe connexa ſunt, ſed valde per accidens & extrinſecè ſe habent; víxque cogitari poſſunt actiones humanæ, in quibus ſimilia vel majora pericula non reperiantur.

Quartò. Inſtructio pueritiæ in legendo & ſcribendo, ut ordinaria, rectè prætermittitur à Societate. Ita p. 4. c. 17. lit. C. Nam licèt opus Charitatis ſit, penuria perſonarum obſtat; & utilitas, quæ intenditur, valde remota eſt, cùm ætas nimis tenera vix capax ſit inſtitutionis morum, & altiores Scientiæ nôn ita, ut à Grammatica, pendeant, nec deſint Magiſtri Seculares. Denique ſuppletur res adeundo ſcholas, juxta curam propriam Societatis, ſempérque, ubi poteſt, impendi ſolitam.

CAPUT VI.

An Societas utatur convenientibus mediis ad inſtitutionem Externorum?

1 Primò. Quoad profectum in moribus, ſuppetunt plura media. Ut 1. Confiteri quovis menſe. 2. Miſſam quotidie audire. 3. Conciones ſpecialiter accommodatæ ſtudioſis, & hebdomadariæ. 4 Inſtructio Catechetica. 5 Oratio prævia in Schola, tum referendo in Deum, ut ſtudia univerſim, ita in particulari, quod tunc agitur, tum petendo gratiam; ut eodem modo pueri actiones alias inchoare addiſcant. 6. Incitatio ad virtutem, cùm inter legendum ſe fert occaſio. 7. Cura non prælegendi libros noxios juventuti, aut non ſatis purgatos, juxta Later. ſub Leone X. Seſſ. 9. de Ref. Curiæ, Mogunt. ſub Sebaſt. Colon. ſub Adolpho, Mediol. ſub S. Carolo, & Auguſtan. & c. *Ideo*

d. 37. l. *cætera.* 4. ff. fam. hercisc. Platonem, Baſil. Damaſcen. Aug. 1. Conf. c. 13. & ſeqq. & c. 16. ubi loquens de Terentio, ait: *Non omnino per hanc turpitudinem verba iſta commodiùs diſcuntur, ſed per hæc verba turpitudo iſta confidentiùs perpetratur.*

2 Secundò. Quoad profectum in litteris media plura ſunt. Ut 1. poſcendo Magiſtros *doctos, diligentes, aſſiduos, profectûs ſtudentium ſtudioſos.* 2. Ordo & methodus tum in doctrina tradenda, tum in Diſputationibus, & omnibus litterariis exercitiis, recognitione Prælectionum, diligentiâ privatâ aut componendi quid, aut repetendi & conferendi. 3. Correctio; quamvis quoad poteſt, *in ſpiritu lenitatis, pace & charitate cum omnibus ſervatâ.* 4. Excitatio ad majorem æmulationem per ſigna honoris, & in altioribus per Gradus Litterarios. De prœmiis res remittitur aliorum Providentiæ; dari autem poſſe, decernitur in Congreg. I.

LIBER VI.

De Profeſſione quatuor Votorum, Probatione antecedente, & Votis ſequentibus.

CAPUT I.

Ante rectè diu differatur Profeſſio in Societate?

1 Primò. Jure ordinario Societatis neceſſe eſt, Profeſſionem diu differri. Nam requirit Sacerdotem, ut per ſe poſcit Religio Presbyterorum in Gradu ſuo ſupremo, & miniſteriis; quamvis excipiat Congreg. V. in Majoratibus Hiſpaniæ, niſi per ſacrum Ordinem ſatisfiat firmitati abdicationis. Rurſus excedere quis debet annum ætatis 25. ultra quæ poſcitur eruditio non mediocris in litteris, magnáque probatio morum, & virtus ſolida; ſicque ſimpliciter diuturnum tempus eſt neceſſarium.

Dices, Dilatio in Biennium ſaltem determinatur c. 1. Exam. §. 12. & c. 4. §. 16. quamvis pro trium Votorum Profeſſione petatur ſeptennium. p. 5. c. 2. §. 3. 2. Etiam d. biennium diminui poteſt p. 5. c. 1. lit. C. 3. In incapace Gradûs Scholaſticorum non eſt, cur biennium ponatur pro termino maximo. Ad 1um R. agi de tranſitu immediato ad Profeſſionem; nam pro inſtructione

ctione Scholaſtici, tertio anno *Probationis* &c. tempus nimis foret exiguum. Ad 2um. R. In d. biennio (non tamen Novitiatûs) diſpenſari poſſe propter dignitatem perſonæ &c. Ad 3um R. Non eſſe terminum maximum , quia plus temporis exigere poteſt probatio virtutis & miniſteriorum, accommodatio ad Inſtitutum , expoliatio proprii judicii &c. etiam in jam maturis ætate & doctrinâ.

3 Secundò. *Probatio* ad Profeſſionem non habet terminum determinatum , nec alium , quàm cùm Societati plenè in Domino ſatisfactum eſt. Ita Bullæ , & Trid. ſ. 25. c. 16. de Ref. & Conſt. p. 5. c. 3. Vel enim terminus brèvis foret, vel prolixus ? Non 1um , quia Lex attendit totum Corpus , & quod frequentiùs accidit , & non hanc illámve *Provinciam* : at Litteræ Humaniores , *Philoſophia* , Theologia, Annus tertius &c. poſcunt annos circiter quindecim. Non 2um , quia dilatio eſſet oneroſa ſine cauſa , & Religioni inutilis , ut patet , ſi diſpenſatio non eſſet niſi rariſſima ; ſin frequens ſit , non vitantur querelæ , & nota majoris dilationis.

4 Confirmatur. Quia eadem cauſa , quæ petit probationem longam, etiam petit ſatisfactionem Societatis ; aliàs mora eſſet inutilis : at d. ſatisfactio datur ab aliquibus ſtatim, ab aliis , & regulariter , pòſt longum tempus. Nec Profeſſio datur propter ætatem , ſed ob dena requiſita : aliàs occaſio eſſet neglectûs proficiendi in ſtudiis & virtute ; ſicque ſatis eſt ſperari commoda , & vera incommoda non timeri. Quanquam in humanis petendúm non ſit , ut nulla incommoda ſint , ſed ut vel minora ſint , vel certiora commoda eligantur. Et Lex , quod poteſt , determinat ; quæ verò ex variis circumſtantiis pendent , vel frequentem mutationem poſcunt , rectiùs relinquit Legi animatæ.

Tertiò. Vitioſa Novitas in d. di- 5
latione non poteſt objici. Nam inprimis non refert novitas, ſi res aliàs quadrat fini optimo , éſtque digna approbatione *Pontificum*. Dein novum non eſt, non confidi tot & tanta miniſteria , antequam conſtet , ea ſine incommodo proprio & alieno geri poſſe. Imò juxta Caſſian. olim experimenta indeterminati temporis erant , & juxta Climacum per annos triginta : nec pro Clericis terminus ponitur , ut ſufficiens , ſed ut minimus , nullúſque certus pro Epiſcopis , ſed ſatisfactio populi &c. Denique S. Pater biennium poſuit , in quibus ſupponuntur omnia dona jam acquiſita , ſolúmque agitur de illis accommodandis Inſtituto.

CAPUT II.

Quâ ratione exigatur tertius annus Probationis?

1 Primò. Propria ratio d. anni non tam eſt in formali ratione Probationis, quàm in diſpoſitione neceſſaria ad Profeſſionem. Nam vita per ſe mixta poſcit ſolitudinem ad tempus; & ideo eſt primum biennium ad jacienda fundamenta ab inexpertis: accedítque d. annús pro jam inſtructis ſcientiâ & ſpirituali & aliâ. Nec enim vita myſtica regulariter plenè addiſcitur à Novitio, nec quod defuit, moraliter ſuppletur tempore ſtudiorum: ergo alia via ineunda fuit, ut qui antea ſapiebat, cogitabat, orabat, loquebatur, ut parvulus, poſtquam factus eſt vir, evacuet, quæ erant parvuli.

2 Secundò. Vita mixta per contemplationem inchoanda eſt, addendo ſtatim actiones præcipuas, quæ ad Purgationem affectuûm ordinatur. Nam juxta communem doctrinam Auguſtini, totius ſalutis initium ſumitur à ſancta cogitatione, quæ eſt actus Contemplativæ, ut hæc ſumitur pro quocunque interno exercitio orationis, conſiderationis veritatum æternarum &c. Statim autem addi debent actus pertinentes ad Purgationem affectuûm, per quos quis habilior reddatur ad actus perfectos Contemplativæ, & per hos rurſus perficiatur in illis, ſícque in utraque Vita creſcat, cùm etiam Activa latiùs ſumatur, ut comprehendit actus mortificationis. Unde etiam in Noſtris miſcentur actiones erga proximum, maximéque conjunctam habent mortificationem & humilitatem, nec poſſunt perfectam Contemplationem.

Vel enim Contemplatio perfecta comparatur ad actionem, quæ tendit ad moderationem paſſionum, 3
vel ad actionem perfectam, quæ ad illuminandum proximum ordinatur? Si 1um, utique d. actio præmitti debet, juxta illud: *Beati mundo corde* &c. Si 2um, præcedit Contemplatio, juxta exemplum Chriſti, Joannis Baptiſtæ, Apoſtolorum Act. *1.* Nam priùs neceſſe eſt, ut quis in ſe ardeat, quàm luceat aliis: valdéque inordinatum eſt, priùs docere, quàm diſcere, ut notat Nazianz. or. 11. *Præclarè cum eo agitur, cui vel in profundam ſenectutem canus ſermo veniat, eámque vim habeat, ut recenti adhuc in pietate animæ adjumento eſſe poſſit. Nam certè alios docere aggredi, priuſquam ipſi edocti ſimus, valde ſtultorum ac temerariorum eſſe videtur.*

Tertiò. Rectè poſcitur d. annus, 4
etiam ut probatio ſufficientiæ pro muneribus Profeſſi. Ita Conſt. Greg. XIII. *Aſcendente*, quamvis d. annus nec de ſubſtantia Profeſſionis

nis ſit, ſive vi Trid. ſive vi Conſtitutionum, nec etiam requiratur continuus, ſed diſpenſari poſſit. Stat autem, ut probatus ad unum munus, denuo probetur ad aliud; imò etiam ad idem, ſi multum temporis interceſſit cum occaſione mutationis, & nondum eſt acquiſitum Jus in re, de qua agitur; ſicque non obſtat c. *Licet* de Off. Leg. Eſto enim præceſſerit plena probatio Litterarum, at non virtutis, nec etiam quoad miniſteria altiora animarum; ſicque d. annus ponitur ut terminus parvitatis, comprehendendo ſub eo tempus reliquum Probationis indeterminatum.

Qua quidem in re mira elucet ſapientia S. Patris quoad educationem ſuorum. Nam in Novitiatu & deinceps eos exercet in utriusque vitæ actibus; quos ultimò reducit ad ſcholam Contemplationis, non quidem ut tota ejus perfectio hauriatur, ſed ut jaciantur fundamenta majora & ſufficientia, & ut impedimenta, quæ tempore ſtudiorum enata ſunt, tollantur: ſimul verò Probatio fit in ordine ad munera deinceps tractanda, quæ & majorem difficultatem habent, & per ſeſe plus virtutis exigunt. 5

CAPUT III.

An ſpecialis forma Profeſſionis ſpecialem obligationem inducat circa eruditionem puerorum?

1 Primò. Meritò ſuſceptum eſt d. miniſterium, tanquam unum ex præcipuis, & majore curâ ac perfectione exercendis. Conſtat ex prima Bulla Pauli III dicentis, *revera nullam eſſe fructuoſiorem erga proximos occupationem.* & p. 5. Conſt. c. 3. litt. B. Sermo enim eſt de eruditione in Fide & moribus, cùm alia in Collegiis tradatur: inde autem magnam partem pendet vita honeſta Fidelium, quia non tantùm quid credere, ſed etiam quid operari debeant, & quem in finem dirigere vitam, docentur, atque ad id excitantur mediis ætati congruis. Simul etiam alii maturæ ætatis, imò ſenes juvantur, qui vel non audiunt Conciones, vel non ſatis pro captu; ſicque d. actio prodeſt omnibus, quibus aliæ, quin è converſo; eadémque eſt efficaciſſimum medium contra errores & falſas doctrinas.

Secundò. Meritò d. Miniſterium explicatur in Voto Obedientiæ. Tenor Conſtitutionis ſuprà eſt: *Ut ſancta hæc exercitatio peculiari modo ſit commendata, & ut devotius curetur propter ſingulare obſequium, quod Deo per* 2

per eam in animarum auxilio exhibetur : *& quia faciliùs oblivioni tradi poterat*, *& in deſuetudinem abire*, *quàm alia magis ſpecioſa.* Ideo enim fit expreſſio, ut altiùs res hæreat animo; ſufficítque authoritas tam Sancti támque Sapientis Fundatoris; & quòd tota Religio rem amplexa ſit, atque adeò tot viri ſanctitate, & doctrinâ eminentes.

3 Tertiò, Expreſſio d. miniſterii in Voto Obedientiæ non fit propter novam obligationem imponendam. Patet ex d. c. 3. certúmque eſt, verba Congr. II *Quisque Profeſſus per 40. dies &c. docere teneatur*, eſſe tantùm Ordinationem ad meliùs exequendum verba Formulæ, non verò Legem ſub peccato obligantem, imò nec determinationem d. Voti. Nam hujus mentio non fit, & nemo vovet abſolutè, ſed *ſecundùm eam*, ſcilicet Obedientiam, ſeu cùm in virtute illius præcipitur; aliter enim non poteſt d. exercitium poni ut materia d. Voti; imò neque abſolutè de conſilio eſt, ſed ſolùm ut quisque ad id ſe paratum habeat.

Dices, d. curam incumbere parentibus, patrinis, & Parochis ex officio. ℞. Societati generatim incumbere, ut juvet omnes in Spiritualibus, quos ex officio obligatio urget ea præſtandi. Præſtátque, multos eſſe adminiſtros ſalutis; quia nec omnes, ut debent, muneri ſatisfaciunt, nec habent eruditionem neceſſariam ad res morales explicandas; uti nec Scholaſtici noſtri ſemper, ut par eſt, officium implere poſſunt, & ideo meritò ad id ſpecialiter deputantur doctiores. 4

CAPUT IV.

An Votum Obedientiæ ad S. Pontificem, ſit ſolemne, ab aliis tribus diſtinctum?

1 Primò, Materia d. Voti ſunt Miſſiones ad profectum animarum, eísque per ſe connexa. Conſtat ex c. 1. Ex §. 5. & p. 5. §. 3. & C. & p. 6. c. 2. §. 13. & J. & p. 7. c. 1. §. 1. *B.* Non enim intenditur tota materia Voti Obedientiæ Societatis, ſed *tota intentio &c. fuit*, *& eſt circa Miſſiones ad proficiſcendum, quocunque juſſerit &c.* Dein etiam manſio in loco impoſitæ Miſſionis comprehenditur; aliàs inepta eſſet Miſſio c. *ſi poſtquam* de Elect. in 6. cùm via ſit propter terminum, non ut finem extrinſecum, condiſtinctum à materia, ſed intrinſecè comprehenſum ſub hac. Idem à fortiori eſt de miniſteriis ipſis, quæ quidem ſint ad *profectum animarum*, quia non intenditur quilibet Dei Cultus, ut Viſi-

viſitatio terræ ſanctæ &c. ſicque alia directè, alia indirectè ad d. finem pertinent; conſequenter in dubio ſtandum eſt pro præcepto.

2 Extenditur d. Votum, ut Miſſio ſuſcipiatur, *non petito Viatico*, & ſine excuſatione, utique voluntatis. Per ſe enim congruit, & aliquando neceſſarium eſt juxta intentionem Pontificis, ut rationes proponantur; imò allegare propriam fragilitatem &c. ſtante præparatione animi, non eſſet grave, quamvis magna imperfectio, & fortè veniale. Rurſus Miſſio vovetur indifferenter, conſequenter ad quævis loca, Gentes &c. etiam ubi domicilium Societatis non eſt.

3 Secundò. Etiam receſſus à loco Miſſionis comprehenditur ſub d. Voti materia. Patet per ſe, ſi avocatio ſit ad aliam Miſſionem: idem autem eſt, ſi ſiſtitur in avocatione, ut ſi quis non eſt utilis loco, vel etiam nocet. Nam Miſſio comprehendit terminos, & permanentiam, ad quam ſpectat limitatio temporis; aliàs poteſtas eſſet diminuta (utut neceſſaria ad Salutem Animarum) & contra intentionem Conſtitutionum, quæ diſtributionem Profeſſorum omnino ſubijciunt Pontifici, ut patet p. 7. c. 1. §. 1. in fine, & ſæpe aliàs. Dein virtute includitur, ut Profeſſus alibi occupetur, ſive per Papam, ſive per Generalem; ſicque negatio ſemper reducitur ad poſitivum, ſeu aliam Miſſionem, vel occupationem.

Tertiò. Sanctum eſt d. Votum. 4
Patet ex materia, & fine. Calumnia autem, quòd id fiat adulationis causâ, & ex ambitione protectionis, non eſt niſi temere judicantium de aliis juxta affectum & animi ſui diſpoſitionem, cùm nec ex materia, nec fine talis ſuſpicio pareat, rémque Pontifices approbârint. Dein Spiritualia legitimè fieri nequeunt, niſi à miſſo legitimè: ergo ad eum, cujus eſt cura totius Eccleſiæ, rectè remittitur negotium: & ſicut ipſa Obedientia holocauſtum eſt Deo gratiſſimum, ita maximè, cùm Voto conſecratur, & ad talem finem.

Nec refert, perſonas eſſe ignotas 5
Pontifici. Nam inprimis intra annum à creatione ejus, fit manifeſtatio Voti; refértque ejus, ſcire, quòd habeat præparatas auxiliares copias quibus ut Generaliſſimus uti Jure ſuo poſſit. Dein multi jam miſſi ſunt, multóſque vel de facie, vel ex fama Pontifex nôſſe poteſt, & quoad alios committere delectum Generali, vi Voti obſtricto ad id fideliter exequendum. Denique in S. Franciſco pia intentio fuit, promittendo cum *Suis* ſpecialem Obedientiam S. Sedi, ejúſque curæ Religionem ſuam committendo ob ſpecialem Paupertatem.

Quartò. Obligatio ſpecialis eſt d. 6
Voti, quam non affert generale Votum Obedientiæ aliarum Religionum

gionum ; quidquid dicat Emman. Rodriq. Non enim Votum obligat, quantùm ad materiam, aliter reſpectu Pontificis, ut Prælati, quàm reſpectu alterius Superioris : ergo ſicut ab alio injungi non poteſt Monacho Miſſio ad Indos v. g. ita nec à Pontifice vi Voti : nam vi Juriſdictionis id agi, etiam tenet in Clerico Seculari, & caſus eſt rarus. Dein etiam quoad Mendicantes, diſparitas eſt, quia Noſter mitti poteſt, ubi nullum eſt domicilium Societatis, & cogi ad ſemper vivendum in aliena domo. 2. Mitti poteſt ſine viatico. 3. Abſque excuſatione ob periculum mortis &c. 4. Non ex accidenti propter obligationem Charitatis, Juſtitiæ, vel Obedientiæ Chriſtianæ omnibus communi ; ſed vi ſpecialis Voti, & quaſi ex officio.

7 Dices, rem eſſe novam, imò temerariam præſumptionem ob pericula &c. R. Non omne novum eſſe reprehenſibile (nam etiam Paupertas Minorum, Militia Religioſa, Redemptio Captivorum, fuit novum quid, & in omni Religione peculiare quid eſt) ſed quod antiquitati repugnat ; ſecùs verò, ſi pro temporum opportunitate confert ad perficienda antiqua. Nec Votum imprudens eſt de re ardua, quia non viribus propriis implendum creditur, ſed ejus, qui quod cœpit & inſpiravit, perficiet. Nec etiam promitto exponere me periculis, hos illóſve adire, ſed obedire Superioribus, quo nihil certius eſt ad non errandũ in via Domini. Denique meum non eſt procurare Miſſionem, ſed paratum eſſe, & ideo Gregor. laudat ſpiritum & Iſaiæ & Jeremiæ, quia nec iſte reſtitit, nec ille annuit Miſſioni niſi purgatus per calculum.

8 Quintò. Sive in Voto Obedientiæ Societatis contineatur d. Votum, ſive non ; utiliter & ſanctè fit, quamvis probabiliter addat obligationem majorem intenſivam, imò & extenſivam ex parte materiæ. Nam promiſſio obediendi Pontifici, ut fit à Minoribus, ad plura etiam non obligat juxta Bonav. & tamen rectè fit, quia plus timeri ſolet, quod ſingulariter pollicetur, quàm incluſum in generali ſponſione c. *Quanquam* d. 23. éſtque actus novus meritorius, ſi fit nova & expreſſa voluntas prioris obligationis. Rurſus quò magis voluntaria eſt obligatio, eò etiam melior eſt intra eandem ſpeciem : magíſque obligat reſpectu Regis, quàm reſpectu privati, ſeu Inferioris : at Generales vice Pontificis ſuſcipit promiſſum ; ſícque iſte eſt ſpecialis Prælatus Societatis, etiamſi juxta aliquos non eſſet Prælatus Religionis.

9 Dein nullibi expreſſum eſt, Scholaſticum ire debere ſine Viatico, nec ſecluſâ neceſſitate videtur per ſe obligari poſſe, cùm non voverit eam Paupertatem, ut Coadjutor, nec etiã illam vi Voti Obedientiæ. Profeſſus etiam expreſsè vovet abſtinere

excuſatione; ſecus Scholaſticus, qui cùm adeſt Profeſſus, ex officio expoſitus, declinare poſſet periculum, quamvis quia neſcit rationes Superioris, loquendo practicè, obedire teneatur. Denique Profeſſus pluribus actionibus & Miſſionibus, cùm ſuppenatur eſſe conſpicuus litteris &c. exponitur, cùm tamen alius ex parte negotiorum habeat excuſationem. Nihilominus tamen tota Religio manet ſpecialiter ſubjecta Pontifici, quia alii cooperantur Profeſſis, vel ad idem ſe diſponunt.

10 Sextò. Actualis obligatio d. Voti, quantùm ad executionem, ſupponit præceptum. Nam licèt ſicut poteſtas præcipiendi ſemper eſt, ita & animus cujusque ſemper paratus eſſe debeat ad eundum &c. tamen Obedientiæ Votum non obligat, niſi ſuppoſito præcepto, & conſequenter formâ hujus conſuetâ, ſi fertur à Generali; ipſéque Pontifex mentem ſatis declarare debet: aliàs intelligetur injungere ſolùm ſecundùm Conſtitutiones. Regulariter autem, & de Conſilio, non eſt exſpectandum præceptum, quidquid indicet Soto; nam meritum ex præcepto ſatis compenſatur per promptitudinem voluntatis: conſtátque per ſimplicem injunctionem de placito Divino, ut ſic & fructus Obedientiæ, & protectio Divina ac auxilium ſperari poſſit.

Septimò. Votum quartum Profeſſi meritò dicitur, & eſt ſolemne. 11
Ita d. Conſt. *Aſcendente.* Conſiſtit enim in Traditione utrinque irrevocabili, ita ut quoad Miſſiones non maneat quis ſui Juris, imò nec propriè Religionis, ſed Pontificis ſervus ſit. Rurſus ſicut vi Voti Obedientiæ, cui additur Traditio ſolemnizans, ſit, ut nullus contractus &c. Religioſi firmus ſit; ita in ordine ad Miſſiones, quidquid Profeſſus contrahere intentet de habitando in hoc vel illo loco &c. invalidum eſt, ſi repugnet obligationi d. Voti: ſícque eadem proportionaliter ſolemnitas eſt in d. Voto, quæ aliàs eſt in Voto Obedientiæ Profeſſi.

CAPUT V.

An Profeſſio convenienti modo fiat in Societate?

1 Primò. Omnia, quæ ad ſubſtantiam pertinent, expreſſa ſunt in formula Profeſſionis. Notantur enim ſingula, ut tria Vota, cum addito, *juxta formam vivendi* &c. itémque Religio, ejúsque Approbatio. Si autem poſt verba, *Profeſſionem facio*, quis ſiſtat, tacitè ſubintelligendo cætera, nihil facit, quia petitur Profeſſio expreſſa, p. 5. c. 3. Lit.

Lit. A. ibi; *Eſſentiale eſt, ut publicè Votum legatur, coram iis de Societate & externis, qui adfuerint* &c. Quòd ſi quartum Votum omitteretur, teneret actus, ut Profeſſio trium Votorum, ſi Generalis ſcriptum recipit tacendo; ſecùs autem eſt de Commiſſario: quia non ſunt actus, ut totum & pars, ſed ut tota diſtincta; ſicque non tenet illatio, Qui plus, & minus poteſt; maximè ob c. *Si de non Sacerdotali*, de Præb. in 6.

2 Secundò. Alii, quæ ad comitantem ſolemnitatem pertinent, accidentalia ſunt. Sic requiritur, ut actus fiat coram Noſtris, & externis, ſed ſine addita clauſula irritante, ſive à Jure Communi, ſive à Noſtro. 2. Ut Miſſa dicatur ab acceptante Profeſſionem. 3. Ut Celebrans poſt Communionem ſe convertat ad voventem, tenendo Sanctiſſimum. 4. Ut tunc ex ſcripto legatur Profeſſio, omiſſis interrogationibus. 5. Ut poſtea ſumatur Sanctiſſimum, maximè ad ſtabiliendum pactum. Nam & Chriſtus viciſſim ſe tradit, tacitè promittens auxilium &c. & vovens eundem quaſi in fidejuſſorem adducit, Idémque fit in qualibet Ordinatione Clerici, tanquam monitio, longè majore reverentiâ, quàm ab aliis, deinceps tractandum eſſe myſterium.

CAPUT VI.

De Voto Simplici non aſſentiendi Relaxationi Paupertatis.

1 Primò. Finis d. Voti eſt, ut Societati circa Paupertatem proſpectum ſit. Nam Paupertas eſt murus Religionis, & propugnaculum: nil autem magis, quàm hæc, curandum eſt, ut urbs defendi poſſit; ſicque ad idem Alex. III. hortatur Ciſtercienſes, & SS. Dominicus & Franciſcus Suos, imprecando maledictionem transgreſſoribus. Licèt enim Votum ſit minus cæteris, & obſervatu facilius, tamen ejus violatio plus nocuit, ſive quia urgent commoda corporis, ad quæ generale inſtrumentum ſunt pecuniæ; ſive quia ob Dæmonis impugnationem frequentior eſt lapſus, cùm faciliùs lateat, aut diſſimuletur: pro Caſtitate autem pudor pugnet, & pro Obedientia Superior.

Secundò. S. Pater providit Paupertati quoad Jus potiùs, quàm quoad factum. Nam contra transgreſſionem nil addidit, præter media à Jure communi, & Conſtitutionibus proviſa. Sicut autem diverſa ſunt Votum non nubendi, & Votum non petendi diſpenſationem in illo, ſtátque violatio unius ſine violatione alterius; ita Profeſſus 2

per

per proprietatem peccat contra Votum ſolemne, quin peccet contra d. Votum ſimplex; uti è converſo fieri poteſt violatio hujus, non violato illo. Denique ſoli Profeſſi ſic vovent, quia penes ſolos eſt Regimen, & mutatio Juris Societatis.

3 Tertiò, Purè negativum eſt d. Votum. Duas enim actiones mihi vetitas facio: alteram ferendi ſuffragium deciſivum in Congregatione Generali (à qua ſola fieri poteſt mutatio) ad innovationem Conſtitutionum in his, quæ ad Paupertatem pertinent, niſi fortè ad reſtringendum; alteram procurandi quacunque ratione (etiam per ſuffragium conſultivum &c.) ut relaxatio fiat, vel admittatur. Ita p. 6. c. 2. §. 1. & A. Ubi promiſſio generaliter fit, & non merè reſtricta ad Domos Profeſſas, dicendo: *Nunquam aſſentietur ad immutandum, quod ad Paupertatem in Conſtitutionibus pertinet; nec in Conventu totius Societatis congregatæ, nec per ſe ipſum ullâ ratione id curando.* Similiter verba Pontificis generalia ſunt; & p. 10. §. 5. pro materia Paupertatis ponitur, non admittere ſtipendia pro ullis rebus ſpiritualibus.

4 Ex quo ſequitur, meram permiſſionem relaxationis non eſſe contra d. Votum, quia permittere non eſt cooperari, aut procurare &c. & c. *Quantæ*, de S. E. ſolùm procedit in caſibus expreſſis. Dices, ſi interiùs judicare licet, quòd non expediat Paupertas Domûs Profeſſæ; cur non etiam ſic loqui licet? R. in dubio Votum eſſe in poſſeſſione. Tamen in eodem dubio (ſicut in ſimili dictum eſt de Voto non petendi diſpenſationem) rem agitare licitum eſt, imò neceſſarium ad vitandum periculum majoris incommodi Religionis. Similiter res proponi poteſt Pontifici, ut quod videbitur, ſtatuat: quamvis tutius ſit, ab eodem petere facultatem, ut liberè, quod quisque ſentit, proponi poſſit.

Quartò. Indultum Pontificis vel Concilii Tridentini jam non facit licitam d. relaxationem in Societate. Nam Pontifex etiam in materia Conſiliorum, ſuppoſito ſtatu, judicare poteſt, quid expediat Religioni, & conſequenter obligare; conſtátque, tunc parendum eſſe præcipienti. Tamen ut Prælatus Religionis non poteſt irritare d. Votum, quia ut talis, plus non poteſt, quàm Generalis, cùm poteſtas irritandi naſcatur ex eadem Traditione, & Voto Obedientiæ; & aliàs etiam ſine cauſa poſſet tollere d. Votum; imò eſſet mutatio in Voto Solemni Paupertatis. Rurſus licèt indultum Tridentini acceptari potuerit (aliud enim eſt, procurare mutationem; aliud, acceptare) tamen poſtquam Congreg. II ceſſit Juri d. Indulti, res nunc non eſt integra, quia jam, ut antè, ligamur, eodémque ſenſu promittimus Paupertatem: revo- 5

care autem ceſſionem, eſſet magna relaxatio. Ad objectionem novitatis, reſpondetur illam non obeſſe, ſi bona ſit, & fini congruat. Periculum autem laquei eſſet pro tota Religione, ſi muri defenſio non curetur, ut poteſt.

CAPUT VII.

De Voto non ambiendi Dignitates.

1 Primò. Sanctum eſt d. Votum quatenus coërcet appetitum inordinatum, & intrinſecè malum. Ita expreſsè S. Thom. Cajet. Soto, Antonin. quia evidenter eſt de meliore bono, ut conſtat ex forma vovendi, *nunquam me acturum, vel prætenſurum, ne indirectè quidem, ut in aliquam Prælationem, vel dignitatem in Societate eligar, vel promovear* &c. Item, *nunquam me curaturum, prætenſurúmve extra Societatem Prælationem aliquam vel Dignitatem.*

2 Ratio eſt, quia appetere Prælationem, quatenus in ea honor, excellentia, & ſuperior poteſtas ſpectatur, & concupiſcitur, malitiam habet intrinſecam ambitionis & vanæ præſumptionis, juxta S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 1. ad 3. at rectè voventur etiam per ſe neceſſaria, præſertim quia ſecluſo Voto, materia fortè eſt venialis. Deinde nihil ita virtutis viam impedit, ut ambitio, juxta Bern. nam ex illa oriuntur diſſenſiones, invidiæ, calumniæ, contentiones &c. ſicque etiam, qui eligunt ambientem, reprehenſionem merentur, c. *Miramur* d. 61, c. *Nullus itaque* 1. q. 1.

Confirmatur ex ſpeciali utilitate d. Voti in Societate; nam Profeſſorum proprium eſt Regimen, & in eis ſupponitur aptitudo ad miniſteria: ergo quia familiares, gratique multis evadere per ea poſſunt, prompta omnia habent ad excitandos motus ambitionis. Hinc contra peſtem, quam adeò damnat Chriſtus in Apoſtolis, Societas à Novitiatu invigilat ſummâ ope, præter Providentiam communem, quâ omnes Electiones ſoli Generali committuntur, ipſe verò perpetuus eſt. 3

Secundò. Prohibet d. Votum appetere Epiſcopatum &c. non tantùm propter excellentiam, ſed propter fructum aliorum, vigilias & labores muneris. Nam ſicut Votum Caſtitatis indifferenter arcet ab illicito & licito, ita in præſenti forma vovendi indifferenter ſe habet ad prætenſionem licitam & illicitam; & meritò. Licèt enim finis ſit excludere ambitionem (*malorum omnium in quavis Republica vel Congrega-* 4

gatione matrem, ut dicitur p. 10. §. 6.) tamen medium neceſſarium ad illam excludendam, eſt aditum ad Dignates omnino præcludere: quia caſtè illas appetere, rariſſimum eſt, & plenum periculis, ut docent Sancti, & experientia. Si fingas, quòd aliquando honeſtius ſit oppoſitum, Paſtorum eſt, providere, non privati negotium, imò ſemper redderet ſuſpectum: ergo dato caſu, ſufficit rem notificare Pontifici, offerendo ſe ad laborem &c. &c.

5 Tertiò. Deſiderare Dignitatem &c. non eſt contra d. Votum. Nam verba *prætendere*, *procurare*, *agere* ſignificant influxum ad *obtinendam*. ut dicitur d. §. 6. Rurſus aliud eſt movere tantùm *objectivè*, ut ſtudendo &c. ſe aptum facere &c. aliud *effectivè* per aliquam actionem moralem ad inducendum eum, qui dignitatem conferre poſſit: at prior motio eſt effectus neceſſarius ex ſcientia, dotibus &c. ſicque ex deſiderio dignitatis ſtudere &c. facit quidem ambitioſum coram Deo, non tamen coram hominibus; ſicut nec Hæreticus eſt, qui ſtudet animo defendendi Hæreſes: & aliter res eſſet moraliter valde periculoſa
6 propter plures ſcrupulos, quia intentio difficilè cognoſcitur.

Dices, ergo nec fingere virtutem coram iis, qui promovere poſſunt, erit *prætendere* Dignitatem, quia objectum ſolùm ornatur falsâ imagine: idémque eſt de procurante informationem falſam; nam ſolùm fit propoſitio objecti. R. Etiam procurare informationem veram ex d. intentione, eſſe contra Votum, quia nullus eſt modus efficacior negotiandi in hujusmodi. Imò tunc interna prætenſio per ſe *directa* eſt, quamvis dicatur *indirecta*, quando exteriùs non manifeſtatur, ut patet in aliis obſequiis, beneficiis &c. d. intentione factis. Ratio differentiæ eſt, quia quærere ſcientiam, per ſe bonum eſt, indifferens autem famam quærere: ergo per intentionem determinatur ad malum. In individuo tamen actus ſemper eſt venialis, vel ob ſubreptionem, vel levitatem materiæ, vel quia intentio non imperat actum, ſed ſolùm circa illum, ut objectum verſatur, non ut effectum.

7 Quartò. Appetere Dignitatem, vel Prælaturam, unum idémque eſt in Societate. Nam qui ſine Juriſdictione eſt, nec ex Jure communi (arg. c. *Quamvis*. de V. S.) nec ſpeciali Societatis habet Dignitatem: habere autem Jurisdictionem, eſt habere Prælaturam, ſeu munus, quod ratione ſui habet Jurisdictionem propriam & ſpiritualem in ſubditos, ſive ordinariam, ſive Delegatam, ut in Viſitatore, Vicario Generali, Commiſſario &c. Negátque Sixtus V. in Declar. de Illegit. nomine *Dignitatis* in Religione venire munus legendi, concionandi &c. Gradu Magiſterii. Idem eſt juxta Congreg. VIII. de Aſſiſtente, ergo à fortiori de Conſultore Provinciæ. Secùs veriſimiliter eſt de procurante, ut ſit Elector, quia vi ſuffragii deciſivi habet

habet Juriſdictionem, quamvis brevem; & ideo non caret ſcrupulo prætendere munus Procuratoris, tum propter ſimile ſuffragium, tum quia repræſentare totam ſuam Provinciam, ſufficiens Dignitas videtur.

8 Quintò. Convictus per ſententiam de d. ambitu, rectè privatur voce activâ, & paſſivâ. Ita p. 8. c. 6. §. 2. A. ubi negatur ſufficere ſuſpicio. Conſonat autem pœna Juri, ut conſtat ex c. *Per inquiſitionem.* de Elect. ratióque ipſa poſcit, c. ult. 1. q. 6. c. *Si quis Epiſcopus* & c. *Si quis de Ordine* 7. q. 1. c. *Apoſtolica* 8. q. 1. c. *Si quis Papa.* d. 36. l. *Sancimus.* Cod. ad L. J. Repetund.

CAPUT VIII.

De Voto non acceptandi Dignitatem extra Societatem, ſecluſo præcepto.

1 Primò. Laudabile eſt ex objecto ſuo d. Votum. Ita S. Thom. Antonin. Soto, Cajet. Bonav. Conſtátque exemplis Sanctorum Naz. Baſil. Martin. Cyp. Ambros. Aug. Chryſoſt. Greg. M. Bernardi, S. Thomæ, Cæleſtini V. Petri Damiani, Laur. Juſtin. & ex c. *Ante omnia.* d. 40. c. *In Scripturis.* 18. q. 1. Nam non acceptare, eſt & ſecurius & humilius & maximè diſtans à propria præſumptione; fitque ſatis alienæ utilitati, quando Charitas, vel Superior obligat, ut in omni Voto hæc exceptio includitur. Nec cura boni communis pertinet ad Inferiorem nec huic, ſed Superiori neceſſitas nota eſſe debet, nec denique in cauſa propria rectus quis Judex eſt; imò niſi cogatur, ſemper videtur propriá voluntate honorem accipere, vel ſe exponere periculis; ſícque vix poteſt judicare, quòd acceptatio ſibi melior ſit.

Confirmatur, quia licèt adſit judicium Superioris, non ſufficit p. 9. c. 4. B. c. 4. E. quia in rebus gravioribus, ubi eſt periculum proprium, vel honoris &c. affectus, conſultius eſt, per ſe loquendo, non moveri, niſi præcepto; ſecùs ac in rebus communibus & ordinariis. c. *ſciendum.* 8. q. 1. Loquendo, inquam, per ſe, quia ob ſpeciales circumſtantias poteſt expedire promptitudo; & judicium non ex unâ, ſed omnibus circumſtantiis ferendum eſt in moralibus; notátque S. Thom. 2. 2. q. 104. c. 2. ad 3. 2

Dices, ergo etiam pro Indiis, pro Prælatione in Societate præceptum exſpectandum eſt. R. Ubi periculum eſt ſine admiſſione honoris, commodi &c. ſimplicem voluntatem Superioris, eſſe optimam rationem obediendi, & per ſe loquendo, ſufficere ad excludendum timorem ob ſpem auxilii, maximè in Inſtitu- 3

Inſtituto huc vocante, quia gratia Vocationis non deerit. At Prælatura intra Religionem etiam habet aliquid de ſuo, quamvis minus, quàm extrà, minúſque etiam periculi; licèt ergo promptum ſe oſtendere non oporteat; tamen per præceptum compellere in re ordinarii Regiminis, nimis difficile foret.

4 Secundò. Specialiùs urget in Societate neceſſitas ſic cavendi. Nam indiget viris doctis & Religioſis: ergo præjudicium ejus foret, illis privari, ut in ſimili c. *Hinc eſt.* 16. q. 1. Dein ubi majus periculum eſt, plus etiam præcludendum fuit ambitioni; præſertim quia Noſtri regulariter utiliores erunt Eccleſiæ, manendo in ſuo ſtatu humili, ut de ſuis dixerunt SS. Dominic. & Franciſcus Cardinali, & ſimiliter S. Pater Paulo III. confirmavitque Gregor. XIII. in Conſt. *Aſcendente.* quia revera Profeſſus Eccleſias æquè vel magis juvare poteſt ſuis miniſteriis, quàm Epiſcopatu, fingíque vix poteſt caſus, quo de conſilio Charitatis melior ſit acceptatio; nam ſolùm eſſet propter ſpecialem neceſſitatem gravem: at diſtinguere hujus gradum pro præcepto vel conſilio, difficillimum eſt.

Confirmatur, quia bonum agitur Religionis: ergo Lege, & non cujuſque arbitrio definiendum fuit, quando urgeat neceſſitas; aliàs quiſque eam fingeret: at ſecluſo præcepto, tutiùs & prudentiùs quiſque judicat, oppoſitum eſſe melius, præſertim quia Charitatis ordo magis obligat Societati, quamvis ſimul ſic proſpiciatur univerſali Eccleſiæ. In dubio autem ſtandum eſt Voto, quia generaliter fit, & aliter agendi neceſſitas non eſt, cùm Pontifex, ſi vult, præcipere poſſit. Nec obſtat c. un. d. 85. nam vel juramentum non accedendi ad Epiſcopatum, fuit ſine exceptióne, vel Gregorius id ſervari voluit, quia deerat neceſſitas cogendi, quâ ſecluſâ, conſultiùs & tutiùs ſervabatur. 5

CAPUT IX.

De Voto audiendi conſilia Generalis, ſi quis in Epiſcopum eligatur.

1 Primò. Factus Epiſcopus ſolvitur ab Obedientia Societatis. Ita communis cum S. Thom. quia immediatè ſubditur Papæ vi Voti Obedientiæ, utpote poſitus in altiore gradu, c. *Niſi* de Renunt. ſícque, ut dicitur p. 10. §. 7. Superioris loco nullum habet de Societate; imò nec habere poteſt ſine licentia Papæ. Quamvis enim ex natura rei, qui Juriſdictione Superior eſt, poſſit quoad proprias actiones ſe volun-

luntariè ſubdere alteri; tamen quia Epiſcopus ſoli Papæ imediatè ſubditùr de Jure Eccleſiaſtico, juri ſuo cedere nequit, maximè quoad Regimen, cujus cura illi, non extraneo, commiſſa eſt, nec ab alio pendere poteſt, citra virtualem inverſionem Ordinis Eccleſiaſtici, quia Regimen virtute reduceretur ad Generalem, & huic Eccleſia quodãmodo ſubderetur.

2 Secundò. Translatò ad Epiſcopatum utile eſt d. Votum. Nam prudentia eſt virtus propria Principis 3. Pol. 3. quia & maximè neceſſaria, & ferè ſufficiens ad rectè regendum, cùm hominibus imperare, difficile non ſit, ſi quis prudenter id agat; prudentibus enim ultro paretur, ut ait Xenophon Cyropœdiæ l. 1. At ſanum prudentiæ judicium maximè pendet ex ſapienti Conſilio, quia nemo ſibi ſufficit, præſertim in tot & tantis rebus, & plures oculi plus vident, quàm duo, 3. Pol. c. 12. docuítque Deus exemplo in Moyſe. Ex. 18. facítque c. ult. d. 38. & c. 1. d. 84.

3 Imò non tantùm de agendis Conſilia neceſſaria ſunt, ſed etiam admonitiones de præteritis: at & Principes, qui moneri patiantur, rari ſunt, & amici fideles, qui miſsâ adulatione, veritatem ſincerè conſulant: ergo utrique neceſſitati rectè providetur per d. Votum. Nam ſic & ſuppetit conſilium de rebus maximè neceſſariis, & præſtatur à perſona, de cujus prudentia & Charitate in exequendo officio moralis certitudo eſt; & additur præter illuminationem intellectûs, obligatio voluntatis ad exequendum meliora, ut ſæpe per ſe clara ſunt, v. g. vitatio ſcandali, vigilantia muneris &c. Licèt autem libertas in monente neceſſaria ſit, verbis tamen placidis temperanda eſt, & quod conſulitur, ita ſuadendum, ut delectet.

Tertiò. Ad duo tantùm obligat d. Votum. Unum eſt, non detrectare audire Conſilium &c. utique non datum de temporalibus, ſtudiis &c. ſed de his tantùm, quæ ad propriam ſalutem, vel debitam muneris adminiſtrationem pertinent, ſive directè, ſive per indirectum. Detrectatio autem Conſilii fit, vel omnino nolendo id audire, vel acerbè ferendo, ídque ſignificando; nam eo ipſo ſatis expreſsè detrectatur, loquendo moraliter. Alterum eſt, ſequi non quidem quodlibet melius, ſed Conſilium melius, quia forma ad hoc limitatur; aliàs Votum foret periculoſum & oneroſum. Imò nec Conſilium ſine magna conſideratione multiplicandum eſt, ſolúmque in his, quæ ad Dei obſequium, & magnum animarum fructum neceſſaria videntur. 4

Quartò. Societas viciſſim non obligatur. Nam neque vi Voti, neque Conſtitutionis, ut à fortiori conſtat ex p. 10. A. ibi: *libera manet* (Societas) *ut id oneris & relinquere & aſſumere poſſit* 5

poſſit. Dein admonitio fieri debet per Generalem, vel alium de Societate ſubſtitutum, ut ſtatuit Congr. I. & III. at oneroſum foret, mittere comitem Epiſcopi in Æthiopiam &c. &c.

6 Quintò. Sine facultate & approbatione Generalis nemo extra Societatem admittere poteſt dignitatem. Ita Conſt. p. 9. c. 3. §. 13. Commune enim eſt omnibus Regularibus, ne valeat acceptatio Dignitatis extra Ordinem ſine facultate Superioris. c. Si *Religioſus.* de Elect. in 6. At circa Noſtros immediatus Superior nihil poteſt quoad d. facultatem: & adhuc Profeſſus facultate datâ uti non poteſt ſine violatione Voti, quamdiu non urgetur præcepto.

CAPUT X.

De Voto manifeſtandi procurantes Dignitatem.

1 Primò. Sanctum & utile eſt d. Votum. Obligat enim ad manifeſtandam ambitionem Dignitatis, ſive intra, ſive extra Societatem conſequendæ, ut Congr. III. ſtatuit, cui Patres plures primæ Congregationis interfuerunt, certi de ejus, & S. Patris mente, quamvis verba p. 10. §. 6. non cogant; & d. obligatio tum generaliter cum aliis Conſtitutionibus approbata eſt, tum in ſpecie Conſt. *Aſcendente*, quia ſic revelatio ex licita fit vi Voti etiam neceſſaria ſub gravi: eguítque Societas tali medio ad ſui defenſionem contra ambitionem, quæ ut poteſt, occultari ſolet. Oportet autem, ut ambitio ſit mortalis; nam eadem, quæ cavenda, etiam denuntianda promittitur; unde non ligantur Scholaſtici &c. &c. &c.

2 Secundò. Obligatio d. Voti non urget, niſi ſuppoſitâ certitudine ſaltem morali delicti. Nam forma ſuprà eſt: *Si quem ſciam*; at nemo prudens dicit, ſe ſcire, niſi quod d. certitudine habet, ſive per experimentalem rei cognitionem (ut ſub verbo *Viſûs* eam comprehendit Gl. l. 2. §. 2. & 8. ff. de aqua pluv. arc. & Bart. in l. 1. ff. de Interrog. act.) ſive per certam fidem humanam, ut etiam Juramentum de veritate eſſe poteſt in his, quæ quis indubitanter credit, utique fide humanâ; ſicque juxta Felin. Domin. & alios poteſt quis pro certo ſcire, quod ab uno fide digno accepit tanquam certum, & conſequenter obligari ad manifeſtandum Prælato inquirenti. Idem ergo eſt in præſenti: nam verba ſumi debent in proprietate morali, cùm ſimiliter urgeat ratio boni communis, & medium ſit ordinatum.

Secùs autem eſt de ſuſpicione, 3

vel conjecturâ probabili. Nam verba p. 8. c. 6. §. 2. A. *Si animadverterint*, in rigore ſignificant ſatis certam cognitionem: & licèt ſupponant, rem poſſe deferri, ſilent tamen de obligatione Voti. Hujus enim materia attendi debet, non ſola utilitas deferendi, quia non promitto pro omni caſu, quo delatio eſſe utilis poſſit: ſatíſque eſt, provideri caſibus certis, & moraliter neceſſariis.

4 Tertiò. Non extenditur d. obligatio ad delictum merè præteritum, & non pendens in futurum. Nec enim extenditur ultra vim verborum, *curare*, *prætendere*, *agere*, *moliri &c.* nec utilitas per ſe intenta eſt punitio, ſed præcluſio aditûs ad quid obtinendum viâ ambitionis. Delictum autem tunc eſt præteritum, quando non ſolùm retractatur, ſed nec effectum habet vi prioris negationis; ſicut in ſimili excuſant Doctores obligationem manifeſtandi delictum, quod plenè ſanatum eſt, citra periculum imminens; & aliàs utut lapſus eſſet emendatus & ſopitus, ſuſcitandus eſſet: quod nec Charitati conſonat, nec Societati neceſſarium vel utile eſt. Facítque, quod dicitur d. §. 2. *ſi ſciat aliquem hoc munus affectâſſe &c.* utique *ab obitu Generalis*, ut in ſimili Congregatio IV. declarat de ambitu muneris Aſſiſtentium, quia aliàs vix poteſt præſumi moraliter intra tam breve tempus emendatio; ſed eſt delictum pendens.

Quartò. Obligat d. Votum, ſi delictum eſt publicum, vel ſufficienter probabile. Nam tunc & licet denuntiatio, & eſt utilis fini Societatis, & verbis Voti comprehenſa. Imò ſufficit ſemiprobabilitas ad Denuntiationem Judicialem, ſi alius teſtis concurrit cum denuntiante, ut injungi poſſit pœnitentia, & emendatio peccati. Similiter infamia, ſi quidem probari poſſit, ſufficit ad viam Inquiſitionis, & remedia ponenda. Quamvis autem denuntiatio Judicialis, quæ probari non poteſt, intrinſecè mala ſit, utpote detractio, cùm Eccleſia non judicet de occultis; tamen ſecreta denuntiatio ſemper licet, cùm agitur, non de puniendo, ſed impediendo gravi nocumento Cōmunitatis, vel tertii.

Ratio eſt, quia cùm agitur de pernicie publica, in quam per ſe vergit peccatum ambitionis, d. medium prætermitti nequit, quia unicum eſt, & in tanto periculo. Poſſúntque eſſe plures, non quidem conteſtes, ſed ſufficientes, ut Superior vigilet, attendat indicia, generaliter inquirat de delicto, vel ejus poſſibilitate, & an ſit rumor de denuntiato. Rurſus Generalis poteſt facilè, ſi vult, præcludere periculum, cùm ejus ſit diſtributio officiorum. Sin ad Vicarium pertinet cura, non communicabit cum aliis rem, niſi judicet 6

cet

cet eo ſtatu eſſe , ut poſſit ad judicium deduci, vel niſi egeat conſilio & induſtriâ aliorum ad remediũ adhibendum. Periculum autem calumniæ nec morale eſt, nec præſumendũ de Religioſis; præſertim quia & exigi poteſt juramentum, & non datur fides cuique citra aliud examen; quamvis etiam unus teſtis, ſi notæ integritatis & prudentiæ ſit, & affirmet rem pro certa, ſufficiat ad impediendum malum, arg. c. *Super eo.* 2. de Teſtib.

7 Quintò. Si delictum viâ conſultationis piæ innotuit, denunciari nequit. Concluſio veriſſima eſt, & bonis moribus neceſſaria, notátque Congregatio VI. ſic declarans obligationem d. Voti. Nam ex natura rei Secretum eſt graviſſimum; & aliàs vix ullus auderet ſuæ conſcientiæ per d. conſultationem providere. Licèt ergo non ſit Secretum Sigilli (quidquid dicat Bannez) ut patet in caſu Hæreſis, Proditionis &c. ſícque non obliget pro omni omnino caſu, ut in Sacramento; rariſſimè tamen, & non niſi propter vitandum maximum malum commune violari poteſt: at plus mali eſt in facilitate revelationis, quàm per ambitionem afferri poſſit. Secùs eſt de conſultatione ficta, quæ non fit in ordine ad vitandum peccatum, vel ad alium bonum finem, ſed animo inducendi alium, explorandi illum &c. tunc enim utique digna non eſt ſecreto, cùm hoc faveat ambitioni, non contra eam proſit, ut in caſu priore.

8 Sextò. Neque in delicto publico, neque occulto requiritur admonitio prævia ſecreta, quamvis nec vetita ſit. Prior pars per ſe conſtat, quia ſtatim tranſiri poteſt ad denuntiationem Judicialem. Quamvis autem per ſe ſecùs ſit in delictis occultis c. *Qualiter* 1. de Accuſ. tamen excipiuntur delicta, quæ per ſe vergunt in perniciem publicam. Nec enim præſens denuntiatio eſt correctio fraterna, ſed per ſe tendit in bonum publicum, non privatum. Verum eſt, caſum eſſe poſſe, quo ſine damno proximi conſuli poſſit bono publico: ſed in præſenti caſus non debet cenſeri moralis, cùm privata monitio non poſſit cenſeri proportionatum & moraliter ſufficiens remedium. Melius eſt, ſtatim adire Superiorem, quia requiritur providentia ejus, cui ex officio incumbit cura avertendi malum. Denique ſicut non promiſi monitionem, ita nec omiſſionem hujus, quia obligatio denuntiandi non urget pro ſtatim, quin exſpectari poſſit opportunitas: nec intentio obtinendi perfectam emendationem excludit propoſitum denuntiandi delictum pendens; ſicque conſonat Charitati.

CAPUT. XI.

Cur hæc Vota ſint ſimplicia ?

1 Primò. Juxta intentionem voventium non ſunt niſi ſimplicia. Conſtat ex Conſtitutionibus, ſecundùm quas quiſque vovet; & ideo etiam Congregationes non niſi ſimplicia vocant: ad Voti autem ſolemnitatem requiritur formalis, vel virtualis intentio Voti ſolemnis.

2 Secundò. Etiam in re non ſunt niſi ſimplicia. Non enim participant Traditionem de præſenti, nec ad eam firmandam per ſe ordinantur; & ideo ſupponunt jam Profeſſum, ut patet ex forma, & temporis intervallo. Rurſus non habent ullum effectum moralem, ſive de Jure communi, ſive Societatis: nec habilitant ad vocem activam, vel paſſivam in Electione Generalis, ut patet ex Conſt. *Accedente*, & Congreg. IV. Denique ſicut tria Vota ſunt media eſſentialiter neceſſaria ad finem ſtatûs Religioſi, ut ſic; ita quartum Votum ſpectat ad eſſentialem finem Societatis: alia ergo ſolùm ſecundariò ad illum conferunt, non ut medium per ſe, ſed ut removent impedimenta.

LIBER VII.

De Profeſſione trium Votorum, ac Formatis Coadjutoribus.

CAPUT I.

Cur admittantur aliqui ad Profeſſionem iſtam, & ad quem finem deſtinentur ?

1 Primò. Opportunum & expediens fuit, Sacerdotes incorporari Societati ſolùm per tria Vota. Ita Paulus III. Julius III. & Gregorius XIII. & c. 1. Exam. §. 7. & ſeq. ubi tantùm quatuor Claſſes perſonarum numerantur, ſpectando finem Societatis, ſcilicet Profeſſorum quatuor Votorum, Coadjutorum, Scholaſticorum, & Novitiorum. Nam in Profeſſis requiritur doctrina neceſſaria ad docendum

dum, concionandum, explicandum res Fidei, & defendendum contra hoſtes, & ad expediendos caſus morales: hæ auten Dotes non poſſunt eſſe in multis, & ij, in quibus ſunt, non ſufficiunt ad omnia onera Societatis; ergo egent Adjutoribus in ſpiritualibus.

2 Confirmatur, Quia multi ſunt apti, eſto non ad Miſſiones Apoſtolicas, ad aliqua miniſteria, ut audiendi Confeſſiones, viſitandi infirmos &c. ad officia Miniſtri, *Procuratoris*, etiam *Rectoris*, Magiſtri Novitiorum, *Præceptoris* in Humanioribus &c. Et licèt mitti poſſint, non tamen ut capita Miſſionis, ſed ut Socii præcipuorum Miniſtrorum. Sic Chriſtus paucos ſelegit in Capita, ſub illis verò Diſcipulos multos; & ſimiliter Paulus, Petrus &c. adſciverunt ſibi comites & adjutores miniſterii, quia non poterant per ſe omnia expedire, nec ſemper ſociari, nec etiam ſoli peregrinari ſine teſte, comite: ergo nec *Profeſſis* id convenit.

Secundò. Meritò inſtitutum eſt,
3 ut ex d. Sacerdotibus aliqui admittantur ad Profeſſionem trium Votorum. Nam quatuor Votorum Profeſſi eſſe non poſſunt, ſi ſunt minore doctrinâ, & concionandi aptitudine præditi, quàm noſtrum Inſtitutum in d. Profeſſis requirat, p. 1. c. 2. §. 3. C Aliunde cauſæ eſſe poſſunt Profeſſionis ſolemnis, ut vitæ ſanctitas ſingularis, merita erga Societatem, diſſolutio Matrimonii Rati, & aliæ cauſæ extrinſecæ, ut Majoratus. Nec enim d. Gradus eſt per ſe intentus & principaliter, nec in ſubſtantia diverſus eſt à Gradu Coadiutorum, ſed ad ſubveniendum cauſæ ocurrenti.

Hinc d. Profeſſi non poſſunt præ- 4
eſſe Provinciæ, nec Domui Profeſſæ p. 8. c. 3. A. quia Prælatus non debet eſſe inferior iis, quibus præeſt: in Collegio autem per accidens eſt, eſſe Profeſſos. *Rurſus* carent in Electione Generalis paſſivâ voce, ut à fortiori ſequitur, & activâ, quia actus eſt ſummi momenti, & de Jure ordinario pertinens ad Societatem Profeſſam: ergo ad eos, qui modo ordinario Profeſſionem faciunt. Similiter Jure Profeſſionis non vocantur ad Congregationem Provincialem, ſed ob munus Rectoris, *Procuratoris* Provinciæ &c. Hæc enim & ſimilia pertinere cenſentur ad principale Regimen Societatis; ſicque ſolis Profeſſis quatuor Votorum committuntur.

CAPUT II.

De Coadjutoribus Spiritualibus.

1 Primò. Vota iſtorum ſimplicia tantùm ſunt. Ita Bullæ *Pauli* III. Julii III. Gregor. XIII. & c. 1. Exam. §. 9. & c. 6. & p. 2. c. 1. A. & c. 4. §. 3. p. 5. c. 4. B. Nam Votum ſolemne vel eſt omnino immutabile, vel ſolùm per diſpenſationem rariſſimam & graviſſimam; & per idem ſolvitur Matrimonium ratum: at per Vota Coadjutorum nec fit d. diſſolutio, nec habetur abſoluta perpetuitas, etiam ex intentione voventis, & Eccleſiæ recipientis ac approbantis Vota; ſicque iſta citra diſpenſationem ceſſant per ſolam irritationem, quia & à vovente, & à recipiente ſubintelligitur conditio, ut durent, quamdiu Societas perſonam duxerit retinendam.

2 Secundò. Rectè inſtitutum eſt, ut d. Vota ſint ſimplicia. *Pro* ratione ſufficit authoritas S. Sedis, & S. Patris. Judicavit enim, & Religioni fore utiliſſimum, & Religioſis non nocivum, ſi quoad commodè poterit, poteſtas ſit dimittendi omnes, qui ad finem & modum Societatis ſe non accommodant; quia ſic & Religio ſervatur purior, & utiliùs ſervit proximo: quod utrumque pro ſcopo ſuo habet. Aliunde commodius eſt, Vota ipſo facto ſolvi, ut non noceatur dimiſſo, qui quamdiu manet, rectiùs conſervatur per timorem, & vigilantiam perpetuam. Nec exemplum aliarum Religionum adduci debet, quia Spiritus S. ut in donis multiplex eſt, ita diverſis diverſa tribuit Inſtituta, cuique juxta varios fines.

Quia verò omne mobile juxta 3
Philoſophos fundatur in aliquo immobili, decuit, ut quædam membra eſſent principalia, tanquam columnæ & fundamenta, in quibus Religio permaneret immobilis, & à quibus cæteri (demptis *Profeſſis* trium Votorum per diſpenſationem ex cauſis ſpecialibus) dependerent. Licèt autem diverſitas ſubſtantialis non ſit quoad ſtatum Religionis, & tria Vota, inter Scholaſticum & Coadjutorem; eſt tamen differentia moralis, & magna. Nam iſte definit eſſe in *Probatione*, quæ non poteſt eſſe perpetua: éſtque incapax Dominii, Hæreditatis &c. & difficiliùs utique dimittitur. Nec enim ſufficit cauſa temporalis, ut infirmitas; etiam ipſo petente; nec etiam quòd ſit inutilis, niſi ſit pernicioſus, vel incorrigibilis poſt omnem curationem naturæ difficilis. At in altero ſufficit, non emendari, non meliorem fieri, quia eſt in *Probatione*: ſecùs ac iſte, qui

cum

cum imperfectionibus admiſſus eſt, ut jam probatus; & ideo ejus Vota recipiuntur in manibus Societatis.

4 Tertiò. Differentia multiplex eſt inter Coadjutorem, & Profeſſum trium Votorum. Patet quoad ſolemnitatem Votorum. Nec ad hæc ille admitti poteſt ante Sacerdotium, ſecùs ac iſte per diſpenſationem. Rurſus quia iſte immobiliter adjunctus eſt Societati, perinde ut alii Profeſſi, obligatur ad Vota ſimplicia Profeſſi, p. 8. c. 2. §. 1. & p. 10. §. 6. *Quicunque Profeſſionem emiſerint* &c. Item *omnes Profeſſi* &c. quod, cùm favor ſit Religionis, rectè extenditur. Denique ex hac Graduûm diverſitate non patitur concordia, magis quàm in corpore propter heterogeneitatem membrorum, aut ſtatuûm in Eccleſia, quam Societas imitatur; quia licèt quis ſibi bonus ſit, non propterea habilis eſt ad miniſteria Profeſſorum.

CAPUT III.

De Coadjutoribus Temporalibus.

1 Primò. Rectè adhibita eſt vox *Coadjutoris.* Non enim recipiuntur, ut famuli, ſed ut fratres & Adjutores; quod eſt verbum ſocietatis & æqualitatis, ſignificando cooperationem in eo opere &c. quod alii tractant. Sic etiam Scriptura appellat cooperantes Apoſtolis, ſive immediatè in ſpiritualibus, ſive mediatè, præparando neceſſaria, ſicque Corpus dicitur Adjutor animæ, etiam ad intelligendum, non quòd cum ipſa intelligat, ſed quia miniſtrat neceſſaria ad intelligendum &c.

2 Secundò. Conſtat neceſſitas Coadjutorum temporalium. Patet exemplo Act. 6. non quidem per æqualitatem (Diaconi enim per ſe primò ordinantur ad ſpiritualia, & ſecundariò ad diſtribuendas eleemoſynas communes) ſed per ſimilitudinem. Nec enim ſine impedimento ſpiritualium Sacerdotes impendere ſe poſſunt curæ victûs &c. quantùm ad executionem: nec curæ eorum, quæ ad Cultum Divinum in Eccleſiis pertinent, nec etiam alter alterius comes eſſe poteſt in miniſteriis erga proximum: ergo ſicut Apoſtoli Adjutores ex Clero, ita in præſenti Adjutores Religioſi ad temporalia curanda, & ex eadem Religione rectè aſſumuntur.

Nec refert, inter Monachos conſuetum fuiſſe, ut ſinguli ſucceſſivè 3
per hebdomades ſervirent. Nam quia vi inſtituti erant Laici, excuſatione conveniente carebant. Unde quia ſtatus nunc mutatus eſt, apud eosdem diſtinguuntur *Monachi*, tanquam ad Chorum deputati à *Converſis* c. *Non dubium*, & c. *Ex*

tenore, cum ſimilibus de S. E. Adde, Sacerdotes & Scholaſticos noſtros, ne penitus deſit egregium exemplum humilitatis & charitatis antiquæ, exerceri in Refectorio & Culina per vices &c. p. 3. c. 1. §. 19.

4 Tertiò. Quoad Gradum parificantur d. Coadjutores Scholaſticis & Coadjutoribus Spiritualibus tam ex parte Votorum, quàm ex parte finis, & actionum. Nam illis parificantur, ſi *Approbati*; his ſi *Formati* ſunt, quia in ſtatu ſunt aptiſſimo ad Perfectionem conſequendam, imò etiam (in quo alios ſuperant) ſecuriſſimè. Nam vacant Contemplativæ vitæ per Meditationes &c. ut alii; at citra impedimentum, quin jugiter animo in Deum erecto eſſe poſſint, imitando Monachos antiquos, qui poſt Orationem labori ſe dabant; quanquam non ut illi, inde lucrum faciant, ſed totum referant in auxilium Miniſtrorum Evangelii, partes Marthæ etiam ſpiritualiter participando, imò lucrando alios per colloquia ſpiritualia &c.

5 Quartò. Menſura recipiendi d. Coadjutores, debet eſſe neceſſitas miniſteriorum, quæ ad eos pertinent. Ita p. 1. c. 2. §. 1. A. & p. 3. c. 2. p. 7. c. 7. §. 2. Nec enim plures, quàm neceſſarii ſint, recipi debent, ſicut nec Ars utitur pluribus inſtrumentis, quàm egeat: aliàs & oneri ſunt, & magnam partem otioſi, & privant Societatem Operariis aliis. Denique conſtat, quibus Dotibus præditi eſſe debeant, ut animi, virium, artis &c. rectéque arcentur à cura addiſcendi litteras, quia non facit niſi ad inſtabilitatem in Vocatione &c.

6 Quintò. Concluditur diſtinctio omnium Graduûm Societatis. Vel enim attendimus diverſa vincula Votorum, vel Miniſteria? Si 1um diſtinguuntur *Scholares*, *Coadjutores*, & *Profeſſi*; aut generalioribus vocibus vocibus utendo, *Approbati*, *Formati*, & *Profeſſi*: alii enim ſunt in Via, alii in Termino; & illi vel ligati indiſſolubiliter, vel ſolubiliter. Si 2um, tres tantùm Gradus ſunt, *Scholaſtici*, *Operarii*, *Coadjutores temporales* quia miniſteria vel ſunt temporalia, vel ſpiritualia; & hæc vel conſiderantur, ut in ſeipſis, vel ut in via & præparatione.

LIBER VIII.

De Mediis, quibus ad ſpiritualem ſuorum profeſectum Societas utitur.

CAPUT I.

An & quantum vacare Noſtri debeant Exercitiis Mentalibus?

1 Primò. Regula omnes obligat ad tria genera operum præſcriptis temporibus peragenda, nempe Examen Conſcientiæ, Lectionem ſpiritualem, & Meditationem. Regula enim loquitur generaliter, nec exceptio Profeſſorum neceſſaria eſt, nec foret rationabilis. Et p. 6. c. 3. §. 3. injungitur, ut in Domibus eam partem Regularum ſervent, quæ ipſis communis eſt: at hæc maximè convenit eorum ſtatui. Unde quòd d. c. 3. §. 1. nulla eis certa Regula quoad præſens præſcribatur, ducendo pro certo, quòd evaſerint viri ſpirituales, qui in via Chriſti currere poſſint &c. intelligendum eſt, non prohiberi additionem ſpiritualium ultra tempora omnibus definita, nec etiam definiri, relinquendo rem diſcretæ cujusque Charitati. Nihil certi enim Profeſſis & Coadjutoribus præſcribi poteſt in tanta varietate negotiorum, virium &c. Scholaſticis autem propter Studiorum laborem frœnum devotionis laxari non poteſt.

Secundò. Conſtat de neceſſitate & utilitate ſingulorum ex dictis exercitiis. Nam quantùm ad Lectionem (de Examinis geminati utilitate per ſe conſtat) etiam alios ad virtutem excitare neceſſe eſt; ergo & Sacros Doctores ad lumen accipiendum volvere, ut per horæ quadrantem fieri poſcitur in Congr. VII. can. 5. Meditatio autem non tantùm eſt medium, ſed aliqua ex parte etiam finis, utique Contemplativæ vitæ, Aug 19. dicente: *Sed nec ſic* (propter laborem) *omnimoda veritatis delectatio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur illa ſuavitas, & opprimat iſta neceſſitas.* 2

Nec dicas, in ipſa operatione frequentem fieri recurſum ad Deum. Nemo enim ob eam occaſionem negligere debet præſcripta tempora, cùm ſine tali adminiculo nec attentio ad Deum in aliis operibus, nec fervor devotionis conſervari poſſit; conſtátque exemplo Chriſti amantis ſolitudinem ad tempus, & in ea *pernoctantis* orando &c. ſicque 3

juxta præſcriptum Congr. IV. & VII. huic ſolitudini & quotidie tempus ſuum dandum eſt citra abruptionem niſi ex gravi cauſa, & quotannis per octo vel decem dies. Neceſſarium enim eſt id otium, ut actio efficacior ſit, quia negotium ſpirituale opere primùm ſeu exemplo perficitur, dein ſermone ſeu prædicatione.

CAPUT II.

An Noſtri ad aliquas orationes vocales vi Inſtituti teneantur?

1 Primò. Obligatio rigoroſa per ſe non eſt. Non enim vi Regulæ, ut conſtat; non vi conſuetudinis, quia obligando eſſet contraria Declarationi p. 6. c. 5. Dein præter ordinatos in Sacris, nemo tenetur ad dicendum officium Divinum, quia neque Scholares, ut expreſſum eſt p. 4. c. 4. B. neque Converſi, ut per ſe conſtat, neque Profeſſi ante Ordines ſacros, quia nec vi Profeſſionis præcisè, nec conſuetudinis, utpote fundatæ in deputatione ad Chorum, ut conſtat exemplo Confeſſorum; imò pro Noſtris eſt conſuetudo, ut non teneantur.

2 Secundò. Vi Conſtitutionum obligatio non eſt ad penſum aliquod orationis vocalis. Nam p. 4. c. 4. §. 3. & 4. B. relinquitur devotioni, an mente vel voce tempus orandi expleatur. Praxi tamen perpetuâ obſervatum eſt, ut præter Miſſam, & horas Canonicas detur quotidie hora integra orationi, & mentali quidem juxta eandem praxim; ultra quod omnes, præſertim non Sacerdotes, tempus proprium tribuunt Officio Virginis, aut Roſario, ut habet pia & ferè generalis conſuetudo, à qua diſcrepans, ſatis imperfectè agit, quamvis Regula non ſit.

Tertiò. Quoad Litanias, ordinatio eſt Generalium, ut recitentur in communi. Quia ergo Communitas aliter obligari non poteſt, tenentur ſinguli adeſſe orationi communi. Sin juſtè abſint, certum eſt, non teneri, quia ceſſat ratio obligationis, quæ ſolùm erat ad orationem communem, ut talem; ſecùs ac profeſſos Chorum, per ſe ſingulos afficit conſuetudo, ut obligans. Unde nec abſens contra debitum à Litaniis tenetur has ſupplere; ſecùs ac eſt de Meditatione, quia Regula indefinitè ponit Horam diei: ſícque conſuetudo determinans horam matutinam, ſolùm eſt ad non differendam obligationem, non ad extinguendam. 3

Similiter de aliis judicandum eſt: 4 nam ut Litaniæ non ſupplentur, ita multò minùs, quod à Choro fit

per

per hebdomadam ſanctam, aut Officium publicum pro Defunctis. Quæ autem pro Fundatore injunguntur, non intenduntur, ut onus temporis, ſed propter fructum; quanquam ſi juſtum impedimentum ſit pro toto menſe &c. videatur tempus cum onere tranſiiſſe, quia aliud recurrit. Denique quoad circumſtantias, quamdiu non expreſſè præſcribuntur, ut genuflexio &c. conſtat non eſſe neceſſarias.

5 Quartò. Privilegium ante & poſtponendi Officium Divinum procedit, etiam omni aliâ cauſâ, quæ excuſet, ceſſante. Non enim ceſſat ceſſante cauſâ in particulari, quia datum eſt ex generali cauſa Religionis, propter varias occupationes &c. & ad ſcrupulos tollendos: ergo quia indefinitè loquitur, nec eſt ratio limitandi illud, etiam Completorium dici poterit horâ matutinâ. Quia tamen non tollitur naturalis quædam obligatio ſervandi debitum ordinem in noſtris actionibus, eatenus ſemper eſſe debet rationabilis cauſa ſic operandi, qualis maximè eſt, ut *quietiùs & devotiùs in humilitate Spiritûs Altiſſimo poſſimus gratum præbere famulatum.*

CAPUT III.

An Noſtri ſpecialiter obligentur ad frequenter celebrandum, vel communicandum?

1 Primò. Rectè commendatur frequentia celebrandi, quamvis citra determinationem. Nam nec quotidiana celebratio determinari potuit, propter varias occaſiones morales prætermittendi; nec minor frequentia conſuli viris Religioſis, cùm quotidiana per ſe melior ſit, conferátque ad majorem Dei Gloriam, & Eccleſiæ utilitatem: ſicque ſpectatâ conſuetudine, non niſi ob cauſam extraordinariam omittitur.

2 Ad ſpecificatioem d. actûs pertinet 1. Negatio ſtipendii, ut ſic ſolùm agatur intuitu Dei, & propriæ ſanctificationis. 2. Puritas debita, ſæpius per hebdomadem confitendo. 3. *Intelligentia & devotio interna, ac decens etiam exterior modus* p. 4. c. 8. §. 2. ſequendo Ritum Romanum, ut ubique uniformitas teneat. Onera tamen Eccleſiarum & Monaſteriorum, quæ Societati uniuntur, tranſeunt cum re, ut qui commodum, etiam onus ſentiat: nec præſumitur Pontifex commutâſſe, niſi expreſſerit, nec etiam potuit ſine cauſa graviſſima.

Secundò. Poſſunt poſtponi Ho- 3
ræ vi Privilegii Julii III. Licèt enim hoc oneret conſcientiam Superio-

rum, non juvat opinionem Navarri, quia adhuc quæretur, quid concedat Privilegium, ſi juxta Nav. poſtpoſitio licita eſt ex cauſa? Dein Privilegium non debet quid dare præter Jus certum; ſed in re dubia datur propter ſcrupulos tollendos. Rurſus immediatè Noſtris non datur, ſed dependenter à conceſſione Superioris. Denique ſuppoſito Privilegio, minor cauſa ſufficit, quàm eo ſecluſo.

4 Tertiò. Vi Privilegii poteſt celebrari horâ ante auroram, & infra horam à meridie, ſi cauſa legitima adſit, & licentia Superioris. Intelligitur ergo una hora ante auroræ tempus totum, quo de Jure ordinario celebratur: nec enim id licet, niſi ex cauſa extraordinaria; at ſuppoſito privilegio, ſufficit cauſa communis, ut iter, communio infirmi. Nec refert, ut Epiſcopum, ita Prælatum propter Jurisdictionem quaſi Epiſcopalem, diſpenſare poſſe. Nam Privilegium ſemper operatur, ut faciliùs, & ex minori cauſa, ac certiùs, magiſque ſine ſcrupulo dari poſſit licentia, ut eſt optima ratio interpretandi Privilegium, c. *In his,* de Privil.

Quartò. Præter quotidianam auditionem Miſſæ (quæ à mediocribus etiam Chriſtianis ſervatur) præſcribitur, ut non Sacerdotes communicent ſaltem octavo quoque die; ſervatúrque inviolabiliter, quamvis major frequentia interdicatur Scholaſticis, demptâ diſpenſatione pro Feſtis &c. Ratio generalis d. frequentiæ eſt, quia hoc Sacramentum eſt fons omnis Sanctitatis: indiget autem Societas ad ſecuriùs tractandum cum proximis majore frequentiâ, & unione cum Chriſto, quàm alii. *Præire* etiam exemplo debet iis, quos ad frequentiam incitat, in odium Hæreticorum peſſimè ſentientium & de Sacramento, & de ejus frequentia. 5

Quantùm ad Privilegia notandum eſt, quæ revocaverat *Pius* V. denuò conceſſa eſſe à Greg. XIII. qui addit Privilegium celebrandi in privatis Oratoriis per Provincialem approbatis, & in Miſſione celebrandi ubique in Altari portatili, ſi quidem locus decens ſit. Denique Conſt. ultimâ Pauli III. conceditur licentia bis celebrandi in locis remotiſſimis, ubi pauci ſunt Sacerdotes, & unus plurium populorum curam gerit. 6

CAPUT

CAPUT IV.

An rectè inſtitutus ſit in Societate uſus & frequentia Confeſſionis?

1 Ut d. frequentiam generaliter attentam nemo non laudat, Bonaventurâ conſulente Sacerdotibus quotidianam (quamvis aliud ſit de conſilio particulari, aliud de generali pro tota Communitate) ita Ledeſm. Palac. Dion. Ciſterc. reprehendunt ſtatutum Ciſtercientium, injungens confeſſionem Generalem. Dein durum eſt, repeti debere Ordinario, quæ quis alteri confeſſus eſt, nam ſic nullum veniale taceri poſſet; quod eſt intolerabile.

2 Primò. Regula ſancta eſt de peragenda Confeſſione Generali. Conſtat ex approbatione S. Sedis; abéſtque obligatio conſcientiæ, résque per modum Regulæ tantùm proponitur, ac voluntariè ſuſcipitur, cùm principio Ingreſſûs legitur; poſſétque eſſe neceſſaria vi Voti, pacti, promiſſionis. Aliunpe conſtat de utilitate d. actûs, c. *Inter cunctas* §. *Cæterùm*, de Privil. ubi Benedictus XI. moneri vult Pœnitentes Religioſorum; ut ſemel in anno integrè de toto anno confiteantur Parocho. Ratio autem d. Regulæ eſt melior Noſtrorum directio, non utique ad mortale tantùm vitandum (quod moraliter loquendo longè eſſe debet à Religioſo) ſed etiam in venialibus vitandis: ergo rectè repetitio fit illi, cujus eſt *agnoſcere vultum pecoris ſui* &c.

3 Secundò. Sano modo intelligenda eſt d. Regula. Non enim perfectionis eſt. ſingula venialia ſcrupuloſè confiteri, cum ſolicitudine de numero, circumſtantiis &c. Solùm ergo Regula vult, ut nihil ex induſtria taceatur ob verecundiam, aut timorem infamiæ; & ut bonâ fide, factáque mediocri diligentiâ, conſcientia tota manifeſtetur. Idémque eſt de repetitione Confeſſionis alteri factæ; nam ſi nil ſpeciale occurrit, ſat eſt de hoc ipſo certiorem reddere Ordinarium.

CAPUT

CAPUT V.

An conveniat reſervatio peccatorum, ut in Societate ſit?

1 Primò. Ex parte materiæ non eſt nimia d. reſervatio. Textus eſt p. 3. c. 1. §. 11. *illi* (caſus) *reſervabuntur, quos ab eo* (Superiore) *cognoſci neceſſarium videbitur, aut valde conveniens, quò melius remedium adhiberi poſſit, & ſua curæ commiſſos præſervare ab omnibus, quæ nocitura ſunt.* Morem autem hunc abſolutè loquendo, nemo Catholicus improbare poteſt, cùm eundem Eccleſia ſervet ſive pro univerſo cœtu Fidelium, ſive pro Diœceſibus, ſive pro Religionibus; & Clem. VIII. eundem ſupponat. Aliunde id frænum in Societate neceſſarium eſt, tum ob ætatem tot juvenum; tum ob converſationem cum proximo; tum quia quò diſciplina corporalis eſt moderatior, ſpiritualis rigidior eſſe debet: tum denique quia ſubditi multùm fidere debent Superioribus, ut regi, & ſine periculo exponi poſſint.

2 Deinde juxta Congr. V. non reſervantur, niſi externa peccata, & manifeſtè mortalia; nec omnia, ſed quæ ſunt contra Vota ſubſtantialia, vel Profeſſorum; ſcilicet perjurium, falſum teſtimonium, furtum, ſeditio in Superiorem, vel diviſio à Capite cum gravi damno Religionis, detractio, & diſcordiarum ſeminatio inter fratres, accipere vel mittere furtim litteras materiam peccati mortalis continentes, tacuiſſe impedimentum aliquod excludens à Societate, vel mentitum eſſe in Examine ad ejus ingreſſum in grave præjudicium Societatis: denique quodlibet peccatum habens annexam Excommunicationem in Bullis aut Decretis Societatis. Atqui omnes hi caſus & ex ſe vergunt in ſcandalum, perniciem &c. & ſunt valde ſimiles iis, quos Clemens reſervatos vult. Poteſtas verò reſervandi eſt penes ſolam Congregationem Generalem, quia Provincialis nec ante Clementem habuit Juriſdictionem, nec pòſt accepit.

Secundò. Nimia difficultas non eſt in committenda Juriſdictione circa reſervata. Nam Jure certum eſt, benignitatis tantùm eſſe, aut debitæ providentiæ ex accidenti neceſſariæ, quidquid Superior in præſenti remittit. Et licèt Clemens vetet cogi Religioſos ad confitendum Superiori; tamen excipit reſervata: quod præverit Societas, cùm nec Superior, nec Conſultores eſſe poſſint Confeſſarii ordinarii. Rurſus quoad reſervata non cogitur Superior dare vel licentiam generalem, vel particularem pro optione Subditi, ut cui vult, confitea- 3

ſiteatur : nam ideo Clemens deſignari vult duos vel tres Commiſſarios, qui ſimul ſint Ordinarii : indicátque, per Ordinarium peti debere licentiam, ejusque judicio ſtandum eſſe regulariter. Quo quidem ſervato, Superiores non erunt difficiles.

3 Inſtructio autem de Reſerv. §. 1. habet, ut quando Confeſſarius, tacito nomine Pœnitentis, à Superiore petit facultatem abſolvendi à caſu reſervato, nullo modo Superior difficilis eſſe debeat, ſed facilis potiùs, & promptus in ea concedenda. Et §. 2. additur, negari licentiam ſolùm poſſe, quando intervenit neceſſitas vitandi ſcandalum, vel aliud grave damnum Domûs, donec Pœnitens per ſe vel Confeſſarium Superiori ſufficientem notitiam exhibeat. Quæ ſeveritas neceſſaria eſt, quia Superior tenetur tunc ob cauſas extrinſecas conſulere potiùs bono communi, quàm irrationabili voluntati ſubditi. Si tamen hujus damno potiùs cedat ſeveritas, quàm ut commodum afferat; urgente Confeſſario, condeſcendi debet, tamen ita, ut ſatisfiat obligationi tollendi ſcandalum &c. aliàs abſolutio Pœnitentis erit nulla ob indiſpoſitionem ejus, ſi quidem obligatio ejus certa ſit, nec alia remedia adhiberi poſſint.

4 Denique §. 3. additur, licentiam, quæ non petitur per Ordinarium, non tam facilè dandam eſſe, ſed attentè conſideratis circumſtantiis, vel rem committendo perſonæ omni exceptione majori, cujus conſpectum alter non poſit rationabiliter ſubterfugere. Aliqua enim ſeveritas ſine dubio eſſe debet : aliàs ferè nullius momenti foret reſervatio. Tamen ſi nec tunc Superior prodeſſe poteſt, condeſcendat petito Sacerdoti (utique idoneo ſimpliciter) ut majus malum evitet; ſícque, cùm alia Regula eſſe nequeat, ad Charitatem & prudentiam ſpectat, conſiderare diſpoſitionem Pœnitentis, eique condeſcendere, ne in peius ruat.

Tertiò. Mera impoſtura eſt, Societatem reſervatione abuti in ordine ad Regimen. Duplex enim hoc eſt : alterum, ut præcisè neceſſarium ad vitandum peccatum, de quo agitur : alterum in ordine ad alia. Prius, ſecluſâ indirectâ revelatione, nec eſt contra Jus Pœnitentis, nec contra Religionem Sacramenti. Quoad poſterius, nec umbra, aut veſtigium eſt abuſûs Sigilli; imò vetat Claudius notitiam ejus ullo modo applicari ad uſum, ita ſe gerendo in omnibus, ac ſi nihil penitus auditum eſſet in Confeſſione, perſuaſúmque habendo, ut humanarum rerũ Regimen ab hoc Sacramento longiſſimè diſtat, ita debere nullatenus ab eo pendere. Quæ Providentia laudabilis eſt, quia obligatio utendi d. notitiâ, per ſe & moraliter loquendo, non eſt: ſola autem utilitas ſufficere non debet. 5

6 Quartò. Regula de reddenda Superiori ratione conſcientiæ, eſt pia ac moderata. Nam licèt violentum ſit juxta præſentem ſtatum Religionum, obligari ad Superiori tantùm confitendum; tamen ut aliquoties id fiat, nec eſt præter ſtatuta aliarum Religionum, ut patet de Carthuſienſibus &c. nec eſt per ſe & intrinſecè malum, quia injuria non eſt, Paſtorem velle agnoſcere vultum pecoris ſui.

CAPUT VI.

Quomodo Societas intendat perfectionem Charitatis?

1 Quæ ad Charitatem ſpectant, conſtat, eam maximè intendi vi Inſtituti, tum juxta dicta hucuſque, tum quòd actus eliciti Charitatis locum præcipuè habeant in Meditatione, aliiſque exercitiis internis; tum quia actus externi, quibus d. virtus ſe prodit, ſunt actus Religionis & cultûs Divini. Accedit, quòd etiam aliarum virtutum opera expreſſè & frequentiùs referantur ad Dei Gloriam, S. Patre centies ſeptuageſies ſepties id verbum repetente in Conſtitutionibus, idémque inculcante Regulâ, juxta Theſſ. 2. *Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.* Quæ verba quotidie in corde Noſtrorum verſari oporteret.

Præterea conſtat, quantùm S. Pater commendet Charitatem inter nos ipſos; & meritò, nam ut Aug. in p. 132. *Quàm bonum & jucundum* &c. ait, *iſta verba pſalterii, iſte dulcis ſonus, iſta ſuavis melodia tam in Cantico, quàm intellectu multa Monaſteria peperit.* Idem vinculum Charitatis fraternæ, quantùm à Sanctis Patribus commendetur, ſatis ſupérque conſtat. 2

CAPUT VII.

De mediis negativis fraternæ Charitatis.

1 Primò. Contra læſionem, ſi qua ſit ex fragilitate, præcipitur, ut *ſtatim cum ſatisfactione debita in gratiam invicem redeant*; ſicque ceſſet perturbatio, vel ira mutua. Author autem diviſionis &c. tanquam peſtis, ſeparandus dicitur non tantùm à loco, ſed ſi neceſſe ſit, etiam à Societate p. 8. c. 1. §. 5. Cavere etiam jubemur ab affectu, quo aliæ de aliis nationibus ſiniſtrè ſentire, aut loqui ſolent; nam ſigna d. affectûs multùm minuunt Charitatem non tantùm ad externos, ſed & inter Religioſos.

Se-

2 Secundò. Injungitur, ne quis, præter Superiorem, quidpiam aliis jubeat, vel eos reprehendat. Nam ſpiritus ſerviendi & obediendi omnibus, laudabilis eſt: at ſpiritus præcipiendi, omnísque ejus ſignificatio reprehenſibilis eſt, & alienat animos, quia ſuperbiam redolet. Aliud autem eſt, monere charitativè: aliud, reprehendere. Prius enim ſolùm fit, leniter & humiliter rem proponendo, dum illa oſtenditur magis rogando, quàm expoſtuletur exaſperando. Poſterius eſt, authoritate quadam objurgare, utendo aliquâ verborum aſperitate, quaſi in pœnam & vindictam delicti, contra Gal. 6. *Vos qui ſpirituales* &c.

3 Tertiò. Injungitur, ut caveamus non tantùm à contentione externa, ſed etiam diſſenſione internâ, ut in practicis, ita in ſpeculativis opinionibus. Licèt enim diverſitas opinandi per ſe contraria non ſit charitati, juxta S. Thom. cùm præcedat intellectus appetitum, & hic per pacem uniatur: tamen frequens contradictio parit diſcordiam, c. ult. d. 90. ſive quia opiniones multùm pendent ab affectu; ſive quia contradictio apprehenditur, ut diminutio propriæ æſtimationis; ſive quia provenit ex hujus affectu.

4 Nec propterea injungitur omnimoda conſenſio doctrinarum, utpote impoſſibilis in his, quæ ſub Fidem aut ſcientiam non cadunt, ſed ne opinio differat à doctrina ſolida, & magis approbatâ in Eccleſia p. 3. c. 1. §. 18. O. in iis, in quibus variant Doctores, conformitatem ſequendo, ut poteſt. Cavenda enim maximè eſt diverſitas in toto corpore doctrinæ, ut ſint quaſi ſcholæ contrariæ; quod valde dividit animos. Idem eſt de diverſitate orta ex affectu & directâ voluntate, quia ſic ex inſtituto impugnare, indicium vehemens eſt voluntatis potiùs, quàm intellectûs diſſentientis. Idémque à fortiori eſt, ſi impugnatio fit cum offenſione alterius in publicis lectionibus, concionibus, præſertim ſi acerbè & contentioſè fit: quia non tantùm offendit animum, ſed ſcandalum generat.

5 Multóque magis vitanda eſt diſſenſio in practicis; quia occaſio generalior eſt, quàm in doctrina, utpote inter doctos & indoctos, magnos & parvos, & in ſingulis ferè rebus & actionibus. Tamen ſi lenitate & moderatione verborum, ac animi modeſtiâ res proponatur, nemo prudens offenditur: contentio autem, temeraria contradictio, pertinax propriæ ſententiæ defenſio lædit plurimùm. Igitur qui in ſuis judiciis nimis tenaces ſunt, & facilè contradicunt, cavere debent, ne à vinculo charitatis, quòd Societas injungit, declinent, monente Aug. 1. cont. Academ. c. 3. adoleſcentes aſſuefaciendos eſſe, ne quod ſemel dixerint, pertinaciter de-

defendent. Et Clim. grad. 4. de Obed. ait ad contentioſum : *Scias te Diaboli morbo* (utique ſuperbiâ) *laborare.*

6 Quartò. Injungitur, ut vitentur familiaritates privatæ. Nam ſicut affectus erga conſanguineos &c. abjiciendus eſt, itémque propenſio ad factiones diverſas ; ita à fortiori privata affectio, quæ diviſionem reſpectu aliorum afferre ſolet, & conſequenter ſcandalum Charitati contrarium. Nec propterea omnis amor, qui major eſt erga aliquos, excluditur, quia juſta diſtributio, omnium Sapientûm judicio, non minùs neceſſaria eſt, quàm communis benevolentia, juxta illud : *Remittuntur &c. quoniam dilexit multùm &c.* Et, *cui minùs dimittitur* &c. Et. *Qui bene præſunt &c. duplici honore digni ſunt.*

Reprehenditur ergo amor, qui modum excedit ; & ideò per antonomaſiam *ſingularis* & *privatus* dicitur. Signáque ejus ſunt, ſi ratio majoris amoris non ſit major Dei Gloria, utilitas Eccleſiæ vel Religionis, aut virtus major ; quidquid enim ad hæc non reducitur, alienum eſt à Charitate, & pro nihilo ducitur. 2. Si affectus avertit à dilectione aliorum, vitando eorum converſationem, nec ita libenter ſuccurrendo eorum neceſſitati. 3. Si inclinat ad tempus otioſè terendum, aut ad contrarium quid Regulæ. Nam Charitas ordinatiſſima eſt, nec niſi tempore, & loco debito oſtenditur ſine cujusquam offenſione. 4. Si ſine manifeſta cauſa plus uni, quàm alteri tribuitur, aut diſtributio munerum &c. ſine debita proportione fit ; & ita Superior, indulgendo affectui privato, graviùs Charitatem lædit. 7

CAPUT VIII.

De mediis poſitivis Fraternæ Charitatis.

1 Primò Ad vinculum animorum facit maximè amor Dei, & D.N. JEſu Chriſti. Ita p. 8. c. 1. §. 8. In meditatione autem exardeſcit d. ignis, éſtque ſine dubio ſolidior & certior via intentæ unionis. Sícque optimè ad praxin reducitur, quod dicitur p. 3. c. 1. §. 4. *ut ſe mutuò conſiderantes, in devotione creſcant*, quia nil ita conciliat amorem, quàm videre in altero egregia dona Spiritûs ſancti, & imaginem Dei tot donis exornatam : ergo ſi omnes creſcere ſtudent in virtutibus, & eas agnoſcere in aliis, utique Charitas creſcet.

Secundò. Ad idem facit Obedientia, Paupertas, & Humilitas, ſeu contemptus omnium temporalium, etiam honorum, d. §. 8. éſtque 2

exem-

exemplum Act. 4. *Cor unum &c. Erant illis omnia communia.* Specialéque eſt in Societate, conformitatem eſſe omnium in omnibus, victu, veſtitu &c. citra exemptionem cujuſquam, etiam Generalis, quantùm ad factum, laudati à Congreg. VII. Adde ſingularem curam ægrorum quoad corpus, & animum levandum modis omnibus cum omni lenitate & facilitate.

3 Tertiò, Idem eſt de benevolentia erga Hoſpites. Nam ſine diſtinctione Nationum, Provinciarum &c. & humaniſſimè habendi ſunt, & etiam peculio juvandi, p. 4. c. 2. F. & p. 6. c. 2. D. & cum ſignis maximæ benevolentiæ pro more regionis, ut amplexando, multóque magis omnibus operibus miſericordiæ, humilitatis & curæ, quantùm permittit Paupertas, & Fratris neceſſitas poſtulat. Monet verò Baſil. vitandum eſſe exceſſum, præſertim erga Sæculares, tractando quidem unumquemque *juxta ſuam qualitatem & neceſſitatem, ita tamen ut cibaria, quæ omnibus promiſcuè apponuntur, ejusmodi ſint, quæ tam vili pretio, tum parvo etiam negotio comparentur;* itémque adhibendo *neceſſariam ubique munditiam & elegantiam, ita tamen ut nunquam extra fines noſtros egrediamur.*

4 Quartò. Idem eſt de conſuetudine colloquendi poſt menſam. Licèt enim cauſâ valetudinis inducta ſit, p. 3. c. 2. §. 4. D. præcipuè tamen ob Charitatem retinetur, quia amicitia communicatione creſcit, taciturnitate diſſolvitur 5. Eth. c. 5. Juvátque plurimùm ad profectum tam in litteris, quàm in ſpiritu, quia juxta Clem. Alex. *ſupra modum laborare, & peſſimum eſt, & morborum cauſa;* & juxta Ambr. parœmia eſt. *Quod velis prolixè facere, aliquando ne feceris.* Et Caſſian. *Sæpe accidit, non dicam Novitiis & infirmis, ſed etiam experientiſſimis atque perfectis, ut niſi mentis eorum directio atque cenſura quibusdam fuerit munita viciſſitudinum laxamentis, aut in teporem ſpiritûs, aut certè in pernicioſam corporis valetudinem collabatur.*

Confirmatur, quia fructus converſionis Animarum maximè ſequitur, converſando de Divinis ſuaviter & diſcretè: & ut Pythogoras docet loqui tacendo, ita David, ut notat Ambr. pſ. 118. Octav. 2. vult nos loquendo diſcere; *quomodo enim ſine exercitio doctrina? ſine uſu profectus?* Denique remiſſionem à labore negare, eſt contra omnem ſenſum Patrum, & Philoſophorum. l. *Medicus* ff. de opere Libert. & uſum antiquæ Eccleſiæ in frequenti communicatione mutua, & omnium Religionum: at horam noſtræ remiſſionis præcedunt ſex vel ſeptem horæ laboris intenſi: quomodo ergo remiſſio inordinata eſt? 5

Dices, in multiloquio non defore peccatum; animum cibis inflammatum faciliùs relaxari in murmurationes, contentiones &c. & ideo in aliis Religionibus ſervari ſilen- 6

lentium. ℟. Inſtituta eſſe diverſa, ſicque ad diverſum finem etiam diſtributionem horarum diverſam eſſe pro ratione temporum, circumſtantiarum &c. Porro nulla res tam ſancta eſt, quin per abuſum perverti poſſit, ut notat Hier. de conviviis antiquæ Eccleſiæ. Nec propterea in aliud extremum eſt declinandum, ſed prævenienda inconvenientia per diſciplinam Religioſam. Imò majora ſequerentur, niſi ſtata & certa eſſet remiſſio: nam pro arbitrio quisque ſecretam capere poſſet, vel ſtatim ſomno ſe dedere, non ſine periculo valetudinis &c. præterquam quòd violentum ſit, Communitatem totam ſic compeſcere.

7 Denique licèt multiloquium ſuperfluum & incautum habeat peccatum, non tamen quod de ſe & moderatum eſt, & cautè fit, non temere; ut præſumitur in Religioſis, etiam modum ſervari vitando contentiones, nimiam reſolutionem animi &c. Quòd *ſi uſus* (ait Baſil.) *inciderit aliquando, ut remittendæ aliquantulùm triſtitiæ causâ, ſermone ad hilaritatem excitemur, danda omnino opera eſt, ut ſpirituali lepore refecta ſit oratio noſtra, & Evangelico ſale condita, ut rectæ, quæ interiùs ſit, ſapientiæ gratum foras odorem aſpiret, dupliciterque auditorem & animi relaxatione & intelligentiæ feſtivitate delectet*.

Quintò. Ad idem facit communicatio litterarum de iis quæ in diverſis locis fiunt. Ita p. 8. c. 1. §. 9. conſonátque Baſil. dicens. *Qui Dei beneficio rectè aliquid fecerit, is cæteris quoque notum facere illud debet, ut Dei gloria crebrior efficiatur.* Citátque Act. 14. Eph. 6. Et ſcribens ad Ambroſ. numerat inter dona Dei, *quòd quàm longiſſimè propter locorum diſtantiam ſejunctis per litterarum alloquium mutuò coaleſcere dedit*. Quia enim omnes in animarum Zelo conſpirant, oportet, ut mutuò uniti ſint. 8

Sextò. Idem eſt de mutua cura erga ſalutem Fratrum. Nam omnes parati eſſe debent corrigi ab aliis, & ad eorum correctionem juvare: ſi autem quisque nil pro ſua ſalute curat, & ab omnibus ad eam ſe juvari ſentit, utique proficit amore mutuo. Quòd ſi *concordes ſint*, ait Chryſoſt. *duo vel decem, non ampliùs erit unus, ſed eorum unusquisque ſit decuplum, & invenies in decem unum, & in uno decem, Ecce Dilectionis excellentia, quo pacto unum inſeparabilem & multiplicem reddit, & unus in multis ſimul locis, in Perſide & Romæ eſſe poſſit: & quod natura non poteſt, Dilectio poteſt.* 9

CAPUT

CAPUT IX.

Quibus modis juventur Noſtri ad virtutes ſolidas infra Theologales?

1 Primò. Neceſſarium eſt incumbere in *veras* & *ſolidas* virtutes. Ita p. 3. c. 1. §. 10. & 27. *Veras* quidem, quæ non ſpecie tenus, & in opinione hominum, ſed in conſpectu Dei ex ſola intentione Divinæ Gloriæ, & affectu ipſius honeſtatis exerceantur: aliàs nudum ſimulachrum ſunt, & cadaver virtutis, ut loquitur Cyprian. *ſolidas* verò, quæ in vera animi humilitate, contemptu omnium temporalium, & puro Dei amore fundentur.

2 Ratio neceſſitatis clara eſt, quia omnes virtutes variis occaſionibus & perſecutionibus tentari neceſſe eſt; & periculum aliàs eſt ab inani gloria, quæ eſt *virus virtutis*, & ne proximum ſpecie potiùs, quàm veritate virtutis excitemus ad bona, ſine qua (cùm auſteritas abſit) parum lucere & prodeſſe quis poteſt: & ſeclusâ ſoliditate facile eſt, extingui ſpiritum. Exempla autem plus movent, quàm verba p. 10. §. 2. & p. 7. c. 4. §. 2. efficaciſſimúmque medium eſt probitas, ut inſtrumentum regatur à manu artificis.

3 Secundò. Conferunt ad d. finem tum Vota, tum exercitia erga Deum & proximum. Nam Paupertas abijcit ſolicitudinem omnium Temporalium; Caſtitas magnam generat corporis & animi puritatem; & Obedientia, quia humilitatem poſcit, fundamentum eſt omnis virtutis: ſoliúsque Dei voluntate regi, eſt Regula omnis perfectionis. Rurſus virtutes circa Deum habent crebrum & aſſiduum exercitium; quoad proximum verò, cùm omnis actio Societatis circa eum verſetur, tantùm commendatur ejus Dilectio, quantùm præcipitur contemptus Temporalium. Denique quæ hominem in ſeipſo componunt, ex contemptu honoris, & abſtractione à ſenſuûm voluptate habent ſoliditatem.

Tertiò. Contra affectum Honoris pro nutrienda humilitate Inſtitutum providit plurima. Ut exluſionem Ambitionis Dignitatum, itémque Graduûm ex doctrina. 2. Negando Jus anteceſſionis in victu, veſtitu, Privilegiis, ordine ſedendi extra Congregationem, & demptis Sacerdotibus, quia his honor, & in illa ordo agendi eſſe debet, ut magis experti, priùs ſententiam dicant. *Quæ quidem* (ait 4

Baſil.

Baſil.) *dum ſimpliciter hoc modo dicuntur , levia videntur , ac nullius pene difficultatis ; ejuſmodi ſunt tamen, in quibus ſervandis magnâ opus eſſe contentione, ipſe nos uſus docuerit.* 3. Imperando crebrum exercitium humilitatis internæ per abnegationem voluntatis & judicii, ſine qua nemo aut quietus vivit in Societate, aut in ea permanet. 4. Injungendo manifeſtationem Conſcientiæ.

His adde exercitium in officiis
5 abjectis & tempore Novitiatûs, ac tertiæ Probationis, & per totam vitam pro ratione ætatis, officii & neceſſitatis. Quod commendans Baſil. ait, magno cum ſtudio ſuſcipi debere, cùm nihil minutum ſit, quod Dei causâ fit, ſed grande & ſpirituale, & ejuſmodi, ut cœlum nobis conciliet. Inſtitutum autem vult, ut hæc, quò viliora ſunt, eò libentiùs ſuſcipiantur; nulla opera in Xenodochio &c. detrectentur, Catecheſis, ut munus præcipuum, teneatur &c.

Quartò. Contra corporis cupidi- 6
tates Inſtitutum munit ſuos variis modis. Ut 1. per ſtudium mortificationis, quæ ſine dubio eſt mater omnium virtutum, & eam S. Pâter præponit etiam Contemplationi. 2. Abhorrere nos vult ab omnibus, quæ Mundus amat &c. c. 4. Exam. §. 44. & §. 46. inculcando continuam in rebus omnibus, quoad fieri poteſt, mortificationem. 3. In particulari idem commendando in victu, veſtitu &c. p. 3. c. 2. c. 1. §. 4. & 5. & c. 2. §. 3. C. & ut quisque diligentiſſimè curet portas ſuorum ſenſuûm &c. néve extra tempora conſueta quis bibat, nec extra domum cibum ſumat; non quòd domi id liceat (obſtat enim Paupertas) ſed quia foris prætexi poſſet titulus urbanitatis. Conſtat ergo, Inſtitutum aptiſſimum eſſe ad virtutes omnes in magna perfectione acquirendas, ſi pro dignitate, & ſtatûs obligatione ſervetur.

LI-

LIBER IX.

De Mediis ſeu Miniſteriis, quibus Societas ad Salutem proximi utitur.

CAPUT. I.

Quid poſſint ac debeant Noſtri præſtare in miniſterio prædicandi?

1 Primò. Conſtat, requiri facultatem legitimam. Ita c. *Inter* de Offic. Ord. Trid. ſ. 5. c. 2. de Ref. Rom. 10. c. *Cùm ex injuncto.* c. *Excommunicamus.* c. *Quia verò* de Hæret. Concil. Conſtant. contra Wicleff. dicentem. *Licere presbytero vel Diacono prædicare verbum Dei ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ, vel Epiſcopi Catholici.* Igitur à Paulo III. data eſt libera facultas cuique Noſtrûm per Generalem deputato, in quibusvis Eccleſiis & locis, ac plateis communibus prædicandi Verbum Dei &c. Idémque confirmat Julius III.

2 Secundò. Subintelligitur in d. conceſſione. *Salvo Jure Ordinarii & Parochi.* Nam & ratio poſcit propter vitandum ſcandalum, & Jus ordinarium Paſtorum. Trid. ſ. 25. c. 2. de Ref. & ſ. 24. c. 4. & c. *Epiſcopus nullum*, d. 88. Clem. *Dudum*, de ſepult. c. *Inter cunctas.* §. *Ideoque* de Privil. quia Juri communi non derogatur, niſi expreſſum ſit. Imò Greg. XIII. circa iter agentes excipit, ut non fiat in locis, in quibus Ordinarius exiſtit, niſi ejus licentiâ obtentâ; in aliis verò locis, ſi Curatus Parochiæ non repugnet. In propriis autem Eccleſiis peti debet poſt præſentationem benedictio Epiſcopi (in aliis autem licentia) nec eo contradicente, fas eſt prædicare, juxta Trid. ſuprà.

Dices, Quid ſi injuſtè contradicat? ℞. Quæſtionem non eſſe practicam, cùm plus ſcandali, quàm fructûs ſequi tunc poſſet prædicando. Dein injuſtitia nunquam tam evidens eſſe poterit, quin hîc & nunc non expediat prædicatio. Rurſus conditio à Gregorio poſita non impleretur: nec huc facit c. *In his*, de Privil. quia uſus Altaris portatilis parùm facit ad munus Epiſcopi; & in præſenti, ne videatur id uſurpari, rectè petitur dependentia: ſatiſque eſt, ſuppoſito Privilegio, non poſſe licentiam pro mero arbitrio 3

negari, ut diſtrictè prohibet Gregorius.

4 Tertiò. Etiam *primâ tantùm Tonſurâ inſigniti* poſſunt uti d. Privilegio. Ita Gregor. declarans verba Pauli III. *Cuique veſtrûm*, diſtinguentis ſtatim circa Confeſſiones, *qui Presbyteri fuerint*; & ſimiliter intellexit Congregatio II. non requiri Ordines. Nam Regula Beneficii maximè procedit, ubi eſt favor tam Religioſorum, quàm Animarum, l. ult. ff. de Conſt. Princ. c. *Dilecti*, de Donat. cum ſimilibus. Dein ubi Lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere poſſumus; at nec Jure Divino actus eſt annexus Ordini (ubi enim fit mentio actûs?) nec humano, quia c. *Adijcimus*. 16. q. 1. agitur contra Monachos uſurpantes actum ſine licentia; & in c. *In ſancta* d. 92. per officium Prædicationis intelligitur lectio Evangelii. Imò communis Doctorum indifferenter loquitur, etiam Laico citra diſpenſationem committi poſſe prædicationem: quod Gl. falsò extendit ad mulierem, contra 1. Cor. 14.

5 Standum tamen eſt d. particulâ *tantùm*, quia licèt non exſtet expreſſa prohibitio Laici, ſatis eſt, ſub clauſula generali non comprehendi ſpecialia. Et licèt minùs dedeceat Religioſum, ut patet per multa capita 16. q. 1. tamen conſuetudo repugnat, cùm Jure Divino connaturali id munus ſit proprium Clerici, Mal. 2. Sermo tamen ſolùm eſt de concione publica, non de Catecheſi, ut ſatis indicatur in munere Patrini. Denique beneficium ampliatur ad Novitios Clericos, uti in Confeſſionibus. arg. c. *Religioſo* c. *Quamvis* de S. E. in 6. c. *Beneficium*, de Regul. in 6. declarátque S. Pater p. 5. §. 1. nomine Societatis ampliore etiam Novitios comprehendi.

Quartò. Privilegio ſolùm uti poteſt, qui ad d. actum *idoneus repertus fuerit*. Nam requiritur & vitæ exemplum (*Quòd ſi ſal evanuerit* &c.) & doctrina proportionata, cùm aliud ſit, erudire plebem ad communem vitæ honeſtatem; aliud, illumminare Doctores, confutare Hæreticos, res Fidei altiùs proponere & c. aliud tradere viam Perfectionis, & ſpiritualem doctrinam ſubtiliorem &c. Igitur in aliis major doctrina, in aliis major efficacia ſpiritûs neceſſaria eſt, & ad minimum, ut Fidei doctrina, & propria ac moralis virtutum & vitiorum ita teneatur, ut citra periculum erroris publicè proponi poſſit. 6

Quintò. Particula, *Per veſtræ Societatis Præpoſitum* non excludit Superiores alios, ut deputare poſſint ad d. actum. Nam debet ſubintelligi *per ſe vel alium*, cùm aliud impoſſibile ſit; ſícque generaliter declarat d. particulam *Præpoſitus* Paulus III. in Bulla 5tâ, ſolùm volens, peculiarem rei curam eſſe debere penes Generalem. Sic in ſimili c. *Exiit* §. *Verùm* de V. S. in 6. & Clem. *Exivit*. eod. declaratur, per Provincialem 7

cialem idem præſtari poſſe; ergo vi Muneris & Legis per poteſtatem ordinariam: ergo etiam delegare poteſt, quamvis non generaliter, quia nec neceſſarium eſt, nec ſufficiens ad munus proprium implendum. Additur Reg. 10. Provinc. *præmiſſo examine domeſtico, & approbatione Ordinariorum juxta Trident.* Tamen in Regula ſimplici, ſi res aliunde evidens eſt, diſpenſari poteſt circa examen.

8 Sextò. Conceſſio fit in *quibusvis Eccleſiis* &c. *& plateis* &c. Conſonat quidem d. Clem. *Dudum*, tamen cum reſtrictione, *In locis eorum*, cùm Paulus dicat, *in quibusvis* &c. ille enim noluit præjudicium, & hic ſupponit licentiam Epiſcopi. Malè autem obmurmuratur ob conciones in plateis: nam de Fide conſtat, rem, per ſe loquendo, nec malam eſſe, nec indecentem, ut patet exemplo Chriſti & Apoſtolorum, Joannis Baptiſtæ, & Prophetarum, Amos 5. & 2. Esdr. c. 8. Prov. 1. & exemplo S. Antonii Paduani, S. Petri Mart. S. Franciſci. Unde uſus d. facultatis eſt valde opportunus Eccleſiæ, & ex genere ſuo ſub conſilium cadit, ut ſuadet authoritas & Pontificum & Sanctorum, ac ratio, quia multi ad templum venire vel non poſſunt, vel nolunt, & ideo Prædicator debet eſſe & *opportunus* volentibus, & *importunus* nolentibus.

9 Dices, ad quid ergo Privilegium? 1. Templa ſunt deputata ad d. actum. 3. Fit contra conſuetudinem. Ad 1um. ℞. Jus ſic dari, ut nemo ſine rationabili cauſa poſſit impedire: notátque Gl in d. Clem. Papam poſſe diſponere aliquid faciendum in re Domini temporalis in favorem Fidei. Rurſus operatur Gratia, utora obloquentiũ conticeſcant, & fateantur, rem expedire, ſi prudenter fiat. Ad 2um. ℞. d. actum non eſſe propriè miniſterium ſacrum, quia non poſcit ſpecialem conſecrationẽ Miniſtri, aut cæremonias, nec ordinatur ad myſticam ſignificationem, ſed ad moralem & ſpiritualem utilitatem: ergo ex ratione ſua non poſcit locum ſacrum, ſed aptum: ergo Templa ſolùm ad eum deputantur, ut apta & certa ordinariæ functioni pro ſponte audientibus; ut etiam ſunt ad orandum, licèt hoc fieri *omni loco* poſſit juxta Apoſtolũ. Nec propterea quid decedit Templo, ut conſtat. Ad 3ium. ℞. Minorem uſum eſſe vel ob minorem neceſſitatem populi, vel ob minorem fervorem Prædicantium.

Adde, d. conceſſionem fieri ſine 10 reſtrictione quoad tempus, quæ fit in d. Clem. ſolúmque Societas tenetur ſtare Tridentino, ut *contradicente Epiſcopo* nihil agat. Per ſolam autem prædicationem ſuam ille non contradicit; ſatiſque eſt, quòd nullum tempus ſibi ſpecialiter reſervet: & de hoc conſtare poteſt, non ſolùm quandò expreſsè prohibet, ſed etiam ex quolibet ſigno diſplicentiæ,

centiæ, conſuetudine &c. Per ſe verò ſermo de Deo ſemper bonus & utilis eſt, modò non tempore importuno, vel nimis prolixè.

11 Septimò. Facultas datur prædicandi Verbum Dei *Clero & populo.* Aliud enim eſt, ad unum vel paucos loqui; aliud, ad Eccleſiam totam, ſcilicèt *Clerum & populum*, ut loquuntur Jura citata; quia propriiſſima & ſimpliciter dicta prædicatio, per ſe fit ad omnes, quantùm eſt de ſe; ideo eget Privilegio: secùs eſt de ſermone privato, ut conſtat de Catecheſi, inſtructione rudium. Addit Cajet. prædicationem propriè talem fieri debere ex officio, ut à Doctore publico, juxta 1. Cor. 14. id autem colligi poteſt ex modo, intentione, & populi convocatione, & maximè ex materia, juxta particulam *Verbum Dei*, quod de ſe omnem ſacram doctrinam continet. Quòd ſi quis tantùm de particulari caſu quaſi conſulens agat ad totam Eccleſiam, non cenſetur publicè docere in Eccleſia.

12 Denique in dicta facultate proponitur & finis, qui eſt ædificatio proximi ad bene vivendum, & media, ſeu propoſitio eorum, quæ ad captum ſint, & moveant ad d. finem. Unde neceſſaria eſt pura intentio Divini ſervitii, citra ambitum propriæ laudis &c 1. Theſſ. 2. imò qui hanc quærit, juxta Bonav. ne quidem acceptare deberet id munus, niſi ad hunc gradum virtutis perveniat, ut faſtidiat laudes pro opere bono; quia nec ſaluti aliorum proficit, nec ſibi meritorius eſt propter vanitatem. Unde etiam neceſſe eſt, & plana proponi ac pro captu, & cum prudentia, generatim perſtringendo vitia, non ſpeciatim aliquem, minùs viros primarios, ut notat S. Pater; & in Clem. 1. §. 1. de Privil. ſub interminatione Divini judicii præcipitur Religioſis, ne detrahant Eccleſiarum Prælatis in concione, idémque innovat Later. ſub Leone X.

Octavò. Secluſo præcepto Obe- 13
dientiæ, non eſt obligatio ad concionandum, per ſe loquendo. Nam ſolùm ex charitate eſſe poterit in caſu extraordinario ob gravem ignorantiam populi, quæ ſic depelli poſſit; idémque eſt, cùm ſcandalum timetur. Major tamen obligatio eſſe poteſt in Superiore, rarò tamen ſub gravi; quia nimia eſſe deberet negligentia, & quaſi in contemptum. Denique quantùm ad ſpecificationem actûs, conſtat adeſſe debere facultatem, & abeſſe reprehenſionem indiſcretam, & ne retrahantur Laici ab Eccleſiis, aut falſæ indulgentiæ proponantur, juxta d. Clem. Et de Jure naturæ eſt omnis modus per ſe pertinens ad honeſtatem actûs, ut ne dicantur falſa, vana, ſine recta intentione &c.

CAPUT

CAPUT II.

Quid poſſint & debeant Noſtri præſtare in miniſterio Sacramenti Pœnitentiæ?

1 Primò, Privilegium Pauli III. &c. non competit Noſtris immediatè, ſed mediante conceſſione Superioris. Ita expreſsè Greg. XIII. Conſt. *Decet*, & generatim quidem de quolibet Privilegio Societatis. Poteſt igitur Superior in totum negare d. facultatem; imò citra dubitationem concedere partem, non totum, quia ipſe eſt, qui tanquam Prælatus ordinarius, dat Jurisdictionem: cauſa autem ſecunda per ſe ſufficiens eſt in ſuo ordine ad d. effectum; ſtátque diviſio, ut conſtat de perſonis v. g. Scholaribus tantùm; & abuſus, qui ſequi poteſt, per accidens eſt, & factum tenet.

2 Dices, ergo etiam diviſio caſuûm fieri poterit. R. utique poſſe reſpectu Subditorum; quoad alios verò, ſecluſâ reſervatione aliâ Epiſcopi &c. foret grave onus, & injuria. Igitur qualitas Delegationis intelligi debet ex verbis Superioris, & circumſtantiis; nam ſi à principio delegatio fit ad tales perſonas; clara eſt reſtrictio. Sin ſupervenit prohibitio, vel fit in pœnam delicti, vel intuitu ipſius miniſterii, ne indignè, aut circa talem perſonam fiat, vel per modum ordinariæ Obedientiæ ſimplicis, ut quis in alio munere occupetur? Si 1um vel 2um, ſuſpenſio eſt. Si 3um, non cenſetur rigoroſa prohibitio; quamvis conſtet, in dubio abſtinendum eſſe ab uſu.

Secundò. Extenditur facultas ad omnes utriusque ſexûs Chriſti Fideles undecunque ad nos accedentes. Unde non requiritur licentia ſingulorum Epiſcoporum: aliàs nullius momenti eſſet conceſſio, nec Trid. petit niſi approbationem Epiſcopi domicilii. Quâ ſuppoſitâ, perinde eſt, an domi, an foris audiam Pœnitentem, quia nullo verbo reſtrictio fit ad noſtram domum. Secùs eſt de Noſtris itinerantibus, propter particulam *accedentes*; quamvis Gregor. XIII. idem conceſſerit extra locum alterius Ordinarii, & non repugnante Curato. 3

Tertiò. Extenditur d. facultas ad omnia peccata, etiam S. Sedi reſervata, exceptis contractis in Bulla Cœnæ. De reſervatis Epiſcopo diſputat Author. Et Paulus III. conſt. *Licèt debitum*, concedit caſus Cœnæ pro locis remotiſſi- 4

 mis;

mis; reſpectu quorum etiam caſus Hæreſis non videtur attendi, ut ſpecialis, quia multa propter diſtantiam conceduntur, quæ aliàs negantur, juxta Gl. c. *Cùm ex litteris*, de in integ. reſtit. Abb. c. *In noſtris*, de ſepult. præſertim ubi nec Inquiſitio eſt, nec Epiſcopi munus ſuum liberè exercere poſſunt. Tandem Julius III. Conſt. *Dilecte* concedit caſum Hæreſis, & alios contra Fidem.

5 Quartò. Extenditur d. facultas ad omnes Sententias, Cenſuras, & pœnas ex ipſis caſibus reſultantes. Sed Sententia generalis in Compend. ſolùm conceditur Superiori, & de ſpeciali omnino tacetur: plus autem non poſſumus, quàm expreſſum ſit. Quantùm ad Cenſuram, conceſſio fit ſimpliciter: ergo ſine neceſſitate cæremoniæ. Quamvis autem extra Sacramentum abſolutio ab illa nec conſuli, nec permitti poſſit, ſi nulla occurrit rationabilis cauſa; tamen de rigore Juris verius eſt, dari poſſe.

6 Nam verba *Abſolutio*, *Confeſſio*, *Pœnitentia*, ſunt indifferentia ad utrumque Forum, ſcilicet Sacramentale, & quaſi contentioſum ſecretum: ergo rectè cum partitione accommodata ſumuntur. Nec Sacramentalis Abſolutio eſt finis adæquatus, nec intrinſecus alterius Abſolutionis, ſed ratio tantùm adjuvans, quæ ſemper reſpici poteſt, cùm via ad illam fiat. Præcedit enim Forenſis Sacramentalem, nec pendet ab intentione hujus, & quam neceſſariam eſſe, nec ex d. Indulto, nec aliunde colligi poteſt. Exempla ſunt, ſi quis non ſit paratus ad Sacramentalem Confeſſionem, vel hæc ſit plurium dierum, vel Sacerdos non poſſit abſolvere ab omnibus, vel indiſcretè ſeparet Abſolutionem Forenſem nolens dare alteram.

Nec propterea derogatur Foro 7
Fori, quia alius hujus, alius alterius Fori finis eſt; & publica punitio ordinatur ad commune bonum, & terrorem &c. nec debet impediri per emendationem internam. Unde nec Judex tenetur habere Abſolutionem pro rata, quia intelligit Privilegium, niſi verba ad aliud cogant, *ſalvo Jure ſuo.* Tamen ſi per Teſtes de illa conſtet, veritas præfertur præſumptioni: ergo & poteſt & debet reum punire, non ut ſimpliciter talem, ſed quoad expedit ad punitionem contumaciæ, tollendum ſcandalum, & publicam ſatisfactionem. Privilegium enim, quatenus continet odium, ut injuriam commune damnum &c. eſt ſtrictè interpretandum, ut confirmat conſuetudo.

Licèt ergo Cenſura quoad impo- 8
ſitionem ſit Fori externi, non tamen quoad obligationem, ſicque hujus ablatio verè & ſimpliciter, & [illegible]

que

que utiliter ſit; eſto reatus coram Eccleſia ſolùm tollatur ſecundùm quid. Nec Forum *Conſcientiæ* & *Pœnitentiæ* ſemper arctatur adSacramentale, ut conſtat in caſibus occultis Epiſcopo conceſſis, & facultate data Clerico non Sacerdoti. Tamen Abſolutio dari nequit, niſi ſatisfactâ realiter parte: ſecùs enim noluit Pius V. in Bulla Jubil. ut admitti quis poſſit ad Communionem: eſſétque actus cum injuria tertii, & citra diſpoſitionem, quam Pœnitens poteſt & debet habere.

9 Quintò. Nomine *pœnæ* non intelligitur Irregularitas, quidquid in oppoſitum Gutier. velit de Irregularitate impoſitâ ob violationem Cenſuræ, quaſi ſub hujus nomine comprehendatur, tanquam acceſſorium. Nam imprimis d. Irregularitas valdè per accidens & remotè ſe habet reſpectu Cenſuræ; & aliàs commiſsâ Excommunicatione, etiam Suſpenſio comprehenderetur, aut quodlibet vinculum occaſione prioris contractum: quod eſt inauditum. Dein difficiliùs tollitur Irregularitas, nec per Abſolutionem, ſed Diſpenſationem c. *Cùm illorum* de S. E. c. 1. eod. in 6. c. 1. de re jud. in 6. quia nec eſt Cenſura, nec pœna medicinalis, ſed vindicativa; ſempérque in ea conſideratur indecentia, vel myſtica ſignificatio. Et tandem ſi omnes pœnæ intelliguntur; ergo etiam Depoſitio, Degradatio &c. &c.

Igitur nomine *pœnæ* intelligitur 10 pœna Eccleſiaſtica, non medicinalis, ſed vindicativa, quæ vi ſententiæ vel Canonis nec perpetua ſit poſitivè, nec definitam durationem habeat, ſed pro arbitrio Judicis tolli poſſit. Nam aliquid facultatis datur per d. vocem, & additur ultra data per priora verba; aliàs non explicaret, ſed obſcuriorem redderet facultatem Confeſſarii: aliud autem, quàm dictum ſit, intelligi nequit. Non enim pœna corporalis aut pecuniaria: aliàs ceſſaret in Judice jus puniendi; quod non conceditur: ergo ſermo eſſe debet de pœna Eccleſiaſtica, & per Judicem Eccleſiaſticum impoſitâ, quia ut Votum ceſſet jejunii v. g. poſcitur commutatio aut diſpenſatio, non abſolutio Confeſſarii. Similiter intelligi nequit Pœnitentia Sacramentalis; nam quia medicina eſt, rationabiliter tolli nequit vi ullius Privilegii: ſolùm ergo pœna hîc propriè eſt, quæ per Eccleſiaſticas Leges vel Prælatos extra Confeſſionem imponitur, & aliquo modo ſpiritualis eſt, & voluntariè exercenda ex obligatione Conſcientiæ; ſícque ſine diſpenſatione per propriam abſolutionem tolli poteſt, propter ſubordinationem ad judicium Superioris, ut ſi Reus meretur, tollatur. De diſpenſatione in Voto, petendo debito &c. &c. videatur Compendium.

CAPUT

CAPUT III.

Quid poſſint, & debeant Noſtri præſtare in adminiſtratione Evchariſtiæ?

1 Primò. Competit Noſtris Juriſdictio dandi Evchariſtiam, *Parochorum &c. &c. licentiâ minimè requiſitâ.* Ita Paulus III. pro omnibus & ſingulis Fidelibus, etiam tranſeuntibus, & quocunque anni tempore, *excepto Feſto Paſchatis, & mortis articulo, niſi neceſſitas urgeret.* Nam propriâ authoritate actus, utpote Jurisdictionis, uſurpari nequit: at certiſſimum eſt, & de Fide, poſſe concedi à Pontifice, ut Paſtore ſupremo & independente. Nec Clem. *Religioſi.* de Privil. obſtat, quia par in parem non habet poteſtatem, & voluntas poſterior prævalet priori; ut taceam de revocatione ſufficiente.

2 Dices, addi in priore Bulla particulam *ſine alicujus præjudicio.* ℞. Addi hoc propter alia Sacramenta. Dein ob circumſtantias perſonæ lædi poteſt jus tertii, ut ſi ob juſtam cauſam prohibetur Communio, etiam ſeclusâ Cenſurâ: vel ſi in loco alieno contra voluntatem Rectoris illa detur, aut pro tempore, quo adeſſe oves debent in propria Parochia, aut ibi communicare; quod ſatis expreſſit exceptio in poſteriori Bulla: nam Paſtoris eſt cura propria, an impleatur præceptum Divinum vel Eccleſiaſticum. Unde etiam Externis concedi in noſtris Templis nequit, ut miniſtrent Communionem, Parocho repugnante.

Secundò. Exceptio Paſchatis etiam valet pro vagis & itinerantibus. Nam illi ſubſunt Parocho loci, ubi ſunt; & hi Parocho incolatûs. Tamen conſuetudine haberi poteſt, Parochum (ut eſt regulare) parùm curare peregrinos, an Parocho loci, an Religioſo confiteantur: & acquieſcere is debet teſtimonio exhibito, citra novam coactionem. Ut autem neceſſitas excuſet, oportet eſſe impotentiam vel adeundi Parochiam, vel petendi facultatem. 3

Tertiò. Sola Communio, quâ impleatur præceptum, excipitur. Nec enim obligatio affirmativa intelligitur pro ſingulis momentis, vel diebus: ſicque ipſo die Paſchatis ſumi ex devotione poterit Sacramentum apud Noſtros. Idémque eſt de Infirmo, ſi periculum non urget pro ſtatim ad Viaticum; nec refert, an hoc anticipetur, an ſubſequatur actum devotionis. Nec enim loci privilegium, ſed perſonarum eſt, juxta verba: *Et poſt ſeu ante Miſſarum celebrationem, aut aliàs* (quæ vox ampliat) *Evchariſtiam miniſtrare.* Similiter in Oratorio Externi (ſuppoſitâ 4

poſitâ licentiâ) celebrans Noſter eandem dare poterit ſine nova licentia.

5 Neque cùm petitur, ut decenter in Noſtris Templis ſervetur Evchariſtia, reſtrictio fit, ſed novus favor; aut certè laudatur mos miniſtrandi ex particulis præconſecratis. Solùm ergo præjudicium fieret deferendo publicè Evchariſtiam; quod juxta conſuetudinem & eſt proprium Parochi, & non fit, niſi ad præceptum implendum, loquendo regulariter; & propter decentiam poſcit concurſum Fidelium. Leges verò attendunt, quod eſt regulare.

6 Quartò. Sub articulo mortis etiam periculum hujus comprehenditur in exceptione, per ſe loquendo. Nam ſicut favor pro d. articulo conceſſus, intelligitur etiam de periculo; ita etiam limitatio utrumque comprehendit: ergo ſolùm ſtandum eſt dictis de obligatione præcepti, cujus ſolius explendæ cura relinquitur ex officio Paſtori: ergo quia non pro ſtatim urget d. obligatio in partu imminente, navigatione longâ &c. Sacramentum dari poterit ex devotione ſumentis. Tamen quòd plus fiat ſine ſcrupulo, ideo eſt, quia vel non putatur tantum eſſe periculi, vel non cogitatur obligatio, aut applicatio ejus ad caſum (quod non omnibus facile eſt) vel quia præſumitur conſenſus Paſtoris, cui gratum eſt, ſic miniſtrari, quando abeſt contemptus, aut præjudicium aliud.

Duo autem requiruntur ad neceſſitatem urgentem miniſtrandi. 7
Unum eſt, ut Parochus abſit, vel non poſſit aut nolit miniſtrare: alterum, ut periculum mortis probabile ſit, licèt nec proximum, nec extremum ac deſperatum ſit. Si enim tale non eſt, ut obliget ad comunicandum; ergo jam non erit Communio in articulo mortis, ergo vi Privilegii dari poteſt.

CAPUT IV.

Quid Noſtri poſſint circa adminiſtrationem aliorum Sacramentorum?

1 Primò. In locis, ubi ſunt Paſtores ordinarii, non licet ſolemnis adminiſtratio Baptiſmi, quantùm eſt vi Privilegii. Nam vetita eſt *Monacho* in c. *Placuit* 2. 16. q. 1. conſequenter omni Religioſo, quia prohibitio fundatur non in Monachiſmo, ſed quia talis *non habet populum*, ſeu curam, ad quam pertinet d. actus. Privilegium autem ſolùm concedit Evchariſtiam, & *alia Eccleſiaſtica ſacramenta ſine alicujus præjudicio;* nec oppoſitum convenit ſive fini Societatis, ſive paci cum Paſtoribus ordinariis. Sic nec Evchariſtia, nec Pœnitentia commit-

tuntur in caſu præcepti; idem ergo eſt de Baptiſmo ſimpliciter extra caſum neceſſitatis, quia extra hunc ſemper debet adminiſtrari ſolemniter: ergo per *P*aſtorem proprium.

2 Secundò. Secùs eſt in populis Curæ noſtræ commiſſis. Nam tunc actus competit vi muneris, c. *Doctos.* 16. q. 1. abéſtque præjudicium alterius, arg. c. 2. de Conſt. in 6 ſufficítque delegatio ut ad munus prædicandi, ita & baptizandi conſequenter, ſeu recipiendi in Eccleſiam converſos ab Infidelitate. Ceſſat autem d. delegatio, quamprimum proprius Epiſcopus vel Parochus aſſignatur territorio, quia ad plantationem Fidei nec neceſſaria eſt, nec convenit uſurpatio juris eorundem; jurgiáque forent inter Religioſos, ſi alii aliorum meſſem involarent: ergo ut ſua illi, ita & aliorum jura ſervata velle debent. Sufficítque Jurisdictio Epiſcopi quaſi voluntaria in Infideles territorii ſui, quia nec eſt Privilegium, quod det oppoſitum; nec ſufficiunt verba generalia, tum propter d. particulam *ſine præjudicio*, tum ob Clem. 1. de Privil.

3 Tertiò. Adminiſtratio Extremæ Unctionis non licet, per ſe loquendo. Conſtat ex d. Clem. utique ſecluſo caſu, quo Parochus vel non poteſt vel non vult miniſtrare. Solùm enim vetatur uſurpatio juris alieni; & quidquid de d. Clem. ſit, ſaltem vi Privilegii noſtri indefinitè fit conceſſio, ſecluſo præjudicio: at Parochus irrationabiliter invitus tunc eſt; imò tunc Privilegiatus præferri debet alteri, cùm reſpectu hujus non ſit caſus neceſſitatis.

Confirmatur d. exceptio Regulæ 4
per exceptionem familiarium additam in altera Bulla Pauli III. dicentis: *Iis, qui in ipſorum Sociorum morantur obſequio, cuncta liberè poſſint miniſtrare Eccleſiaſtica Sacramenta.* Maximè enim propter d. Sacramentum dicitur *Cuncta*; aliàs etiam Viaticum excludi poſſet, nec ſpeciale quidquam daretur Familiaribus, cùm tamen his, ut ſepultura, ita & prævia concedantur, omiſſâ mentione *præjudicii*; quod nullum eſt ob conjunctionem talium.

Quartò. Familiares ſolùm intelli- 5
guntur, *qui actu ſerviunt Religioſis, & intra eorum ſepta ac domos reſident, ſub eorúmque obedientia vivunt.* Ita Trid. ſ. 24. c. 11 de Reform. Additque Compendium: *Extra ſepta cum illis perinde, ac cum aliis agatur*; ſicque reſtringit uſum Privilegii, nam *Familiaris* accipitur modo Civili, licèt in propriis negotiis aliquando abſit, aut extrà ægrotet, ut tenet communis c. *In litteris.* de Teſtib. c. ult. de V. S. in 6. & l. *Cùm heres.* § *Stichus* ff. de Stat. lib. Ratio reſtrictionis eſt, quia & pax ſervatur, & plus nec neceſſarium eſt nec convenit, cùm Parochus & poſſit & debeat conferre Sacramentum, ſicque ſine gravamine noſtro ſervari poſſit Tridentinum.

Quin-

6 Quintò. Per Communicationem cum aliis poterit d. Sacramentum liberè, & citra requiſitionem Parochi miniſtrari iis, qui intra ſepta noſtra infirmantur, licèt familiares non ſint. Ita Compend. Neque diſtinguendum eſt inter Sacerdotem noſtrum nondum approbatum, vel approbatum, quia d. miniſterium neque vi Trid. neque alterius Juris requirit approbationem, magis quàm in Evchariſtia. Secùs autem eſt de Confeſſione; nam familiaris &c. &c. non deſinit eſſe ſecularis: ergo abſolvi nequit niſi ab approbato, juxta Trident. ſícque accidentaria eſt reſtrictio Privilegii circa Pœnitentiam.

7 Sextò. Adminiſtratio Matrimonii, per ſe loquendo, non competit. Non enim quoad aſſiſtentiam, cùm ſecluſo munere Parochi, nihil faciat, & illo ſuppoſito, vi muneris, non Privilegii, competat. Non quoad ſolemnem Benedictionem, quia graviter prohibetur in d. Clem. nec in ullo Privilegio conceditur. Exceptio tamen eſt pro locis, ubi non eſt Parochus; quia conceſſio generalis fit Sacramentorum, ergo quoad omnia, quæ ad ſubſtantiam, vel ſolennitatem eorum pertinent, ſecluſo præjudicio tertii; ſícque res uſu recepta eſt, tanquam jam conceſſa per clauſulam generalem, licèt expreſſa non ſit, nec petita, utique non neganda, cùm gratiæ graviores datæ ſint.

CAPUT V.

De Spiritualibus Exercitiis: ac primò de eorum quidditate & doctrinâ.

1 Primò. In Annot. tertia rectè inculcatur cura reverentiæ in Colloquiis &c. &c. Nam conſideratio de Divinis, ſi ſpeculativa eſt ſolùm eſt circa Deum, ut objectum, non ut perſonam, quacum agimus; & ideo regulariter non naſcitur reverentia, ut quaſi naturaliter ſequitur, ſi conſideratio eſt practica, ut ad perſonam. Colloquium autem & affectus de ſe non pariunt reverentiam: ergo ne familiaritas pariat contemptum & negligentiam (ut contingere ſolet) ſpeciali curâ opus eſt, ut debito modo cum Deo agatur in d. actibus.

Secundò. Incipiens minùs tentatur, quàm proficiens, ut rectè tenet S. Pater Annot. 10. Nam imprimis Regula intelligi poteſt moraliter, quia juxta Aug. *Tormenta animi non ſentit, qui non proficit: putat enim, quia pax eſt. Sed incipiat proficere: & tunc videbit, in qua preſſura eſt, quia cùm creviſſet herba, & fructum feciſſet, apparuerunt & Zizania.* Dein Regula agit de tentatione ſub ſpecie boni, quâ proficiens tentari magis ſolet, utpote 2

 ſat

1 at aſſuetus vincendæ ſuggeſtioni rei per ſe pravæ, quæ luctam parit incipientis propriam. Denique Regula abſolutè accipi poteſt, quia initium facile eſt propter Gratiam Dei, & providentiã in dando plus ſolatii, & amovendo impedimenta: at perſeverantia difficilis eſt ob tædium; & ideo dæmon aſtutè exſpectat, ne in principio fortiter repellatur.

3 Tertiò. Sanctus nec in Fundamento quid ponit, quod rectè arguatur, nec ante illud. Non antè, cùm ſilet de denuntiatione errantis in Fide. Res enim pendet & ex Jure naturæ, & Eccleſiaſtico, & ex multa doctrina morali: rectè ergo generaliter dicitur *Vias omnes opportunas tentet &c.* ſícque docto ſufficit monitio, & indoctus juvatur ad dubitandum, & interrogandum. Rurſus cùm petitur indifferentia in Fundamento, alia eſt neceſſitatis, alia Conſilii; & de poſteriori procedit Regula quia ex ſanitate, vita &c. ſumi ſolet occaſio vel peccandi, vel non proficiendi; & aliquando neceſſitas eſt etiam illa contemnendi.

4 Quartò. Non refert, à non Theologo allegari differentiam peccati mortalis & venialis &c. &c. Rectè enim reſpondit Sanctus: Veráne ſint, an falſa, quæ ſcripſi, veſtri judicii eſt; ego enim meum non interpono. Si vera ſunt, probate; ſi falſa, reijcite. Rurſus cùm ait, negligentiam in retundenda delectatione, eſſe veniale; agit de negligentia præciſè, ſeu ſecluſo conſenſu etiam interpretativo, ſicut patet ex particula *Quacunque ratione*: notatúrque ſubreptio, ſeu non plena advertentia per particulas *Aliquantulum*, & *obiter*.

Quintò. Tenet doctrina, quæ datur de peccato circa Indulgentias. 5
Nam has aſpernari, ex objecto & per ſe malum eſt, víxque fit ſine errore in Fide: idem ergo eſt de earum neglectu ex contemptu. Rurſus ſi hic practicus eſt, ſaltem continet injuriam rerum ſacrarum, & indicat animum alienum à bonis ſpiritualibus. Licèt autem omittere, quod pro Indulgentiis injungitur, per ſe peccatum non ſit; vix tamen hoc abeſt, ſi omiſſio ſit à ſciente & vidente, vel quia eſt quaſi prodigalitas, vel quia turpis eſt pars diſſonans toti, vel quia nimia negligentia eſt, non ſuccurere ſpiritualiter bono publico, ob quod offertur Gratia; ſícque eſt grave, & non contemnendũ veniale.

Sextò. Meditationes nil continent, 6
quod repugnet ſacræ hiſtoriæ. Nam inprimis Traditio eſt de utroque jumento, bove & aſino; illo propter tributum adducto, hoc ad uſum commodioris itineris, quia licèt uterus non gravaret, tamen & naturalis debilitas, & decentia poſcebat hanc ſponſi humanitatem erga Virginem. Unde dubium non eſt, famulam fuiſſe domeſticam, tum ob decentiam & clauſuram Virginalem, tum ob perpetuam Contemplationem & quietem Virginis, tum ob curam partûs, quæ viro eſſe debuit neſcienti modum ejus.

Rur-

7 Rurſus quod dicitur in contemplatione de geſtis poſt cœnam, & in horto, non pugnat cum Joan. 18. *In quem* (hortum) *introivit ipſe & Diſcipuli ejus.* Nam inter montem Sion & Oliveti mediat vallis Joſaphat, quam perluit Cedron. Locus verò, quò exiit Chriſtus, dicitur villa vel prædium (habens ruralem domum) ab aliis Evangeliſtis, & intra hoc fuit hortus, ſeu quaſi viridarium, ut remiſſionis cauſâ haberi ſolet in villis. Quia ergo totus locus erat ad radicem montis Oliveti; vel totus, vel magnam partem fuit in valle; ſicque octo, qui remanſerant Getſemani (Mat. 26.) veriſimiliter extra d. hortum propriè ſumptum fuêre, licèt ab ea parte totum denominatum ſit. Quòd ſi omnes in horto fuêre; ergo tres in interiori parte, & fortè in Latere montis, ut ſignificatur Luc. 22. & in rupe concava ex monte pendula, *ſedete hîc &c.*

8 Septimò. Rectè diſtinguuntur tres gradus Humilitatis. Nam hæc juxta S. Thom. ſubiicit hominem Deo, ſicque maximè exercetur per obſervantiam mandatorum. Diſtinctio autem conſonat diſtinctionibus aliis, ut virtutum in Politicas, Purgativas, & Purgati animi; item graduûm virtutis in ſtatum continentiæ, virtutis ſimpliciter, & heroicæ; itémque Charitatis in Incipientem, Proficientem & Perfectam.

9 Porro diſtinctio Humilitatis ſolùm fit quoad affectum internum, ut magis vel minùs perfectus eſt; quia Electio, de qua agitur, maximè pendet ab affectu ſic purgato. Hic autem explicatur juxta modum loquendi & ſentiendi Sanctorum in tertio gradu. Licèt enim, quidquid perfectius eſt in ratione virtutis, eo ipſo pertineat ad majorem Dei Gloriam; tamen rectè præſcinditur ab omni alia utilitate, quia pro motivo animis purgatis ſufficit exemplum Chriſti.

Octavò. In meditatione de duobus Vexillis rectè diſtinguuntur Gradus Perfectionis. Nam agitur de mediis, & diſpoſitione ad Electionem probam; ſicque juxta doctrinam Chriſti moderatio primùm fit circa divitias, dein circa externa honoris, & denique circa propriam excellentiam. Eſtque aliud, agere de Perfectione; aliud, de ſtatu ejus, quia illa ſtat ſine Caſtitate: quod autem de præcepto eſt, ſupponitur ad illum; quod verò conſilii eſt, de eo fit Electio, non autem ad hanc diſponit. 10

Nonò. Rectè traduntur Regulæ de diſcretione ſpirituûm. Nam conſtat, dari Illuminationes, Inſpirationes, & Motiones Divinas, ſive immediatè à Deo ſint, ſive ab Angelo bono; rurſúmque conſtat è diverſo fieri à dœmone motionem in malum, excæcando intellectum, & prava objecta, quantùm poteſt, illuminando nunc apertè, nunc ſub boni ſpecie. Neceſſarium ergo eſt donum Diſcretionis, ut ordinarie 11

nario modo in Eccleſia comparari poteſt ex principiis ſupernaturalibus, adhibito diſcurſu rationis & experientiæ; aliàs non vitatur periculum erroris 1. Jo. 4. & 2. Cor. 12. quia licèt Gratia ſecundùm totam ſuam latitudinem non exſpectet diſpoſitionem hominis, tamen præventus poteſt & debet ſe diſponere ad illam prævenientem: ergo per vitæ puritatem, dolorem de præteritis, diminutionem affectûs ad temporalia, meditationẽ &c. ſic fidelis vocationi ibi acceptæ perfectiùs vocatur.

12 Ad tria autem capita reducuntur d. Regulæ. quia ex materia, fine & effectibus, & ex modo illuminationis diſcerni debet ſpiritus. Si ergo materia vel finis eſt malus, evidens eſt, motionem eſſe à ſpiritu malo. Non ſufficit autem, finem eſſe bonum, niſi etiam medium & circumſtantiæ omnes bonæ ſint, nec impediant à majori bono; idémque eſt de effectibus. Nam licèt homo nil mali, aut minus bonum intendat, ſpiritus ſine dubio intendit vel prævidet; & ideo ex fructibus cognoſcitur. Rurſus facile eſt diſcernere motionem ſenſibilem (ſeu mediante phantaſmate) à non tali, at non ſpiritum ipſum ſeu motorem: ergo neceſſe eſt modum alium motionis attendere.

13 Uterque enim ſpiritus intendit vel mutare animam à diſpoſitione ſibi contraria, vel promovere in conformi ſibi. Mutatio autem ordinariè requirit commotionem & aſperitatem: at continuatio ſuaviùs fit. Quòd ſi homo curam habet profectûs, bonus Spiritus ſuaviter, malus durè movet; & è converſo, ſi homo in peccatis eſt, vel negligens in Divino obſequio, Sic reſiſtens bono Spiritui meretur reprehenſionem, & obediens conſolationem & ſuavem promotionem. at in talem dæmon, ut in hoſtẽ inſurgit. 14

Dices, quomodo dicitur, conſolationem &c. dari, quando nec ſenſibus, nec intellectui, nec voluntati quidquam objectum eſt, quod hujuſmodi conſolationem mereatur? ℞. Senſum non eſſe, quòd voluntas moveatur ſine objecto cognito, aut intellectus ſine cooperatione phantaſiæ. Indicium autem d. motionis eſt ex parte intellectûs, ſi talis ſit apprehenſio vel cognitio, quæ ut hîc & nunc eſt in tali, non potuit per imaginationem excitari; vel ſi eſt de objecto nobiliore, quàm ſub ſenſum venerit; aut cùm ſubitò & cum tanta intelligentia veritatis, ut vi phantaſmatis eſſe nequiverit. Exemplum eſt in Gentili, qui de Creatore nunquam cogitavit, in Fideli ſimplici myſterium Fidei clariſſimè intelligente, in practicis judiciis de Pœnitentia agenda, Deo diligendo, ſequenda perfectione &c. Quæ tam ſubitò, támque vehementer proponuntur, ut ferè apertum ſit, originem non eſſe à ſenſibilibus, ſed apprehenſionem, ſi qua comitatur, excitatam eſſe à cogitatione mentis. 15

Idem eſt ex parte voluntatis, ut ſi

ſi vehementiùs movetur, quàm objectum per ſe poſſet aut ſoleat movere, ut ſi impetu, & quaſi neceſſitate affici quis ſe ſentiat; quia nulla creatura tantum poteſt in humanam voluntatem; ut ſi verſando circa bona ſuperiora, & per ſe honeſta &c. vehementiùs terreatur &c. Licèt autem hæc cum certitudine Fidei diſcerni nequeant; ſufficit conjectura valde probabilis, & aliquando moraliter certa, juxta dicta l. 9. de Grat. à cap. 9. conſtátque viros ſpirituales in his inſtructos eſſe debere, cùm nec omni ſpiritui credendum ſit, nec etiam nimiùm timendum, reprobando bonas motiones, contra illud: *Spiritum nolite extinguere.*

16 Decimò. Ubique temperatur doctrina de Gratia, & libero Arbitrio contra Hæreticos noſtri temporis. Nam S. Pater non tantùm verbis, ſed factis profiteri docet doctrinam Eccleſiæ contra Hæreſes, ut de Obedientia erga Eccleſiam, frequenti communione, Cœlibatu, cultu Sanctorum, Jubilæis &c. Sic docet æſtimare Gratiam tempore conſolationis, reputando ignaviam, quæ eſt in deſolatione; rurſúmque in hac vult corroborari animum, quòd plurimum poſſimus cum Gratia, & hoſtem victuri ſimus, ſpe in Deo collocatâ, & animo corroborato. Denique diſtinguit duplicem motionem piam; alteram *Donum Spiritûs ſancti*, cùm homo potiùs agitur, quàm agat; ſícque ſtet libertas voluntatis cum neceſſitate judicii de vero, pio &c. Alteram, in qua homo per diſcurſum rationis operatur, adjutus lumine ſupernaturali, ut diſcurrimus ex principiis Fidei, Patribus &c. quanquam ſi Electio merè naturalis eſt, ſufficiat etiam naturale lumen.

CAPUT VI.

De Arte ſeu Methodo Exercitiorum.

1 Primò. Prudentiſſimum & planè Divinum Conſilium fuit de hac quaſi Arte tradenda. Patet exemplis Sanctorum, qui myſticam Theologiam tradunt, & uſu tot proficientium ex d. methodo breviſſimis regulis omnia complectente, & diſtinctiſſimè. Eget autem homo inſtructione in omnibus, internis & externis: ergo maximè in exercitio, quod ſi bene fit, fructum magnum; ſin malè, tædium affert, otioſitatem, & periculum: ergo à fortiore Societas eget d. Arte, cùm perfectio proximi, quam curat, maximè pendeat à communicatione cum Deo, & neceſſe ſit plantare & rigare, ut Deus incrementum det; ſuppoſitâ diſpoſitione debitâ ex parte hominis.

Se-

2 Secundò. Rectè conſulitur majori utilitati omnium, inſtructionem ſpiritualem generalem breviſſimè comprehendendo. Nam brevitas facit ad faciliùs diſcendum, & ſuaviùs exercendum; ſolúmque generalia principia omnibus communia eſſe poſſunt: at applicatio cum majore vel minore extenſione relinquitur Directori. Dein ſpiritualis vita duo poſcit; correctionem morum, & unionem cum Deo: ad illam pertinet purgatio præteritorum, frequens Confeſſio, Examen quotidianum; ad hanc frequens meditatio, & virtutum exercitium; & ad utrumque recta electio de ſtatu Vitæ. Quia ergo omnium bonarum actionum principium eſt æſtimatio & intentio finis ultimi, ab hoc, tanquam ab exordio totius reformationis, exordium fit.

3 *Porrò* diſtinctio Hebdomadum fit, non propter tempus (utut regulariter accommodum) ſed ex materia, & fine: nam in prima tractantur Purgativa; in altera, quæ ad Electionem & conſtitutionem vitæ futuræ pertinent. Fundamentum autem Chriſtianæ Electionis eſſe debet, ſequi Chriſtum exemplar Noſtrum; quia poſt Purgationem tendi debet per viam virtutis. Subditur in tertia de Paſſione Chriſti, quâ maximè perficitur via Illuminativa, quæ longum tempus poſcit, paucis ad Unitivam pervenientibus; & ad eundem finem confert quartæ materia. Quantùm ad formam meditandi, eò tendunt omnia Libelli documenta, nihilque eſt, quod deſit; pro materia verò deligitur, quod congruit, cùm ea infinita ſit, & quisque facilè reperire eam poſſit.

Tertiò. *S*atis proviſum eſt in d. methodo omnibus vitæ ſtatibus. 4
Nam hebdomas quarta directè non tendit ad correctionem morum, ſed ſpem & gaudium ſpirituale, additâ in fine materiâ propriâ Contemplationis de Amore. Tamen in his diſtinguendum eſt, quod habet rationem viæ, à termino ſeu unione cum Deo per ſimplicem velut intuitum; quia prius poſcit conſuetam formam meditandi, ſempérqne tenendum eſt, ſeclusâ ſpeciali gratiâ poſterioris; & ideò ferè ſolùm agit Libellus de humanitate Chriſti, tanquam oſtio Divinitatis.

Facit tamen ad d. ſimplicem in- 5
tuitum applicatio ſenſuûm, quia tres viæ, licèt diſtinctæ ſint quantùm ad principales actus, non debent eſſe impermixtæ; ſed in prima hebdomade aliquid neceſſarium eſt de ſecunda & tertia, ut ſuavior & fructuoſior ſit; tertia verò ſecurior redditur ex prima & ſecunda, quarum iſta, utpote media, de prima & tertia participat. Nihil ergo omiſſum eſt, quod brevi methodo tradi poteſt, quamvis viva vox non excludatur, & utrumque perficiatur experientiâ & lumine Spiritûs Sancti.

CAPUT

CAPUT VII.

De Prudentia à S. Patre ſervatâ; & de uſu Exercitiorum.

1 Primò. Traduntur omnia, quæ in Conſultationem ſpiritualem venire poſſunt. Patet de his, quæ hominis ſunt quoad ſe externa & interna, ut Pœnitentia, temperantia &c. de ſcrupulis, de Examine, Confeſſione &c. Quoad Deum, de actibus intellectûs & voluntatis, diſcretione ſpirituûm, de conſentiendo Eccleſiæ. Quoad proximum, de Eleemoſynis. In particulari autem rectè conſulitur detractio de victu (non utique ſcrupuloſi, & propenſi ad auſteritatem) quia augetur & meritum & diſpoſitio, additâ monitione de vitando periculo gravi valetudinis.

2 Rectè etiam vitatur conſilium Statûs &c. non petitum, quia finis debet eſſe utilitas: at ſtatim ſuboritur ſuſpicio humani negotii, vel affectûs; ſicque impeditur vocatio, vel ſi perſuadetur Electio, firma tamen non eſt, quia ſubortâ tentatione, credetur fuiſſe humana. Quòd ſi petitur Conſilium; ergo non recipitur, ut omnino alienum; quamvis ſatius ſit, rationes utrinque proponi, niſi alter inſtet; nam tunc veritas dicenda eſt. Denique pro eleemoſynis dantur principia generalia pro omni actu perfectè exercendo; alterum de intentione recta, alterum de indifferentia, quæ propter indiſpoſitionem ſubjecti, ac ſiniſtros affectus tollendos neceſſaria eſt.

Secundò. Exercitia rectè dantur 3 etiam incipientibus. Nam aliud eſt, ſperari non quidem faſtigium Contemplationis, ſed Purgationem perfectam, vel Illuminationem, vel uſum perfectum meditandi; aliud, fructum & utilitatem etiam in incipiente. Prius foret turpiſſimè & pueriliter errare, cùm per ſe notum ſit, longum uſum requiri ad mediocrem etiam perfectionem Purgationis &c. Poſterius conſtat ex mente Pontificum Pauli III. Gregori XIII. & Conſt. p. 4. c. 8. §. 5. & experientiâ manifeſtâ fructuûm in omni genere hominum.

Ratio eſt, quia Exercitia ordinantur ad impetrandam Gratiam Converſionis, & profectûs, & ad ſe diſponendum, eique cooperandum: 4 ad hæc verò utique confert ſeparatio, etiam externa, cogitatio de Noviſſimis, vitâ Chriſti &c. ſequitúrque pax animi, lumen ad rectam gubernationem vitæ in quocunque Statu &c. non ut perfectio acquiſita ſit, ſed ut initium fiat cum majori inſtructione, & aliqua conſuetudine, quæ poſtea cum moderatione competente Statui perſeveret.

5 Quantùm autem ad Incipientem, Activa participare debet de Contemplativa, quia actio ſine oratione vel non rectè, vel non perſeveranter fit; ſempérque præcedit ſancta cogitatio rectam actionem. Et ad Activam pertinet Pœnitentia interna & externa, ſícque pro vita communi juvari poſſunt plures ex prima ſeptimana, paucis tradendo Exercitia integra.

6 Tertiò. Exercitia utilia eſſe poſſunt & Religioſis & Laicis. Nam officium orandi omnibus commune eſt; & ſecularis eget d. auxilio adverſus pericula, in quibus degit, ut magis præparetur; & majorem gratiam obtineat; & peccatori difficile eſt, mutari à priori Statu. Licèt autem præcipuus finis Exercitiorum ſit Electio Statûs melioris, non tamen ut quiſque eligat Statum Religioſum, nec ut qui elegit, de eo deliberet, ſed ut quiſque in ſuo Statu optimum modum procedendi eligat, aut quod habuit, propoſitum renovet, ac denuo impedimenta conſideret, ut ea diligentiùs auferat, ſícque in actibus per ſe conſentaneis Statui in dies proficiat.

CAPUT VIII.

An debeant Noſtri familiariter converſari cum proximo?

1 Primò. Ex genere ſuo alienum non eſt d. medium à Statu Religioſo. Conſtat exemplo Chriſti, Apoſtolorum &c. Et juxta S. Thom. 22. q. 181. a. 2. tractare negotia ſecularia propter neceſſitatem proximi, eſt Religioſum Jac. 1. ergo multò magis agi cum eo poteſt propter neceſſitatem, vel utilitatem ſpiritualem. c. 1. d. 88. Hominibus enim animalibus (ut plerumque ſunt) condeſcendendum eſt, lucrando eos honeſtâ converſatione familiari, ſícque inclinando paulatim ad ſpiritualem: quia hac intentione factus ſermo indifferens, non eſt otioſus, ſed utilis & religioſus.

Secundò. Ad finem Societatis moraliter neceſſarium eſt d. medium. Nam neceſſe eſt cum proximo agere extra Confeſſionem ob inſtructionem, conſolationem, conſervationem in uſu piorum operum, ut quod traditur per Conciones &c. ſic foveatur, & quaſi digeratur, deſcendendo à generalitate ad particularia, juxta modum, menſuram & circumſtantias cujuſque. Sícque colloquia pia & generaliter inculcantur Operariis, & in particulari Scholaſticis, & Fratribus Coadjutoribus, ut Conſt. p. 7. c. 4. §. 8. & p. 4. c. 4. in fine, & c. 6. Exam. §. 3. 2

Ter-

3 Tertiò. Ut d. medium conveniat, neceſſaria eſt & recta intentio, & magna moderatio ac circumſpectio. Utrumque enim in omni actione honeſta requiritur: ergo à fortiori in præſenti; aliàs & ſequitur implicatio in negotiis ſecularibus, & neceſſitas, ut ſæpe viſites & viſiteris; quod contra Clauſuram eſt: ſícque experientiâ conſtat, multùm impediri profectum. Unde non aliter niſi ſub d. conditionibus, Jura & Patres probant d. converſationem, quia ſi negotium manet ſeculare, nec ex intentione fit opus Charitatis vel Miſericordiæ, per ſe non licet: amicitia autem cum ſeculari, eſt de ſe negotium ſeculare; eſto cognatus is ſit &c. Aliúdque eſt, quod Religio poſtulat; aliud, quod Religioſus facit: illud enim ſemper proportionatum eſſe debet fini ſtatûs, ſive ex objecto, ſive ex intentione operantis; hoc verò propter talem improportionem non ſtatim eſt peccatum, ut viſitatio amici ex titulo amicitiæ, honeſtum quid eſt, ſi rectâ ratione reguletur, juxta S. Thom. ſuprà; alienum tamen eſt à Statu Religioſo.

4 Porro Moderatio duo poſcit: alterum, ut vitetur detrimentum proprium, *Miſerere animæ tuæ* &c. quia Deus proximo, & proprium bonum ſpirituale alieno præferendum eſt. Alterum, ut actio temporalis (qualiſcunque ſuſcipiatur propter proximum) ſpiritualiter ei utilis ſit; aliàs otioſa erit. Unde Conſt. p. 6. c. 2. §. 9. dicitur: *Primarios viros inviſere Noſtri non conſueſcant, niſi ſancto ſtudio piorum operum ducerentur.* Idem ergo à fortiori ſervandum eſt cum aliis, ut in ſpecie inculcatur de Conſanguineis c. 4. Exam. §. 6. & 7 & p. 7. c. 4. §. 8. Igitur actio nec debet eſſe præter Obedientiam, nec cum impedimento ſpiritualium operum, ad quæ Regula obligat, nec talis, quæ reddat quodammodo ſecularem. Quòd ſi primum, & alterum caput ſervetur, ſperari poteſt, etiam in tertio non defore auxilium Dei; quamvis Conſilium optimum & neceſſarium ſit, aperire Superiori fragilitatem & conditionem propriam, ne applicet operi cum detrimento.

Quartò. Actio debet eſſe conveniens Statui Religioſo. Nam hujus bonum præfertur particulari; aliúdque eſt, ſimulare mercatorem &c. ut aditus ſit ad opus pium prædicationis; aliud agere mercatorem, ut ſubvenias proximo. Prius enim eſt ſimulatio prudens, nec dedecens, quia conſtat de fine & neceſſitate. Sic opera artis facere & vendere, non eſt negotiatio ſecularis ſpecificè, ſed communis: idémque eſt, cùm venditur res propria ad ſubveniendum ſibi vel proximo: ſecùs autem, ſi emitur ad vendendum, & inde lucrandum, ſeclusâ neceſſitate. 5

An verò deceat, nécne, quod fit propter bonum proximi, ſumendum 6

dum eſt ex duplici principio. Unum eſt, ſi actio prohibita eſt vel ex ſe, vel Jure communi, vel à Regula, ut conſtat de prohibitione *ſecularium actionum, licèt piæ alioqui eſſent*; itémque ne pia ſuſcipiantur, vel promittantur *ſine facultate.* p. 6. c. 3. §. 7. & p. 9. c. 6. §. 4. & p. 6. c. 3. ubi dicitur, ***Inſtituti eſſe, ſine cujuſquam offenſione, quantùm fieri poteſt, omnium in Domino ſervire commodis.*** Alterum eſt, ſi actio vix poſſit fieri ſine periculo peccati, ut ſi nimiâ ſollicitudine occupet animum &c. quod ſeclusâ Obedientiâ, definiendum eſt prudenti arbitrio, maximè attendendo uſum & ſenſum communem timoratorum.

7 Quintò. A fortiori d. cura attendenda eſt circa feminas. Nec enim Societas debet *curam animarum, nec mulierum Religioſarum, vel aliarum quarumcunque ſuſcipere*, p. 6. c. 3. §. 5. utique intelligendo de cura ex quaſi officio vel obligatione ſive utriusque, ſive alterius partis. Nec enim omnia, quæ ad ſpiritualem fructum ordinantur, ſuſcipi poſſunt; nec convenit, ut ab hominibus tam diverſi Inſtituti regantur Moniales, magis quàm Virgines S. Claræ per Dominicanos; nec ſtaret intentio Societatis, quâ omnes ſtare jubentur parati ad Miſſionem quamlibet: imò ſic detinerentur, qui fideliores & aptiores ad eas ſunt, cùm tales poſcat d. cura.

Eodem facit Reg. Prov. c. 12. ne niſi maturæ ætatis Sacerdotes audiant feminas, & ne extra Confeſſionem cum his agatur, niſi de re aut graviſſimâ, aut multùm neceſſariâ, & ut ſeverè potiùs, quàm blandè cum eis agatur, juxta id, quod ex Auguſtino refertur: *Sermo brevis, aſper, & rigidus cum feminis eſt habendus.* Tamen ea verba Author nec in ſcriptis Sancti reperit, nec in ejus vita. De loco denique colloquendi, & audiendi feminarum Confeſſiones aliàs notatum eſt. 8

CAPUT IX.

An Soicetas peculiarem curam adhibere debeat in juvandis morientibus?

1 Primò. Conſtat, opus eſſe ſanctum. Nam conſtat de indigentia proximi, cùm corpus tunc maximè impediat animam, dæmónque vehementiùs tentet, juxta Trid. ſ. 14. de Extr. Unct. c. 2. curámque inculcant Colon. Nannet. Auguſtanum Concilium. Nec enim refert, Parochos obligari, quia nec unus omnibus ſemper ſufficit, nec omnes ita ſolliciti, aut ſatis idonei, aut ægro accepti ſunt: ergo ut alii Religioſi accurrunt, ita noſtris ſpecialiter inculcatur d. cura p. 7. c. 4. §. 9. & p. 4. c. 8. §. 7.

Se-

2 Secundò. Calumnioſè arguitur d. cura, quaſi accurratur, captando Hæreditatem vel Legatum. Nam conſtat, rem alienam eſſe à ſpiritu & intentione Societatis: ſi verò privatus ex affectu humano, vel Zelo præter ſcientiam id, quod imputatur, intendat; Religioni, quæ intentionem deteſtatur, non nocet: nec factum, niſi probetur, creditur, & judicia temeraria contemnuntur, quia nemo illa effugere poteſt.

3 Conſtat autem, quàm caveat Societas ab omni ſpecie, nam præcipit, ne aſſiſtatur conditioni Teſtamenti, quia licèt æger monendus ſit de hoc condendo, non tamen de modo ejus, demptis ad ſalutem neceſſariis. Rurſus præcipitur p. 6. c. 22. §. 6. ne quis incitet ægrum ad perpetuas eleemoſynas Domibus vel Eccleſiis Societatis relinquendas: & Congr. II. can. 22. *præcipit*, (quod non propriè, ſed per exaggerationem ponitur) ne ſuadeatur Externo, ut nobis potiùs, quàm aliis pauperibus eleemoſynas det, útque ſolùm hæ ſimpliciter & planè petantur, & ſimiliter explanetur neceſſitas; definitionem donationis, Legati, eleemoſynæ &c. relinquendo alterius plenariæ libertati.

4 Tertiò. Plus fit in Societate, quàm à Religioſis exigatur in præſenti à Clem. 1. de Privil. Nam in hac prohibetur retractio Teſtatoris à reſtituendo, vel legando Eccleſiæ matrici, ſeu Cathedrali, & ne procurent Religioſi, ut Legata, debita incerta &c. ſuis Conventibus in aliorum præjudicium fiant. At Societas prohibet non tantùm retractionem abſolutam, ſed etiam petitionem comparativam, ſive formalem ſive virtualem; nam moraliter idem ſunt. Rurſus non permittitur petitio abſoluta, ſed explicatio tantùm neceſſitatis, quâ ſecluſâ, Collegium petere nihil poteſt. Imò nec tunc petitio determinatur ad aliquid, ut dictum eſt.

5 Quartò. Religioſum pro Reis intercedere, per ſe reprehendi nequit. Patet exemplis Antonii & Ambroſii, quæ refert Sozomen. & Auguſtini, allegantis exemplum Chriſti liberantis adulteram, Joſephi nolentis traducere Virginem: pluráque affert Gratian. 23. q. 5. Solùm ergo opus eſt prudentiâ, vel juſtitiâ, quia rogare tantùm vel monere licet, non extorquere; nec etiam petere, quod præjudicio ſit Reipublicæ, vel tertio, aut illicitum Judici. Quæ verò habentur p. 7. Conſt. c. 4. §. 9. maximè locum habent ante condemnationem Rei; quâ ſecutâ, ſolùm de ſpirituali ſalute cura eſſe debet, quamvis Charitatis etiam tunc ſit, ut reus, quoad poteſt, humaniter & benignè tractetur.

LIBER X.

De Regimine Societatis in genere, & in particulari.

CAPUT I.

An Societas per modum Monarchiæ convenienter gubernetur?

1 Primò. Monarchia Societatis reducitur ad Generalem. Nam ſub hoc tota Religio militat, & ut illi conjuncta, ſoli Pontifici in ſpiritualibus ſubijcitur, juxta Conſt. p. 9. & Bullas Pauli, ac Julij. Corpus enim ubique diffuſum, indiget uno Capite, quod in omnia membra influat, & communi bono Corporis provideat, utendo ad id membris ſingulis. Propter diſtantiam autem, & diverſitatem tot regionum, neceſſarii ſunt, qui proximè præſint ut Provinciis, ita locis ſingulis, conſequenter cum ordinaria & ſpirituali Juriſdictione, etiam in Foro Contentioſo; id quod cum Cura animarum in omni proprietate & rigore ſufficit ad Prælationem, juxta Sot. Nav. S. Thò. 2.2. q. 33. c. 7.

2 Secundò. Ariſtocratia multis modis participatur in Societate. Nam propter hominum fragilitatem, & periculum errandi ex affectu &c. eget tali adminicu'o Monarchia juxta receptam ſententiam Philoſophorum & Theologorum. Conſtat autem, in Congregatione Generali Votum eſſe deciſivum ſimpliciter; in Congreg. Procuratorum ſolùm, an cogenda ſit nécne Generalis Congr. & in Provinciali ſolùm quoad electionē Procuratoris: Conſultivum autem eſt penes Aſſiſtentes, Conſultores Provinciæ, & Locales. Quod ultimum impugnari ſolet, quaſi ſic relinquatur Monarchia pura.

Nam mixtio Conſilii tantùm, eſt inefficax; nec ullus Tyrannus illam excludit, ſicque quisque ſubeſt periculo patiendi injurias. Et Nav. Comment. 3. de Regul. n. 5. experientiâ compertum vult, Regimen magis abſolutum abire in tyrannidem, etiam in Religionibus; maximè non Mendicantibus, unde omnes, etiam Mendicantes, præferunt Regimen mixtum. 3

Tertiò. Nec ſine exemplo Patrum, nec ſine ſufficiente ratione S. Pater d. modum inſtituit. Nam Benedictus omnia conſtituit in arbitrio Abbatis c. 3. & 68. Reg. & Auguſt. præfert Monarchiam in ſua Regula; fatetúrque Navar. id eſſe utilius, 4

utilius, ſi qui regit eſſet Auguſtinus, & qui ſubſunt, Poſſidonii. Sed non eſt, cur ita judicetur de moribus omnium Religioſorum, quin & his, ſervatâ proportione, Monarchia utilis eſſe poſſit. Nec S. Pater ſequi debuit modum, qui ſolùm propter imperfectos melior eſt, ſed tentare potiùs debuit perfectiorem, providendo contra incommoda, quæ in aliis ſecuta ſunt ob incuriam, vel temporum conditionem.

5 Ex genere enim ſuo melius eſt, Superiori relinqui perfectam poteſtatem, ſine dependentia à conjudice; quod in effectu non eſt Monarchia, ſaltem in his, in quibus eſt d. dependentia, utut d. Regimen aliàs ſit in præcipuis Regnis, & maximè in Eccleſia. Idem autem ſine dubio in Religione confert ad perfectionem; quia purior eſt Obedientia, & major dependentia membrorum à Capite, conſequenter & unio inter Patrem & filios; ceſſátque occaſio multiplicandi tot quaſi dignitates, ſimúlque anſa ambitionum, ſchismatum, ſubornationum. Sufficítque ad rationem Ariſtocratiæ, integrari ex pluribus inter ſe aliquo modo unitis ad completum Regimen.

Confirmatur, quia ſufficit, Superiorem vi Regulæ, & ſecundùm rectam rationem teneri ad audienda Conſilia; eſto, abſit coactio, ut etiam abeſt in Ariſtocratia: & licèt facilius ſit, unum errare, quàm plures; etiam facilius eſt, unum non errare ex affectu & malitia, quàm plures. Dein ſatis cautum eſt incommodis, quia inferiores Prælati per Superiores continentur in officio, & Generalis per Admonitorem, ipſámque Congregationem, ut notatur p. 10. § 8. referre magnopere, ſi Prælati particulares in ſubditos, & Generalis in particulares, ac contrà Societas in Generalem multum poteſtatis habeat, ita ut omnes ad bonum omnia poſſint, & ſi malè agerent, omnino ſubjecti ſint. 6

CAPUT II.

An expediat, Generalem eſſe perpetuum?

1 **Primò. Rectè ſtatuitur perpetuus. Ita ſatis probat authoritas S. Patris ut ſanctiſſimi, ita prudentiſſimi. qui rem omnem Societatis comprehendit, nílque niſi poſt multas conſiderationes & orationes** definivit. Idem, dempto Electo, unóve ac altero, cenſuit Congregatio I. & præter exempla antiquarum Religionum, Papatûs & Epiſcopatûs, probavit Paulus III. in Bulla quinta.

2 Ratio eſt, quia ad uſum tantæ poteſtatis opus eſt magnâ notitiâ rerum, & perſonarum, & cumprimis experientiâ. Dein non convenit, viros præcipuos diſtrahi à ſuis negotiis crebro uſu Electionum, qui affert magna diſſidia, detrimentum Religionis, oblocutiones externorum de ambitu, ſícque Societas majore pace vivit, citra minimam anſam ambitûs, cùm Electio, æquè ac mors incerta, non excitet ad præveniendum. Denique major ſic authoritas eſt Electi, libertáſque à reſpectibus timoris, & amoris humani: ſícque Generalis redditur aptior ad negotia cum externis, & ad rectitudinem ac efficaciam Regiminis.

Secundò. Satis proviſum eſt contra incommoda d. perpetuitatis. 3
Nam amputatæ ſunt occaſiones ferè totius periculi, ſaltem ne in grave damnum redundet: quia contra exceſſum in ſumptibus corporis &c. victus eſſe debet juxta ordinationem Societatis; caſúſque amotionis eſt, ſi Generalis quid alienet, reditus Collegii ſibi ſumat &c. Contra ambitum facit Votum; & contra negligentiam, præcipitationem, affectum humanum obſtant Conſilia Aſſiſtentium, & Admonitor à tota Societate delectus, qui quod ſentit, admonere Generalem debet (præmiſſâ ad Deum oratione) cum debita modeſtia & humilitate.

CAPUT III.

An convenienter reliqui Prælati inſtituantur?

1 Primò. Penes Generalem eſt, per ſeipſum vel Delegatum conſtituere inferiores Prælatos. Conſtat ex p. 9. c. 3. §. 14. & expreſsè probatur in Bullis Pauli & Julii. Quòd autem electio Provincialis delegari poſſit, conſtat ex vi ordinariæ Juriſdictionis, quia ſola taciturnitas Conſtitutionum non parit præſumptionem. c. *Nónne* de *Præſumpt.* quando Jus commune reſiſtit, patétque ex praxi Commiſſariorum. Confirmatio ergo electi vel poteſt ſequi Electionem, vel antecedere, vel ipſo facto adhærere, quia p. 9. c. 3. §. 14. nil præcipitur, ſed declaratur poteſtas Generalis.

Secundò. Rectè inducta eſt d. 2
poteſtas. Nam præter authoritatem Pontificum, & S. Patris ſatis probat experientia tot annorum, quibus Societas regitur cum pace magna, & ſervato ordine Juſtitiæ & Charitatis. Dein vel Electio fit à tota Communitate reſpectivè, vel à Concilio Definitorio? Si 1um, periculum clarum eſt ambitionis (peſtis certiſſimæ) maximè ubi multitu-

tudo eſt, & electio democratica; quia plures ſunt juvenes, minùs prudentes, moderati &c. & ideo abolitus eſt is mos in Electione Epiſcopi, quia ſequuntur ſchiſmata, & periculum, ne unis noceatur, aliis conniveatur &c. &c.

3 Si 2dum, obſtant dicta ſuprà de Voto deciſivo. Dein ſi hoc eſt penes Congregationem Provincialem, ſequuntur priora incommoda; præterquam quod illa in Indiis &c. cogi non poſſit. Sin penes paucos eſt, quis eos deſignat? Nam ipſo Jure antiquitatis, officii &c. creari abſurdiſſimum eſt, quia cum annis non naſcuntur dona neceſſaria. Rurſus ſi ſunt cum voce paſſiva; ergo in paucis hæc eſt: ſi non ſunt, quomodo præcipui excluduntur? Rectè ergo reditur ad Generalem cum ſolo conſilio Aſſiſtentium, qui æquè egent informatione, & quia tantùm conſulunt, factum ſupponunt; ſecùs ac definiens, penes quem ut eſt tota obligatio, ita & ſolicitudo major.

4 Tertiò. Etiam Electio *Rectorum* rectè relinquitur Generali. Nam hic præſumitur liberior ab affectibus propter minorem dependentiam & familiaritatem, majorémque obligationem muneris. Dein conſulitur unioni cum Capite, cujus eſt providere toti corpori, miſſis ad Infideles vel aliam Provinciam ſubrogando idoneos, cùm multitudo Provinciarum ſolùm ſit propter diſtantiam locorum; ſicque in reliquis ſervanda ſit ſumma, quæ poteſt, unitas. Nec denique excluditur utilitas, quæ eſſet in poteſtate Provincialis, cùm ejus ſit informare; additur verò alia, quòd quæ perperam ab eo fiunt, Generalis reprobare, quæ bene, confirmare poſſit; ſicque ſuper omnes vigilare.

Nec refert d. modum eſſe novum, 5
dummodo expediat: at nec in ſe malus eſt, nec ſine uſu frequentiore in Eccleſiæ Regimine, quémque etiam graves viri externi, ut Navar. probant. In aliis autem Religionibus non eſt tanta dependentia ac communicatio cum Capite, quantam poſcunt res Societatis, nec in hac difficilis eſt d. modus, ſi quidem Inferiores ſuo munere fungantur, & Generalis omnem, quam debet, curam adhibeat. Particularis autem error, non eſt ratio mutandi ſtatum, quia providentia humana non poteſt omnia cavere, ſed eligit, quod pauciora habet incommoda. Denique nec Pontifex, nec Epiſcopus, nec *R*ex poteſt providere Dignitates, niſi per informationem; & eâdem egent, ſi plures provident: difficiliùs autem decipitur, cui omnes reverentiam debent, & quem non facilè poſſunt, aut audent decipere, ut ſatis proviſum eſt in Societate, conſtátque ſcientibus particularia media.

Quartò. Rectè inſtitutum eſt, 6
ut inferiores Prælaturæ non durent,

Nam juxta Philoſophiam omnia mobilia fundari debent in aliquo immobili (quod in præſenti ſolus Generalis eſt) ut per mutationes proprias, quæ ſic radicantur, mutuò ſe juvent. Dein pauci apti ſunt ad perpetuum Magiſtratum cum ſuo & aliorum profectu. Denique in Societate non ſunt filiationes, nec Domicilium fixum, ſed quisque aſſueſcere debet, ut regatur à notis & incognitis; quod durum non eſt, cùm modus regendi ſit uniformis valde, & quaſi ejusdem rationis.

CAPUT IV.

De Poteſtate Jurisdictionis in Societate, & primùm de Suprema.

1 Primò. Eſt in Societate d. poteſtas & in utroque Foro, & cum omni extenſione, quæ competit aliis Exemptis, ſive de Jure communi, ſive de Privilegio. Conſtat ex doctrina generaliter tradita de ſtatu Religionis. Eſt autem d. poteſtas ordinaria, eſto ex Privilegio, quia datur ut exercenda ex proprio munere, & per proprios Paſtores & Judices. Tamen ut eſt in Congregatione Generali, licèt ordinaria ſit reſpectu delegatæ, extraordinaria dici poteſt, quia non pertinet ad ordinarium Regimen, aut perfectionem & integritatem ejus, ut ſemper actu ſit Congregatio. Secùs eſt de Jurisdictione Generalis, quæ utroque modo ordinaria eſt, quia & delegata non eſt, & ſemper ac cum toto Jure eſt.

Secundò. Jurisdictio Generalis, loquendo in rigore, immediatè eſt à Congregatione. Nam ordo Providentiæ eſt, ut influxus Capitis ad inferiorem perveniat per medium; ſolúmque intendit Pontifex dare Societati ſufficientem Poteſtatem, applicationem ipſi relinquendo, ut S. Pater intellexit conceſſionem p. 9. c. 3. §. 10. *Ejus erit, uti facultatibus Societati conceſſis.* Nec enim S. Sedes excluſam aut imminutam vult poteſtatem Congregationis, ſed ſolùm, cùm dicitur, Generalem habere omnem poteſtatem Societati conceſſam, excludit independentiam inferiorum ab illo; exprimendo eundem, quia ordinarium Regimen penes eum eſt. 2

Tertiò. Congregatio reſtringere poteſt Generalis poteſtatem, per 3

ſe

ſe loquendo. De hac poteſtate, cùm Superior ſit Generali, & mutare poſſit Conſtitutionem &c. dubium non eſt; quod enim una potuit, etiam alia poteſt, ſicut in Congr. I. prohibetur mutatio Provincialium, Rectorum &c. uſque ad diſſolutionem Congregationis: *niſi huic aliquem eſſe mutandum videretur.* Prudentiæ autem eſt, ne Congregatio ſe miſceat non ſuis, niſi evidens neceſſitas, vel utilitas aliud poſcat.

4 Vel ergò reſtrictio fit per Legem, vel per ſuſpenſionem ad tempus? Si 1um, magnâ causâ opus eſt, tanquam in re quaſi ſubſtantiali; qualis eſt poteſtas Generalis. Si 2um, ante Electionem talis quaſi diſpenſatio juſtificari poteſt ex gravi cauſa; difficiliùs verò poſt Electionem, niſi fiat in pœnam, vel ob ſenectutem, p. 9. c. 4. §. 6. Sicut enim Electus privari nequit Prælatione, ad quam habet Jus acquiſitum; ita nec integrâ & debitâ poteſtate, ſeclusâ causâ pertinente ad bonum commune; quod tunc prævalet, & Generalis tenebitur parere.

CAPUT V.

De Poteſtate Jurisdictionis infra Supremum.

1 Primò. Provinciales & Rectores habent ordinariam Jurisdictionem. Conſtat ex Communi Jure Religionum, quia habent veram Dignitatem & Prælationem, ſúntque Paſtores vi muneris; quod eſſe nequit ſine d. Jurisdictione, nec intelligi. Nec Generalis facere poteſt, ut Societas ſit ſine Provincialibus vel Rectoribus, cùm id pertineat ad primariam inſtitutionem Religionis.

2 Secundò. Dependentia à conceſſione Generalis non obſtat, quin d. Jurisdictio ſit ordinaria. Nam aliud eſt ſubſtantia d. muneris Paſtoralis; aliud quantitas. Prior tolli nequit, ut dictum eſt; poſteriorem ſubeſſe mutationi, non obſtat, magis quàm Epiſcopo, Legato &c. &c. Dein alia quantitas ex natura rei conjuncta eſt, nempe illa, ſine qua moraliter & debito modo munus geri nequit. Alia verò in propriis Regulis expreſſa eſt, cenſetúrque ordinaria; quia certâ Lege præſcripta eſt, & adjuncta muneri, nec ſine cauſa auferri poteſt.

Solùm ergo dicitur arbitraria poteſtas, quia ex cauſa ſemper reſtringi poteſt, & ex gratia augeri. Conceſſio autem eſt valde ge- 3

neralis, quin opus ſit continuo recurſu ad Generalem, ſed ſolùm ubi petitur diſpenſatio, vel cauſa gravior urget, c. ult. de Off. Archid. ubi notat Gloſſ. v. *Referat.* & c. *Majores*, de Bapt. Sin Reſponſum exſpectari nequit, ſolùm petitur, ut ratio reddatur totius facti.

4 Tertiò. Extenditur d. poteſtas ad omnes Religioſos Societatis, & ad omnes actus ſeu materias, ad quas poteſt ſive Jure communi, ſive ſpeciali. Qui Scholaſticos excipiunt, errant in Fide, negando poteſtatem Pontificis ad ſuſcipiendum ſub ſua Jurisdictione quemlibet Deo ſpecialiter conſecratum modo per Eccleſiam probato; aliàs nec eximi poſſent, qui primam Tonſuram habent, nec Novitii gaudere Privilegio Fori & Canonis. Sin de facto ſermo eſt, aut procedit ex d. errore, aut ex clara ignorantia Juris noſtri, de quo ſine ejus notitia loqui non deberent.

Novitii denique noſtri perinde ac alii, ſubduntur non quidem involuntariæ Jurisdictioni ſive Directivæ, ut ſub peccato obligat, ſive Coactivæ, ſed voluntariæ quoad communicationem gratiarum, ut p. 5. c. 1. lit. A. expreſſum eſt. Vivunt enim ſub Obedientia Societatis; quod Litteræ Bullarum ſufficit, eſtque exemplum in ultima Bulla Pauli III. 5

Similiter quantùm ad materiam, d. poteſtas tanta eſt, quanta in Prælatis aliarum Religionum, imò quanta Epiſcopi in Clericos & Laicos ſibi ſubjectos, ut eſt illa Trid. ſ. 24. c. 6. ſemper tamen Inſtituto illam accommodando. Nec enim dari poteſt licentia pro eleemoſyna intuitu Miſſæ obtinenda &c. &c. ſicut nec alii gaudent Jure dimittendi ſuos; quia poteſtas diſpenſandi eſt juxta Inſtitutum, non contra. 6

CAPUT VI.

An Superiores noſtri meritò exigant rationem Conſcientiæ?

1 Primò. Sapientiſſimè proviſum eſt, ut Superioribus ratio Conſcientiæ reddatur. Patet ex c. 4. Exam. §. 34. & ſeqq. ubi cur ita inſtitutum ſit, cauſæ optimè explicantur; nempe, non ſolùm referre valde, ſed ſummopere in ordine ad curam internam, Miſſiones, munera &c. ut Superioribus plenè perſpectus ſit ſubditus. Et Cong. V. idem recenſet inter ſubſtantialia, cum Bonav. dicente, hanc cognitionem

tionem eſſe de *ſubſtantia Officii Paſtoralis.* Idem ſentit Baſil. Benedictus, Patres in Eremo, de quibus paſſim Caſſian. l. 4. c. 9. *Generale namque & evidens judicium diabolicæ cogitationis eſſe pronuntiant, ſi eam ſeniori confundimur aperire.*

2 Secundò. Conſtat differentia inter hanc, & Sacramentalem notitiam. Nam prioris materia ſunt etiam tentationes, inclinationes, virtutes, mortificationes, transgreſſiones Regulæ: finis autem non eſt remiſſio peccati, ſed directio in futurum, non ſolùm in cavendo malo, ſed etiam ad proficiendum. Rurſum intenditur etiam directio Superioris in gubernando citra periculum, ut non imponat, niſi quæ alter ſuaviter ferre poſſit. Servit etiam, ut cum eodem ſecreto agi poſſit ad Providentiam neceſſariam vel utilem ejus ſaluti.

3 Nec refert, id alteri involuntarium eſſe, quia irrationabiliter reſiſtit, dummodo vitetur omnis mala ſuſpicio aliorum, cùm talis revelatio & per ſe repugnet juſtitiæ, & ſcandaloſa ſit. Quòd ſi providentia neceſſaria eſt, ſuſpicio autem non firma, ſed tantùm cum admiratione &c. incommodum contemnendum eſt propter ſalutem proximi. Sin de utilitate hujus ſolùm agitur, rarò utilius eſt, quod eſt involuntarium; ſicque ſine ejus conſenſu nil agendum eſt cum nota etiam minima.

Denique eadem notitia ſervit pro bono communi, quia cum hujus diſpendio non obligat d. ſecretum; imò vi Regulæ, conſequenter ex tacito pacto ſubditi, huc ordinatur. Nec inde ſequitur, per ſe loquendo, damnum privativum, ſed negativum tantùm commodi vel honoris majoris. Caveri tamen debet, ne quid fiat in punitionem publicam; quod eſſet contra debitum ordinem, ut per ſe conſtat. Rectéque ſub pœna depoſitionis præcipitur ſecretum, ut per ſe neceſſarium eſt, ut onus ſit tolerabile & rationabile: ipſáque Juſtitia & Charitas id exigit, cùm intentio non ſit niſi Providentiæ verè ſpiritualis & paternæ. 4

Tertiò. Ratio Conſcientiæ reddi poteſt etiam intra Confeſſionem. Nam facilè omnia referri poſſunt ad circumſtantias neceſſarias vel utiles, quas habet materia propria Confeſſionis; ſicque qui confitetur, præſumitur omnia velle ſub Sigillo. Poteſt tamen peti uſus Sigilli, ſi & quatenus poſcit neceſſitas tollendi occaſionem peccati &c. &c. Rurſus in his, quæ materia Sacramenti non ſunt, peti poteſt, ut Pœnitens declaret, eſſe concomitanter dicta; quamquam, ſi nec directè nec indirectè ad Confeſſionem pertinent, uſus notitiæ (ſeclusâ omni re- 5

revelatione) permitti poſſit in cura merè ſpirituali Pœnitentis; ſecùs in Politica &c. &c.

6 Quartò. Non poteſt d. Regula argui nimii oneris. Licèt enim difficilis ſit nolenti profiteri viam perfectionis, aut ab hac infideliter recedenti; tamen ſecùs eſt in rectè diſpoſito per deſiderium conſequendi perfectionem, vincendi paſſiones, vitandi occaſiones vel occupationes impedientes profectum &c. Amor enim finis reddit medium facile, ſi ſit neceſſarium vel conducens, juxta illud: *jugum meum ſuave eſt* &c. non quòd in ſe difficile non ſit, ſed quia amor reddit ſuave juxta Auguſt.

7 Confirmatur, quia difficultas ultra verum exaggeratur. Nam meliùs præſumendum eſt de Superioribus tantâ curâ delectis, cùm ex revelatione creſcat amor apud ſapientes, & ut apud Deum, ita & apud illos peccata detecta non infament. Sine dubio etiam illis cavendum eſt, ne jure offendant Subditum, dando ſic occaſionem celandi propter perniciem exempli, quo ſenex imprudens apud Caſſianum alteri cum ſtomacho quid exprobravit. Tamen nec Subditi nimis delicati eſſe debent, injuſtitiæ damnando, quæ ſibi non placent, vel ex unius defectu metiendo cæteros omnes; ſicque pro meliori ducendo mutationem Regulæ contra c. *de occidendis* 23. q. 5.

8 Denique bene progredientibus verecundia non eſt in d. revelatione; alios autem hæc rectè continet in officio: & iiſdem eſt difficultas præviſa & volita, multóque minor in praxi ipſa, quàm in ſpeculatione, eſto non expertis videatur maxima. Nec dicas, teſtimonium de ſe ipſo nullum eſſe; quia dicenti creditur, quamdiu de oppoſito non conſtat: quod non impedit, quin omnia prudenter obſerventur, conferendo dicta cum factis aliàs notis; ſicque non continget deceptio in re magni momenti.

CAPUT

CAPUT VII.

An Fraterna Denuntiatio rectè fiat ſecundùm Regimen Societatis?

1 Primò. Præceptum correctionis fraternæ, eſt naturale; Ita omnes Theologi, Summiſtæ, & Canoniſtæ ex Mat. 18. & Luc. 17. c. *Novit.* de Judic. c. *Si peccaverit.* 2. q. 1. c. *Tam Sacerdotes.* 24. q. 3. c. *Non inferenda.* 23. q. 3. c. 5. d 83. Ratio eſt, quia peccatum eſt maxima miſeria proximi: medium autem ferè unicum ſubveniendi, eſt correctio: ergo quamdiu quis commodè poteſt, & alter eget, Charitas ex ſe obligat: ergo indifferenter, ſive peccatum injurioſum fuerit, ſive non: quia alterius neceſſitas, non ratio propriæ injuriæ hîc attenditur.

2 Secundò. Correctio cum debito ordine fieri debet, idque cadit ſub obligationem ex ſuo genere gravem. Conſtat ex cit. teſtimoniis, quia aliàs non conſulitur famæ peccantis, & ſine cauſa fit læſio ejus, invertendo ordinem. Unde ut omnes notant, præceptum Correctionis eſt affirmativum, nec obligat pro ſemper, ſed cum debitis circumſtantiis; quæ in ſumma explicantur per effectum non infamandi, ubi neceſſarium non eſt ad effectum emendationis. Eſtque probabile, etiam inductionem Teſtium eſſe materiam præcepti, ſi ad Denuntiationem Judiciariam deveniendum eſt, quia Cenſura prærequirit monitionem, de qua conſtet Eccleſiæ. Expedit etiam admonere ſolum, ſaltem propter pudorem, & ut alter libentiùs audiat; ad quod conditio perſonæ ex Charitate obligare poteſt. Sin peccatum ſimpliciter publicum eſt, publicè corripiendum eſt 1. Tim. 5. utique ubi publicum eſt. Quæ omnia vel formaliter, vel virtute continentur in verbis Chriſti. Mat. 18.

Tertiò. Materia Regulæ Societatis de denuntiando, eſt diverſa à à materia loci Evangelici. Supponit enim renuntiationem juris famæ, cujus quiſque dominus eſt, ſicque illa tenet, c. *Si de terra*, in fine, de Privil. nec eſt contra Charitatem, quia fit propter majorem in Spiritu profectum. Sicut autem manifeſtatio Conſcientiæ, de qua cap. ſup. neceſſaria eſt ad voluntariam directionem in Spiritu, ita denuntiatio propter eos, qui ſua celant, admittenda eſt in omni bene ordinata Republica. 3

Porro verba Chriſti nec conferunt, nec declarant jus errantis, ut priùs per fratrem, quàm patrem moneatur, ſi corripi perfectiùs vult, & efficaciùs; quia via Perfectionis nulli præcluditur: at Regula intendit 4

dit perfectiorem & efficaciorem correctionem; ſicque eſt Regula Charitatis, ſuppoſitâ d. renuntiatione, quæ declarata eſt in Congr. I. Conſtat autem, non agi de delictis, quæ in damnum Communitatis, vel tertii vergunt, nec de notis viâ Sigilli, aut communicationis ſecretæ per conſilium; ſed de his, in quibus libertas de ſe eſt denunciandi Superiori, vel non.

5 Quartò. Neminem, per ſe loquendo, obligat d. Regula ad denuntiandum. Ita Congr. 1. Nam nec expedit, tale onus omnibus imponere, nec etiam paſſim permittendum eſt, utpote & Superiori moleſtiſſimum, & Fratribus odioſum, & multùm minuens Unionem membrorum. Ad Superiores ergo ſpectat, quibus curam commiſſam velint; ſicque res levior eſt, quàm in Acclamatoribus ſub juramento obligatis ad manifeſtandum, quod ſciunt. Injungitur denique ut ſeverè puniantur, qui temerè deferunt; quamquam nec verus defectus aperiri poſſit juxta Regulam, niſi cum amore & Charitate.

CAPUT VIII.

Præmittitur generalis doctrina Denuntiationis.

1 Primò. Denuntiatio propriè ſumpta, eſt duplex tantùm, nempe Judicialis ſeu Canonica, & Evangelica ſeu Paterna. Nam latè ſumpta vox ſignificat manifeſtationem delicti factam Prælato: ut autem ab Accuſatione diſtinguitur, eſt manifeſtatio legitima delicti facta Prælato, ut ſuo munere utatur ad aliquod damnum emendandum, vel impediendum. Vel ergo ſiſtitur in emendatione, vel proceditur ad punitionem: priori modo Denuntiatio eſt Paterna, poſteriori verò eſt judicialis.

2 Alii autem numerant quadruplicem, Judicialem, Evangelicam, Canonicam, & Regularem; alii Evangelicam, Canonicam, & tertiam, quam negant eſſe Denuntiationem propriam. Solúmque exemplis declarant ex c. *Quapropter.* c. *Siquid.* 2. q. 7. & c. ult. de Accuſ. Sed exempla pertinent ad Judicialem, ut Auth. Ut Judices ſine quoquo ſuffr. §. *Si quis autem*, & ſeqq. notántque Hoſt. & Ant. ſolùm, ut ſuprà, diſtinguendo Denuntiationem duplicem.

Aliquando enim eſt de peccato commiſſo, aliquando de futuro. 3
At in vocibus Evangelii hærendum non eſt, ut ſolùm, quæ de peccato commiſſo fit, dicatur Denuntiatio Evangelica, quia quantùm ad rem, Chriſtus utramque comprehendit ſaltem virtute. Periculum enim & actus pro eodem ſunt moraliter; éſtque

éſtque unus idémque actus Charitatis, ſuccurrere in uno & altero. Et conſtitui in periculo, aliquando peccatum jam eſt; aliquando tentatio tantùm; ſuper qua adiri Superiorem, rectè vult Regula, quia non infamatur frater, nec actio ordinatur ad correctionem, ut hujus ordo neceſſarius ſit, ſed ſolùm ad defenſionem proximi.

4 Rurſus actus aliquando eſt ad bonum fratris, aliquando ad bonum tertii; & de priore, ajunt, agere Chriſtum, de poſteriore Canonem; nec tunc requiri præviam monitionem. Sed iterum hæretur vocibus, & differentia, quæ fit, falſa eſt. Nam ſi damnum tertii avertere poſſum, conſulendo famæ peccantis, utique teneor: & ſi ordo ſervandus eſt, ſtando in rigore vocum *in me*, ſeu ſi mihi injuria facta eſt, cur non quando alteri ſit? Utraque ergo denuntiatio Evangelica eſt ſubſtantialiter, quamdiu non excluditur bonum fratris. Si autem deſpero emendationem ſecretò moniti, in utroque caſu ſtatim recurritur ad Superiorem, quia obligatio non eſt ad monitionem nitionem otioſam. Solùm ergo differentia materialis eſt, quòd bono tertii conſulendum ſit certiùs, quàm proprio, cui renuntiari poteſt. Similiter Denuntiatio *Regularis*, eſt merè materialis, niſi ſermo ſit de ſpeciali Regula.

5 Secundò. Multiplex differentia eſt inter d. ſpecies Denuntiationis. Nam Judicialis eſſe poteſt de peccato præterito, ut in Hæreſi: at Evangelica ſemper eſt de peccato, ut aliquo modo pendet in futurum; id eſt quatenus non eſt emendatum, vel pro eo non ſatisfactum, vel ut eſt periculum relapsûs, alteriúsve nocumenti. Si enim nil horum ſit, ceſſat principalis finis Denuntiationis hujusmodi. Rursus eadem fit Prælato, ut patri, quia per ſe non intenditur vindicta, nec abſoluta coactio, ſed emendatio cum correctione per ſe pertinente ad officium patris. Similiter magis eſſe illa poteſt de peccato occulto, quàm Judicialis, quia cùm in hac procedatur juridicè, regulariter delictum debet eſſe probabile, vel ſaltem non improbabile, c. ult. de Calum. Regulariter, inquam, quia Hæreſis, proditio &c. ſolùm defertur, ut Judex invigilet, & inquirat.

6 Denique Judicialis ex natura rei non requirit præviam monitionem; quia vindicta publica, ad quam illa ordinatur, etiam ſecutâ emendatione, fieri debet, ſícque ceſſat neceſſitas ordinis. Ad c. *Novit.* de Judic. c. *Cùm Dilectus.* de Accus. c. *Licèt Heli.* de Simon. reſpondetur, propter periculum calumniandi non admitti ad denuntiandum, qui poteſt accuſare (ſecùs enim de alia actione proviſum eſt ſervo, Religioſo &c. §. *Sed & major.* Inſt. de his, qui ſunt ſui

ſui &c. &c. c. *Inſinuanti.* Qui Cler. vel vov.) quia obligari expedit ad probandum, quod propter punitionẽ defertur. Vel ergo denuntiatio tendit ad vindictam, vel ad fines alios? Si 2dum, ſtatur viâ Charitatis, ſeu monitione prævia. Si 1um, accuſatio potiùs petitur. Si tamen bonâ fide denuntiatio fit, ut moraliter neceſſaria ad finem vindictæ, ex natura rei non prærequiritur monitio; & hoc modo procedit differentia.

CAPUT IX.

An Denuntiatio Evangelica rectè procedat in Societate?

1 Primò. In Societate rectè fit de levibus manifeſtatio Paterna immediata. Nam nulla Congregatio eſt tam perfecta, ut non contingant lapſus corrigendi à Prælato, nunc ut Patre, nunc ut Judice; & ideo in omni Religione puniuntur levia per Acclamatores, juxta S. Thom. 2. 2. q. 33. a. 7. ad 4. Nam veniale non eſt materia præcepti Correctionis, cùm Charitas non obliget ad ſubveniendum levi neceſſitati; & infamatio ſit nullius momenti.

2 Oportet autem, ut defectus ſint leves, & ordinarii tantùm, ſeu qui ab omnibus, vel ferè ab omnibus committi ſolent, licèt frequentiùs ab uno, quàm altero. Extraordinarii enim inter Religioſos reputantur graves, ſoléntque impepedire graviora munera; ut non ſervare ſecretum, frequentare familiaritates &c. exiſtimationem graviter minuunt &c. Sicque materia aliquando ſufficit ad lapſum gravem, non propter culpam revelatam, ſed damnum conſequens. Denique Denuntiatio etiam eſt Judicialis, quia fit punitio etiam delicti emendati, & creditur denuntiantibus ex officio.

Secundò. In Societate licet d. 3 Denuntiatio Paterna etiam in gravibus. Nam Lex attendit, quod eſt in plurimum: frequentiùs autem ita expedit Noſtris, & per Renuntiationem mutuam intenditur major utilitas, ſícque nec Adverſarii negant poſſibilitatem Regulæ, negando tamen factum Renuntiationis: ergo pro reſponſo erit oblatio Canonis Ordin. c. 15. p. 2. n. 6. Idémque probant Regula S. Benedicti, Conſtitutiones Prædicatorum, itémque Minorum editæ tempore S. Bonav. qui oppoſitum docentes privavit voce activâ & paſſivâ, incarcerando pertinaces. Idem probant Sylv. Tab. Antonin. Gabr. Rich. Roſel. Angel. & plures ſumunt modum loquendi ex c. *Qualiter.* 2. de Accuſ. cujus verba videntur cadere ſuper omnia immediatè præcedentia, cùm non ſit major ratio de unis, quàm de aliis.

Ter-

4 Tertiò. Etiam generatim loquendo, pro Religioſis d. Regula utilis de ſe eſſet, & pia. Conſtat ex authoritate citatâ. Et ratio eſt, quia profitentibus Perfectionem, non tantùm propter neceſſitatem, ſed etiam majorem utilitatem ſpiritualem contemnere licet famam. Dein certior fit emendatio lapsûs, ſive ex fragilitate, ſive ex occaſione naſcatur; rarò autem juxta Cajet. credendum eſt efficaciæ monitionis privatæ, ſed fortè brachium poſcitur in medendo tum extrinſecùs, tum in pœnitentiis, orationibus ſecretis. Rurſus infamatio eſt minima, ſi quidem Superior ſervat ſecretum (aliàs minùs, quàm in Confeſſione revelandum quid eſt) nec fama per ſe amabilis eſt, ſed ut confert ad virtutem & alia bona: ergo contra Charitatem non eſt, eam poſthabere bono ſpirituali, præſertim quia eadem potiùs eſt Religionis, quàm Religioſi, & ideo per illam defendi debet.

5 Confirmatur, quia propter unionem fratrum, tale malnm eſt infectivum: ergo juxta communem ſtatim denuntiari poteſt, per ſe loquendo; quia & ſpes certa non eſt emendæ, & patitur Religio, cùm vulgus propter ſimilitudinem vitæ tales æſtimet reliquos, qualem conſpicit unum aliquem, ut notat Aug. Bonav. ergo Prælati eſt, huic periculo ſubvenire: ergo neceſſaria eſt Denuntiatio. Quòd ſi his omnibus junctis, evidens eſt, etiam apud alios licere ſæpiùs d. Denuntiationem; evidentius fit, quòd in Societate liceat ut plurimum, quatenus & Subditi redduntur cautiores per eam quaſi reſervationem Correctionis (quod aliæ reſervationes ſpectant) & vix ſatis conſuli aliter poteſt bono communi Religionis.

Nam rationes factæ urgent ſpecialiter. 1. Propter majorem dependentiam à Superioribus. 2. Propter tot miniſteria erga proximum. 3. Ob tantam unionem. 4. Ob tantam juventutem; nam pro viris jam provectis rarò erit neceſſitas hujus providentiæ: quamvis propter tantam mutationem locorum, miniſteriorum, & varietatem perſonarum regula generalis ſit tutior. 5. Ob neceſſitatem famæ, ut & Noſtri tutò exponi poſſint, & illis fidi à proximis. In individuo tamen circumſtantiæ penſandæ ſunt, quia & contra Charitatem denuntiatur Superiori, ſi non ſit, qualis eſſe debet; aut ſi in ſubdito timetur perturbatio; & præter Charitatem eſt, ſi nec neceſſitas, nec utilitas major eſt. Excuſatur autem à gravi, quia detractio & materialis tantùm eſt, & fit bonâ fide, & infamia eſt minima, ſempérque cum fructu, ut Superior oret intenſiùs &c. &c. 6

CAPUT X

Satisfit Objectionibus.

1 Primò. Regula non habet, de quo rectè arguatur. Non enim præcipit Denuntiationem, ſed præparationem animi dignam Religioſo ad patienter ferendum Zelum etiam indiſcretum alterius, *Contenti ſint*, &c. inde ergo non fit licitum aliis, quoad aliàs illicitũ eſt. Rurſus ſolùm petitur conſenſus, ut delatio fieri poſſit *ad majorem in ſpiritu profectum;* ſicque eſt Regula Charitatis, ut expreſſum eſt, *debito cum amore*; eámque Gregor. VIII. valde commendavit, jubens deleri, quæ alius in Summa Caſuûm ſcripſerat, tanquam contraria bonis moribus.

2 Secundò. Verba Mat. 18. nihil obſtant d. Regulæ. Nam quantùm ad obligationem Charitatis, non poteſt eſſe diſſenſio opinionum, ſi quidem illa rectè applicetur, ut etiam Bannez notat. Contra Charitatem autem non eſt, intendere Correctionem perfectiorem, certiorem, & utiliorem bono communi, & privato peccantis. Nec Chriſtus ſemper optima conſuluit, ſed alia turbis, alia Apoſtolis loquitur; alia in his, alia in aliis circumſtantiis.

3 Tertiò. Neque Jura, neque Patres obſtant d. Regulæ. Nam illa probabiliùs agunt de Denuntiatione Judiciali, aut ſolùm volunt ſecretam, non excludendo eos, qui ad negotium pertinent: at Superior & Subditus non ponunt in numero, ut c. *Si peccaverit.* 2. q. 1. Ubi verò illa, vel Patres videntur contrarii, intelligendi ſunt, ſi perfecta Correctio fieri poteſt cum ſolo. Ut in exemplo de petulantia oculorum, non utique ad Superiorem ſtatim recurrendum eſt, ſi non conſtat de lapſu, ſed de indicio levi, quod ex negligentia vel levitate provenire poteſt: ſecùs autem faciendum monet Auguſt. ſi illa duret.

Ratione verò nihil agi poteſt 4 contra d. Regulam, quia non poſcit Denuntiationem, quæ nec fratri, nec Communitati fructum affert, & utique illicita eſt. Rurſus falsò imputat Bannez, quaſi intelligamus, nullam Communitatem aliter bene regi poſſe; id quod alienum eſt à ratione, & uſu Eccleſiæ, & ſine authoritate. Verè autem & prudenter dicitur, non æquè bene regi Cõmunitatẽ Religioſam, ſi quiſque perſuaſus ſit, non licere Denuntiationem ſolùm propter majorem fructum. Quanquam nec hoc generaliter dicamus, quia propter circumſtantias poteſt non expedire omnibus. Solùm ergo de Societate id infertur, quin tamen excludatur monitio privata ad præparandum animum alterius.

Nec

5 Nec refert, illum emendatum jam eſſe: quia cùm rarò fidi poſſit, denuntiatio adhuc utilis eſt ad providendum in futuro; ſicut ideo rectè & ex conſilio manifeſtatio ſui fit integrè. Invitus autem irrationabiliter eſt, ſicque ob metum ineſficacis pœnitentiæ rectè defertur. Vel ergo delatus, factâ monitione per Superiorem, promittit emendam; vel negat crimen, de quo teſtis oculatus eſt; vel durat in pertinacia; & in omnibus his caſibus procedi poterit, ut à patre in ſimili.

6 Si enim 1um, ergo vel acquieſci poteſt, vel imponi ſatisfactio, aut medicina, ſicut *Pater* ſecretò punire poteſt. Tolli etiam occaſio poteſt, ſecluſâ infamiâ, non officium &c. c. *Ponderet*, cum aliis d. 50. niſi neceſſitas medicinæ poſcat. Si 2um, adhiberi teſtes poſſunt ad magis confundendum & terrendum, addendo minas, vel præceptum ſub excommunicatione, ut talis locus vitetur, itémque flagellationem, ut à patre fit. Si 3um, non eſt, quod ſuperaddi poſſit, ſi delictum nec probabile eſt, nec in damnum Communitatis vergit. Solùm ergo Superior vigilet, & auferat occaſiones, quas poteſt citra infamiam, cùm contra delictum occultum procedi non poſſit ad aliud genus Inquiſitionis.

CAPUT. XI.

De triplici modo procedendi & inprimis de Viſitatione.

1 Primò. Conſtat, triplicem eſſe modum procedendi, per viam nempe Inquiſitionis, Denuntiationis Judicialis, & Accuſationis. Ita c. *Qualiter* 2. cum aliis de Accuſ. c. *Licèt Heli*, de Simon. In inchoando autem Judicio maximè differunt d. modi; nam in medio, & fine multùm conveniunt. Quantùm ad formam, ea ex Jure poſitivo, vel naturali, & Gentium ſumi debet, quæ ſcilicet ſufficiat, ut facti veritate ſufficienter inſpectâ, fieri poſſit humanum & juſtum judicium. Idque ex Privilegio Bonif. VIII. & d. c. *Qualiter* in fine, ſufficit in Religionibus, non attento apice Jurium, quia non agitur de acerbo ſupplicio, ſed potiùs de ſalute, & obſervantia Regulari.

Secundò. Inquiſitio Generalis per ſe juſta eſt. Nam per ſe neceſſaria eſt ad bonum Regimen cujusque Communitatis bene inſtructæ, ut patet ex uſu Viſitationum; aliàs creſcit licentia peccandi, quam multi arripiunt, niſi timeant vigilantiam Superioris, & correctionem. Unde ex officio obligantur *Prælati* 2

ad viſitandum. Trid. ſ. 25. c. 20. de Reg. & ſ. 21. c. 8. de Reform. quanquam Generalis, adſtrictus ad ſtabiliter reſidendum propter communicationem cum membris, ordinariè peragere nequeat Viſitationem.

3 Tertiò. Inquiſitio, quæ titulo Viſitationis fit, ſolùm generalis eſſe poteſt ex parte perſonarum, niſi ſpecialis circumſtantia intercedat. Vel enim eſt generalis tam quoad perſonas, quàm delicta; vel ſpecialis quoad delictum tantùm: vel ex parte perſonæ tantùm? Si 1um, ut an ſerventur Leges, an quid notatum ſit &c. conſtat per ſe Juſtitia, quia nulli fit injuria; éſtque interrogatio moraliter neceſſaria ad inchoandum judicium; imò propriè non eſt actus Judicii, ſed generalis gubernationis, ut præambulum Judicii. Si 2um, idem eſt, ut conſtat ex uſu, quia ſolùm interrogari ſupponuntur ordinaria, & de quibus juſtè timeri poſſit. Si 3um, idem eſt, quia perſona ſupponitur eſſe objectum ſpeciale Viſitationis, nec interrogari propter ſuſpicionem ſpecialem: ergo Viſitatio inchoari debet interrogando.

4 Quartò. Subditus nec tenetur tunc, nec poteſt deferre delictum occultum, niſi præceſſit infamia. Ita d. c. *Qualiter*, cujus forma expreſſa, *exceptis occultis*, profectò obſervanda eſt, ſi ſubditus ſtatim debet reſpondere, & non ſupponitur, ſatis prudens. Judex enim non poteſt, ſeclusâ infamiâ, Juridicè interrogare de aliquo; ſícque ſemper ſubintelligitur, ſi alter ſcit delictum famoſum. Nec confundi debet fraterna cum Judiciali denuntiatione, quia Viſitatio principaliter ad Judicium tendit; & ideò Delegato tantùm nihil ut patri manifeſtari poteſt.

Dices, delictum vergens in præjudicium tertii, vel infectivum denuntiari poſſe ſine prævia infamia; idémque eſt, ſi privatim monitus non acquieſcit, juxta illud: *Dic Eccleſiæ.* ℟. Non omnia pro infectivis cenſeri poſſe in Religione (quamvis propter majus periculum intra latitudinem Charitatis rectè in ea procuretur medium efficaciſſimum) ſed ſolùm cùm in individuo ratione objecti, vel ſcandali periculum eſt infectionis &c. locus erit d. Denuntiationi. Tamen in Viſitatione magis quis eſt teſtis, quàm denuntians; & ideo poſcitur infamia. 5

Quòd ſi contingat præcipi denuntiationem, vel hæc præcipitur, ut debita, vel ut licita quælibet? Si 1um, præceptum eſt prudens & juſtum. Si 2um, perplexitates & ſcrupulos ingerit; tamen timendum eſt: & ideo, ubi non eſt manifeſta injuſtitia, quodlibet denuntiandum erit præcipienti. 6

CAPUT

CAPUT XII.

De modo precedendi per viam ſpecialis Inquiſitionis, Denuntiationis Judicialis, & Accuſationis.

1 Primò. Non poteſt Prælatus ſpecialiter inquirere, niſi ſuppoſitâ infamiâ delinquentis. Ita *S.* Thom. Cajet. *Sot.* Cord. Anton. Sumiſtæ omnes, & communiter Canoniſtæ. Sumitur ex c. *Qualiter*, 2. c. *Oportet*, c. *Inquiſitionis* de Accuſ. c. *Licèt Heli*, de Simon. ubi directè agitur de correctione Religioſi: eſtque res de ſubſtantia veri & juſti judicii; nec Prælati Privilegium habent, quo à d. Regula eximantur, ut notant Sylv. Armil. &c. &c. nec etiam noſtra Denuntiatio fit propter punitionem, ſed propter majorem in ſpiritu profectum.

2 Secundò. Exceptio unica eſt d. Regulæ, quando definit injuria proximi. Ita Cajet. Sot. Armil. uterque Nav. Arag. ceſſátque injuria, ſi delictum eſt publicum, & enorme cum indiciis de perſona; inquiſitio autem & punitio moraliter neceſſaria ſit bono communi, quia aliàs delictum invaleſceret. Nam publicitas delicti poſcit Inquiſitionem generalem, gravitas autem illius, & boni communis neceſſitas faciunt, ut indicia ſint loco accuſantis, quia infamia non eſt intrinſecè mala, quin contemni poſſit propter neceſſitatem boni communis: ergo ſubditus tenetur tunc revelare etiam non infamatum, ſicut teſtis, licèt quod dicit, probare nequeat.

Quòd verò alia exceptio non ſit, 3
ſumitur ex enumeratione quaſi partium, ſeu exceptionum, quæ fiunt, ut 1. Si delictum vergit in damnum Communitatis. 2. Si ſit atrox. 3. Si notorium. 4. Si ſint indicia. 5. Si ad inſtantiam alicujus proceditur. 6. Si non inquiritur ob punitionem, ſed fines alios, ut circa impedimenta Matrimonii, meritis ad officium. Sed hoc ultimum non eſt ad rem, quia agimus de Inquiſitione Judiciaria, ſeu ordinatâ ad punitionem publicam: reliquæ autem exceptiones, ſi præciſè ſiſtatur in ſingulis, non tenent.

Non enim 1a, quia pertinet ad 4
viam Denuntiationis, vel Inquiſitionis generalis, quæ ſubditum obligat: Judex autem ſcandaloſè interrogat determinatè de tali machinatione, niſi quid præcedat, quod juſtè ad id moveat. Non 2a, quia eadem abſurda & incommoda ſequuntur in Republica, niſi agatur de defenſione innocentis, ob quam juſtè contemnatur infamia; aut ubi illa exſpectari non poteſt, ut in crimine

mine nefando, ſed vices ſupplet nocumentum alterius. Non 3a. quia ſi Reus latet, Jura ſolùm concedunt inquiſitionem generalem, quia rumor de aliquo, vel indicia poſſunt eſſe ignota Judici. Non 4ta, niſi indicia ipſa, ut de perſona ſunt, nota ſint; ſicque gererent ſuſpicionem publicam, ſupplendo ſic vicem accuſantis. Secùs autem ſolùm æquiparantur infamiæ quoad teſtimonium ſeu ſemiplenam probationem: at nec duo teſtes oculati, ſi tantùm de veritate jurent, ſufficiunt ſeclusâ infamiâ, d. c. *Inquiſitionis.* Non 5ta, quia vel tantùm defert quis, ut Judex inquirat, & ſic obſtant Jura cit. vel denunciat &c. & proceditur viâ aliâ; ſolétqne creari Fiſcalis in crimine contra bonum commune, Religionem &c.

5 Tertiò. Suppoſitâ infamiâ de delicto, & perſonâ, Prælatus & poteſt & debet inquirere ſpecialiter, obligando ſubditos etiam ſub juramento ad dicendam veritatem. Eſt certa omnium ex cit. Juribus, quæ dum negant ſine infamia inquiri, cum illa poſſe affirmant. Nam tunc vox publica, ut *Clamor Sodomorum*, poſcit Juſtitiam; víque officii eſt jus inquirendi, & propter infamiam nulli fit injuria: ergo inquirere & eſt juſtum, & bono publico neceſſarium. Prælatus autem d. boni curâ habere debet, & id medium eſt moraliter neceſſarium, ut delicta impediantur, & puniantur. Quòd ſi remiſſus eſt, dat grave ſcandalum; quod eſt magnum argumentum obligationis. Idémque tunc eſt de obligatione Subditi.

Nam quidquid dicant Moderni; Regula correlativa eſt optima, per ſe loquendo, ut ſi unus interrogare, alter reſpondere teneatur, ne bellum utrinque juſtum detur, ſeclusâ ignorantiâ, & excuſatione legitimâ ob cauſas extrinſecas, ut cùm complex interrogatur &c. Inutilis enim eſſet interrogatio, quia non cogit per pœnam, donec conſtet mentitum quem eſſe, ſicque ſupponendo veritatem jam cognitam: ergo coactio obligans eſt in conſcientia ad reſpondendum. Denique præceptum eſt de re juſta, & neceſſaria bono communi: cur ergo imponi nequit? 6

Quartò. Requiritur & ſufficit infamia, quæ generet publicam & probabilem ſuſpicionem, & clamoroſam inſinuationem. Nam hæc pro eodem cum infamia ſumitur in cit. Juribus, poſteriorem definiente Bartolo, quòd ſit communis opinio ex ſuſpicione generata, & voce manifeſtata. Oportet autem, ut ſit ſuper crimine, de quo quæritur, ut notant omnes ex particula *ſuper quo* & *ſuper quibus* in d. c. *Cùm oportet*, & d. c. *Inquiſitionis*, quia accuſatus de uno, non poteſt interrogari de alio non connexo, ſeu ubi de connexione non conſtat ex natura rei, vel evidentia facti, quia tunc infamatus de delicto, etiam de hujus circumſtantiis eſt; & è converſo. 7

Quin-

8 Quintò. Sufficit, abſolutè eſſe multos, apud quos læſa ſit fama, ſi quidem graves ſint, & abſit odium &c. &c. Nam ut apud decem ſparſa ſit infamia, ut vult Nav. planè incredibile eſt, v. g. ſi ſint quindecim perſonæ in Monaſterio; utique enim ſcandalum publicum (quod juxta Jura ſufficit) datur in minore numero, majúsque erit, ſi ſi non inquiritur; & juxta omnes communis opinio dicitur, quando eſt majoris partis Univerſitatis. arg. c. *Illud.* de Præſumpt. Imò communis eſſe poteſt, licèt non majoris partis, quia datur communis contra comunem; necaliàs dici niſi temere poſſet communis: quis enim computat omnes?

9 Sextò. Judex certus eſſe debet de infamia. Ita d. c. *Cùm oporteat.* quamvis ſi Prælatus certus eſt, delegatus de hoc certificatus, ſtatim inquirere poſſit de delicto. Vel ergo fama per ſe evidens eſt Judici; vel ex denuntiante reſcitur? Si 2dum, prima cauſa non eſt de delicto, ſed de infamia, quæ per teſtes juridicè probari debet ante inquiſitionem aliam. Si 1um, ſufficit, c. *Evidentia* de Accuſ. c. ult. de Cohab. Cler. jun. c. ult. de V. S. Infamia enim tunc per ſe accuſat, nec aliàs locus foret viæ hujus Inquiſitionis. Ut autem quid ſit publicum, ſufficit aliquos id vidiſſe, & ab iis divulgatum fuiſſe; & quod decem viderunt, moraliter dici poteſt notorium, quia moraliter celari nequit: ergo ſimiliter moralis certitudo fit de infamia ex multorum relatione.

Septimò. Quantùm ad praxin Inquiſitionis, debet hæc facere fidem 10
publicam. Prælatus enim coram Notario ſeu Secretario debet teſtes examinare, omnibus actis ab iſto ſcriptis, & ab utroque ſubſcriptis. 2. Articuli interrogatorii debent ab iis diſtinctè confecti eſſe. 3. Teſtes tutiùs de infamia priùs interrogantur. 4. Teſtimonia jurata eſſe debent. c. *Cùm Dilecti.* de Accuſ. niſi ſecùs habeat Conſuetudo, quæ æquivalet renuntiationi, c. *Tuis.* de Teſtib. 5. Licèt Reus non damnetur per Teſtes, adhuc citari poteſt, quia infamia judicialiter probata, facit ſemiplenam probationem. 6. Debet eidem conſtare de legitimo proceſſu, & probatione contra eum reſultante, quæ legi ei debet, non tamen dando tranſumptum, aut nomina Teſtium, quia jam conſtat de legitima interrogatione, ut ſtatim cogi poſſit ad reſpondendū.

Vel ergo fatetur delictum, vel 11
negat? Si 1um, dari debet terminus pro excuſando, vel minuendo delictum. Si 2dum, proceditur ad convincendum, dando copiam teſtimoniorum, tacitis Teſtibus: quia ſi qua ſubtilitas omitti poteſt, maximè ratificatio Teſtium &c. Dein contra ſemiplenè convictum adhiberi poteſt Tortura (ſecùs in plenè convicto, quia ceſſat finis) utique decens, ut ſtrictior carcer, humicubatio &c. Prælatus enim habet

habet perfectam Coërcitivam, ergo & hanc, quia nec communi, nec ſpeciali Jure exceptam. Licèt autem ad aliquam pœnam ſufficiat vehemens ſuſpicio, vel opinio, non tamen ad integram. c. 1. 2. q. 1. Imò contra plenè convictum hæc moderari debet in præſenti via, juxta d. c. *Inquiſitionis.*

12 Octavò. Denuntiatio Judicialis non prærequirit Infamiam, ſed monitionem. Nam Denuntians ſupplet vicem accuſantis, utendo tamen ordine Evangelico, juxta Jura cit. & c. 2. de Calumn. quia ſi ſolùm agitur de emenda fratris, ceſſat neceſſitas infamationis; & hæc erit gravis detractio, ſi illa jam ſecuta eſt. Unde nec Prælatus tunc inquirere poteſt de Reo nondum infamato, nec eum ſtatim arguere coram teſtibus, niſi concurrant vehementia indicia, vel teſtis omnino integerrimus ſit, quia & vitanda eſt occaſio calumniarum, & d. infamia contemni poteſt propter ſpirituale bonum, cùm integra probatio non requiratur, & denuntians pro teſte eſſe poſſit, c. *In omni.* de Teſtib.

13 Procedi tamen non poteſt ad pœnam publicam (per ſe loquendò, ſeu niſi urget ratio boni communis, aut tertii) quia pœna potiùs eſt præſervativa, quàm vindicta: & licèt adhiberi poſſint teſtes (niſi delictum ſit omnino occultum) ad convincendum, & coram iiſdem correptio fieri, imò etiam excommunicatio imponi pertinaci, nedum pœnæ aliæ præſervativæ à relapſu; ſemper tamen ſecludi debet infamia & ſcandalum; officium enim Judicis non ſeparatur ab officio patris, quamvis è converſo: ſufficítque aliis, generatim ſciri, quòd delicta puniantur. Nec obſtat pertinacia; nam ſi ubi ſpes eſt, locum juxta omnes habet punitio, illa non facit hominem melioris conditionis. Dixi, per ſe loquendo &c. quia ſi Denuntiatio eſt *Canonica*, ut dicitur, cùm eſt de vitando damno tertii, monitio nec neceſſaria eſt, nec ſufficit, quia fidi non poteſt: & ideo infamiæ præfertur bonum innocentis, etiam creando Fiſcalem, & procedendo viâ Accuſationis.

Nonò. Procedi non poteſt à Paterna ad Judicialem Denuntiationē, per ſe loquendo. Nam licèt Reus incorrigibilis ſit, inquiri non poteſt, niſi præceſſit infamia: ergo ſolùm orari poterit, & vigilari, tollendo omnes occaſiones, cùm uſus notitiæ ſic hauſtæ ſerviat ad quodlibet, quod prodeſſe poſſit etiam invito, ſeclusâ infamiâ vel ſcandalo. Nec alter cogi poteſt, ut denuntiet Superiori ut Judici, vel ut à ſecreto liberet illum; nam ſi frequenter fit, terrentur ſubditi accedere ad patrem. Nec eſt ratio tale quid præcipiendi, cùm punitio ſit valde extrinſecus finis Denuntiationis ut ſic, pertineátque ad Accuſationem. Huic autem in præſenti ſolùm locus eſt, cùm propter indemnitatem tertii creari debet Fiſcalis. 14

pta,

Decimò. Accuſatio ordinatur ad juſtam vindictam, non ad emendam. Aliquando autem eſt præcepta, ſi agitur injuria Religionis, aut aliud malum publicum, nec per Denuntiationem ſatisfieri poteſt. Ex fine autem indifferenti, ut proprii commodi, honoris &c. accuſare, per ſe malum non eſt; periculoſum tamen, & alienum à Religioſis. Quanquam ſi fit, recipi debeat Accuſatio per Notarium in ſcriptis; éſtque ſubſtantiale, quia moraliter neceſſarium, ut conſtet, quid probare teneatur Accuſator. Proceſſus autem ferè eodem modo fit, quo in Denuntiatione, niſi quòd ſententia ferri debeat ſecundùm integram pœnam.

CAPUT XIII.

Quæ forma Judicii ſervetur in Societate?

1 Primò. In Denuntiatione Paterna correlativum eſt, ut etiam pater interrogare poſſit. In communibus enim ſufficit ſuſpicio vel rumor, ut pater ita provideat circa filios: at circa gravia non datur per ullamRegulam jus interrogandi ſpecialiter,ſecluſâ infamiâ,quia & neceſſarium non eſt Providentiæ Paternæ, & generat ſuſpicionem. Denique de Denuntiatione Judiciali non extat ſive forma, ſive praxis certa: querela autem eſt, quòd expulſio fiat ſine ordine Judiciario, & recurrendo ad Generalem.

2 Secundò. Expulſio, quæ fit in pœnam tantùm, ſecluſo alio titulo per ſe ſufficiente citra rationem pœnæ, fieri nequit legitimè, niſi ſervato ordine Judiciario ſuper delicto, propter quod pœna imponitur. Idem enim eſt in omni pœna Legali; ergo à fortiori in graviſſima ſervandus eſt ordo, quem recta ratio per ſe requirit, cùm nec Conſtitutiones, nec Bullæ aliter diſponant per Privilegium. Propter finem autem vitandi mala, ſi aliud medium ſufficit, expulſio fieri nequit, quia abſciſſio membri per ſolam neceſſitatem honeſtatur.

Tertiò. Si Dimiſſio fit non in pœnam, nec propter incorrigibilitatem, ſed propter commoda Religionis, & altero conſentiente, non requiritur ordo Judiciarius; ſed ſufficit quælibet notitia ad alia negotia graviora ſufficiens. Nam nec tunc eſt ratio iniuriæ, vel violentiæ, nec ad contractus requiritur plus. Tamen nec Profeſſus, nec Coadjutor Formatus ſic expelli poteſt, quia ille abſolutè promiſit; & iſte deſiit eſſe in Probatione: ergo neuter ex quaſi conventione dimitti poteſt,ſed ſolùm cauſâ ita urgente, ut inviti expelli poſſint. 3

Quartò. Expulſio, quæ fit in pœnam in Conventione fundatam, abſque d. ordine licet ex notitia moraliter certa & exteriùs probabili; multóque magis, ſi cum re- 4

ſpectu pœnæ conjungitur indemnitas vel utilitas Religionis. Nam aliud eſt loqui de Pœna Legali, ſeu quaſi debitâ vi delicti per ſe ſpectati; aliud de Conventionali. De priore nemo calumniari Societatem poteſt, quòd minùs, quàm alii, ſervet quod Juſtitia exigit: at quoad poſteriorem ſtatur Conventione, ut juxta modum Conſtitutionum fiat Dimiſſio.

5 Unde duo requiruntur; alterum, ut cauſa ſit juſta, imò ſatis juſtificata, ita ut ſemel & iterum monitus, non præbeat ſpem emendationis, & conſequenter utilitatis ad miniſteria; *monitus*, inquam, utique niſi aliud poſcat enormitas; vel periculum infamiæ Religionis, vel aperta ineptitudo, ut perſonæ fidi poſſit. Alterum eſt, ut de cauſa moraliter certò conſtet Superiori. conſequenter non credendo facilè Denuntiationi unius; imò ſi Paterna eſt, hac conditione fit, ut in emendatione ſiſtatur.

6 Contumacia verò Rei jam meretur tranſitum ad Judicialem, ut à fortiori, ſi urget ratio boni communis. Et tandem omnis notitia extra Confeſſionem, & ſecretum hauſta ſufficit, ſi ad certitudinem moralem pervenit, ſive ex Reo confitente habeatur, ſive quia deprehenſus eſt à Superiore, ſive ab aliis delatus ut Judici &c. Pendet tamen ex qualitate teſtium, conjecturarum &c. & ideo injungitur, ut fiat Conſultatio, & Reus audiatur.

Quintò. Conſtat de differentia 7 utriuſque pœnæ, quantùm ad Judicium. Nam conſtat, eſſe ex parte cauſæ. 2. In pœna Legali probatio debet eſſe plena: at in Conventionali ſufficit illa, ob quam prudenter & ſine temeritate creditur factum, & quòd perſona non ſit apta miniſteriis, nec hæc ei fidi poſſint. 3. Solùm, quod Religioni expedit, præcipuè in eadem attenditur, non ratio pœnæ. 4. In Legali neceſſarius eſt ordo Judiciarius quoad ſubſtantiam; at in Conventionali ſolùm diligentia moralis, quæ arbitrio prudenti, ſervatâ Juſtitiâ & Charitate requiritur, ſicut in gravi Contractu ſolvendo. Denique conſtat, nihil auxilii denegari Reo, quod apud immediatos Superiores habere poteſt, ſed ultra hoc exſpectari reſolutionem Generalis.

CAPUT XIV.

An Regula Societatis ad convenientem ejus gubernationem apta & ſufficiens ſit?

1 Quia Regula, ut à Conſtitutionibus diſtingui poteſt, non eſt diſtincti Authoris, ut in aliis Religionibus; nomine illo venire poteſt prima Inſtituti Formula vel Summa ut in Bullis habetur. Quæ autem illa continet, ſunt 1. finis. 2. varios eſſe gradus perſonarum. 3. Unum eſſe Generalem, penes quem ſit illorum diſtributio. 4. Totam Religionem ſpecialiter per quartum votum &c. conſecrari S. Sedi. 5. Profeſſos facere votum ſolemne Paupertatis &c. 6. Commendari iis inſtructionem puerorum. 7. Societatem Profeſſam non habere reditus in communi. 8. Collegia haberi poſſe cum reditibus ſine emolumento Domûs Profeſſæ. 9. Scholaſticos per Vota ſubſtantialia, ſimplicia tamen, incorporari, cum poteſtate dimittendi. 10. Admitti Coadjutores ſpirituales & temporales cum Votis ſimplicibus. 11. Congregationem Generalem poſſe Conſtitutiones condere, mutare &c. 12. Generalem eligi cum poteſtate plena quoad reliqua omnia, & proviſionem aliorum Superiorum. 13. Non eſſe Chorum, nec obligationem ad Horas, niſi quoad ordinatos in Sacris. 14. Externum modum vivendi eſſe communem. 15. Non recipi ad Profeſſionem niſi poſt diuturnas & diligentiſſimas Probationes. Quæ ſingula expreſsè probata ſunt per Pontifices.

Conſtitutiones (ſub his comprehendendo Examen., & Declarationes, tanquam ejuſdem Authoris, ut in princ. & p. 6. c. 1. A. dicitur) ſunt de rebus univerſalibus & immutabilibus. 2. Summarium continet generalia capita Perfectionis, cùm Conſtitutiones totas evolvere, non ſit ſingulorum 3. Regulæ communes (utique ex parte ſubjecti potiùs, quàm objecti) magis ſunt de externis, & communi ordine vivendi: Conſtitutiones autem quaſi ſubſtantiam Perfectionis continent. 4. Regulæ propriæ Officiorum à ſolo Generali condi poſſunt, nec ejus morte exſpirant. 5. Canones ſeu Decreta Congregationum vim habent Conſtitutionum, utpote immutabiles à Generali. 6 Hujus ordinationes & Declarationes vim habent, & non meram doctrinam; ſed revocari poſſunt. 2

Concluditur, nihil relinqui non optimè diſpoſitum quoad perſonas, officia, virtutes proprias Inſtituti, hujúsque authoritatem. Solùm ergo 3

ergo gratia flagitanda eſt, ut in Superioribus vigilantia & charitas ſit, in Subditis humilitas & Obedientia; quia plus requiritur Gratiæ ad conſervationem, quàm inchoationem Religionis. Mutare autem hæc volentibus poſt tot annorum experientiam, dicendum eſt cum Bern. Apol. ad Guil. *Sic Macarius vixit, ſic Baſilius docuit*: omnia enim ex antiquitate deſumpta ſunt, & ex lumine Divino. Quòd ſi quis ſpiritu Humilitatis moveri non vult ad ſe mutandum, tutius eſt, ut ipſe de Societate, quàm ut hæc per illum mutetur.

LIBER XI.

De iis, qui Religioſum ſtatum à Societate mutant.

CAPUT. I.

An Profeſſus poſſit expelli, & quas ob cauſas?

1 Primò. Certum eſt poſſe. Ita p. 2. c. 1. §. 1. & p. 9. c. 4. §. 7. quia non ſit contra Jus, aut Pactum Profeſſionis. Idémque fieri poteſt, non tantùm ob incorrigibilitatem, ut apud alios, ſed ob crimen, quod vergit in ſcandalum vel infamiam Religionis, ut expreſſum eſt d. §. 1. allegando caput ſequens, ubi duæ cauſæ ſunt; Impedimentum, & peccatum in Societate.

Vel ergo Impedimentum eſt eſ-
2 ſentiale, vel accidentale & diſſimulatum, vel ignoratum? Si 1um, conſtat nullitas Profeſſionis. Si 2um, ceſſat Jus Societatis. Si 3um, penſare oportet, an tam grave ſit, ut præſumatur defuiſſe voluntas Societatis obligandi ſe abſolutè; & an quod ſufficit ad non admittendum, etiam ad expellendum ſufficiat. Licèt enim poteſtas non deſit, tamen prudentiæ ſpiritualis eſt, eligere, quod minus malum eſt, penſando hinc ſcandalum ex ejectione, illinc damnum in retinendo.

Secundò. Peccatum antecedens 3
Profeſſionem, non ſufficit. Vel enim remiſſum eſt; vel ſi occultum fuit, rarò expediet, rationem ejus habere, cùm ſemper aliis modis puniri poſſit, ut ſcandalum tollatur. Alia autem ratio eſt de delicto conſequente, quia ſit major infamia Societatis, & minor ſpes fidendi miniſteria; éſtque in ipſo

Se-

Generali expreſſum. d. §. 7. Unde obiter conſtat ratio conceſſionis & privilegii ſpecialis, de quo denuo Gregor XIII. *Cùm aliàs.*

CAPUT II.

An Profeſſus Societatis poſſit ad aliam Religionem transmitti, & quomodo?

1 Primò. Poteſt transmitti ad alios *paris laxioris &c.* Ordines. Ita Pius IV. & V. & Greg. XIII. qui addit, Ordinem *per ipſum Præpoſitum præſcribendum*; ergo non tantùm in pœnam (de qua ſilet Gregorius) ſed *quos judicaverit ex cauſis ſic exigentibus &c.* ergo per judicium non tantùm punitivum, ſed prudentiale, ut poſcit motivum conſulendi *Societatis puritati, incremento, emiſſorum ſaluti*: nam emiſſo poteſt plus prodeſſe Ordo laxior; nec emiſſio dicit coactionem, & licèt diſtinguatur à Tranſitu, poteſt non fieri niſi per hunc, & è converſo hic propter illam.

2 Secundò. Invitus non poteſt cogi ad tranſitum, niſi per indirectum offerendo carcerem &c. Oportet ergo delictum eſſe proportionatum expulſioni, quamvis etiam in danda licentia eſſe debeat cauſa gravis, & major, quò laxior eſt Ordo ad quem tranſitur. Attenditur enim abſciſſio membri conſummati, hujuſque etiam bonum, ne occaſio detur lapſuûm &c. Igitur cauſa ferè unica eſt inutilitas ad miniſteria, quia vel habilitas deeſt, vel applicatio &c. ſícque tunc licet divortium ex mutuo conſenſu.

Tertiò. Penes ſolum Generalem eſt d. poteſtas. Nam Pontifex hanc muneri affixit, uti uſum Gratiarum ab eodem pendere voluit, ſícqueCongregatioGeneralis id mutare nequit. Quamvis autem illa ſuccedat Sede vacante, tamen tutiùs expectat electionem novi Generalis, ſi agitur de expulſione veteris. 3

CA-

CAPUT III.

Ad quid teneatur ejectus, vel quovis modo ab Societate mutatus?

1 Primò. Si abiit ſub conditione Tranſitûs ad alium Ordinem, tenetur illâ ſtare. Si autem non poſſit, proponat cauſas, vel afferat ſatisfactionem, quod ſufficit; quia ut ipſe ſe tradat carceri, difficile eſt ad id illum obligare.

2 Secundò. In aliis Vota ſimplicia, ſicut & Obedientia ad Regulam ſuſpenduntur. Nemo enim promittit onera, niſi pro ſtatu, & hujus ſpiritu adjutus; nec promiſſio obligat mutato rerum ſtatu. Idémque eſt de Cardinali, vel Epiſcopo ex Societate aſſumpto.

Tertiò. Secùs eſt de Apoſtata, 3
de degente in Palatio Pontificis &c. &c. Nam priori patrocinaretur iniquitas; hic verò eſt membrum Societati ſubſtantialiter unitum, nec obligatio Votorum pendet ex actuali Obedientia ad Præpoſitum Societatis. Denique poſſet ſic votum de non ambiendo &c. facilè eludi, procurando exemptionem à Societate.

TOMUS QUARTUS
De Religione.
LIBER I.
De Obligationibus Religioſorum, ut ſub Regula vivunt.
CAPUT I.

1. Quid ſit Regula. 1
2. Quam Obligationem inducat. 2
3. Quomodo dignoſcatur, eam obligare. 4
4. V. Obligatio ſit non contemnendi Regulam, & progrediendi ſecundùm illam. 5
5. V. Religioſus teneatur non dimittere Habitum. 7
6. V. ad ſervandam Clauſuram, non egrediendo. 9
7. V. teneatur externos non admittere ad eam. 10
8. De Clauſura Monialium quoad egreſſum. 11
9. Quis poſſit diſpenſare. 12
10. De Clauſura quoad ingreſſum. 14
11. V. actiones omnes pravæ, ſint ſpecialiter prohibitæ Religioſis. 15

LIBER II.
De Religioſis, ut Prælati ſunt.
CAPUT I.

1. V. neceſſarius ſit Prælatus Juriſdictionem habens. 17
2. Quotuplex ſit Prælatus Religionis. 19
3. De Electione Supremi Prælati. 21
4. De conditionibus eligentium. 22
5. De forma eligendi. 23
6. De Electione aliorum Prælatorum. 25
7. V. Prælatio perpetua ſit &c. 26
8. V. Prælatus obligare poſſit in conſcientia. 28
9. V. habeat poteſtatem coërcitivam. 30

10. V. ad pœnas corporales. 32
11. V. appellari poſſit à ſententiis Superiorum. 33
12. V. Prælatus diſpenſare poſſit. 35
13. In quibus ſit ea poteſtas. 38
14. Qui poſſint diſpenſari. 39
15. V. Prælatus abſolvere poſſit à non reſervatis. 41
16. V. ea poteſtas aliis competat. 42
17. V. ſit pro Religioſis peregrinis, & Novitiis. 43
18. Quid circa reſervationem ſtatutum ſit. 44
19. Quis abſolvere poſſit à reſervatis. 46
20. V. Prælatus à Cenſuris ſuos poſſit abſolvere. 48
21. A quibus Cenſuris per Privilegia Mendicantium. 49
22. In quibus Religionibus facultas ſit abſolvendi ab omnibus Cenſuris. 51
23. V. in Epiſcopo ſit d. facultas quoad Religioſos. 52
24. Ad quos abſolvendos extendantur d. Privilegia. 53
25. V. vi Privilegii facultas ſit abſolvendi à Cenſuris ſpecialibus ab homine. 54
26. De poteſtate circa bona temporalia juxta Jus antiquum. 56
27. De eadem juxta Jus poſterius. 58
28. De eadem juxta ſtatuta & indulta Religionis. 61
29. Quæ ſit poteſtas conferendi Ordines. 62
30. De poteſtate benedicendi res &c. &c. 64

LIBER III

De Religioſis deſerentibus, vel mutantibus ſtatum.

CAPUT I.

1. Quis cenſendus Fugitivus vel Apoſtata. 68
2. Explicantur dubia. 70
3. De culpa & pœna cooperantium &c. 72
4. V. Profeſſus juſtè expelli poſſit? 76
5. V. ejectus teneatur redire. 78
6. Ad quid obligetur manens licitè extrà. 80
7. V. Profeſſus poſſit extrà vivere de licentia Prælati. 82
8. V. ex natura rei tranſitus propriâ authoritate liceat ad ſtrictiorem. 83
9. V. liceat ad laxiorem vel æqualem. 84
10. Quouſque de Jure liceat ad ſtrictiorem. 86
11. V. de Jure communi ad æquè vel minùs ſtrictam. 88
12. V. de Jure particulari Religionis liceat tranſitus ad alteram. 91
13. V. legitimè tranſiens peculium deferre poſſit. 93
14. V. tranſeant Immobilia vel mobilia pretioſa cum perſona. 95
15. V. prærogativæ habitæ in priore Religione. 97
16. Ad quid teneatur factus Epiſcopus quoad Votum Caſtitatis & Paupertatis. 98

17. Ad quid vi Obedientiæ erga Prælatum, & Regulas. 101
18. V. gaudeat Gratiis ſuæ Religionis. 102
19. V. Regularis tranſire poſſit ad Beneficium &c. &c. 103

TRACTATUS IX.

De Varietate Religionum.

LIBER I.

De Varietate Religionum in genere.

CAPUT I.

1. V. potuerit eſſe varietas. 106
2. V. Religio rectè diſtinguatur in Solitariam & Cœnobiticam. 107
3. V. in Militarem & non Militarem. 108
4. V. Militaris propriè Religio ſit. 109
5. V. ſufficiens diviſio ſit Religionis in Contemplativam & Activam. 110
6. Quæ perfectior ſit. 112
7. De diviſione in Clericalem & Monachalem. 114
8. De diviſione in Mendicantem & non Mendicantem. 115
9. Quot ſint Ordines Clericorum Regularium. 116
10. V. Religiones Monialium inter ſe diſtinctæ ſint, & à Religionibus virorum. 116
11. De Receptione earum, Profeſſione cum Velo. 117
12. De Obſervantia quoad Vota, & ſubjectionem erga Prælatos & Regulam. 119

TRACTATUS X.

De Societate Jeſu.

LIBER I.

De Inſtituto Societatis in generali.

CAPUT I.

1. V. ſit vera Religio. 120
2. Quis ſit finis ejus. 121
3. Quibus mediis utatur ad finem. 123
4. V. convenienter inſtituta ſit. 125
5. V. ſit per ſe Religio Clericorum. 127
6. V. profiteatur Vitam Contemplativam vel Activam. 128
7. In quo gradu Perfectionis conſtituta ſit. 130
8. Uſum Chori convenienter non eſſe in Societate 131
9. V. ſit Religio arcta, an laxa. 133

LIBER II.

De Ingreſſu in Societatem, & Probatione.

CAPUT I.

1. V. Rectè inſtituta ſint Impedimenta ſubſtantialia. 136
2. De impedimento ex defectu Originis. 138

3. Quæ Probatio eſſe debeat in recipiendo &c. 139
4. V. rectè aſſignetur biennium Novitiatûs. 141
5. De obſervatione, Experimentis &c. 142

LIBER III.

De Admiſſione Scholarium ad Vota ſimplicia.

CAPUT I.

1. Rationes dubitandi. 144
2. Licitum eſſe d. modum recipiendi 145
3. V. d. admiſſio conſtituat Religioſum. 147
4. Corollaria. 149
5. V. d. admiſſio dicenda ſit Profeſſio. 151
6. Quæ conditiones requirantur in Scholaſtico, ut vota ejus valeant. 152
7. Quæ conditiones ex parte Religionis. 153
8. V. in Scholaſtico eſſe poſſit tacita Profeſſio. 154
9. Quibus modis ſolvi poſſint ejus Vota. 154

LIBER IV.

De Votis ſimplicibus.

CAPUT I.

1. V. Votum Caſtitatis dirimat Matrimonium ſubſequens. 157
2. V. etiam præcedens. 158
3. Quibus mediis juvet Societas ad obſervantiam d. Voti. 160
4. V. Votum Paupertatis Scholaſticum reddat incapacem dominii. 160
5. Quomodo vi Regulæ bona diſtribuenda ſint. 162
6. Quomodo vi Voti. 163
7. Ad quem uſum Paupertatis obliget Regula. 164
8. Quomodo Votum obliget. 165
9. De Paupertate propriâ Domuûm Profeſſarum. 167
10. V. Paupertas, ut explicata eſt, conveniat Societati. 168
11. Ad quam Paupertatem in communi obligentur Collegia, & Domus Probationis. 170
12. V. Noſtri vi Voti Obedientiæ obligari poſſint in quacunque materia. 171
13. De Conſilio Obedientiæ quoad Executionem. 173
14. De eadem ex parte Voluntatis. 173
15. De eadem ex parte Intellectûs. 175
16. V. Promiſſio ingrediendi Societatem ſit Votum conveniens. 178
17. Ad quid obliget d. Votum. 178

LIBER V.

De Scholaſticis ac Studiis Societatis.

CAPUT I.

1. V. Status Religioſus rectè inſtituatur ad ſtudia. 180

2. V. conveniat Studium Humaniorum &c. 182
3. V. ratio proficiendi convenienter inſtituta ſit. 183
4. V. conveniat Societati, habere Univerſitates. 185
5. V. conveniat inſtitutio puerorum. 187
6. V. media convenientia ſint ad illam. 189

LIBER VI.

De Profeſſione quatuor Votorum.

CAPUT I.

1. V. rectè diu differatur. 190
2. Cur exigatur tertius annus Probationis. 192
3. V. forma Profeſſionis obliget ad eruditionem puerorum. 193
4. V. Votum Obedientiæ ad Pontificem, ſit ſolemne. 194
5. V. Profeſſio convenienti modo fiat. 197
6. De Voto non aſſentiendi relaxationi Paupertatis. 198.
7. De Voto non ambiendi Dignitates 200
8. De Voto non acceptandi extra Societatem. 202
9. De Voto audiendi conſilia Generalis &c. 203
10. De Voto manifeſtandi procurantes Dignitatem. 205
11. Cur d. Vota ſint ſimplicia? 208

LIBER VII.

De Profeſſione trium Votorum &c.

CAPUT I.

1. Cur aliqui ad eam admittantur. 208
2. De Coadjutoribus Spiritualibus. 210
3. De Coadjutoribus Temporalibus. 211

LIBER VIII.

De Mediis ſpiritualis profectûs in Societate.

CAPUT I.

1. Quantùm Noſtri vacare debeant Exercitiis Mentalibus. 213
2. V. ad orationem vocalem teneantur. 214
3. V. ad frequenter celebrandum &c. 215
4. V. uſus & frequentia Confeſſionis rectè inſtituta ſit in Societate. 217
5. V. conveniat reſervatio caſuûm. 218
6. Quomodo intendatur perfectio Charitatis. 220
7. De mediis negativis fraternæ Charitatis. 220
8. De mediis poſitivis ejuſdem. 222
9. Quomodo Noſtri juventur ad virtutes non Theologales. 225

Li-

LIBER IX.

De Miniſteriis erga proximum.

CAPUT I.

1. Quid Noſtri poſſint & debeant in miniſterio prædicandi. 227
2. Quid in miniſterio Sacramenti Pœnitentiæ. 231
3. Quid in adminiſtratione Euchariſtiæ. 234
4. Quid circa alia Sacramenta. 235
5. De ſpiritualibus Exercitiis. 237
6 De methodo eorum. 241
7. De prudentia S. Patris in iis ſervata. 243
8 V. conveniat familiariter converſari cum proximo. 244
9. V. cura ſpecialis eſſe debeat circa morientes. 246

LIBER X.

De Regimine Societatis.

CAPUT I.

1. V. per modum Monarchiæ rectè gubernetur. 248
2. V. expediat Generalem eſſe perpetuum. 249
3. V. alii Prælati convenienter inſtituantur. 250
4. De poteſtate Juriſdictionis in Societate. 252
5. De eadem infra Supremum. 253
6. V. rectè exigatur ratio Conſcientiæ. 254
7. V. Denuntiatio fraterna rectè fiat. 257
8. Generalis doctrina Denuntiationis. 258
9. V. Denuntiatio Evangelica rectè procedat. 260
10. Satisfit objectionibus. 262
11. De triplici modo procedendi; & primò de Inquiſitione Generali. 263
12. De ſpeciali Inquiſitione, Denuntiatione &c. 265
13. Quæ forma Judicii in Societate ſervetur. 269
14. V. Regula Societatis apta & ſufficiens ſit. 270

LIBER XI.

De iis, qui Religioſum ſtatum mutant in Societate.

CAPUT I.

1. V. Profeſſus expelli poſſit. 272
2. V. ad aliam Religionem transmitti. 273
3. Ad quid teneatur ejectus, aut quovis modo ab Societate mutatus. 274

FINIS.

Weston

02-8008
Alepri 1719620